BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8 M
25 E
10

Digitized by Google

A IV b 10

B.III.7

Digitized by Google

Digitized by Google



GASPARIS

SANCTII

CENTVMPVTEOLANI

E SOCIETATE IESV
THEOLOGI,

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITT. EMANUELE

IN COLLEGIO COMPLVTENSI
Sacrarum literarum Interpretis,

COMMENTARII IN ACTVS
Apoſtolorum.

Acceſſit Diſputatio de Sancti Iacobi & Pauli Apoſtolorum in Hiſpaniam aduentu.

IN LVCEM NVNC PRIMVM
editi, & accuratis Indicibus locupletati.

Pertinet ad Conv. [illegible] S. Francisci de [illegible]

Cum Priuilegio Regis.

LVGDVNI
Apud Horatium
Cardon
M.D.C.XVI.

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI D. FRANCISCO DE MENDOZA, ALMIRANTI ARAGONIÆ, MARCHIONI de Guadaleſte.

GASPAR SANCTIVS E Societate Ieſu S. P. D.

COMMENTARIOS hoſce in Apoſtolorum Acta, Diſputationemque de Sancti Iacobi in Hiſpaniam aduentu in tuo nomine, Princeps excellentiſſime, apparere ſtudeo, audacter fortaſſe: verùm nihil, vt reor, moliri videor alienum, vel à tua humanitate, qua neminem vnquam ſupplicem repuliſti, vel à Patroni nomine, quod ad tuam fidem, atque tutelam, non modò facilem ſternit viam, ſed ſummum mihi ius, atque legitimum aditum vendicat, & munit. Cùm enim Collegij Societatis Ieſu, quod Maria amita, & Catharina ſoror lectiſſimæ, atque Religioſiſſimæ fœminæ luculenter Compluti fundauerunt, Patronus ſis, cuius eſt proprium collegiales curas, & conatus tueri, non immeritò videor, aut temerè ad tuam humanita-

Digitized by Google

tem,& patrocinium aſpirare, cùm vnus ſim ex eo Collegio, cui tu, niſi Patroni nomen abiicias, quod certè nunquam facies, fauere, & ne quid patiar indecorè prouidere debeas. Quare in tuum tibi ſinum, & patrocinium do hoc quodcumque eſt operis, quod ſanè pertenue eſt, cui nihil conciliat authoritatis parentis nomen obſcurum, & ignobile, quódque ſuo magno merito non cenſorum modò, ſed lectorum etiam iudicia ſubire metuat. Quæ interdum minùs æqua ſunt, & ſeuera magis, quàm ipſa & operis, & authoris tenuitas ſuſtinere poſsit. Hæc me ratio non excitauit ſolùm, ſed etiam acuit, vt tuæ tutelæ, & fidei meas curas, & labores committerem: neque enim putabam cùm alios tuo, imò verò noſtro iure defendendos ſuſcepiſſes, aſſumpto iampridem Collegij patrocinio, me à communi, iámque multis antea teſtimoniis probata fide fore repellendum. Hæc mihi cogitatio animos fecit, vt auderem; ſed fuêre quamplurima alia, quæ vt facerem non inuitarũt modò, ſed etiam compulerunt. Cùm enim Complutenſe Collegium in Ieſumontana domo ad declinandum æſtum, quem feruente Canicula, quaſi inductis de more literarum feriis, ſtudia laxantur, magno ſuo incommodo multorum annorum experientia nouit eſſe grauiſſimum, commodum haberet, atque ſalubre diuerticulum, in eo tu nobiſcum, non tam, credo, vt loci commoditatem, & ſalutarem captares auram; quàm vt tuam in Societatem beneuolentiam oſtenderes, aliquandiu diuerſatus eſt. Vbi quanto bonarum, atque ſacrarum literarum ſtudio flagrares, quàm plurima nobis præbuiſti, eáque non obſcura, neque vulgaria documenta. Nam cùm multas horas, eáſque interdum non admodùm opportunas in lectione ſacra poſuiſſes, nunquam tamẽ contigit, quantùm ſpectaui licuit, aut defatigari te legendo,

gendo,

gendo, aut audiendo ab aliis quicquam accepiſſe moleſtiæ. Quare ſi quando de rebus diuinis, ſacrarúmque literarum arcanis incideret ſermo, qui tibi nunquam importunus accidit, ita excitabas auidè ſenſus omnes, vt nihil præterea, aut curaſſe, aut noſſe ætatis longo tempore videri potueris. Et ne quam vitæ partem, cùm tibi à publicis curis feriari licuit, inertem, aut otioſam abire paterère, animum adieciſti ad laborem ſanè tuo indefeſſo ſtudio, atque ingenio peracri non indignum, obſcurum, & implexum, tentatum à multis, neque, vt communis ſenſus eſt, à quoquam pro ſua dignitate ſatis expeditum. Aggreſſus es de Chriſti generatione in caput 1. Matthæi commentationem, in qua res, & natura ſua difficiles, & opinionum varietate confuſas (in quibus magnorum ſcriptorum diu elaborarunt ingenia) ſic explicas dilucidè, ſic grauiter, & acutè probas, vt perſuadeas, quod ſuadere vis, & nemini quicquam in poſterum reliquiſſe videaris, quod ad tuas cogitationes, & curas poſſit accedere. Legi non ſemel vigilias tuas, & antelucanas operas, quas in eo argumento non modò patienter, ſed etiam iucundè poſuiſti: neque in eo genere (nihil dabo gratiæ, nihil adulationi, quod abeſſe quàm longiſſimè debet à Religioſo viro) in eo inquam genere nihil, meo iudicio, magis elaboratum, aut magis accuratè perfectum vidiſſe me recordor. Quod licèt magnum per ſe ſit, probaríque ab omnibus, atque laudari debeat, ſed eo magis eſt admirabile, quòd ab eo viro ſit profectum, cuius animum & domeſticæ curæ, quæ, ſi vnquam, eo rerum articulo fuerunt grauiſſimæ, & excelſi ſpiritus, quos in ingenuo pectore alit antiqui generis ſpectata nobilitas, à præclaro illo eruditionis ſacræ, & pietatis pabulo abducere non potuerũt. Quis autem ignorat quàm ſe difficilè ſanguis, qui He-

roas atauos recognoſcit,ad aliena ſtudia literarum attemperet?Non tamen perfecit conſcius animus auitæ gloriæ,& qui neque ad bellicas curas iners fuit,& ignarus,neque militare pondus, & ancipites caſus,& dubiã belli fortunam vnquam exhorruit, vt non maximam, meliorémque temporis partem literarũ ſtudio, & otio pietatis impenderes.Poſſem in eo genere multa dicere, & togę prudenter, & belli fortiter, & moderatè ſuſcepta.Poſſem de tua in exercitu adminiſtrando, cui diu cum ſumma poteſtate præfuiſti,moderatione,conſtantia,ac fide,Catholici Regis Philippi II. Poſſem Alberti Archiducis, poſſem magnorum Principum teſtimonia proferre, poſſem legationes hîc varias grauiſſimis de rebus commemorare,ad Auguſtam Rodolphi Imperatoris Majeſtatem,ad Chriſtianiſſimum Galliæ Regem,ad Regem,ordinéſque Poloniæ,quas ſumma fide,mirabili celeritate,feliciſſimo ſucceſſu ex rei Chriſtianæ vſu,& magnorum Principum votis obiiſti.In quibus Germanis,Gallis,Poloníſque,tã ſummis rerũ dominis, quàm reliquis de plebe ſic fidem tuam,prudentiam, humanitatémque probaſti,vt reliquiſſe te ex ea legatione Hiſpanæ nobilitatis,& pietatis eximiæ pręclara monumẽta publicè faterentur.Sed hæc altioris ſunt ſtyli, quæq; non breuem narrationem, qualis decet hoc ſcribendi genus,ſed iuſtam hiſtoriam,& magis ſonantem buccinam deſiderant.Neque,credo,hæc tibi, qui iam ſacratiora,Deóque propiora ſtudia meditaris,accedere poſſent nõ moleſta:quare ab his abſtineo.Illud dico,quod non ſine magna voluptate ſpectauimus quotquot tunc in Ieſumontano ſeceſſu tecum agebamus.Neque,puto, ſine admiratione ingenti, approbationéque ſingulari audiet non ætas noſtra ſolùm, ſed longa etiam poſt ſæcula futura poſteritas,quemadmodum poſt tot titulos,

poſt

poſt vtriuſque fortunæ ſiue ornamenta, ſiue ludibria non temerè, ac ſine attenta lõgáque deliberatione, abiectis procul ſæcularibus curis, ætate iam grandi, quæ in eligenda, inſtituendáque vitæ ratione plerumque non fallitur, Altaris ſacroſancta myſteria inire volueris Sacerdos, & quod reliquum eſt ætatis (quod Deus faxit eſſe diuturnum) cum Deo propiùs, familiariúſque trãſigere. Quo cœleſti planè (vt verè cõiectare mihi videor) afflatu præſcripſiſti poſt tot annorum multiplicem experientiam ſæcularium rerum amatoribus quàm vana putes, quàm fugacia, ac ludicra, quæ ſibi proponit ambitioſa vanitas, aut quæ ſperari poſſunt ab humana potentia meritorum præmia, aut honorum, atque virtutũ ornamẽta. Quare eſt quod nobis priuatim gratulemur, qui te noſtrũ non eſſe vno tantùm nomine cognoſcimus, quíque te ſacris operantem primùm aſpeximus, & publicè omnes, qui in ſacro, atque Eccleſiaſtico numerantur ordine: cùm tuo iam ſenili, multarúmque rerum experto iudicio omnibus compertũ eſſe volueris, quanto ſint hæc ſacra, quàm illa prophana meliora; quàm tuta magis, quàm magis ad ęternæ gloriæ pondus, quod ſapienti maximè propoſitum eſſe debet, opportuna. Vt autem his qui glorioſum aliquod virtutis prȩmium cõſecuti, aut ad immortale nomen expeditam viam ingreſſi ſunt, ſeu aliquod offerimus bene precãtis, aut cupientis animi teſtimonium, ſeu certè aliquid exigimus, quod concedi à læto, & non illiberali animo plerumque ſolet: ſic ego nunc (Princeps excellentiſſime) offero meæ voluntatis monumentum aliquod, exiguum illud quidem, &, quod ad authorem ſpectat, impolitum, & rude, ab eo tamẽ animo profectũ, qui maiora, ſi poſſet, non inuitus offerret. Offero librum erudito Principi, in quo nonnihil eſt eruditionis, opus Apoſtolicum, & ſa-

crum

crum ei,qui ſacrum ingreditur,& Apoſtolicum viuendi genus, &, ſi ad ſtudia iam derelicta referre oculos tantiſper licet, Hiſpanorum ducem, & tot bellorum gloria præclarum, Iacobum nempe, de cuius apud Hiſpanos prædicatione diſputatio eſt, Hiſpanorum aliquando Duci, cuius in re bellica extant ab ætate nondum ſatis ad bellorum moleſtias confirmata, præclara monumenta. Sed, quod magis in præſentia vſui eſſe poteſt, non tam offero, quàm peto ab eo, qui in hoc rerum articulo diuino hoc, aut diuino ſimili dono cumulatus eſt, quo in hac vita homini mortali nihil auguſtius, nihil accidere poteſt excellentius, aut etiam meo iure à patrono exigo, & ſi fas eſt, lege cum eo agere, quem obſeruare debeo, contendo, vt in ſuum patrocinium, aut clientem, aut, ſi malit, ſupplicem recipiat, illúmque nouo hoc ad vetera addito beneficio in perpetuum deuinciat.

APPRO

Digitized by Google

APPROBATIO.

REgio iubente Senatu vidi, & accuratè, quantùm licuit, recognoui *Commentaria in Actus Apoſtolorum, cum Diſputatione de Sanctorum Iacobi, Pauli, & Petri Apoſtolorum in Hiſpaniam aduentu, à ſapientiſſimo, religioſiſſimoq́; Patre Gaſparo Sanctio concinnata*: nihil verò in ipſis deprehendi quod Catholicam doctrinam, aut pietatem vel minimùm lędat, ſed multa potiùs, & magna quę aſtruant, & illuſtrent. Imò in hoc genere Commentationis, in quo nil ferè ab antiquis, & recentioribus prætermiſſum, veteribus noua coniungens meritò ſui deſiderium prouocat, nec minùs accēdit rara animi modeſtia in pronunciandis ſententiis, earumdem mira cohærentia, ſumma Interpretis dexteritate cum trilingui peritia, atque eruditione mirabili. Conſonant denique hæc Commentaria aliis præclaris eiuſdem authoris in Iſaiam Prophetam non ita pridem editis. Cenſeo igitur vt etiam publica luce donentur ad magnum Eccleſiæ bonum. Matriti in Carmelitano Cœnobio 12. Auguſti 1615.

I. Franciscvs a Iesv de Xodar.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi.

EGo Antonius Suffrenus Societatis Iesv in Prouincia Lugdunenſi Præpoſitus Prouincialis, Opus quod inſcribitur, *Gaſparis Sanctij Centumputeolani è Societate* Iesv *Theologi, in Collegio Complutenſi ſacrarum literarum interpretis, in Actus Apoſtolorum Commentarij, cum Diſputatione de SS. Iacobi, Pauli, & Petri Apoſtolorum in Hiſpaniam aduentu*, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februarij 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab hominibus noſtræ Societatis compoſitos, abſque Superiorum eius permiſsione imprimant, permitto Horatio Cardon Lugdunēſi Bibliopolæ, vt ad ſex primos annos imprimere, ac liberè diuendere poſsit. Datum Lugduni die 10. Aprilis 1616.

Anti Svffrenvs.

Digitized by Google

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE in ſacra Theologia Magiſter, & in S.Pauli Lugdunenſis Canonicus,& in hac Lugdunenſi Diœceſi, à Domino Dionyſio Simone de Marquemont Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Archiepiſcopo librorum Cenſor deſignatus:fidem facimus, nos *Gaſparis Sanctij Centumputeolani è Societate Ieſu Theologi,in Collegio Complutenſi ſacrarum literarum interpretis, in Actus Apoſtolorum Commentarios, cum Diſputatione de SS.Iacobi, Pauli, & Petri Apoſtolorum in Hiſpaniam aduentu* perlegiſſe, omniáque in illis iuxta orthodoxam Catholicæ Apoſtolicæ,ac Romanæ Eccleſiæ, & Sanctorum Patrum ſanam doctrinam ſumma cum eruditione exponi. Lugduni apud S.Paulum Idib.Iulij *1616*.

DEVILLE.

R.D.D.Thomæ de Meſchatin la Faye huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus, & Camerarius Eccleſiæ Lugdunenſis,& Vicarius-Generalis in Archiepiſcopatu Lugdunenſi:Opus inſcriptum,*Gaſparis Sanctij Centumputeolani è Societate Ieſu Theologi,in Collegio Complutenſi ſacrarum literarum interpretis, in Actus Apoſtolorum Commentarij,cum Diſputatione de SS.Iacobi,Pauli, & Petri Apoſtolorum in Hiſpaniam aduentu*,vt in lucem edatur facultatem concedo. Lugduni 3.Auguſti 1616.

MESCHATIN LA FAYE.

CONCESSIO.

LIBRVM hunc,qui inſcribitur, *Gaſparis Sanctij Centumputeolani è Societate Ieſu Theologi, in Collegio Complutenſi ſacrarum literarum interpretis, in Acta Apoſtolorum Commentarij,cum diſputatione de SS. Iacobi, Pauli, & Petri Apoſtolorum in Hiſpaniam aduentu*:Ego Iacobus Daueyne Regis Procurator typis mandari,tum demum in lucem exponi conſentio. Lugduni 4.Auguſti 1616.

DAVEYNE.

LIBRVM hunc inſcriptum,*Gaſparis Sanctij Centumputeolani è Societate Ieſu Theologi,in Collegio Complutenſi ſacrarum literarum interpretis,in Acta Apoſtolorum Commentarij, cum Diſputatione de SS.Iacobi, Pauli, & Petri Apoſtolorum in Hiſpaniam aduentu*, ab HORATIO CARDON Bibliopola Lugdunenſi in lucem dari permittimus:ſimul,ne quis citra factam ei ab ipſo poteſtatem, denuò excudat,interdicimus. Datum Lugd.4. Auguſti *1616*.

SEVE.

Digitized by Google

Summa Priuilegij à Chriſtianiſſimo Galliarum Rege conceſſi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarrę Regis auctoritate ſancitum eſt, atque patentibus Literis cautum, ne quis in Regno ſuo, aliiſve locis ditioni ſuę ſubiectis, intra proximos annos decem, à die impreſsionis primæ inchoandos, ac numerandos excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo, & ratione conetur librũ, qui inſcribitur, *Gaſparis Sanctij Centumputeolani è Societate IESV Theologi, in Collegio Complutenſi ſacrarum literarum interpretis, in Actus Apoſtolorũ Cõmentarij, cum Diſputatione de SS. Iacobi, Pauli, & Petri Apoſtolorum in Hiſpaniam aduentu*, præter HORATIVM CARDON Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos, quibus ipſemet conceſſerit. Prohibitum inſuper eâdem auctoritate Regiâ omnibus ſuis ſubditis, eundem librum extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum im-

Digitized by Google

pellere, ac inſtigare ſine conſenſu dicti HORATII CARDON. Idque omne ſub confiſcatione librorum, aliiſque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Turonibus die 19. Aprilis 1616.

De mandato Regis.

Signatum.

BERRVYER.

INDEX

Digitized by Google

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ QVÆ IN COMMENTARIIS in Act.Apoſt.explicantur.

Prior numerus caput, poſterior numerum marginalem; litera P. Prolegomena indicat.

EX GENESI.

Cap.6. *POenituit Dominum.* 2.90

9 *Excepto quòd carnem cum ſanguine non comedetis.* 15.29

15 *Affligent eos 40 annis.* 7.27

27 *Eſto Dominus fratrum tuorum.* 7.19

48 *In gladio, & arcu meo.* 7.55

EX EXODO.

Cap. 12. *Habitatio filiorum Iſraël, qua manſerunt in Ægypto, fuit 430. annorum.* 7.27

15 *In æternum & vltrà.* 7.95

22 *Principem populi tui non maledices.* 23.7

32 *Dele me de libro vitæ.* 3.32

EX LEVITICO.

Cap.23. *Affligetis animas veſtras die nono.* 12.11

EX DEVTER.

Cap. 18. *Ego vltor exiſtam.* 3.28

32 *Generatio enim peruerſa eſt.* 8.43

EX IOSVE.

Cap.7. *Comburetur igne.* 3.31

24 *Centũ nouellis ouibus.* 7.50

EX LIB. I. REG.

Cap. 13. *Saül duobus annis*

regnauit in Iſraël. 13.33
13 Filius vnius anni erat Saül. 13.36
Secundùm cor meum. 13. 40

EX LIB. IV. REG.

Cap. 13. Cùm tetigiſſet oſſa Heliſæi. 2.71
23 Sepulcrum vulgi. 1.49

EX LIB. I. PARAL.

Cap.25. Prophetare in citharis. 2.39
20 Tulit Dauid coronã Melchom. 7.86

EX PSALM.

Pſal. 2. Ego hodie genui te. 13. 49
15 Adimplebis me lætitia. 2.81
19 Donec ponam inimicos tuos ſcabellum. 3.22
49 Statuam contra faciem tuam. 7.119
94 Proximus fui generationi huic. 13.17
117 Lapidem quem reprobauerunt, &c. 4.10

EX SAPIENT.

Cap.2. Et non eſt refrigerium in fine hominis. 3.19

EX ECCLE.

Cap.18. Vſque ad mortem iuſtificari. 10.21
48 Et mortuum prophetauit corpus. 2.39
48 Reſtituit tribus Iacob. 3.20

EX ISAIA.

Cap.5. Lingua ignis. 2.20
32 Neruus ferreus ceruix tua. 7.99
53 De anguſtia, & de iudicio ſublatus eſt. 8.29
55 Miſericordias Domini fideles. 13.52

EX IEREMIA.

Cap.1. Ollam ſuccenſam ego video. 7.102
7 Regina cæli. 7.90
11 De fornace ferrea. 3.31
19 Vallis occiſionis. ibid.
29 Porta fictilis. 1.49
Quos frixit Rex Babylonis in igne. 3.31

EX IOEL.

Cap.2. Ante faciem eius ignis vorans. 7.102

EX ABACVCH.

Cap 1. Videte in gentibus.13. 13.53

EX

EX MATT.

Cap. 10. *Puluerem excutite.* 13.63

11 *Omnes Prophetæ, & lex vſque ad Ioannem prophetauerunt.* 11.9

18 *Oblatus ei vnus, qui debebat ei.* 8.30

EX MARCO.

Cap.3. *Calceamenta portare.* 13.44

7 *Communes manus.* 10.9

8 & *cap.22. & cap. 23. tenebræ exteriores.* 12.29

9 *Vermis non moritur.* 1.49

EX LVCA.

Cap.2. *Vt profiteretur.* 5.17

EX IOANN.

Cap. 10. *Ego pono animam meam.* 8.32

12 *Si exaltatus fuero.* 8.55

13 *Ante diem feſtum Paſchæ.* 12.24

18 *Cùm accepiſſet cohortem.* 4.5

19 *Paraſceue Paſchæ.* 12.24

20 *Magnus dies ille Sabbathi.* 2.5

21 *Si exaltatus fuerit à terra.* 8.39

EX EPIST. AD ROMAN.

Cap.3. *Qui iuſtificat circumciſionem ex fide.* 15.9

6 *Conſepulti enim ſumus in illo per Baptiſmum.* 2.91

8 *Liberabitur creatura à ſeruitute.* 3.19

EX I. COR.

Cap. 1. *Vir orans, aut prophetans.* 2.39

EX EPIST. AD GALAT.

Cap. 1. *Non ab hominibus.* P. 18

2 *Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatu circumciſionis, operatus eſt & mihi inter Gentes.* 9.12

EX EPIST. AD EPHESIOS.

Cap. 2. *Ipſo ſummo angulari lapide.* 4.11

3 *Inueſtigabiles diuitias.* 8.37

EX EPIST. AD PHILIPPENS.

Cap.2. *Deus exaltauit illum.* 8.42

EX

EX II. AD THESS.

Cap.2. *Tenete traditiones*. 6.8

EX EPIST. AD HEBR.

Cap.1. *Purgationem peccatorum faciens.* 1.10
Ad miniſterium miſſi. ibid.
3 *Conſiderate Apoſtolum, & Pontificem confeſſionis noſtræ Ieſum.* P.8
5 *Et interpretabilis.* 8.37
10 *Offerens hoſtiam ſedet.* 1.10
11 *Fide Moyſes natus occultatus eſt.* 7.65. *fugit non veritus Regis animoſitatem.* 7.67
12 *Propoſito ſibi gaudio.* 8.37

EX APOCAL.

Cap. vlt. *Iuſtus iuſtificetur adhuc.* 10.21

INDEX

Digitized by Google

INDEX REGVLARVM SCRIPTVRÆ SACRÆ QVÆ IN Commentariis in Act. Apoſtolorum traduntur.

Prior numerus caput, poſterior numerum indicat marginalem.

1 *QVæ à multis facta, eadem ab omnibus, & quæ à paucis, à nullo facta dicuntur; aut omnes pro multis, & nullus pro paucis ſumuntur.* 1.5

2 *Vulgatus per participium præſentis reddit participia præteriti actiua, & per participium præteriti participia præſẽtis paſſiua.* 1.10

3 *Quædam à Chriſto dicta, & ab aliis citata, quæ tamen ab Euangeliſtis ſcripta non ſunt.* 1.15

4 *Locus ponitur pro alio loco ſibi vicino.* 1.22

5 *Qui in aliquo genere Princeps eſt, ſeorſum ab aliis cũ quibus communi nota comprehendi videbatur, numerari ſolet.* 1.28

6 *Ex duobus locis teſtimoniũ vnum conflatum.* 1.51

7 *Vnus homo plura habet nomina diuerſarum linguarum.* 1.56

8 *In numerando interdũ extremi numeri includuntur: interdum alter, interdum neuter.* 2.14

9 *Veſpera prior, quæ feſtum præcedit, aliquando diei antecedenti, aliquando feſto ſequenti tribuitur.* 2.15. & 12.11

10 *Omnis terra de ea dicitur*

Digitized by Google

prouincia, de qua ſermo eſt. 2.26

11 *Apoſtoli ex teſtamento veteri non tam verba referũt, quàm ſententiam.* 2. 43. 3.26

12 *Res non ſemper eo ordine narratæ, quo geſtæ ſunt.* 2. 46

13 *Præpoſitio* in, *aliquando ſumitur pro* de. 263

14 Cum *aliquando idẽ quod* coram. 2.69

15 Donec, vſque, antequam, *& ſimiles particulæ non ſemper excludunt terminum, cui coniunguntur.* 2.83

16 Facio *aliquando idẽ quod* declaro *aliquid factum.* 2.87

17 *A ſacris ſcriptoribus non totæ aliorum conciones referuntur; ſed earum ſumma.* 2.98

18 *Vnum genus ſupplicij pro quolibet alio ſumitur.* 3.30

19 *Verbum* ſum, *&* fio *ſæpe redundant.* 3.33

20 *Præpoſitio* in, *idem quod* propter. 4.8. & 7.1.20

21 *Peregrina nomina peregrinum inſtitutum indicant.* 4.5

22 *Vulgatus in vertendo genus aliquando ſeruat alterius linguæ.* 5.4. & 20.15

23 *Pro mercede, aut pretio ponit id cuius merces, aut pretium eſt.* 5.5

24 *Cheth* ח *Hebraicum, per H. Latinum reddi ſolet, interdum ſine illo.* 7.4

25 Et, *aliquando non coniungit, ſed exponit.* 7. 20. *aut indicat finalem cauſam. ibid.* 11

26 *Parentum facta aliquando filiis tribuuntur.* 7.36. *ibid.* 46

27 *Cognoſcere in Scriptura fauorem, & approbationẽ ſignificat.* 7.59

28 *Species nomen generis aliquando ſibi aſſumit* 8.18

29 *Ea tunc fieri, aut concedi dicuntur, quando aliquo ſigno facta, aut conceſſa oſtẽduntur.* 10.9. & 10. 42. & 13.50

30 *Tunc aliquid fieri poſſe dicitur, cùm fieri incipit publico, & ſolemni more.* 10. 10

31 *Prolepſis frequens in Scriptura, & quis eius vſus.* 10. 17

32 *Videtur aliquando indi-*

cari

cari actio noua, cùm ſit veteris continuatio, aut incrementum. 10.21

33 *Antecedens ſæpe ponitur loco relatiui.* 10.24

34 *In promiſſis intelligitur cõditio aliqua, quæ alibi explicatur.* 10.56

35 *In aliquo ordine numerantur præcipui, neque tamen ideo excluduntur alij.* 10.32

36 *Paruulus Heb.* קטן katon, *comparatiuè aliquando ſumitur, id eſt, omnium minimus, quamuis ætate grandis.* 13.31.

37 *Sacri ſcriptores aliquid addunt teſtimonis Scripturæ explicationis gratiâ.* 13.54

38 *Imperatiuus pro futuro ponitur.* 13.55

39 *Pluralis numerus pro ſingulari.* 13.56

40 Hypallage *vſitata in Scriptura.* 2.60. & 14.11

41 *Ex duabus ſignificationibus interdum ab Interpretibus ſumitur minùs propria.* 15.11

42 *Quod proximum eſt vt fiat, factum dicitur.* 20.3

43 *Nota ſimilitudinis, & particulæ* quaſi, fermè, *&c. ſubaudiũtur ſæpe.* 20.3

44 *Aliquid fieri dicitur, quod dignũ eſt vt fiat, aut quod fieri debet.* 23.15

45 *Parentum nomina etiam non mutata patronymica ſunt.* 7.47

46 In *idem quod* cum. 7.47. in *valet* propter. 7.110

47 *Quando duæ literæ eiuſdẽ, aut ſimilis figuræ concurrunt, altera omittitur nonnunquam.*

48 *Actio pro termino, ſeu obiecto.* 8.45

49 Nõ omne *idẽ quod nihil.* 10.10

50 *Aliquid ſciri dicitur, cùm externo ſigno declaratur.* 10.20

51 *In promiſſis ſubauditur interdũ aliqua conditio, quæ alibi explicatur aliquando.* 10.34

52 *Rebus mutatis, loquendi tamen modus retentus.* 15.27

PRÆ

Digitized by Google

PRÆFATIO AD LECTOREM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

1. AGGREDIOR opus, Lector optime, rerum geſtarum varietate iucundum, argumento præclarum, ſtylo quidem nõ ſublimi, atque inflato, Apoſtolica tamen modeſtia, id eſt, ſuo proprio charactere inſignitum, & maiori quadam arte perfectum. In quo occurret tibi paſſim quod propter vberem vtilitatem amare, propter ſuauitatem incredibilem regustare ſępius, propter ſanctitatem colere, propter maieſtatem ſuſpicere, propter euentus inſperatos, & diuinæ potentiæ teſtes admirari etiam debeas. Hîc enim licet intueri Eccleſiæ naſcentis incunabula, quæ iactata variè totius pene orbis conſpiratione, diffudit ſe tamen, confirmauítque adeò feliciter, vt breui non admiratione tantùm, atque ſtupore regiones olim ſuperſtitioni, ac morum turpitudini deditas; ſed etiã ſui veneratione, religionéque compleuerit. In Euangeliis ſanè fœcundiſſimum frumenti granum in terram cadens, ibíque mortuum contemplati ſumus; in Actis tamẽ Apoſtolicis ſpectare iam licet, & admirari quomodo fructum iam parturiat, diffundátque in omnem partem cœleſtes opes, atque delicias. Porrò, vt optimè Beda, Lucas, qui & egregius pictor, & artis medicæ peritiſſimus fuit, ſic in deſcribendis Actis vtrumque munus accuratè præſtitit, ac feliciter, vt neque in pictore optimo artem, & ingenium, neque in præſtanti Medico curam, & induſtriam requiras. Sic enim penicillum temperauit ſuum, vt virtutum omnium præclaram effigiem in Eccleſiæ naſcentis primordiis, & eiuſdem agitatæ priùs crudeliter, & ſurgẽtis poſtea mirabiliter formam expreſſerit. Et cùm variis vitiorum morbis vexata ſit humana natura, horreátque, qua eſt vel mollitia, vel amentia, medicinæ acerbitatem, ſic hiſtoriæ ſuauitati medicinæ commoditatem adiunxit, vt rerum ab Apoſtolis geſtarum, quæ hîc verè Apoſtolico tractantur ſtylo, admiratio facile reddat, atque optabile, amari alioqui medicamenti poculum.

2. Illud tamen alicui, qui in his Apoſtolicis Actibus parum verſatus eſt, forſitan occurret, aut non adeò Apoſtolicam hanc hiſtoriam obſcuram, vt luce commentationis indi-

Digitized by Google

geat, aut rei concionatoriæ non ita accommodatam, vt in illa plurimùm & laboris, & temporis ponendum ſit. Huic ergo vel cogitationi, vel errori nobis occurrendum eſt, ne præiudicata hæc opinio, ſi cuiuſquam animum occupauerit, aut properantem inhibeat, aut languentem, tardantéinque premat. Aggredimur igitur, amice Lector, opus magna ex parte difficile, obſcurum, & impeditum, eximiæ in omnem partem vtilitatis, quam tamen expediat ex abditis eruere, ſicut è terræ viſceribus aurum, aut è profundo pelago margaritas. Iucundum opus, ſed interruptum interdum ſalebris, in quibus ſuperandis aliquid tibi, & operis, & moræ ponendum eſt, legi tamen, cognoſci, tractaríque digniſſimum. Probarem quidem hæc à me non tam audacter dici, quàm verè: ſed facilè præſtabit opus ipſum, vel in ipſo primùm aditu, ſi paulo diligentiùs attendas. Ne tamen nihil dixiſſe videat, ſummam quandam capitum attingam potiùs ſtrictim, & carptim, quàm perſequar copiosè.

3. Obſcurus hic liber.

Obſcurum hoc opus eſſe diximus, & impeditum; mirum alicui forſan, atque paradoxon in hiſtorica narratione; ſed omnino verum. Vt enim hiſtoria quæ geſtorum ordinem aptè contexit, non obſcura ſit, verùm quæ argumentoſa eſt, quæque non ſolùm geſta, ſed etiam dicta, dictorúmque momenta tradit, & expendit, obſcuritatis multùm habet, & negotij; & quo magis varia, ſæpius in ea, ac diutiùs hærendum, magis laborandum, & ſudandum eſt. Hæc autem hiſtoria, cùm viginti duas conciones inſertas habeat, eáſque omni eruditione non ſacra ſolùm, ſed etiam humana, & omni Chriſtiana, atque aliena antiquitate refertas, explicanda, & illuſtranda ſunt plurima, quæ in Pſalmis, & Prophetis, & in toto tam Veteri, quàm Nouo Teſtamento tradita ſunt. Neque parum laborandum eſt in oſtendendo quàm illa aptè ad rem cauſæ, temporíque ſubiectam accommodentur: & quàm quæ ab Apoſtolis, Apoſtolicíſque viris propoſita ſunt, cum ipſo, vnde petita ſunt, fonte conſentiãt. Quæ res ita torſit diu optima, atque acerrima, aliíſque in rebus probatiſſima ingenia, vt ingenuè fateantur neſcire ſe omnino aut accommodare quæſtionem, aut cum locis aliis conciliare.

4. A paucis expoſitus

His addo: cùm in aliis Scripturæ locis explicandis, atque illuſtrandis Doctorum, atque Interpretum vigiliæ poſitæ ſint, hîc tamen liber ſic eſt ab antiquorum, ſic à iuniorum commentatione nudus, vt paucos admodùm repetias, qui ad huius libri lucem aliquid opis, atque ſtudij contulerint. Cur id acciderit non diſputo; accidiſſe miror, miratur etiam Chryſoſtomus, & dolet tantum opus, támque præclarum, tam diuinum theſaurum in tenebris ita latuiſſe, vt an in natura rerum vnquam extiterit, complures ignorent. Aggreſſus eſt eius explicationem Chryſoſtomus accuratiſſimè, vt ipſe ſtatim in exordio fatetur, ac perſecutus homiliis quinquaginta quinque; ſed ſuo more: licèt enim accuratè Interpretis impleuerit munus, in eo tamen magis concionatorem agnoſcas, quàm Interpretem. Ab eo ſumpſit Oecumenius plurima eorum, quæ in breuiſſimos non tam Commentarios, quàm periochen contulit. Egit Beda fuſiùs, ſecuti ſunt Hugo, Dionyſius, Caietanus, & Gagneius, omnes

nes ſanè & bene, & acutè; ſecuti noſtra ætate Salmeron, & qui in Apoſtolicam hiſtoriam, quoad temporum ordinem, & ſuorum Annalium plurimùm lucis attulit, Baronius: ad extremum luculenter, & copioſè è noſtra Societate Ioannes Lorinus. Omnes ſanè diligenter ſuſceptas ſibi partes expleuerunt: reliquerunt tamen nobis aliquid, quod ſi minùs illuſtrare, at certè tentare, & explorare poſſimus. In quo tamen illam adhibebimus moderationem, vt quæ aperta ſunt, quæ, vt in hiſtoriis plerumque, ſatis multa occurrunt, illa aut libemus ſtrictim, aut prætereamus omnino: ſi quæ autem occurrent ſalebræ, aut incidet nodus, quem extricare expediat, in his diutiùs immoremur. Ex quo fiet, vt opus longum, viginti octo capitibus diffuſum, in quo totidem annorum geſta continentur, tractatione, & volumine breui complectamur.

5. *Valdè vtilis ad mores.* De obſcuritate, vt reor, ſatis, de vtilitate nonnihil dicẽdum. Et quidem huius operis cognitionem vtiliſſimam dico, ſiue mores informare velit aliquis ſuos, ſiue inſtituere, aut corrigere meditetur alienos. Nam hæc ego eodem ordine, ac numero pono: neque enim alia ſunt, quibus ſibi ipſi vim faciat in oratione priuata, ac tacita ſuæ ſalutis amans pius orator, quàm quę oratione eloquenti, ac publica ad populi ſalutem effundit concionator; qui, niſi orator ſit ad ſe, & concionator tacitus, orator ad alios, & concionator vtilis vix eſſe poterit. Quantùm verò ſubſidij ſit ad vtramque ſalutem, & priuatam, & publicam in hoc libro, oſtendit Chryſoſtomus hom. 1. in Act. *Hinc* (inquit) *non minùs nobis cõtingere poterit vtilitatis, quàm ex ipſis Euangeliis, tanta ſcatet philoſophia, tanta abundat cùm omnium dogmàtum rectitudine, tum præcipuè eorum, quæ de Spiritu ſancto prodita ſunt.* Docuit etiam Beda, qui Medicum optimum egiſſe Lucã tradit in his Apoſtolorum geſtis. Sentit idem Hieronymus epiſtola 103. vbi docet non hanc nudam eſſe hiſtoriam naſcentis Eccleſiæ, ſed languentis animi præſentiſſimam medicinam, quæ noxios vitiorum humores ex animo depellat, & in virtutibus, quæ ipſius ſanitas eſt, educat, & confirmet. An non confirmetur vacillans infirmorum fides, tot teſtimoniis, tot miraculis corroborata? tot oppugnata, neque tamen vllo modo debilitata machinis? Non inflammetur, & reuiuiſcat frigida ab Aquilone, & tot iam modis, & partibus extincta charitas? Non ſpes, quæ in mediis fluctibus mergi, abſorberi triſtitiæ, ac deſperationis barathro videbatur, reuocetur, ac vigeat ad illuſtria ſigna, quæ ad bene ſperandum in his Apoſtolorum Actis excitauit diuina clementia? Quare ſicut opus contra hæreſes Epiphanius *Panarium* vocauit, id eſt, communem quandam officinam, ſeu arculam, vnde peti contra peſtes illas medicamenta poſſint: & opus aliud inſcripſit *Anchoratum*, quia animum æternæ ſalutis cupidum, & variis huius vitæ fluctibus iactatum confirmat, & regit: & alij aliis titulis ad præcipuos vitæ vſus accommodatis conſignant, & cõmendant quos edidêre libros. Quidã *Oplothecã*, & *Panopliã*: alij *Luminare*, *Pharũ*, *Candelabrum*, *Lucernam* appellant: ſic hoc diuinum opus, propter incredibilem vſum contra noxias animi peſtes, & lucem, quã rebus præfert non parum obſcuris, ſi quis his omnibus nominibus indigetet, dixerit ſanè quod aures eruditæ,

ac piæ neque reſpuant, neque faſtidiant.

6. Videbat hoc optimè eximius ille Eccleſiæ in ſua propè infantia patronus, & ornator Conſtantinus, & re, & cognomento Magnus; qui cùm intelligeret vim habere maximam Sanctorum exempla, & eorum præcipuè, qui Spiritus ſancti primitias accepêre, id eſt, Apoſtolorum, quorum Acta conſecuturæ ætati recentia ſemper ac noua eſſe cupiebat, pro S. Petri ſepulchro quatuor conflauit conſecrauítq; ex pretioſa materia candelabra; totidem pro Pauli, vt legitur in Actis Sylueſtri tom. 1. Conciliorum; egregio ſanè opere, atque exquiſito, ſed illuſtriori longè ornamento. Inſculpſit namq; in ipſis Apoſtolorum Acta, hæc nimirum, quæ nos inſculpere item molimur (optime Lector) aut certè renouare in tua memoria, vt qui ſepulchra intueretur venerabundus, & ſupplex, recordaretur eorum, quæ Eccleſiæ Principes pro Chriſti cauſa & feciſſent ſtrenuè, & ſubiiſſent alacriter: videbat enim ille piꝰ, atq; acutę mētis Imperator potentiſſimā eſſe rerū ab Apoſtolis geſtarum memoriam, quæ ne eodem, quo corpora, ſepelirētur tumulo, extare voluit in ſepulchro eximium illud lucens, & ardēs, & quaſi viuum rerum geſtarum monumētum. Vt enim acutè Romanus Orator premēda tenebris eſſe dicebat ipſorum etiam Heroum pręclara facinora, niſi illa literarum lumē accēderit: ſic magnus Imperator, ne Apoſtolorum Acta obliuione tegerentur, ac tenebris, accendenda putauit candelabrorū ſplendentiū fulgore, ac lumine. Addo his ego, ſicut expreſſa in candelabris illis, quantūuis illuſtribus Apoſtolorum geſta, iacerēt nihilominus in tenebris, niſi Solis ſplendore illuminata, aut accenſis ipſis candelabris proximè ab illis lucem acciperent. Sic etiam hiſtoria ipſa, quæ rerum geſtarum lux quædam eſt, & candelabrum, nuncia vetuſtatis, & magiſtra vitæ, iaceret ipſa quoque in tenebris niſi euocaretur ad Solem, & lucem, id eſt, in hominum oculos; & ſi quid in ea obſcuritatis eſt, & tenebrarum, Interpretum lux, & ſtudioſorum diligentia depellat. Quod nos nunc tētamus, conatu vtinam non infelici.

Conſtantinus Acta hæc cælauit in candelabris.

7. Neque ad mores ſolùm, munúſq; concionatorium hoc opus vtile, ſed ad ſcholarum etiam vſum, & Theologorum quæſtiones preſſas, & argutas; ſed maximè ad ineundas cum hæreticis huius ætatis controuerſias, ac pugnas vtiliſſimum. Ex hoc libro argumenta grauiſſima ad confirmandam Pontificis, & Conciliorum authoritatem, Sacramentorum antiquitatem, & vim, Sanctorum venerationem, & patrocinium hauriuntur: ſicut ex hoc libro, ſicunde maximè Caluinus, & Beza, & alia hæreticorum monſtra multa ad oppugnandam Catholicæ Religionis arcem arma ſumpſerunt; quem conati ſunt explicare accuratiùs, atque prolixiùs, quàm vllam aliam Noui Teſtamenti partem; ſeu quia hunc Scripturæ librum à paucioribus expoſitum, aut minùs accuratè diſcuſſum, ſeu quia ad ſuos errores, ſi non verè, in veritatis tamen ſpeciem, & fucum ornandos, confirmandóſque ſuppetere ſibi aliquam argumentorum vmbram exiſtimabant. Quare (quod in nullo alio libro neque tam ſæpe, neque tam callidè, neq; tam audacter, atq; impudērer, audaciſſimi in omnibus, atque impudentiſſimi fecerunt hæretici, vt ſatis in ſuis in Acta Antidotis oſtendit Stapletonus) hinc plurima vel ad ſuorum errorum patro

Contra hæreſes.

patrocinium, vel ad Catholicæ veritatis oppugnationem aſſumunt: neque quicquam omittunt quod ad ſuam impietatem fouendam quoquo modo aut trahi, aut torqueri, aut inuerti poſſe putent. Vt ergo hinc exprompſit Caluinus, & eius perfidiæ adminiſtri, atque aſſeclæ, quo falſam, & adumbratam veritatis ſpeciem ſuis erroribus prætexant; ſic ex eodem loco Catholicis propugnatoribus vera licebit, & ſolida fundamenta promere, quibus ſimulatam illam, aut ſomniorum, aut ſomniantium aciem debilitent, ac ſternant. Quare poſſis iure hanc appellare arcem contra tumultuantem prædonũ, ac ſeditioſorum turbam, contra languentes, & irritos conatus, contra vim emortuã, quam adhibent pietatis hoſtes ex alieno planè armamentario, non ſuo. Quæ hinc arma contra Eccleſiam hæretici petunt, eadem ex eorum manibus à Catholicis extorta iugulabunt potiùs fures, quàm legitimis poſſeſſoribus vulnus infligent.

8. Auctor Lucas, qui alibi dictus Lucius. Hæc de Opere toto. De Auctore nemo dubitat quin fuerit Lucas, ille idem qui Euangelium ſcripſit: nam ipſe ſtatim ſe in ipſo principio prodit. *Primùm quidem* (inquit) *ſermonem feci, ô Theophile, de omnibus, quæ cœpit Ieſus facere, & docere*: niſi quiſquam eò veniat inſaniæ, vt cõſcripti Euangelij laude fraudare etiã velit Lucam. Hoc verò dubium, an Lucas ille ſit qui ad Roman. c. 6. vocatur Lucius. *Salutat vos*, inquit Paulus, *Timotheus adiutor meus, & Lucius, & Iaſon, & Soſipater cognati mei*. Negat Baronius in additionibus ad Martyrologium 18. die Octobris, & die 22. Aprilis, & putat colligi ex Menologio, in quo Lucius quidam Chriſti Diſcipulus reperitur eodem Aprilis die. Sed mutauit poſtea ſententiam 1. tomo Annal. anno Chriſti 48. Mihi veriſimile eſt eundem eſſe qui ibi Lucius, & qui alibi ſæpe vocatur Lucas. Huius ſententiæ aliquos fuiſſe ſcribit Origenes in caput 16. ad Romanos. Tenet Lyra, & Salmeron in eundem locum. Neque profectò videtur veriſimile, cùm tot Pauli diſcipuli, ac ſocij in extrema ad Romanos epiſtola nominentur, qui tunc erant Corinthi, vnde data eſt epiſtola, prætermittendum fuiſſe Lucam indiuiduum Pauli comitem, vt appellat Hieronymus, qui eodem erat tempore Corinthi, vt ex Act. cap. 16. & cap. 20. planum fit, qui aſſiduam, longam, ac ſtrenuam operam cum Paulo nauauit Euangelio; cuius etiam nomine cum aliis plurimis ſalutat Philemonem.

Neque incommodat huic ſententiæ, quòd Lucas genere Antiochenus erat, &, vt eius ſcripta indicant, Græci ſermonis peritiſſimus; illi verò, qui ibi nominantur, Hebræi eſſe videntur; quia Pauli cognati: nam & Hebræi, maximè qui cum externis agerent, non minùs erant Græcæ linguæ periti, quàm qui genere Græci: imò qui inter Hebræos egerunt, qui parum cultioris eſſent ingenij, Græci ſermonis elegantia non erant Græcis ipſis inferiores. Cui rei argumento eſſe poterunt, vt alios omittam, Ioſephus, & Philo, qui cum elegantiſſimo ſimul, ac grauiſſimo Græcorum componi poſſunt. At vnde, dices, Antiochenus Lucas Paulo cognatus, cùm hic Tharſi Ciliciæ, ille Antiochiæ natus ſit? At vnde, dicam ego, Timotheus Derbenſis, & Iaſon Theſſalonicenſis, & Soſipater Beroënſis Tharſenſi Paulo ſanguinis ſocietate coniuncti? Sanè cognati, ſi Iudæi: ſic enim Iudæos, & Iſraëlitas appellat Paulus ad Rom. 9. *Optabam*, ait, *ipſe*

anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundùm carnem, qui ſunt Iſraëlitæ. At Lucam ex Hebræis eſſe facilè ſibi perſuadebit, qui legerit apud Ioſephum lib. 1. cõtra Appionem, magna multitudine Iudæos à Seleuco Rege ciuitate Antiochena donatos, & in eiuſdem iuris ſocietatem aſcriptos; quæ, vt reor, aliqua cauſa fuit, cur Petrus tamdiu Antiochiæ moratus fuerit, atque ibi Apoſtolicæ Cathedræ oracula locauerit. Is verò Hebræorum numerus fuit Antiochiæ, atq; ea authoritas, vt excidis Hieroſolymis, malè vbicunque locorum acceptis, iactatiſque Iudæis, contra ipſos tamen Antiocheni, licèt in eos animati peſſimè, nihil moliri, neque potuerint, neque auſi fuerint, vt tradit Ioſephus lib. 2. de bello cap. 26. Fuit quidem alius Lucius, de quo Actor. c. 13. qui Cyrenenſis appellatur, fortaſſe vt ab alio Lucio Antiocheno diſtinguatur; quem nos Lucam eſſe dicimus.

10. *Cur qui alibi Lucas, alibi vocatus Lucius.* Sed cur qui toties à Paulo dictus eſt Lucas, hîc voce à priori forma nonnihil inflexa Lucius vocatur? An quia ad Romanos ſcribit, & ideo ad Latinorum normam Græcam vocem inflexit, ſicut Lucas ipſe eum, qui ſuæ gentis idiomate *Saul* dicebatur, alio flexu reddidit *Saulum*? Et ſanè dubium non eſt, & cõmunis eſt certè omnium pene Interpretum ſententia, quem Paulus 2. Cor. 1 & 1. Theſſalonic. 1. Syluanum vocat, eſſe illum, qui ſæpiùs in Actis nominatur Sylas. *Sylas, idē qui Syluanus.* Ita Hieronymus epiſt. 143. in fine. Haimo, Lyra, Caietanus, & alij plures: licèt contrarium ſentiat Dorotheus in ſynopſi, & Hippolytus martyr lib. de 72. Diſcipulis. In quo nomine optimè expreſſa eſt prioris nominis vis, & ſignificatio: nam ὕλη, à qua Sylas vocatus eſt, *ſyluam* ſignificat; vulgato Latinorum more, qui ſpiritum craſſum Græcorum in *S.* commutant, vt ὑπὲρ, *ſuper*, ὗς, *ſus*, ἕρπω, *ſerpo*, ἕρπυλλον, *ſerpyllum*. Vnde aptè eadem ſignificatione, & notatione nominis, licèt diuerſa forma, qui alibi Sylas, Syluanus alibi vocatur. Ad hunc ergo modum qui alibi Lucas, alibi Lucius, non eodem flexu, eadem tamē ſignificatione dicitur. Vſurpari autem ſæpe in Scriptura notationem, aut ſignificationem nominis pro nomine ipſo docuimus in noſtris Commentariis in Cant. in illud c. 6. *Suauis, & decora.* Neque id alienū eſt à claſſicorum Latinorum vſu, mutare in nominibus propriis ſonū, modò ſenſus maneat: nam Suetonius in Othone c. 10. patrem ſuū tradit vocatum eſſe *Suetonium Lenem*; ille verò ſe ipſum eadē ſignificatione pro Leni, *Tranquillum* appellat.

11. *Cur Acta ſcripta.* De Auctore ſatis multa; de cauſa cur opus hoc ſcripſerit, pauca præmittenda. Et inter alias eam quoque grauem eſſe puto, quam in cauſa ſimili ipſe propoſuit in Euangelicæ hiſtoriæ Præfatione: quia nimirum multi aggreſſi ſunt hiſtoriæ prodere Seruatoris geſta, & in his multa non ſolùm quæ aliena ab hiſtorica fide, ſed etiam quæ cum pietate, atque Euangelij dignitate pugnarēt. Quēadmodum cùm eſſet Romæ Paulus, conati ſunt plurimi Euangelio detrahere, dū ſimulant ſibi ſtudio eſſe rem promouere Chriſtianam, vt ad Philip. 1. ſcribit idem Paulus. *Quidam*, inquit, *verbum Dei annunciant per inuidiam, & contentionem, quidam non ſyncerè, exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis.* Ex quibus fit pluſquam veriſimile, multa eos affinxiſſe veritati, quibus in odium Euangelium traherent; multa incautè, atque immaturè iactaſſe, pro-

pter-

pter quæ Imperator inuiſum haberet, atque ſuſpectum Chriſtianum nomen. Quod vrebat multo magis Apoſtolum, quàm inimicorũ acerba odia, quàm vincula, & plagæ, quàm viarum, nauigationũmque pericula. Quare oratoria gradatione cùm dixiſſet 2. Cor. c. 11. ſubiiſſe ſe terræ, mariſque pericula, itémque à genere, & gentibus, & plurima, & grauia; ad extremum adhibuit id quod cenſebat longè grauius, *periculis in falſis fratribus*. Quia videbat pati durius Chriſtianã Religionem ab iis, qui ſimulatione, vel opinione ſanctitatis propiores eſſent, quàm qui aperta vi, & quaſi collatis ſignis illam oppugnarent. Vt ergo multi oratione, aut familiari congreſſu, aut Euangelio, aut Euangelij præconibus inuidiam conflabant, ſic etiam multi ſcriptis aut tenebras offundere Euangelij luci, aut fidei puritati ſordes allinere moliebantur. Scripſerunt ſanè Euangelia plurimi, quæ latè iam diſperſa multis in locis publicè legebantur. Aliud ſecundùm Petrum, aliud ſecundùm Thomam, aliud ſecundùm Mathiam, aliud ſecundùm 12. Apoſtolos, aliud ſecundùm Ægyptios ferebatur. Sua quoque Euangelia Cerinthus, & Merinthus, Apelles, & Baſilides, & alij, quos Ambroſius, Origenes, Theophylactus, & Beda referunt in Lucæ Præfatione, & Euſebius lib. 3. hiſt. cap. 19. Epiphanius hæreſi 51. prodiderunt.

Euangelia à multis ſcripta.

12. Varia Chriſtianorũ nomina.

Fuit hoc antiquis temporibus vſitatum, vt qui vellent aut ſuis ſordibus, & flagitiis honeſtatem prætendere, aut alienis virtutibus, & laudibus inſidioſè detrahere, eorum ſibi ſpeciem, aut habitum aſſumerent, quibus aut videri ſimiles, aut quorũ obſcurare gloriã nitebantur. Horũ conſiliis, & quondã Apoſtoli, & deinde ad Apoſtolorũ exẽplũ variis rationibus occurrerunt Patres. Dicebantur olim, qui Chriſti fidem amplectebantur, diſcipuli; & tunc, vt inquit Athanaſius diſputatione contra Arianos, nouorum dogmatum auctores doctrinæ obuiantes Apoſtolicæ, ſuos quoque ſectatores diſcipulos vocabant. Neque vlla erat nominis diſcretio inter veros, falſóſq; diſcipulos, ſiue Chriſti, ſiue Doſithei, ſiue Iudæ; & ſe omnes Eccleſię filios eſſe ferebãtur. Tunc itaque Apoſtoli, cùm durã plagam infligi cernerẽt Chriſtianæ exiſtimationi, ac nomini, quæ in principio naſcentis Eccleſiæ non poterat non eſſe grauiſſima, conuenientes Antiochiæ, vt Chriſti ſectatores à vocabuli communitate ſecernerent; non iam *diſcipulos*, ſicut Iudas, & Doſitheus, & quidam Ioannes diſcipulos appellabant ſuos, ſed noua appellatione *Chriſtianos* vocauerunt. Ita pene Athanaſius. Neque tamen omnino ea ratione cautũ fuit Chriſtiani nominis ſanctitati. Nam nõ multo pòſt, vt tradit Epiphanius hæreſi 27. Euſeb. lib. 4. hiſt. c. 7. & 8. Iuſtinus in colloquio cum Tryphone, Carpocras quidã, ſeu Carpocrates nefariæ cuiuſdã hæreſis inuẽtor diſcipulos ſuos appellauit Chriſtianos, *qui*, vt verbis vtar Epiphanij, *à Satana ſubornati, atque producti ſunt in opprobrium, atque ſcandalum Eccleſiæ*. Vt populi quos Chriſtianorum ſanctitas ad Eccleſiam vocabat, veram prædicationem propter illorum nefaria facta, & incomparabilẽ improbitatem auerſentur; cùm ex illorum turpitudine, ac ſordibus fideliũ mores, & inſtituta metiantur. His tamen aliis modis occurſum eſt, quod in præſentia omitto, vt ad inſtituta redeam.

13. Acta Apoſt. à multis ſcripta.

Vt ergo fictitiis quibuſdã Euãgeliis, aut ſtupidæ, aut malè ſanæ mẽtis homines

Digitized by Google

homines vero detrahere Euangelio tentarunt, & aſſumpto Diſcipulorũ, aut Chriſtianorum nomine obſcurare Sanctorum exiſtimationem, ſic etiam alij non minùs aut ſtupidè, aut impiè confictis de Apoſtolorum vita, & prædicatione non tam Actis, quàm fabulis, Apoſtolico nomine prorſus indignis, vera Apoſtolorum geſta omni memoria, æternitatéque digniſſima, aut ſuggillare, aut in dubium vocare voluerunt: quorum numerus neque exiguus fuit, neque ignotus. Gelaſius in Concilio Romano de libris apocryphis repudiat, & damnat Actus, nomine Andreæ, Actus nomine Thomæ, Actus nomine Philippi, Actus Pauli, & Zeclæ. De his, atque aliis eiuſdem fidei Actibus Innocentius epiſt. 3. ad Exuperium ſic ſcribit. *Cætera quæ ſub nomine Mathiæ, ſiue Iacobi minoris, vel ſub nomine Petri, & Ioannis, quæ à quodam Leucio ſcripta ſunt, vel ſub nomine Andreæ, quæ ab Hexocaride, & Leonide Philoſophis, & ſub nomine Thomæ, & ſi quæ ſunt alia, non ſolùm eſſe repudianda; verùm etiam noueris eſſe damnanda.* Fuiſſe autem hunc Leucium ſecta Manichæum, atque Actus Apoſtolorum ſcripſiſſe refert Auguſt. de fide contra Manichæos cap. 4. & cap. 38. Meminit etiam Epiphanius libri cuiuſdam Marcionis, quem ille *Apoſtolicum* inſcripſerat, hæreſi 43. Hæc autem eo conſilio videntur à noſtræ Religionis hoſtibus conficta, vt veris Actibus fidem aut eriperent, aut eleuarent, aut inuidiam conflarent apud ignaros Apoſtolico nomini; quorum aliqua ſcripta videntur, antequam Lucas hæc Acta ſcriberet, ſicut & Euangelia alia priùs ſcripta ſunt, quàm Lucas ederet ſuum. Sicut ergo Lucas Pauli conſilio, ne quis error in Eccleſiæ principio, aut alienior opinio poſterorum animos imbueret, ſcripturæ mandauit Euangelium, vt vero ac cœleſti lumine depelleret tenebras hiſtoriæ offuſas Euangelicæ: ſic vt Apoſtolicum nomen, & geſta vendicaret ab inuidia, Apoſtolorum Acta monumentis prodidit. Eſt autem ſatis veriſimile, Iudæos illos, qui variis in locis Paulum hoſtili animo inſecuti fuerant, & quorum ſtudio vinctus Romæ tenebatur, quando hæc à Luca prodita ſunt, diſſeminaſſe multa de Pauli prædicatione, ac moribus, vt alibi ſæpe fecerant, & de aliorum Apoſtolorũ vitæ, doctrinæque rationibus, quæ licèt falſa, magno tamen impedimẽto eſſe poterant rei Euangelicæ. Horum ergo mendaciis, & quæ inde timeri poterant, incommodis occurrit Apoſtolorum hiſtoria à Luca conſcripta.

Neque tamen opus hoc immune fuit, ac liberum ab hoſtium Chriſtiani nominis calumnia, neque illo tantùm modo, de quo antea, inſidiatus eſt canonicæ veritati mendacij pater Diabolus, dum cõmentitia cum veris, apocrypha ſcripta cũ canonicis ex aduerſo cõponit; ſed etiã illud non minùs inſidioſè, & callidè, quàm pernicioſè excogitauit, vt Scripturæ ſacræ ac canonicę à Chriſtiana pietate, ac Religione aliena quędam admiſceret, id eſt, rebus puriſſimis, ac diuinum aliquid ſpirantibus exoticas ſordes, & peregrinum ſpiritum afflaret. Vt enim tradit Epiphanius hæreſi 30. Ebionei Apoſtolicis Actibus ſcriptis à Luca plurima non ſolùm falſa, ſed etiam impia, atque contumelioſa inſeruerunt. Et Hieronymus de ſcriptoribus Eccleſiaſticis refert, hunc librum quondam fuiſſe corruptum à presbytero quodam Aſiatico, qui geſtis à Luca proditis periodos

14. **Acta hęc à quibuſdam contaminata.**

dos Pauli, ac Zeclæ, & totam baptizati Leonis fabulam inſeruit.

Cur liber inſcriptus Acta Apoſt.

15. Hæc de cauſa vna è multis ſcribendorum Actuum; de titulo nunc aliqua paucis. *Acta Apoſtolorum.* Occurrit primùm quàm aliter longè Spiritus ſanctus ſuos libros inſcribat, quàm profani ſcriptores, qui inanibus titulis, & grande aliquid ſonantibus commendatum putant, & probatum iri lectori opus à ſententiarum momentis, & ab omni fortaſſe mente vacuum. Ecquid modeſtius, atq; ſimplicius eximio huic operi præfigi potuit? De *Actorum* nomine nihil eſt quod dicam nouum, aut exquiſitum; de *Apoſtolorum* dicam aliquid fortaſſe non omnibus cognitum. Ego quidem ſic exiſtimo Apoſtolorum nomen, quo ſenſu vocati ſunt à Chiſto duodecim illi, quos ad Euangelij opus ex omnibus elegit, non eſſe nouum; ſed iampridem vſitatum inter Hebræos. Vt enim Epiphanius hæreſi 30. refert non longè à principio, Apoſtoli magno loco erant apud Hebræos, &

Apoſtoli nomen antiquius Euangelio.

Pôtificiæ dignitati proximi: ſic enim ille de Ioſepho quodam Iudæo, ad fidem cõuerſo. *Hic Ioſephus* (inquit) *inter dignitate præſtantes viros apud ipſos connumeratus erat. Sunt autem hi poſt Patriarcham, Apoſtoli appellati: aſſidéntque Patriarchæ, & cum ipſo ſæpe aſſiduè, in nocte, ac die degunt, conſulendi gratiâ, & vt referant ad ipſum ea, quæ ſunt in lege.* Hi verò, vt videtur poſſe colligi ex Codice Theodoſiano tit. 14. de Iudæis, vt bene coniectat Baronius 1. tomo Annal. anno 32. à Pontifice ſummo legabantur ad Synagogas tunc ad exigendũ certo tempore collectam ad ſacros vſus; & vt explorarent quid ſecundũ legem, & quid ſecus fieret, vt alios in ordinem, atque officium reducerẽt, alios in ordine, atque officio continerent, & tandem Patriarchali, ſeu Pontificio nomine aliquid inſtituerent, quos nunc forenſi, ſeu curiali vocabulo *Commiſſarios* appellare licet, ſeu *Legatos à latere.* Apoſtolos quoque vocari qui à Principibus epiſtolia, ſeu mandata deferunt, aut etiam à Magiſtratibus, & Synagoga, docet Oecumenius in c. 28. Actuum, & in procœmio epiſt. ad Romanos. *Ad hoc vſque tempus* (inquit) *moris eſt Iudæis Apoſtolos appellare illos, qui quotidiana epiſtolia ab ipſorum Magiſtratibus deferunt.* Sic in epiſt. ad Romanos: in cap. verò 28. Actuum dicit, *à Principibus.* Horum & nomen, & munus ad Theodoſij tempora duraſſe argumento eſt, quod Theodoſiano Edicto cautũ fuit, ne vllus eſſet aut vſus, aut poteſtas eius nominis. Nam eo etiam tempore in ſua qualicunque Republica eiuſmodi Apoſtoli mittebantur à ſuo Patriarcha ad exigendam pecuniam à ſingulis Synagogis, quam ad eundem reportarent. Hi etiam, vt ſuſpicor, Epiſcopi videntur eſſe dicti, quia Speculatores, & Viſitatores erant. Quare qui Apoſtolus erat Iudas, idẽ Epiſcopus dicitur Actuũ 1. *& Epiſcopatum eius accipiat alter.* Ex horum numero videtur fuiſſe Paulus, qui acceptis à Pontifice literis legatus eſt, vt publica poteſtate communi cauſæ, vt ipſe exiſtimabat, ſubueniret, & Chriſti ſectatores vinctos perduceret in Ieruſalem. Neque cõtrà facit quod cap. 7. Actor. dicatur *adoleſcens*: & cap. 18. *conficiendorum tabernaculorum artifex*; quia, vt illis dicemus locis, adoleſcens erat non tam ætate, quàm audacia, & ſpiritu; & qui legi ſtudebant, in Iudæorum ſcholis artem aliquam ediſcere cogebantur. Sed qui Apoſtolus fuerat priùs Synagogæ contra Chriſtum, factus eſt ipſius Chriſti beneficio

Quid propriè Apoſtolus, & Epiſcopus

Paulus priùs Apoſtolus Synagogæ.

in medio curſu,atque conatu Apoſtolus Chriſti contra Synagogam. Et quidem fuiſſe hoc nomen antiquius Euangelio Chriſtus ipſe indicat Ioan. 13 *Non eſt ſeruus*, inquit, *maior domino ſuo , neque Apoſtolus maior eſt eo,qui miſit illum*.vbi ſine dubio ſimilitudo ab antiquiori magiſtratu. ſiue miniſterio ſumpta eſt.Neque de ſuis nunc Apoſtolis ad ſuos Apoſtolos loquitur Chriſtus : ſicut enim ſimilitudinem à ſeruis ſumit : ſic ſumit ab Apoſtolis. At ſeruos nunquam diſcipulos ſuos appellauit Chriſtus , ergo neque nunc illos vocat Apoſtolos. Sunt ergo Apoſtoli , qui ab alio cum poteſtate vicaria quoquam mittuntur,quique ita rem adminiſtrant ſibi creditam, vt aliorum nomen interponant,quia illam obeunt non tam ſuo , quàm alieno nomine. De his Hieronymus bene in Commentariis Epiſt. ad Galat. ſtatim in principio. Vbi primùm dicit id quod de Apoſtolis à Iudęorum Patriarcha mittendis ex Epiphanio adduximus. Deinde ideo Ad Galat. 1. Paulum Epiſt. ad Galat. præfigere. *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem ſed per Ieſum Chriſtum*,&c. Et idem dicendum eſt de alio titulo ab eodem pręponi ſolito. *Paulus Apoſtolus Ieſu Chriſti:* ne quis exiſtimaret Apoſtolum ſe hominum eſſe,ex eorum ordine , qui à ſummo Sacerdote mitti ſolent , qualis ipſe, vt diximus, antè fuerat:ne quis ipsũ crederet priorem Apoſtolatum adhuc obire. Ait deinde , *Apoſtolum*, proprium eſſe Hebræorum vocabulum , & ex Hebræorum ſententia quoſdam eſſe viros ſanctos, qui & Prophetæ , & Apoſtoli ſint ; alios verò qui tantùm Prophetæ. In priori gradu ponit Moyſem, qui Dei Apoſtolus vocari potuit, quia Dei nomine,& quaſi cum vicaria poteſtate ad Pharaonem miſſus eſt. Id enim ſignificat illud Exod. cap. 7 *Ecce conſtitui te Deum Pharonis*;& ideo tanquam Deus , Dei certè nomine loquebatur ad Pharaonem, in cuius ore ſæpius illud. *Hæc dicit Dominus*. Idem de Iſaia, & Ioanne Baptiſta ſentit,quia à Deo *miſſi* dicũtur : quod ſignificat ipſum nomen *Apoſtoli*. Eadem ratione Chriſtus, quia miſſus à Patre,eadem ſignificatione Apoſtolus à Paulo dictus eſt ad Heb. 3. *Vnde fratres ſancti vocationis cæleſtis participes cõſiderate Apoſtolum , & Pontificem confeſſionis noſtræ Ieſum,qui fidelis eſt ei, qui fecit illum*; Ad Heb. 3. nempe Apoſtolum. Quare Chriſtus ipſe non ſemel dixit ſe miſſum eſſe in nomine Patris ſui. Quod nomen & Chriſto & Moyſi conuenire tradit S. Thomas in caput 3. ad Hebr. qui ideo putat Chriſtum *Apoſtolum* vocari,atque *Pontificem*, vt cũ Moyſe , atque Aarone, altero Apoſtolo, altero Pontifice comparetur.

Cùm autem omnes,qui primi,& 19.
cum poteſtate mittuntur in aliquam regionem Euangelij gratiâ,dicantur Apoſtoli,quemadmodum ad Philip. 2. Epaphroditus Philippenſium , & communiter iam Dionyſius Gallorum,Bonifacius Anglorum,Germanorum Maternus , & B. Franciſcus Xauerius ex noſtra Societate Iaponiorum,& totius Orientis , vocantur Apoſtoli;hîc tamen de aliis , qui altiori quodam modo Apoſtoli dicuntur,ſermo eſt, quibus à Chriſto id negotij datum eſt , vt piſcatores hominum fierent,qui in totum orbẽ diſperſi Euangelij causâ , non vulgaribus donis , ſed eximiis ad illud munus ſanctè,atque vtiliter obeundum inſtructi ſunt : dono nempe linguarum, ligandi , atque ſoluendi poteſtate,virtute ſignorum ad confirmandum ea,quæ populis tradidiſſent.

Apoſtoli, aut viri Apoſtolici munus.

Digitized by Google

ſent.Hi verò duodecim ſunt,& cum his Paulus, & Barnabas, quorum ſi quis velit vitæ,vel inſtituti,ſeu curſus formam intueri, explicat optimè locus ille Canticor.4.iuxta Gregor.Nyſſeni, & Philonis Carpathij explicationem,qui illum de Apoſtolorũ curſu, ac miniſterio accipiunt. *Emiſſiones tuæ Paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus, cypri cum nardo.* Vbi ſi *emiſſiones*, quæ Græcè ibi ἀποστολαί,*dona* ſignificent *miſſilia*, qualia ab ſponſo in geniali, atq; triumphali pompa ſparguntur, dona ſunt Apoſtoli à liberaliſſimo, atque indulgentiſſimo ſponſo in Eccleſiam collata. An non ſingulare beneficium ſalem ſparſiſſe in terram, qui condiret amara, ſeruaret putria, fluxa, & tabi iam affinia vendicaret à ſanie? An non eximium beneficium Solem miſiſſe, qui tenebras fugaret,viam oſtenderet,inſidias proderet? Quòd ſi *emiſſiones* rami ſunt,& propagines, quæ à ſtipite funduntur, Apoſtoli profectò ſunt propagines mirificæ à Chriſto tanquam à ſtipite in totum orbem diffuſæ;quæ ita ſeſe in diuerſa longiſſimo quodam explicãt tractu,vt tamen nunquam à trunco recedant. *Ego*,inquit,Chriſtus, *ſum vitis,vos palmites*; qui ideo vſque adeò vberes pepererunt fructus, quia in vite manſerunt. Si verò,quod mihi veriſimilius eſt.ibi. *emiſſiones*,odores ſunt, & halitus, quos emittit Paradiſus, & aſpirat Chriſtus; an non Apoſtoli Chriſti odor? an non per Apoſtolos Chriſtus anhelat? an non per Apoſtolos Chriſtus afflat,inhalàtque quocunque aſpirat vitalis Auſter,ſuauitatem cœleſtem? *Chriſti*, inquit Paulus, *bonus odor ſumus*. Odor,inquam, nardi,ac cypri,aloës, & myrrhæ, fiſtulæ, & cinnamomi: id enim olet myſticè Nazarenus, id eſt,floridus Ieſus.Eſt ergo optima Apoſtolorum deſcriptio. Pulchra Chriſti dona in orbem diſperſa, à Chriſto, id eſt, à nobiliſſima ſtirpe longè,ac latè diffuſæ, neque tamen ab illa auulſæ propagines. Odor Chriſti, quia neque illorum ſermo, atque inceſſus, neq; ſenſus intimus, neque vlla ad extremum cogitatio quicquam aut olet, aut ſpirat niſi Chriſtum.

Nobis ergo ineundus eſt Paradiſus quidam,cuius ἀποστολαί,id eſt, *emiſſiones*,in omnem partem, vſúmque mirabiles, dum Acta hæc Apoſtolorum ingredimur; capiendus vitalis quidam, ac cœleſtis odor, dum ad Chriſtũ in Apoſtolis aſpirantem accedimus. Cùm autem in his Actis multus de Paulo ſermo ſit: & de aduentu Iacobi in Hiſpaniã,ſumpta ex hoc libro conjectura, aliqui dubitare cœperint, alij eò progreſſi ſint,vt omnino negẽt.probãdũ mihi exiſtimaui,quàm ſint illorum rationes infirmæ, quàm leues cõiecturæ. Ideo de duorũ horum Apoſtolorum in Hiſpaniam aduentu ad extremum diſputationem adiunximus. Faxit vtinam Deus,cuius voluntatem, ac gloriam noſtri hi qualeſcunque conatus intuentur,vt quorum labores, ac ſtudia in hoc opere inueſtigare, atque illuſtrare commentatione cõtendimus.eoſdem in hoc curſu Magiſtros,ac Patronos, & ad cœleſtem patriam eoſdem in præſentia duces, & deinde conſortes habeamus.

Digitized by Google

COMMENTARII IN ACTVS APOSTOLORVM.

CAPVT PRIMVM.

1 PRIMVM quidem ſermonem feci de omni-
bus ô Theophile, quæ cœpit Ieſus facere, &
2 docere * vſque in diem, qua præcipiens
Apoſtolis per Spiritum ſanctum, quos ele-
3 git, aſſumptus eſt: * quibus & præbuit ſe-
ipſum viuum poſt paſſionem ſuam in mul-
tis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens
4 de regno Dei. * Et conueſcens, præcepit eis ab Ieroſolymis ne
diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris, quam audiſtis
5 (inquit) per os meum: * quia Ioannes quidem baptizauit
aqua, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos
6 hos dies. * Igitur qui conuenerant, interrogabant eum, dicen-
7 tes: Domine ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël? * Dixit
autem eis. Non eſt veſtrûm noſſe tempora, vel momenta, quæ
8 Pater poſuit in ſua poteſtate: * ſed accipietis virtutem ſu-
peruenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes
in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad
9 vltimum terræ. * Et cùm hæc dixiſſet, videntibus illis, ele-
10 uatus eſt: & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. * Cumque
intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri aſtiterunt
11 iuxta illos in veſtibus albis, * qui & dixerunt: Viri Gali-
læi quid ſtatis aſpicientes in cælum? hic Ieſus, qui aſſumptus eſt
à vobis in cælum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum eun-
12 tem in cælum. * Tunc reuerſi ſunt Ieroſolymam à monte qui
vocatur

Digitized by Google

*vocatur Olıueti, qui eſt iuxta Ieruſalem, ſabbati habens iter.
* Et cùm introiſſent in cœnaculum, aſcenderunt vbi manebant 13
Petrus, & Ioannes, Iacobus, & Andreas, Philippus, & Thomas,
Bartholomæus, & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelo-
tes, & Iudas Iacobi. * hi omnes erant perſeuerantes vnanimi- 14
ter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Ieſu, & fra-
tribus eius. * In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum 15
dixit (erat autem turba hominum ſimul, ferè centum viginti.)
* Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spi- 16
ritus ſanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux eorum, qui
comprehenderunt Ieſum: * qui connumeratus erat in nobis, & 17
ſortitus eſt ſortem miniſterij huius. * Et hic quidem poſſedit 18
agrum de mercede iniquitatis, & ſuſpenſus crepuit medius: &
diffuſa ſunt omnia viſcera eius. * Et notum factum eſt omni- 19
bus habitantibus Ieruſalem, ita vt appellaretur ager ille, lingua
eorum, Haceldama, hoc eſt, ager ſanguinis. * Scriptum eſt enim 20
in libro Pſalmorum: Fiat commoratio eorum deſerta, & non
ſit qui inhabitet in ea: & epiſcopatum eius accipiat alter.
* Oportet ergo ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati in om- 21
ni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Ieſus,
* incipiens à baptiſmate Ioannis vſque in diem, qua aſſumptus 22
eſt à nobis, teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnum ex
iſtis. * Et ſtatuerunt duos, Ioſeph, qui vocabatur Barſabas, qui 23
cognominatus eſt Iuſtus: & Mathiam. * Et orantes dixerunt: 24
Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his
duobus vnum * accipere locum miniſterij huius, & apoſtolatus, 25
de quo præuaricatus eſt Iudas, vt abiret in locum ſuum. * Et 26
dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Mathiam, & annume-
ratus eſt cum vndecim Apoſtolis.*

Digitized by Google

IN CAPVT PRIMVM ACTVVM APOSTOLORVM.

Verſ.1. P*Rimum quidem ſermonem feci de omnibus.*]Scripſerat Euã-
1. gelium Lucas ad Chriſti vſque glorioſam Aſcenſionem, id eſt, quæ Chriſtus & fecit, & docuit: his enim duobus hiſtoria continetur Euangelica. Facta conſtant miraculis, exemplis,& rebus aut geſtis, aut toleratis mirabiliter; doctrina,decretis,documentis,conſiliis.Cùm verò Acta hæc Apoſtolica pars veluti quædam ſint Euangelij, quia in illis impletum iam oſtenditur, quod eſt in Euangelio prædictum, aut promiſſum, ideo Lucas artificiosè hîc repetit, quæ in extrema Euangelij ſui parte tradiderat: quemadmodum nos,vbi aliquid moræ interpoſitum eſt,memoriæ causâ breui quadam comprehenſione interrupta contexímus,vt deinde ſine offenſione ducatur continens narrationis filum; ſic etiam Lucas, vt Apoſtolorum tempora, atq; acta cum Chriſti temporibus, actiſque coniungeret,vt ex duobus tempore atque ordine diuerſis, quoad eius fieri poterat, vnum coaleſceret corpus, ſicut cum Sole radij,& cum ſtirpe propagines.Quare principium huius præclari libri nihil eſt aliud,quàm ſumma quædam eorum,quæ in Euangelij fine prodita ſunt. Ibi Lucas eductos in Bethaniam Diſcipulos ſcribit; & inde in cœlum Chriſtum eſſe ſublatum. Hæc eadem in huius libri proœmio repetit. Quare quæ propriè dicuntur Acta, ab eo loco ſumunt exordium, ad quem antea deducta fuerat Euangelica narratio;de qua ſuo loco poſtea. Fecit autem prudentiſſimè Lucas, vt ſtatim in Actorum proœmio Euangelij à ſe conſcripti meminerit; vt Euangelij iam à multis cum laude, venerationéque recepti memoria Actis ab eodem authore proditis eandem fidem,& gratiam conciliaret. Quod eodem conſilio fecit Euangeliſta Ioannes, qui in ipſo Apocalypſeos exordio à ſe ſcriptum dicit Euangelium. *Et ſignificauit* inquit, *mittens per Angelum ſuum ſeruo ſuo Ioanni, qui teſtimonium perhibuit verbo Dei, & teſtimonium Ieſu Chriſti quæcunque vidit.* Alludit ad ea, quæ c.9. ſui Euangelij dicit; *& qui vidit, teſtimonium perhibuit.*

Acta pars quædam Euangelij.

2. Accedit quòd cùm ad Aſcenſionem vſque Euangelicam hiſtoriam texuiſſet, velletque cum ſuperioribus quæ deinde cõſecuta ſunt, contexere, conuenienter ſuperiorum meminit, vt cuiuis conſtaret, quæ fuerint Eccleſiæ naſcentis exordia, qui progreſſus, quæ forma, quàm fidelis Deus in promiſſis, quàm largus in muneribus: quemadmodum ſeruarit in cœlum ſublatus Apoſtolorum miniſterio, quẽ dum nobiſcũ in terris ageret, docendi tenuit, atque operandi modum. Ita vt Euangelium ab hoc libro hoc vno penè differat, quòd in Euangelio geſta Chriſti in ſua operantis perſona deſcribuntur; in hoc verò opera Chriſti in Apoſtolis, & per Apoſtolos ſiue docentis, ſiue agentis, aut patientis explicantur.

3. *Superlatiuum inter duos.*

Primùm quidem ſermonem feci.] Non deeſt qui Lucam reprehendat Græci ſermonis imperitiæ, qui nomine vtatur ſuperlatiuo, cùm inter duos fiat comparatio; inter Euangelium ſcilicet, & Acta. Sed hæc comparatio non ſolùm apud ſacros, ſed etiam apud profanos authores frequens eſt. Ioan. 1. *πρῶτος ἐμοῦ, prior me erat*; & Nonus ibidem πρῶτος ἐμεῖο: & Matth. 21. de duobus filiis alter dicitur πρῶτος bis; & vulgatus *primus*: vbi etiam reprehenditur ab Eraſmo. Et 1. Cor. cap. 15. bis Adam confertur cum Chriſto, & vocatur πρῶτος, & à vulgato, qui in conuerſione Græcì ſermonis vſum imitatur, *primus homo* dicitur. Quæ loquendi ratio optimis authoribus ex profanis vſitata eſt. Ariſt. in Rhetoricis *πρῶτον ἢ, priùs quàm*. Alex. Aphrodiſ. lib. 1. Problem. *ἡ πληγὴ πρῶτον τῆς ἀστραπῆς*: & probat vſũ eſſe apud Græcos ſuperlatiui, cũ ad vnũ comparatio fit, vulgatus loquendi modus, *κράτιστος ἑαυτοῦ. i. ſe ipſo melior*. Neque noſtro Interpreti Latino Latinorum defuerunt exempla. Cicero 2. de inuentione in eadem omnino occaſione dixit: *In primo libello diximus*. Vbi inter duos item erat comparatio.

4. *De omnibus*.] Non omnia ſcripſit Lucas, quæ Ieſus docuit, ac fecit; cùm multa non attigerit, quę prodita ſunt ab aliis Euangeliſtis: neque ab omnibus ſimul comprehẽſa ſunt omnia Chriſti geſta, dictáve. Dicit tamen ſermonem ſe feciſſe de omnibus, vel quia, vt dicit Chryſoſtomus, de omnibus, id eſt, ſummatim, & in genere dixit; & ideo non dixit omnia, ſed de omnibus aliquid: vel certè, vt alij volunt, omnia dixit non ſimpliciter, ſed quæ aut neceſſaria erant fidelibus, aut quæ capi à fidelibus poſſent. Quare Chriſtus Ioan. 13. dixit: *Omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis*; & tamen cap. 16. ait. *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò*. Ex quo apparet illud (*omnia*) eſſe quæ pro ſuo captu audire tunc Diſcipuli poterant. Sed reſponſio non omnino ſatisfacit; quia eadem ratione quæ à Luca ſunt omiſſa, ab aliis etiã Euangeliſtis omitti debuerunt: & ab ipſo Luca prætermiſſa ſunt multa non minùs neceſſaria, quàm quæ ipſe ſcripſit.

Quare aliter cenſeo eſſe dicendum ex Scripturæ conſuetudine, quę vbi à multis aliqua fiunt, ab omnibus illa fieri dicit: ſicut etiã negat ab aliquo fieri, quæ fieri ſolẽt ab admodùm paucis: Qua regula quia ſæpius nobis vtẽdum eſt, neceſſarium duxi hîc pluribus eam explicare exemplis. Gen. 35. filij Iacob, in quibus etiam numeratur Benjamin, nati dicuntur in Meſopotamia, & tamen ibi non eſt natus Benjamin: & 2. Reg. 16. Abſalon ingreſſus dicitur ad concubinas patris ſui coram vniuerſo Iſraël: & cap. 17. ab omni viro Iſraël probatum eſſe traditur conſilium Chuſai, cùm tamen non ibi eſſent plurimi ex Iſraël. Et ad Heb. c. 11. cùm actum eſſet de Abel, Enoch, Noë, Abraham, Iacob, &c. omnes dicuntur eſſe mortui; cùm tamen Enoch viuere ab Apoſtolo ibidem dicatur: *Fide*, inquit, *tranſlatus eſt Enoch ne videret mortem*. Et Lucæ vltimo Apoſtoli dicuntur ſemper eſſe in templo, & tamen Act. 1. conſtat fuiſſe etiam in domo, vbi Petrus, & Ioannes habitabant. Prophetæ item à ſæculo ſancti vocantur Lucæ 1. & Act. 3. ſed aliqui fuerunt non ſancti, vt Balaam, & illi qui dixêre Matth. 7.

5. *Regul. Quæ à multis facta, eadẽ ab omnibus: & quæ à paucis, à nullo facta dicuntur.*

Nonne

Digitized by Google

IN CAPVT PRIMVM ACTVVM APOSTOLORVM.

Verſ.1. P*Rimùm quidem ſermonem feci de omnibus.*]Scripſerat Euã-
1. geliũm Lucas ad Chriſti vſque glorioſam Aſcenſionem, id eſt, quæ Chriſtus & fecit, & docuit:his enim duobus hiſtoria continetur Euangelica. Facta conſtant miraculis, exemplis,& rebus aut geſtis, aut toleratis mirabiliter; doctrina,decretis,documentis,conſiliis.Cùm verò Acta hæc Apoſtolica pars veluti quædam ſint Euangelij, quia in illis impletum iam oſtenditur, quod eſt in Euangelio prædictum, aut promiſſum, ideo Lucas artificiosè hîc repetit, quæ in extrema Euangelij ſui parte tradiderat: quemadmodum nos,vbi aliquid moræ interpoſitum eſt,memoriæ causâ breui quadam comprehenſione interrupta conteximus,vt deinde ſine offenſione ducatur continens narrationis filum; ſic etiam Lucas, vt Apoſtolorum tempora, atq; acta cum Chriſti temporibus, actiſque coniungeret,vt ex duobus tempore atque ordine diuerſis, quoad eius fieri poterat, vnum coaleſceret corpus, ſicut cum Sole radij,& cum ſtirpe propagines.Quare principium huius præclari libri nihil eſt aliud, quàm ſumma quædam eorum,quæ in Euangelij fine prodita ſunt. Ibi Lucas eductos in Bethaniam Diſcipulos ſcribit; & inde in cœlum Chriſtum eſſe ſublatum.Hæc eadem in huius libri procemio repetit. Quare quæ propriè dicuntur Acta, ab eo loco ſumunt exordium, ad quem antea deducta fuerat Euangelica narratio;de qua ſuo loco poſtea. Fecit autem prudentiſſimè Lucas, vt ſtatim in Actorum procemio Euangelij à ſe conſcripti meminerit; vt Euangelij iam à multis cum laude, venerationéque recepti memoria Actis ab eodem authore proditis eandem fidem,& gratiam conciliaret. Quod eodem conſilio fecit Euangeliſta Ioannes, qui in ipſo Apocalypſeos exordio à ſe ſcriptum dicit Euangelium. *Et ſignificauit* inquit, *mittens per Angelum ſuum ſeruo ſuo Ioanni, qui teſtimonium perhibuit verbo Dei, & teſtimonium Ieſu Chriſti quæcunque vidit.* Alludit ad ea, quæ c.9. ſui Euangelij dicit; *& qui vidit, teſtimonium perhibuit.*

Acta pars quædam Euangelij.

2. Accedit quòd cùm ad Aſcenſionem vſque Euangelicam hiſtoriam texuiſſet, velletque cum ſuperioribus quæ deinde cõſecuta ſunt, contexere, conuenienter ſuperiorum meminit, vt cuiuis conſtaret, quæ fuerint Eccleſiæ naſcentis exordia, qui progreſſus,quæ forma,quàm fidelis Deus in promiſſis, quàm largus in muneribus: quemadmodum ſeruarit in cœlum ſublatus Apoſtolorum miniſterio,quẽ dum nobiſcũ in terris ageret, docendi tenuit, atque operandi modum. Ita vt Euangelium ab hoc libro hoc vno pene differat, quòd in Euangelio geſta Chriſti in ſua operantis perſona deſcribuntur;in hoc verò opera Chriſti in Apoſtolis, & per Apoſtolos ſiue docentis,ſiue agentis,aut patientis explicantur.

Primùm

3\. Superlatiuum inter duos. *Primùm quidem ſermonem feci.*] Non deeſt qui Lucam reprehendat Græci ſermonis imperitiæ, qui nomine vtatur ſuperlatiuo, cùm inter duos fiat comparatio; inter Euangelium ſcilicet, & Acta. Sed hæc comparatio non ſolùm apud ſacros, ſed etiam apud profanos authores frequens eſt. Ioan. 1. πρῶτος ἐμοῦ, *prior me erat*; & Nonus ibidem πρῶτος ἐμεῖο: & Matth. 21. de duobus filiis alter dicitur πρῶτος bis; & vulgatus *primus*: vbi etiam reprehenditur ab Eraſmo. Et 1. Cor. cap. 15. bis Adam confertur cum Chriſto, & vocatur πρῶτος, & à vulgato, qui in conuerſione Græci ſermonis vſum imitatur, *primus homo* dicitur. Quæ loquendi ratio optimis authoribus ex profanis vſitata eſt. Ariſt. in Rhetoricis πρῶτον ἢ, *prius quàm*. Alex. Aphrodiſ. lib. 1. Problem. ἡ πληγὴ πρῶτον τῆς ἀστραπῆς: & probat vſũ eſſe apud Græcos ſuperlatiui, cũ ad vnũ comparatio fit, vulgatus loquendi modus, κράτιστος ἑαυτοῦ. i. *ſe ipſo melior*. Neque noſtro Interpreti Latino Latinorum defuerunt exempla. Cicero 2. de inuentione in eadem omnino occaſione dixit: *In primo libello diximus*. Vbi inter duos item erat comparatio.

4\. *De omnibus*.] Non omnia ſcripſit Lucas, quæ Ieſus docuit, ac fecit; cùm multa non attigerit, quę prodita ſunt ab aliis Euangeliſtis: neque ab omnibus ſimul comprehẽſa ſunt omnia Chriſti geſta, dictáve. Dicit tamen ſermonem ſe feciſſe de omnibus, vel quia, vt dicit Chryſoſtomus, de omnibus, id eſt, ſummatim, & in genere dixit; & ideo non dixit omnia, ſed de omnibus aliquid: vel certè, vt alij volunt, omnia dixit non ſimpliciter, ſed quæ aut neceſſaria erant fidelibus, aut quæ capi à fidelibus poſſent. Quare Chriſtus Ioan. 15. dixit: *Omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis*; & tamen cap. 16. ait. *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò*. Ex quo apparet illud (*omnia*) eſſe quæ pro ſuo captu audire tunc Diſcipuli poterant. Sed reſponſio non omnino ſatisfacit; quia eadem ratione quæ à Luca ſunt omiſſa, ab aliis etiã Euangeliſtis omitti debuerunt: & ab ipſo Luca prætermiſſa ſunt multa non minùs neceſſaria, quàm quæ ipſe ſcripſit.

Quare aliter cenſeo eſſe dicendum ex Scripturæ conſuetudine, quę vbi à multis aliqua fiunt, ab omnibus illa fieri dicit: ſicut etiã negat ab aliquo fieri, quæ fieri ſolẽt ab admodùm paucis: Qua regula quia ſæpius nobis vtẽdum eſt, neceſſarium duxi hîc pluribus eam explicare exemplis. Gen. 35. filij Iacob, in quibus etiam numeratur Benjamin, nati dicuntur in Meſopotamia, & tamen ibi non eſt natus Benjamin: & 2. Reg. 16. Abſalon ingreſſus dicitur ad concubinas patris ſui coram vniuerſo Iſraël: & cap. 17. ab omni viro Iſraël probatum eſſe traditur conſilium Chuſai, cùm tamen non ibi eſſent plurimi ex Iſraël. Et ad Heb. c. 11. cùm actum eſſet de Abel, Enoch, Noë, Abraham, Iacob, &c. omnes dicuntur eſſe mortui; cùm tamen Enoch viuere ab Apoſtolo ibidem dicatur: *Fide*, inquit, *tranſlatus eſt Enoch ne videret mortem*. Et Lucæ vltimo Apoſtoli dicuntur ſemper eſſe in templo, & tamen Act. 1. conſtat fuiſſe etiam in domo, vbi Petrus, & Ioannes habitabant. Prophetæ item à ſæculo ſancti vocantur Lucæ 1. & Act. 3. ſed aliqui fuerunt non ſancti, vt Balaam, & illi qui dixêre Matth. 7. 5. Regul. Quæ à multis facta, eadẽ ab omnibus: & quæ à paucis, à nullo facta dicuntur.

Nonne

Nónne in nomine tuo prophetauimus? Ad hunc ergo modum, quia Lucas pleraque ſcripſit à Chriſto geſta, de omnibus ſcripiſiſſe ſe dicit. Vide quę capite 27. diximus ad illud, *quarta decima die.*

Affinis eſt huic regulæ alia quam tradit Aug. lib. 2. qq. in Exodum q. 47. vbi docet ex vſu Scripturæ numerum certum, ſi tamen plenus, atque perfectus ſit, adhiberi, etiamſi aliqui ſupra ſint, aut infra talem numerum. Vnde Iud. 9. Abimelech traditur occidiſſe 70. filios Ierobaal, cùm ab eo numero duo abfuerint, ipſe nimirum Abimelech, & Ioathã, qui ſe à cæde ſubduxerat: & 1. Cor. cap. 15. Chriſtus appatuiſſe traditur duodecim Apoſtolis, cùm tamen abeſſet Iudas, quia numerus ille erat notior; & 3. Reg. 2. Dauid regnaſſe dicitur 7. annis in Hebron, & 2. Reg. 2. ſex menſes adduntur. Abraham centenarius dicitur Geneſ. 17. quem tamen numerum non impleuit donec natus eſt Iſaac. Vide exempla plura apud Salmeronem Proleg. 11. quinquagena 3. can. 50. & Riberam in Amos cap. 5. n. 61.

6. Quis Theophilus. *O Theophile.*] Quidam hîc nomen proprium eſſe negant: ſed quemadmodum non ſolùm noſtra, ſed etiam maiorum noſtrorum ætate ſcriptores benignum lectorem alloquuntur in ſuorum librorum exordio; ſic Lucam exiſtimant ſermonem dirigere ad lectorem Dei amicum; id enim ſonat *Theophilus.* Alij ad certum aliquem hominem pertinere credunt, quem tamen hîc communi vocabulo *Theophilum* ſalutat, non quia propriè ſic vocetur, ſed quia religioſus eſt, & Dei amicus. Sed communiter exiſtimatur nomen eſſe proprium viri, cuius inter ſuos magna eſſet authoritas, quique accepto à Luca & prius Euangelio, & nunc Actorum libro, maximo aliis vſui futurus credebatur. Sanè notũ hominem eſſe Lucas ipſe indicat, qui in Euangelij exordio ſic ad eundem ait; *vt cognoſcas verborum, de quibus eruditus es, veritatem.* Meminit cuiuſdam Theophili Antiocheni Clemens Recognit. lib. 10. cap. vltimo, qui ad fidem adductus à S. Petro domum ſuam ad Chriſtianorũ conuentus in Eccleſiam mutauit, vbi primùm Cathedra à Petro poſita eſt. Ad hunc veriſimile eſt à Luca miſſum eſſe librum; tum quia Antiochenus vterque, & eodem fortaſſe tempore ad fidem conuerſus; tum quia ſuo ſibi merito id exigebat Theophilus, qui tam liberaliter ac piè domum ſuam pietati, ac religioni conſecrauiſſet. Amplam verò, & illuſtrem domum fuiſſe tradit Clemens ſuprà, & quidem Oecumenius Theophilum Præſidem, aut Præfectum fuiſſe dicit; quod innuit Lucas quando in Euangelij proœmio *optimum* appellat. Hæc enim appellatio non tam eſt hominis ſancti, & religioſi, quàm eius qui in magiſtratu eſt, & cum publica aliqua poteſtate. Quare qui grauem aliquam perſonam ſuſtinent, *optimi* vocantur, & hinc etiam *optimates.* Probat hoc Paulus, qui cùm nemini vnquam adulari didiciſſet. 1. Theſſal. cap. 2. *Neque enim* (inquit) *aliquando fuimus in ſermone adulationis*; Feſtum tamen *optimum* ſalutat Act. 26. cùm tamen eſſet ſceleratiſſimus; ſicut etiam Felicem hominem notiſſimæ turpitudinis Claudius Lyſias Act. 23. & Tertull. cap. 24. *optimum* appellant. Cuius nominis ea videtur eſſe ratio, quia quemadmodum qui ad fidem olim accedebant, *ſancti* dicebantur, vt ſæpe in hoc libro; & qui inter fideles primus eſt, ſcilicet Papa, *ſanctiſſimus* dicitur: ſic candidati, *boni*

7. Boni dicũtur candidati & electus, optimus.

boni dicebantur, vt tradit Seneca epiſt. 3. & notauit optimè Baronius 1.to. Annal. quia neque honeſtè, neq; pudenter magiſtratum ambire poteſt vllus niſi bonus, & qui ex bonis eligitur, optimus habetur. Porrò in Euãgelio Theophilũ Lucas vocauit *optimum*; quia tunc publicã ſuſtinebat perſonam; nunc verò ſecus, quia fortaſſe iam Chriſtianus cum magiſtratu nomẽ illud quoq; depoſuerat.

Veſ. 2. *Quæ cœpit Ieſus facere, & docere 2. vſque in diẽ, qua præcipiens Apoſtolis per Spiritum ſanctum, quos ele-*
8. *git, aſſumptus eſt.*] Cõiungit hoc opus Lucas cum priori. Aggreſſus eſt ſuprà Chriſti geſta deſcribere ab ipſo ſuſceptę humanitatis exordio; cœpit enim tunc facere, & ſuo deinde tẽpore docere, neq; tamẽ eius doctrina, atque operatio illo ad cœlũ aſſumpto finita eſt: ideo cœpiſſe commemorat vſque dum eſt aſſumptus. Deinde verò à ſuo Aſcẽſu per Apoſtolos in opus priùs inchoatum continenter incumbit. In priori ergo libro prodidit Lucas Acta, documentáq; Chriſti, & quæ præcepta dederit Apoſtolis, quos in illud Apoſtolicum miniſterium elegerat vſque ad Aſcenſionem; in poſteriori verò quæ deinde à Chriſto per Apoſtolos patrata ſunt.

9. Hîc expoſitores plerique hyperbaton deprehendunt, quod licèt à Scriptura alienum non ſit; hîc verò ſtatim in principio non opportunũ. Sed ſenſus, meo judicio, continens eſt, neque vllã video ſalebram, quæ legentem ad remora trãſilire cogat: aut certè ita facilis eſt, vt durum hyperbati nomẽ non mereatur. Quod tunc ſibi lector, credo, perſuadebit: ſi vim teneat participij Græci ἐντειλάμενος, pro quo noſter reddidit, *præcipiens*; quod ſine dubio temporis præteriti eſt. Quare, *præcipiẽs Apoſtolis*, idem eſt atque, *poſtquam Apoſtolis præcepta dediſſet*, ſiue, *Apoſtolis priùs ad ſuum munus vtiliter obeundum inſtructis*. Erit ergo ſenſus: ſcripſi, ô Theophile, ea quæ Ieſus facere cœpit, & docere vſque ad diem, qua inſtitutis priùs Apoſtolis per Spiritũ ſanctum, quos elegit; aſſumptus eſt. Vide quàm hîc aut nullum, aut molle occurrat hyperbaton, quod trãſilias, vt apta ſit, ſibíque cohęrens verborum conſecutio.

Hîc tamen videndum quomodo vulgatus participium aoriſti, quod præteritæ ſignificationis eſt, verterit *præcipiens*. Reſpondeo, non id primùm hîc feciſſe vulgatum: nam ſtatim etiam dixit, *incipiens à Baptiſmate*: & ad Hebr. 1. *purgationem peccatorum faciens ſedet*; & cap. 10. *vnam pro peccato offerens hoſtiam ſedet ad dexteram*: & cap. 1. *olim Deus loquens patribus*; & in his Actis ſæpiſſime. Vbi ſine dubio ſignificatio eſt præteriti temporis. Neque tamen malè vertit noſter Interpres, cùm id etiam vſitatum ſit apud profanos. Plinius lib. 8. cap. 52. de ſuibus. *Tunc inter ſe dimicant indurantes attritu arborum coſtas, lutóque ſe intergorantes*, id eſt, induratis antea coſtis. Id verò ideo facit noſter Interpres, quia non habet vocem vnam Latinam, quæ participiorum Græcorum ſignificationem omnino reddat; nam cùm Græcis participia ſint, quæ actiuè ſignificant in tempore præterito; & item alia quæ in præſenti paſſiuè; cùm vtrumque aſſequi non poſſint Latina participia, modò ex præteriti participio actiuæ vocis, vocem exprimunt actiuam, non tempus; vt ex exemplis nuper adductis conſtat: modò ex participio præſentis paſſiuæ vocis; ſignificationem efferunt paſſiuam, in alio tamen tempore, ſcilicet 10.

Regul. Vulgatus per participium præſentis reddit participium præteriti actiui: & per participiũ præteriti participium præſentis paſſiui. Ad Heb. 1. Ad Heb. 10.

G. Sanctij Comm. in Act. Apoſt.

Digitized by Google

præterito: quia apud Latinos participia præſentis paſſiuè non ſumuntur; vt ad Heb. 1. *omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus ad miniſterium miſſi*; Græcè ἀποστελλόμενα, id eſt, *qui mittuntur*.

Ad Heb 1.

11. *Per Spiritum ſanctum.*] Hîc dubium eſt an hæc verba referantur ad *præcipiens*, vel *ad quos elegit*. Chryſoſtomus ad præcepta refert, & Oecumenius, & dupliciter explicat; vel quia ſpiritualia verba Apoſtolis locutus eſt, & nihil humanum: vel quia per Spiritum ſanctum illis præcepta dedit. Gagneius item ad præcepta; ſed illa eſſe putat de prædicando Euangelio. Alij ad electioné, vt Caietanus; alij ad alia; ita tamen vt electionem non excludant: ita Salmerō & Emanuel Sa. Mihi poſterior hęc ſententia videtur veriſimilior, tum quia hac loquendi figura ex amore, & gratis facta ſignificatur electio: tū etiā quia Lucæ 6. pernoctauit Chriſtus in oratione Dei, vt ſequenti luce Apoſtolos eligeret, quod diuini Spiritus inſtinctu factū eſſe ipſa orationis natura docet. Et ratio ipſa videbatur exigere, vt in exordio libri ſtatim occurreret Apoſtolorū electio: nā cùm acturus eſſet Lucas de Apoſtolis, oportuit, vt præcederet hæc illorum commendatio, & quaſi deſcriptio. Eſt autem ſingularis, quòd electi fuerint ex omnibus à Chriſto. Sed quia alicui videri poterat ab eo affectu quodā humano hos potiùs, quàm alios eſſe vocatos, cùm eorū aliquos Chriſto coniungeret, commendarétque ſanguinis communitas, vt Iacobum, Ioannem, &c. ideo addidit per Spiritum ſanctum illos fuiſſe electos, id eſt, ſpirituali, nō humano motu. Ex quo etiam quæ ab Apoſtolis deinde geſta tradūtur mirabiliter, faciliorem habent fidem; cùm quiuis facilè ſibi perſuadere poſſit, ab eis talia potuiſſe perfici, quos ad opus tantum Spiritus ſanctus elegiſſet.

Electio per Spiritum ſanctum.

Verſ. 3. *Quibus & præbuit ſe ipſum viuum poſt paſſionē ſuam per dies quadraginta.*] Quadraginta dies, vt obſeruauit Chryſoſt. non numerantur à Chriſti Paſſione præcisè, ſed à Reſurrectione, quia totū illud tempus, quo Chriſti corpus iacuit in ſepulchro, ad Chriſti mortem pertinet. *Paſſio* verò hîc pro morte ſumitur ea figura, qua quod anteceſſit, pro conſequenti ponitur. 12.

Et loquens de Regno Dei.] Græcè, τὰ περὶ τῆς βασιλείας, id eſt, *ea, quæ ad Dei Regnum pertinent.* Satis notum eſt Dei Regnum non tantùm Beatorum patriam eſſe, Deique conſpectum; ſed etiam quæ ad hæc parant, inſtruunt, & deducūt viatorem hominem. Ex quo fit, vt margaritæ, ſagenæ, fermento, decem virginibus, & bonum ſemen ſeminanti compararetur. Eccleſia certè, & quia ipſa Regno cœlorum ſimilis eſt, & quia in ea fideles inſtituuntur ad vitam, Regnum cœlorum appellatur: & ita accipit Greg. hom. 12. in Euang. Locutus eſt ergo Chriſtus de Regno cœlorū, non ſolùm de illius ſplendore, ac dignitate, dum ſuſcitati corporis ſui gloriam oſtendit, ſed de via ad ipſum, quam vel Apoſtoli ſibi ipſis, velut aliis gentibus expediant. Quare dubitandum non eſt de Eccleſia, Regno ſcilicet cœlorum, conſtituēda Chriſtum ſermonem habuiſſe; de Sacramētorum forma, atque materia, de ritu, cæremoniiſque ſacrorum, de Eccleſiaſtica Hierarchia, de his denique quæ ab Apoſtolis docta religioſè iam olim ſeruat Eccleſia. Vnde conſtat quāti à nobis fieri debeant Apoſtolicæ traditiones, quæ à Chriſto tanquam à fonte deriuatæ ſunt. De quibus latè Bellarminus, &

13. Eccleſia Regnum Dei.

Salme

Salmeron hîc, & alij plurimi, qui cum hæreticis noſtræ ætatis diſputationes ineunt.

Verſ.4. *Et conueſcens præcepit eis ab Hieroſolymis ne diſcederēt; ſed expectarent promiſſionē Patris.*] Hæc eſt nouiſſima Chriſti apparitio, de qua Lucas c. vltimo, vbi oblatus eſt piſcis, & fauus mellis; & de qua Marcus capite itē vltimo: nā ideo addidit *nouiſſimè recumbentibus*. Ibi præcepit Chriſtus, vt manerēt in ciuitate donec induerentur virtute ex alto, id eſt, acciperent Spiritum ſanctum, quem antea promiſerat. Eraſmus συναλιζόμενος, pro quo noſter, *conueſcens*, tranſtulit, *congregans*; ſed meliùs noſter Interpres; qui rationem habuit temporis, & menſæ. Eſt autem συναλίζω, *communi menſa vtor*; ab ἁλς, id eſt, *ſale*. Vnde Prouerbium, *multos modios ſalis cum aliquo conſumpſiſſe*; eſt diu cum aliquo eodem vſum eſſe conuictu.

Verſ.5. *Quam audiſtis, inquit, per os meum; 5. quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autē baptizabimini Spiritu ſancto.*]
14. *An Ioannes baptizauerit Apoſtolos.* Dubitari hîc ſolet, an Apoſtoli baptizari à Ioanne fuerint, vel ab hoc tantùm, & non à Chriſto? Qua de re in Scriptura nihil expreſſum; ſed graues de vtroque Baptiſmo coniecturæ. De Baptiſmo Ioānis, quia veriſimile eſt feciſſe Apoſtos quod audierāt, atq; adeò viderāt eorū nōnulli factū à magiſtro; maximè cùm eorum aliquot Ioannis diſcipuli fuerint, quos credendum nō eſt id omiſiſſe, quod ab aliis tanto ſtudio atque frequentia expeti videbant. Et ita indicat Tertul. lib. de Baptiſmo c.12. Chryſoſt. & Beda hîc. De Chriſti Baptiſmo docet Aug.
An Chriſtus baptizauerit. epiſt.108. explicās illud Ioan.13. [*Qui lotus eſt, nō indiget niſi pedes lauet.*] *Neque*, inquit, *miniſterio baptizandi defuit, vt haberet baptizatos ſeruos, per quos cæteros baptizaret.* Idem Greg. ſuper eadem verba Ioan. lib.9. Regeſt. epiſt. 31. & Beda hîc. Neque obſtat illud Ioann. 4. *quanquam ipſe non baptizaſſet, ſed Diſcipuli eius.* Nam vel intelligēdum eſt Chriſtum non baptizaſſe plures quàm Baptiſtam (illud enim audierant Phariſæi, & illud negat Euangeliſta) vel certè dicendum eſt, etiamſi Chriſtus Baptiſmum aliquando contulerit, vt Diſcipulis, ſicut Nazianz. tradit Oratione in ſancta Lumina: aut Virgini, vt ſentit Euthymius in cap. 3. Ioan. non tamen id feciſſe frequenter, & publicè, ſed id negotij mandaſſe Diſcipulis. Neque ea loquendi forma abhorret à communi vſu loquendi, in quo actus qui à Philoſophis ſecundus dicitur, pro primo ponitur, id eſt, actio pro habitu, aut conſuetudine; & hoc modo dicimus, *Ego non ludo, non iudico, non doceo*, id eſt, conſuetudinem non habea ludendi, aut munus docendi: etiamſi aliquando docere contingat. Hoc ergo ſenſu Chriſtus dicitur non baptizaſſe, licèt id aliquando fecerit; quia illud minùs ſæpe faciebat.

Hîc dubium occurrit, quo loco Chriſtus Baptiſmum Ioannis cum hoc Baptiſmo Spiritus ſancti contulerit: nam comparationē indicat, cùm dicit, *quam audiſtis*, inquit, *per os meum, quia Ioannes quidem baptizauit aqua*, &c. neque tamen apparet quo id loco ſub ea comparatione à Chriſto dictum ſit. 15. *Regul. Quædam à Chriſto dicta quæ tamen ab Euangeliſtis ſcripta non ſunt.* Reſponderi poſſet, à Chriſto quidē ita eſſe pronunciatum; non tamen proditū ab Euāgeliſtis: quandoquidem teſte Ioanne capite vltimo, multa à Chriſto facta ſunt, quæ non ſunt ſcripta: & infrà capite 20. Paulus citat tanquā à Domino dictum; *Beatius eſt magis dare quàm accipere*; & Chriſtus ſæpe

Digitized by Google

fortaſſe Marthæ dixerat: *ſi credideris, videbis gloriam Dei*, & illa nos ſententia careremus, niſi Chriſtus repeteret Ioan cap. 11. *Nónne dixi tibi ſi credideris*,&c. Vide plura exempla in Salmerone tract. 50. in Act.& 1.Cor.5. quædam apparitiones referuntur à Paulo, quæ in Euangeliis non inueniuntur: & à Luca multa omittuntur in Actis, quæ in epiſtolis referuntur à Paulo. Sic ergo Lucas hæc verba repetit à Chriſto quidem dicta, non tamen ab Euangeliſtis relata. Dicta verò videntur, quando nouiſſimè recumbentibus dixit Lucæ vltimo. *Vos autem ſedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto*; hîc verò repetit non pauca, quæ illîc omiſerat.

Verſ.6. *Igitur qui conuenerant, interrogabant eum dicentes, Domine ſi in*
16. *tempore hoc reſtitues*, &c.] Quinam fuerint hi, qui conuenerant, non cõſtat. Fortaſſe 500. illi ſunt, quibus Paulus dicit apparuiſſe Chriſtum 1. Cor.15. vel 150. de quibus ſtatim. Hi ergo cùm nondum carnalem ſpiritum exuiſſent, de Regno Iſraël terreno rogant, an eo tempore quo victor eſſet Chriſtus, potẽs, & glorioſus, illud eſſet ab externa tyrannide vindicaturus, redacturúſque iterum in poteſtatem alicuius, qui è Dauidico eſſet, vel Iſraëlitico ſanguine? Nã illud (*Iſraël*) in datiuo eſt. Reſpondet verò Chriſtus nõ quæ ipſi deſiderant, ſed quæ maximè ipſos noſſe oportebat. Eſt enim, vt hîc ait Chryſoſtomus, optimi doctoris docere non quæ diſcipuli audire ſtudent; ſed quæ cognoſcere expedit.

17. *Non eſt veſtrûm noſſe tempora, vel momenta*, &c.] Ex his apparet non ſolùm Apoſtolos reprehenſos eſſe, quia nõ crediderũt, vt dicit Marcus; ſed etiam, vt hîc ſcribit Lucas, quia curioſiùs doceri volũt de rebus minimè neceſſariis. Nõ intererat diſcipulorũ, eo præſertim articulo, cùm de rebus altioribus à tãto magiſtro erudiri, & poſſent, & deberent, hæc inania curare. At intererat maximè doceri quomodo ſuperuenientem in ſe Spiritus ſancti virtutem acciperent. Optimus ergo magiſter repellit ab inani cura diſcipulorũ ſtudium, & ad cœleſtis doni cogitationem vocat; neque quicquam de tẽporali Regno aut timere eos, aut ſperare iubet: ſed tantùm aſſerit tẽpora, ac momẽta in Patris eſſe poteſtate. Inter *momenta* verò, & *tempora* id eſſe diſcriminis docet Auguſt. epiſt. 78. quia *tempus*, Græcè χρόνος, ſpatiũ ſignificat, & quandam menſuram, purà horam, diem, menſem, annum, ſæculum: *momentum* verò, Græcè καιρὸς, non ſpatium, ſed tẽporis opportunitatem, occaſionem, & rebus agendis maturitatem. Nouit ergo Deus & quo tẽpore aliquid fieri, & quo momento, id eſt, opportunitate debeat. Quare hæc ab hominibus curari inanis eſt, & ſtulti laboris. Maioris ſane momẽti erat noſſe quando euentura eſſent extremi Iudicij ſigna; ab iis tamen ſcrutandis repulſi ſunt à Chriſto Diſcipuli Matth. 24. à quo doctus Apoſtolus ad Theſſalonicenſes 1.cap.5 ſcripſit; non eſſe cur de his anxiè laborarent. Vbi & *tempora* poſuit, & *momenta*. *De temporibus autem, & momẽtis, fratres, non indigetis, vt ſcribamus vobis.*

Verſ.8. *Sed accipietis virtutẽ ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos; & eritis mihi teſtes.*] Hæc omnia Lucas in extremo capite. Oſtendit hîc Chriſtus quid ſit Apoſtolici negotij 18. Spiritus ſancti virtus.
ac muneris; non ſcrutari quæ ipſos ſcire non expedit, ſed teſtes eſſe Chriſti in Ieruſalem, & in omni Iudęa. &c. Quod profectò magnarum eſt virium, & inuicti pectoris: nam qui in Ieruſalem Chriſtum turpiſſima morte damnarũ, & inter

ſcele

Digitized by Google

ſceleratos reputatum viuere iam,& Deum eſſe libera voce pronunciát, ſubire neceſſe eſt potentium inuidiam,atque odia, multitudinis manus, neque horrere ſupplicium illud crucis,in quod magiſtrum ſublatum eſſe viderant. Sed quia id humanæ virtutis non eſt, quæ facilè frangitur,ideo Chriſtus ſuperuenietis Spiritus ſancti virtutem pollicetur, quam neque minæ concutiunt, neque metus retardat, neque mors per omnem acerbitatem propoſita debilitat. Ita pene Chryſoſto. hom. 1.in Acta. *Quemadmodum (*inquit) *milites erupturos nemo patitur exire priuſquàm armati fuerint; neque quiſquam equos ſinit à carcere proſilire, priuſquàm aurigam nacti ſint*,&c.non aliter Deus Diſcipulos ad aciem armauit, quàm olim Ieremiam cap.1. *Ne formides à facie eorum*, &c. & Ezechielem cap.3. *vt adamantem, & ſilicem dedi faciem tuam.* Illud, *ſuperuenientis*, indicat veniſſe iam antea ſuper illos Spiritum ſanctum, nimirum cùm Chriſti Baptiſmo luſtrati ſunt; ſicut etiam idem ſuperuenturus dictus eſt à Gabriele in Mariam, quæ Spiritu ſancto plena erat. Gratia autem illa ſuperuenientis Spiritus,erat quaſi ſacramentalis, & initiatiua Apoſtolatus, quæ ſcilicet aptos miniſtros redderet Euangelij.

In Iudæa totus Iſraël.

In omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ.]In *Iudæa* totus Iſraël intelligitur, quia tribus Iuda, cui adiuncta erat tribus Benjamin, ita rediit à captiuitate Babylonis,vt Rempublicam haberet certam: qui verò reliqui fuerunt ex aliis tribubus,fuerunt autem quamplurimi,vt latè probauimus in Commentariis ſuper Zachariam;cùm neque Rempublicam haberent vllam, neque Ducē, tribui Iuda annumerati ſunt; & inde omnes Iſraëlitæ Iudæi apellari cœperunt. Quare Iudæorum nomen nouum eſt, vt tradit Aug.de Ciuitate lib. 15. cap. 8. & Tertul. in Apolog. cap. 18. Samaria hîc, ſicut aliis etiam locis à Iudæis, Gentibúſque diſtinguitur; quia neque omnino Samaritani Iudæi ſunt, cùm magnam legis partem non acceperint; neque omnino Gentiles,cùm Pentateuchum amplexi ſint, & circunciſionem. Vide infrà cap.8. ad illud, *deſcendit in ciuitatem Samariæ.* Porrò his verbis videtur ſuſtuliſſe Chriſtus præceptū illud quod antè tradiderat Apoſtolis,ne Gentibus, & Samaritanis annunciarent Euangelium. *In viam Gentium ne abieritis, & ciuitates Samaritanorum ne intraueritis.*

Verſ.9. *Et cùm hoc dixiſſet,videtibus illis eleuatus eſt.*] Luc. cap. vltimo. 19.
receſſit ab eis, & ferebatur in cœlum. Quod non eſt intelligendum fieri ab externa virtute, vel Angelorum miniſterio, ſicut Elias antea igneo curru eleuatus eſt: ſed vnita ſibi diuinitate,& glorioſi agilitate corporis,vnde ſtatim Apoſtoli viderūt eū euntem in cœlum.Marcus cap. vltimo, & Lucas paulo antè Chriſtum dicunt aſſumptum.Quæ vox non ſignificat ibi alienis manibus,ſiue miniſterio eleuatū ſurſum,ſed ſimpliciter aſcēdiſſe;ſicut aliquis dicitur recipere ſe, conferre, vel corripere ſe in aliquem locum; qui non ab alio fertur, vel recipitur quàm à ſeipſo. Pro, *aſſumptus eſt*, Græcè ἀνελήφθη; quod verbum ſæpiùs ſignificat non ab externa vi agi, ſed interna quadā, ac propria, vt ἀναλαμβάνειν ἑαυτὸν, *ad ſe ipſum redire, ſeipſum colligere ex metu, vel deſperatione,in ſuum ſe locum, & in integrum reſtituere.* Quod fecit Chriſtus,qui peracto curſu in ſuum ſe locum & ordinem reſtituit.

Et nubes ſuſcepit eum ab oculis eo- 20.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Nubes thronus Dei.

rum.] Caietanus hîc non putat nubem eſſe propriè, ſed Chriſti ſplendorem, qui Apoſtolorum oculis aſcendentem eripuit. Sed nulla ratio cogit nos à vocis proprietate recedere; quare dicendum eſt cum aliis pene omnibus fuiſſe propriè nubē, quæ Chriſtum ſuſcepit, quando videri aut noluit, aut non potuit à Diſcipulis, qui intentis oculis illum proſequebantur abeuntem. Cur autem in nube Chriſtus aſcenderit, ea videtur eſſe ratio, quia in nube ſæpiùs eſt declarata diuina maieſtas, iuxta illud Pſal. 103. *Qui ponis nubem aſcenſum tuum.* Vide Exod. c. 16. 19. 24. 33. 34. 40. & in transfiguratione à nube lucida vox Dei eſt audita, & filius hominis venturus eſſe dicitur in nubibus cœli. Vnde etiam non leuis ſumitur cõiectura; quia quemadmodum in cœlos aſcendit, ſic prędicunt Angeli venturum eſſe ad iudicandum. Hæc ratio ſumitur ex Chryſoſt. hom. 2. in Acta, vbi nubem cœli ſymbolum vocat, & diuinæ potentiæ ſignum, & ad Chriſtum miſſum eſſe quoddam Regium vehiculum è cœlo, vt oſtēderetur Rex eſſe cœlorum.

Verſ. 10. *Ecce duo viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis.*] Angeli hi proculdubio ſunt, vt communis eſt ſententia, licèt viri dicantur, & viri etiam eſſe potuerint, ex eorum numero qui cum Chriſto ſimul aſcenderunt. Sed hoc muneris eſt Angelici ad homines mandata perferre: neque nunc primùm Angeli viri appellati, quia virorum ſpeciem hominibus obiiciunt. Eſt autem vſitatum in Scriptura, vt talia à nobis aliqua vocentur, qualia apparent, vel qualia vulgo hominũ exiſtimantur; in veſtibus apparent albis, quia candor in veſtibus lætitiæ ſignum eſt Eccleſ. 9. *Comede in lætitia panem tuum,* &c. *omni tempore ſint veſtimenta tua candida;* & Apoc. 7. ſancti dicuntur *amicti ſtolis albis.*

Verſ. 11. *Viri Galilæi quid ſtatis,* &c.] Hi ergo Angeli Diſcipulos in abeuntis magiſtri contemplatione defixos monent, ne diutiùs ibi morētur, quaſi rediturus ſit Chriſtus illicò, aut illorum oculis ſe breui rurſus obiecturus. Docent, quod ipſi oculis aſſequi non potuerunt, illum in cœlum aſcendiſſe, & cum eadem maieſtate ad iudicandum eſſe rediturum; neque quod de Chriſto doceri poſſent, reliquum erat aliud.

Verſ. 12. *Tunc reuerſi ſunt Hieroſolymam à monte, qui vocatur Oliueti.*] 21.

Hic incipiũt Acta.

Hinc incipiunt propriè Apoſtolorũ Acta; nam quæ hactenus dicta, iam ſcripta fuerant à Luca in Euangelij fine, atq; ideo, vt diximus, hoc loco repetuntur, vt Acta, quę nunc aggreditur Lucas, cum ipſius Lucæ Euangelio contexantur. Lucas cap. 24. dicit, *eduxit eos in Bethaniam, & ferebatur in cœlum.* Sed non eſt Lucas ſibi ipſi contrariùs: nam Bethania iuxta montem Oliuarum eſt ſita Marci 11. *Cùm appropinquaret Hieroſolymis, & Bethaniæ ad montem Oliuarum.* Idem Lucas cap. 19. Eſt autem Bethania (vt tradit Beda lib. 6. in Lucam cap. vltimo) in latere montis Oliuarum. Dicitur verò Chriſtus Diſcipulos eduxiſſe in Bethaniam, non quia ad Bethaniam acceſſerit, ſed quia viam illam ingreſſus eſt, quæ in Bethaniā ducit, & in ipſo curſu opportuno diuerticulo ad montem digreſſus eſt. Vel certè domũ illã in ipſo diſceſſu ornare ſuo conſpectu voluit, quã expertus fuerat omniſ officij, atque humanitatis plenã. Deinde verò in mõtē aſcendit cũ Diſcipulis, & inde in cœlum. Probabile ſanè hoc: ſed probabilius mihi videor eſſe dicturus, ſi Bethaniã ſumi putē pro loco Bethaniæ vicino, maximè ſi, vt putat Caietanus, ad eius fines vllo modo pertinet.

pertinet. Eſt enim vſitatum,tũ inter profanos,tum etiã inter ſacros ſcriptores, vt locus aliquis notior, aut aliquo titulo nobilis pro vicino minùs noto vſurpetur:cuius rei eadem nobis Bethania exẽplo eſt. Ioan. 1. *Hac in Bethania facta ſunt, vbi erat Ioannes baptizans.* Neque tamen in vrbe Ioan.baptizabat. Et Lucæ 13. cùm Dominus de ſua morte ageret, inquit:*Non capit Prophetam perire extra Ieruſalẽ*; cùm tamen extra paſſus fuerit,vt obſeruauit Paulus ad Heb. 13. Sic etiã cùm Bethania notior eſſet tũ propter ædificia,tũ maximè propter Domini hoſpitiũ, quàm locus deſertus,& infreques, pro mõte Oliuarum Bethania ponitur, quæ pars montis eſt, certè ſita in ipſo montis deſcenſu. Pręſertim quia cùm mons Oliuatũ latè pateat,deſignari debuit pars illa montis, vbi myſterium Aſſumptionis peractũ eſt; illa nimirũ, quam Bethania.vel colebat vt ſuam, vel falrem vt proximam ſpectabat.

22. *Iter Sabbathi an mille paſſus.* *Sabbathi habens iter.*] Quantũ ſpatij in Sabbathis pedibus Iudæo per legẽ conficere liceret,incertũ eſt,& ipſis adeò Hebręorũ magiſtris,antiquis etiã tẽporibus ignotũ. Nam,vt refert Hieronymus epiſt. ad Algaſiã q.10.*Rogati Iudæi cùm in die Sabbathi iubeantur ſedere; an tunc ambulare liceat,ſtare,vel tacere, non ad præceptum aliquod legis confugiunt,ſed ad Doctorum traditionem. Rabbi inquiunt Akiban,& Simeon, & Hille magiſtri noſtri tradiderunt nobis,vt bis mille pedes ambulemus in Sabbatho.* Suidas v. *Sabbathũ* bis mille cubitorũ ſpatiũ aſſignat;*tanto enim ſpatio* (inquit) *Arca Dei antecedebat caſtra,tãtoq́, internallo,quibus à lege permiſſum, Arcam mouebant in Sabbatho.* Quod ex Origine ſumpſit 5.Strommat. Caiet. 12. ſtadia.i.1500. paſſus. Lyra mille paſſus aſſignat,& interpretatur dimidium leucæ.Idem Dionyſius.Oecumenius vnum milliare,quod conſtare putat bis mille cubitis,& citat Origenem ſuprà.Abulenſ. in 4. Reg. c. 4.q.31. docet licuiſſe Iudæis mille paſſus eundo, & totidem redeundo conficere. Alij communiter mille paſſus interpretãtur. Toletus in illud Ioan. 7.*Erat autem in proximo dies feſtus*.Beda,& P.Salm. Ribera lib. 5. de templo c.1.& ita ſe accepiſſe dicit Iulianus Toletanus inChronicis à doctiſſimis Hebræis, qui etiã addiderunt milliaria lapidibus ab Hebræis ſolere ſignari;in quorũ altera facie nomen erat aliquod Dei, iuxta illud Pſ. 64. *Turbabuntur Gentes, & timebunt,qui habitant terminos à ſignis tuis.* Nam milliaria illa ſigna dicebantur; de quibus nos ſtatim. In altera facie erat numerus milliarium;inſuper & hæc verba: *Huc progredi licet Hebræo in Sabbatho: neque hinc vltrà tranſire.* Accepi ego quoque ab Hebræo rerum Iudaicarum peritiſſimo iter Sabbathi etiã nunc à Iudæis mille paſſibus definiri.

Sunt qui putent ſpatium longius potuiſſe à Iudæis per Sabbathi religionem percurri: in quibus Salmeron hîc,& in illud Matth. c. 24. *Ne ſiat fuga veſtra in Sabbatho*;& id probabilius putat Maldonatus in c. 21. Matth. & ita omnino Vatablus, & Arias Montanus hîc. Qui in apparatu affirmat ita eſſe definitum in libro Miſnaioth.1. *de menſuris*: & Eraſmus hîc. Neque longè hinc abit Suidas,& Oecumenius,qui ſalua religione Sabbathi duo cubitorum millia obiri poſſe dicunt, & Caiet. qui 12.ſtadia,& Lyra, & Dionyſius, qui dimidam leucam; & Abulenſis qui in profectione ac reditu bis mille paſſus licuiſſe decurri exiſtimauit. 23.

Quid hîc amplectar nihil certi habeo,neq; credo aliquid poſſe colligi ex Scriptura, quę de obſeruatione 24. *Probabile eſt eſſe ſupra mille paſſus.*

uatione Sabbathi id pręcipit, vt nullum opus ſeruile in eo fiat: id verò quod ad honeſtam animi recreationem pertinebat potiùs, quàm ad laborē, & opus traditione doctorum, & benigna quadam interpretatione introductum eſt. Non videtur autem laboris eſſe, aut negotij ſeruilis duo paſſuum millia deambulando confici; & in hanc ſententiam propenderet animus, niſi tamen eſſet communiter recepta contraria. Neque ſunt ad eius cōfirmationē graues aliquot coniecturæ; neque leuis eſt illa quam adducunt Origenes, & Suidas, quia caſtra à Tabernaculo, & Arca cubitos aberant bis mille. Ioſue 3. Neque eſt credibile eo tempore Hebræos prohiberi, quominus ad Tabernaculum accederent. At hoc ſpatium ſupra mille paſſus longum eſt. Adde quòd Chriſtus non procul à Bethania aſcendit in cœlum, ſed ex Marco, cap. 14. habebemus, Bethaniam à Ieruſalem abeſſe 15. ſtadiis, id eſt, propè duobus milliaribus.

25. Oratoria extra ciuitatem. Neque vulgaris eſt illa coniectura quæ ſumitur ex Epiphanio hæreſi 80. in principio, vbi à Samaritanis in Sichimis conſtructum eſſe dicit Oratorium diſtans ab vrbe duobus ſignis. *Orationis*, inquit, *locus eſt in Sichimis, quæ nunc appellatur Neapolis, extra vrbem in campeſtri regione, duorum fermè ſignorum diſtantia, conſtructus à Samaritis, qui omnia Iudæorum imitantur.* Dixerat autem priùs Iudæos Oratoria habere extra ciuitatem. Quò autem huius coniecturę vis intelligatur, obſeruandum eſt, Samaritanos pari religione ac Iudæos colere, quæ ſunt in Pentateucho; vbi præcipitur obſeruatio Sabbathi. Vide infrà cap. 8. ad illud; *deſcendit in ciuitatem Samariæ.*

Secundò, vt obſeruauimus ſuprà, Hebræi ſolebant viarum ſpatia certis notis diſtinguere, nempe lapidibus, quæ ſigna appellabant, ſicut Romani, qui ſuos lapides vocabant *σημεῖα*, id eſt, *ſigna*, vt in Graccho Plutarchus, & Herodianus lib 2. & Iulianus ſuprà tradit Salomonem vias Regias, & militares lapidibus per milliaria diſtinxiſſe. Quòd verò ſigna illa de quibus Epiphanius, milliaria diſtinguerent, ſicut Romanorū lapides, ipſe docere videtur Epiphanius qui hæreſi 46. prope finem dicit Gabaon diſtare à Ieruſalē octo ſignis, Ioſephus 50. ſtadiis, Brocardus verò 3. leucis: ex quo conſtat quodlibet ſignum continere fere mille paſſus; & conſequenter Oratorium illud, de quo Epiphanius, duobus paſſuum millibus ab vrbe diſtare.

Tertiò, obſeruandum Oratoria illa quæ ſunt extra ciuitatem, obiri plerumque ſolere diebus Sabbathi. Ita Philo in Vita Moyſis lib. 3. non longè ante finem indicat; & colligitur apertè ex Actis cap. 16. vbi Paulus die Sabbathi egreſſus eſt extra vrbem iuxta flumen, vbi videbatur oratio eſſe; Græcè *προσευχὴ*, *proſeucha*, id eſt, *orationis locus*, vt interpretatur Philio ſuprà, & Ioſephus in Vita ſua. Locū ergo illum, & diem, in quo ſolitus eſſet obiri, opportunum iudicauit Paulus annunciando verbo Dei. Ex his veriſimile mihi videbatur licuiſſe olim Iudæis vltra mille paſſus ſiue animi, ſiue religionis gratiâ percurrere. Neque ratio illa videbatur grauis contra hanc ſententiam, quòd, vt ex Ioſepho cōſtat. 20. Antiquit. cap. 6. mons Oliuarum ab Ieroſolymis quinque diſtat ſtadiis: & 3. de bello c. 6. ſex. neque illorum Iudæorum authoritas, quos ſuprà retulit Hieronymus, qui ex ſuorum magiſtrorum tradi-

tione

tione dicebant iter Sabbathi bis mille pedibus eſſe definiendum: nã ex hoc primũ fit, iter illud ad mille paſſus extendi non poſſe. Deinde contra hanc traditionem adduci poteſt alia non minùs grauis ex Miſnaioth, quæ religioſè iter illud ad duo paſſuum millia producit. Quòd ſi hîc Lucas ageret de ipſo Oliueti principio, quod ab Hieroſolymis abeſt ſtadiis 5. fateter non plus ſpatij confici poſſe Sabbathino progreſſu: verùm propoſitus eſt hîc Apoſtolorũ reditus, qui nõ ab ipſo mõtis initio, ſed à faſtigio, & Aſcenſionis loco ſuſceptus eſt; qui non procul aberat à Bethania, vt Lucas ipſe ſcribit in Euangelio cap. vltimo. Quòd ſi de ipſo montis initio ſermo eſſet; non crederem ex eo loco aliquid in oppoſitum poſſe conuinci: neque enim ſignificare videtur Lucas illam eſſe menſuram itineris quod ſuſcipi poteſt in Sabbatho; ſed ſpatium illud intra menſuram legitimam contineri, non implere illã. Quare in poſteriorem hanc ſententiam magis ferebar, quam ne omnino complectar facit multorũ authoritas, & quia ſic communiter non tantùm à Chriſtianis, ſed etiam à Iudæis noſtræ ætatis exiſtimari video.

26. Vers. 13. *Et cùm introiſſent in cœnaculum aſcenderunt,*] Cœnaculum

Cœnaculi quid. iſtud quidam eſſe putant, illud in quo Chriſtus extremã cœnam peregit, in quam cogitationem *cœnaculi* nomen induxit: ſed de hac re nihil eſt certum; neque nomen *cœnaculi* aliquid lucis affert, vel mométi huic ſententiæ: tum quia nulla domus eſt paulo lautior, vbi cœnaculũ nõ ſit, maximè ſi illud eſt, vt Græca vox indicat, quod eleuatur à terra, putà ſecundum, aut tertium tabulatum: tum etiam quia prius illud cœnaculũ *ἀνώγαιον* dicitur, hoc verò *ὑπερῷον*, id eſt, *ſupremum tabulatum*, quod cœnæ neque deſtinatum eſt, neque accommodatum. Et ſanè omnes pene expoſitores cœnaculum hoc ſuperiorem domus partem intelligunt, & indicat vox *aſcenderunt*. Portò hęc domus erat in qua Apoſtoli commorari ſolebant, quod oſtẽdit, quod ſtatim ſequitur, *vbi manebant Petrus, & Iacobus*: neque enim cùm ingreſſi ſunt domum qui à monte redierãt, inuenerunt ibi Apoſtolos manentes, cùm Apoſtoli etiã interfuiſſent Aſcenſioni. Significatur ergo illud eſſe commnne Apoſtolorum hoſpitium: neque eſt incredibile eandem domum fuiſſe, in qua Paſcha à Domino celebratum eſt, licèt non eodem loco; quod videtur docere Nazianz. Tragœdia de Chriſto patiente. Hieronymus epiſt. 27. ad Euſtochiũ, & epiſt. 1. ad Paulinum, vbi in monte Sion cœnaculum ſtatuit, vbi & peractum Paſcha, & Spiritus ſanctus datus eſt.

Porrò illũ locũ ſublimiorem videntur elegiſſe Diſcipuli, & quia rudiori opere, & non admodùm artificioſè conſtructus; pauperum habitationi plurimũ deſtinabatur, vt docet Iuuenal. Satyr. 3. qui cùm dixiſſet inferiora tabulata ſeruire ditioribus, ſuprema pauperibus aſſignat. 27.

Quem (inquit, ſupple pauperem) *tegula ſola tuetur*
A pluuia; molles vbi reddunt oua columbæ.

Quod etiã cœnaculum vocari docet Saty. 10.

———*raro venit in cœnacula miles.*

Quod etiã docuit Suetonius in Auguſto. vbi tradit ipſum Circenſes ludos ex libertorum cœnaculis ſpectare ſolitum. Et quia aptus erat orationi locus; ideò enim, vt inquit Chryſoſt. electus eſt ab Apoſtolis, vt oratione ſe cõtra tentationes armarẽt;

nam à Iudæis nónullus timor oſtédebatur. Locum verò ſublimem, & à terra editũ opportunum eſſe orationi, ſuo nos exemplo Chriſtus docuit, qui vt oraret, ſolitus erat in montes aſcẽdere: & infrà cap. 10. Petrus orationis gratiâ aſcendit ad ſuperiora domus; & Iudith cap. 8. & 9. in ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretũ cubiculũ, & Oratoriũ. Accedit quòd cùm Spiritum ſanctũ expectarẽt, nõ incommodus illi curę locus ille viſus eſt: paupertas enim humanarúmque rerum contemptus, & oblinio, tenue, & parum inſtructũ domiciliũ, luculentũ inſtruit hoſpitium Spiritui ſáncto, qui pauperum pater eſt, & cóſolator eorum, qui nihil ſibi à ſæculo conſolationis quærunt.

Ex textu Græco liquet poſt, *introiiſſẽt*, addẽdam diſtinctionem, & ſubaudiendum, *ciuitatem*; hoc ſẽſu: Poſtquam ingreſſi ſunt ciuitatem, aſcenderunt in cœnaculum.

Verſ. 14. *Hi omnes erant perſeuerantes vnanimiter in oratione cum mulieri-*

28\. Reg. Quando aliquis Princeps eſt, aut excellens, ſeorſum poſt communem notã nominatur.

bus, & Maria Matre Ieſu.] Mulieres, de quib. hîc Lucas, illę, vt reor, erãt, quas idẽ in ſuo Euãgelio c. 8. dicit de ſuis facultatibus miniſtraſſe Chriſto; neq; enim illæ aſcendẽtis Chriſti cœleſti ſpectaculo priuari debuerũt, quæ eidẽ laboranti tanto ſtudio facultates ſuas largitæ ſunt; neq; exortes eſſe cœleſtis doni, quod corda Diſcipulorũ impleuit. Maria verò Ieſu

Mariæ dignitas.

Mater vltimo loco numeratur, quia illius Eccleſiæ tunc infantis, neque dũ Spiritus ſancti virtute cõfirmatæ tanquã mater oſtẽditur, quæ ſub alis numeroſam illã turbã amplectitur: vel quia illius Eccleſiæ culmen erat, & apex; hæc verò in ædificij faſtigio poſtrema ponuntur, ſeu certè, quod magis veriſimile eſt, quia ex Scripturæ more, cùm aliquid in aliquo genere excellens eſt, licèt in præpoſito numero comprehenſum eſſe videatur, ſeorſum tamẽ ab aliis numerari ſolet; vt in titulo Pſ. 17. *de manu omniũ inimicorum eius, & de manu Saül.* Mar. 16. *Dicite Diſcipulis eius, & Petro*; & 1. Cor. 9. *Nunquid non habemus poteſtatem mulierculam ſororem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas?* Hi priùs in generali vocabulo contenti, quia tamen in eo genere præter cæteros excelluerunt, ſeorſum nominantur. Eodem modo Maria, quæ mulierum gloria, & inter mulieres benedicta erat, ſeparatim ab aliis nominari debuit. Ex quo infertur quã malè Eraſmus ex hoc loquendi modo ſibi perſuaſerit, illud (*mulieres*) exponi poſſe, *vxores*, quia Maria Virgo ſeparatim nominatur, quaſi grauior alia ratio defuiſſet, propter quam ab aliis ſeparari potuerit.

29\. Qui fratres Chriſti.

Et fratribus eius.] Nempe Ieſu, non Mariæ: nã Græcè eſt pronomen maſculinum *αὐτοῦ*. Porrò hîc non agitur de illis fratribus, qui erant è numero Apoſtolorum; nam illi priùs commemorati ſunt, ſcilicet Ioannes, & Iacobus filij Zebedæi, Iudas Zelotes, & Iacobus Alphæi; ſed de aliis, qui cùm fratres Domini dicerentur, non tamen in Apoſtolis numerabãtur, imò neque in Diſcipulis. Id verò perſuaderi videtur poſſe de Apoſtolis primũ, quia fratres Chriſti Ioan. 7. dicuntur in eum non credere; ſed priùs cap. 6. reſponderant Apoſtoli: *Nos credimus, & cognouimus quia tu es Chriſtus Filius Dei.* De diſcipulis, quia fratres Domini ſeorſum à Diſcipulis numerantur Ioan. 2. & 7. Matth. 12. Cur verò hi dicantur fratres, & aliæ etiã dicãtur Chriſti ſorores Mat. 13. & Marci 6. variæ ſunt ſententiæ. Mitto modò impiũ errorẽ illorum, qui filios eſſe putant Mariæ matris Ieſu, contra quos à Patribus luculenter ſatis diſputatum eſt.

Alij viri quidem pij Ioſephi Virginis 30.

ginis ſponſi filios eſſe putant ex alia vxore ſuſceptos: hic verò cùm pater Chriſti vulgò exiſtimaretur,eius filij Chriſti fratres habebantur; ſed hoc falſitatis coarguit manifeſtè Euangelij fides.In quo multorum,qui fratres Domini appellantur, parentes oſtenduntur, vt Zebedæus, & Alphæus. Vide Hieronymũ in cap. 12. Matth. & ex recentioribus Toletũ in cap.7.Ioannis. Baronium in Apparatu ad Annales à n. 61. & Chriſtophorum de Caſtro de B. Virgine cap.1.Dicuntur verò fratres vulgari Hebræorum more, apud quos cognati fratrum ſe, ac ſororũ nomine ſalutant Gen.13.Loth frater dicitur Abrahami, qui tamen filius fratris erat,& Saræ frater:& Geneſ. 29. Laban fratrem ſe dicit Iacob,cuius erat auunculus.Qui verò fuerint iſti fratres,accuratè & optimè docet Chriſtophorus de Caſtro ſuprà,& Franciſcus Suarez 2.to.in 3.p.S.To. diſp. 5.ſect.4.Gabr. Vaſquez 2. to. in 3.p. diſp 222.

31. Surgere oratorum propriũ. Verſ.15.*In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum.*]Non deſignatur certus aliquis dies;ſed oſtenditur ſpatium, quod inter Aſcenſionem, & Pentecoſtem interiectũ eſt.Vnóne die,an pluribus, incertum; vero autem ſimilius eſt vno die peractum eſſe negotium,quia nullus Petro obſtitit,qui Vicarius Chriſti ſine controuerſia cognoſcebatur: & quæ hîc commemorantur,omnia breui tempore expediri potuerũt. Surrexit autem Petrus oratorum more,nó quia inferior eſſet (nam ex hoc quidam impiè aliquid detrahunt Petri prærogatiuæ)ſed alias plurimas ob cauſas.Primùm,quia ſic ferebat oratorum conſuetudo, aut eorum qui in Senatu,aut aliquo conuentu ſentẽtiam eſſent dicturi. Quare Eſdras lib.1.cap.10.qui ſine dubio Princeps erat omnium,verba facturus ad populum ſurrexit;imò & Princeps Sacerdorum Matth. 16.Quod externi quoque quãtacunque eſſent authoritate, faciebant. De Aiace docet Ouidius lib.12.Metam.& apud Homerũ Rex Regum, & paſtor populorum ſtans inducitur oraturus.Niſi dicamus,quod mihi videtur probabiliſſimum,in huiuſmodi locutionibus,*ſurgere*,non ſignificare quod ſonat;ſed tantùm, *incipere*, *conari*, aut quid ſimile;quod duo exempla nuper allata, & eiuſdem generis alia quamplurima ſatis indicant. Secundò,quia fieri potuit vt Petrus vrbanitatis gratiâ,vt erat modeſtiſſimus, quemadmodum apparebit ſtatim, primùm ſurgeret, deinde ſederet, quod fecit Chriſtus Lucæ cap. 4.qui cùm intraret in Synagogam, ſurrexit primùm,deinde ſedit.Cur autem Petrus ſurgeret,peculiaris erat cauſa;quia Virgo aderat,cuius dignitatis ratio etiam à Chriſti Vicario Petro habenda fuit.

Stetit autem Petrus in medio fratrum,vt oſtenderet ſe vices obire illius, qui ſæpiùs ſtetit in medio Diſcipulorum ſuorum. Porrò ex vſu Scripturæ eſſe in medio aliquorum idem eſt,atque inter aliquos.4.Reg. 4.*in medio populi mei ego habito*, id eſt,inter meos.Ioſue 7. *Anathema in medio tui.*Ezechiel. 1.*cùm eſſem in medio captiuorum iuxta fluuium Chobar*; & 1. Reg. 17. *Leo tollebat arietem de medio gregis.*Hæc duo poſtrema exẽpla non medium,ſed extremum potiùs ſignificant,neque enim leo,aut lupus de medio gregis,ſed potiùs de extremis arietem rapiebant; neque qui iuxta fluuium erat,in medio captiuorum eſſe poterat,inter alios tamen vtrique erant. 32. Medium quid ſit.

33. Nomen pro perſona. *Erat autem turba hominum ſimul fere centum viginti.*] Græ-

Digitized by Google

cè ὀνομάτων, id eſt, *nominum*; ſed idem eſt ſenſus: *nomen* enim pro perſona ſumi vſitatũ in Scriptura. Vide quæ à nobis dicta ſunt in illud Cant. 1. *Oleum effuſum nomen tuum*. Sed ſunt duo teſtimonia huic quã ſimillima in Apocalypſi, alterũ c. 3. n. 4. *Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt veſtimenta ſua*. Alterũ c. 11. n. 13. *Et occiſa ſunt in terra motu nomina hominum ſeptem millia*.

Verſ. 16. *Viri fratres oportet impleri*
34. *Scripturam*.] Multa hîc Chryſoſtomus de diuino artificio huius orationis, vt Petrus cùm eius concilij princeps eſſet, ſuóque poſſet abitratu Apoſtolũ eligere; ad fratrum tamen arbitrium, & ſuffragia rẽ detulerit; vt fratres appellet, neque ſe illis prælatum oſtendat: vt Spiritus ſancti authoritatẽ proponat, qui id, de quo tunc eſſet deliberandũ, multo antè per os Dauidicum prædixiſſet. Vbi apparet, & Petri ſingularis modeſtia, & aliorum maxima obſeruãtia, qui & libenter audiunt præcipiẽtem, & præcepta alacriter, & ſine
35. cunctatione perficiunt.

Apoſtolorum numerus duodenarius.

Per os Dauid de Iuda.] Sicut Chriſtus cùm de traditione Iudæ cum Diſcipulis ageret, ex Pſ. 40. adduxit illud; *qui manducauit mecum panem, leuabit contra me calcaneum ſuum*: ſic Petrus cùm de Iudæ ſupplicio, eiuſque in Apoſtolatu ſucceſſore ſermonem inducit, ex eodem Propheta teſtimonium affert. Iã verò Apoſtolis ante aduentum Spiritus ſancti datum erat, vt Scripturas intelligerent. Lucæ c. vltimo. Dicit ergo Petrus implendam eſſe Scripturam de Iuda, quia iã impleri cœperat, vt inquit Beda: iam enim calcaneum leuauerat, iam perierat, iam deſertam reliquerat habitationem ſuam. Vt impleretur omnino; illud erat reliquum, vt alter Epiſcopatum eius reciperet: quod agit hîc Petrus; vult enim duodenarium Apoſtolorum numerum, quem Dominus illuſtrẽ, & ſacratum eo nomine eſſe voluit, perfectum eſſe; vt in reliqua multitudine duodecim eſſent, & nomine, & miniſterio præcipui, quos maiori lumine, & ſui ipſius primitiis diuinus Spiritus ornaret. Cùm enim totus orbis luſtrandus eſſet Apoſtolorum veſtigio iuxta illud Marci vltimo; *Euntes in mundum vniuerſum prædicate*, &c. congruum erat, vt ſicut duodecim ſunt ſigna Zodiaci, quæ mundum ambiunt, cœlúmque diſtinguunt, quæ Sol illuſtrat propior, atque benignior. vt duodecim præcipui venti, quibus totus perflatur, ac propemodũ animatur mundus: ſic etiam duodecim eſſent in hoc Eccleſiæ cœlo ſigna ſplendentia, quæ à Sole illo cœleſti illuſtrata, igneo nimirum Spiritu in ignearum linguarum ſpeciem lapſo, rurſus illuminarent, inflammarentque mundum ſine charitate frigidum, & errorum tenebris obſeſſum: & venti illi duodecim puro illo, atque cœleſti flatu pleni, atque incitati, ſi quid eſſet impuri, ac tetri odoris in mundo, omnino difflarent. Et quemadmodum à duodecim filiis Iacob ampliſſima, ac nobiliſſima familia propagata eſt, quam ſibi in populum, & ſortem Dominus elegit; ſic etiam Eccleſiam ſuam, quam Iſraëlitica ſoboles adumbrarat, iis filiis propagari, atque conſtare voluit, quos iſti duodecim Patriachæ fœcundo, atque felici ſatu ſuſcepiſſent.

Verſ. 17. *Sortitus eſt ſortem miniſterij huius*.] Sors Græcè κλῆρος, quæ *hereditatem*, & *poſſeſſionem* ſignificat. Hoc 36.
autem loco non dicit Petrus ſorte aſcriptum eſſe Iudam in Apoſtolorum numerum, ſicut mox dicitur de Mathia: quia Chriſtus apertè docuit electionis illud opus eſſe, non ſortis. *Ego*, inquit, *vos elegi de mundo*.

Fuit

Digitized by Google

Fuit ergo *ſors* munus Apoſtolicum, & gradus ſublimis, ad quem tanquam ad optimam ſortem,& hæreditatem vocatus eſt Iudas. Cum hac pulchra hæreditate aliã ex aduerſo componit, quam ſibi ipſe iniquitatis mercede poſſedit Iudas. Ac ſi dicat Petrus: parui fecit Iudas quòd nobiſcum præclaram Apoſtolatus poſſeſſionem ſortitus fuerat; vendidit illam,dum magiſtrum vendidit, & pretio illo aliam ſortem, id eſt, agrum emit, vel ſortẽ cum agro permutauit,qui tantæ iniquitatis futurus ſit perpetuum monumentum.

Verſ.18. *Et hic quidẽ poſſedit agrum de mercede iniquitatis.*] Qua ratione Iudas agrum poſſederit,non omnes eodem modo explicant. Quidam putant ibi ſepultum eſſe Iudam, quod, vt bene Lyranus, non videtur veriſimile, quia neque ager emptus ſtatim eſt, neque Iudæ mors diu à proditione dilata. Beda, & alij plures ſic accipiunt, Iudam ideo dici poſſidere, quia fecit, vt poſſiderent alij.Qua verborũ formaHebræis vſitata id dicimur facere,quod vt alij faciant,in cauſa ſumus. Exemplum adducit Beda ex Iob cap.9. ***abominabuntur me veſtimenta mea***,id eſt,abominabilem me oſtendent,aut faciẽt. Sed eſt commodius exemplum illud Rom.8. ***Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus***,id eſt,nos gemendo facit poſtulare, vt exponit Aug.epiſt.121.cap.15.&Greg. lib.2. Mor. cap.12. Mihi verò commodus videtur eſſe ſenſus, ſi, vt ſuprà dixi, hæc ſors cum alia, vnde excidit Iudas, & hic ager cum illo quaſi agro, & poſſeſſione,vnde pulſus eſt,componatur. Nam ſortem amiſit ſanctam, Dei ſingulari beneficio, nullo ſuo merito conceſſam: & eius loco accepit iniquam, à diuino iudicio

38. Quomodo ager à Iuda poſſeſſus.

ſuo merito valdè accommodatam. Eximiam ſanè ſortem prodidit, & monumentum ad omnem æternitatem illuſtre,& nactus eſt, poſſedítq; locum fœtore grauem, cadaueribus fœdum, aſpectu horridum, quíque ipſi futurus eſt impietatis execrandæ in omnem æternitatem teſtis.Ita pene Chryſoſtom.hic,vbi proditionis mercedem, vindictæ præconem appellat. Et ideo ſtatim addidit Petrus, vocatum eſſe agrum illum *Acheldema*, id eſt, agrum ſanguinis, ſcilicet à Iuda venditi: vt quoties *Acheldema* nomen audirent futura ſæcula, toties & incredibilis auaritiæ, & abominandæ perfidiæ ſcelus audirent.

Et ſuſpenſus crepuit medius; & diffuſa ſunt omnia viſcera eius.] Pro,*ſuſpenſus*, Græcè πρηνὴς, id eſt, *preceps*, ſeu *pronus*.Quidam,vt locum hunc cum Matth.27.concilient, vbi Iudas dicitur ſe ſuſpendiſſe laqueo, multa dicũt. Theophylactus tradit Iudam quidem ſuſpendiſſe ſe, non tamen periiſſe ſuſpendio, ſed inclinata arbore euaſiſſe: poſtea verò diſtentũ hydrope cecidiſſe pronum, & crepuiſſe medium. Idem pene Euthymius,qui addidit, cùm inſerto collo penderet à laqueo, à prætereuntibus cognitum, & liberatum eſſe. Plura ex Papia Ioannis diſcipulo tradit Oecumenius, de laqueo primùm,poſtea de tumore planè admirãda,faciem ita intumuiſſe, vt nullo Medicorum inſtrumento tolli ab oculis impedimentũ potuerit,quod illos adeò altè reconditos obruebat, vt cœli lumen intueri non poſſent: & cùm in ſuo prædio poſt dura, fœdáque ſupplicia eſſet extinctus, ſic ad ſuam vſque ætatem aſpirare fœtorem, vt ager ille maneret deſertus; neque quiſquam niſi obturatis naribus illâc pertranſiret. Idẽ tradit

38. Quomodo Iudas ſuſpenſus & eius viſcera diffuſa.

Hiſtoria ſcholaſtica. Sic putant cõciliari poſſe Lucam cũ Matthæo. Sed vnde iſta authores ſuprà dicti petere potuerint, non video. Certè liber ille, cuius author ab Oecumenio Papias eſſe dicitur, non omnibus ſuam fidem ſatis probat. Indicat enim non paucos à ſuſpendio dies ſuperuixiſſe Iudam, quod plurimi, neque obſcuri nominis authores negant, quia Scripturæ verba ſuſpenſum laqueo ſtatim, & crepuiſſe medium indicant. Neque veriſimile eſt Chriſtum, qui Thomam incredulũ tanta humanitate ſuſcepit, quiſque ſe ipſum tangendum, imò intima quoque præcordia rimanda obtulit; qui Petro, à quo cum obteſtatione, atque execratione non ſemel negatus, atque abiuratus fuerat, ſuam Reſurrectionem nominatim nunciari iuſſit, vt pudorem eriperet, ac metum, quo fortaſſe impeditus magiſtri oculos ſubire non auderet, & iacentem animum, & mœrore collapſum erigeret, confirmarétque, omiſſurum hoc ſuæ humanitatis officium eum proditore Iuda, quod cum incredulo Thoma, & abiurante Petro præſtitiſſet. Præſertim cùm eum iam tanti ſceleris pœniteret, & proiectis in templum argenteis, qua poterat ratione, quem antea inierat, contractum ſacrilegum reſcidiſſet. Relinquerétne illum, quem tanto ſtudio, & tot officiis ad meliorem mentem reuocare voluit, de ſua ſalute, de peccati venia deſperantem? Corporis doloribus ægrè, & animi angore multo moleſtiùs excruciatum, mortémque vltrò expeteré non iuberet aut præſens ipſe bono eſſe animo, & à ſua benignitate ſperare omnia; aut certè per Diſcipulos, quibus credibile non eſt ignotam eſſe tam omnibus notam Iudæ, & animi, & corporis tantam ægritudinem?

Adde quòd vbi Matthæus ſuprà 39.
dicit ſuſpenſum eſſe laqueo Iudam, Græcè eſt ἀπήγξατο, quod *ſtrangulare*, aut *ſuffocare* ſignificat. Noſter Interpres, *ſuſpenſum eſſe laqueo* vertit, quia eo ſe modo Iudas ſuffocauit: & ſanè ita plerumque contingit, vt qui compreſſo ſpiritu perire volunt, id laqueo, atque ſuſpendio tentent. Porrò illud ἀπήγξατο, licèt ſit in voce media, paſſiuè exponendum eſt, ita vt non ſolùm ſe ipſum ſuſpenderit Iudas, ſed etiam ſuſpendio interierit: nam vox media Græcorum, ſi poſt ſe nullum habeat caſum, paſſiuæ plerumq; ſignificationis eſt; & quidem 2. Reg. 17. vbi de ſuſpendio Achitophel ſermo eſt, eadem eſt vox ἀπήγξατο, cui reſpondet Hebraica ויחנק quod ſine dubio paſſiuè ſignificat in *Niphal*. Neque præterea vox Græca admittit dubium illum ſenſum, quem habet Latina, *laqueo ſe ſuſpendit*; nam licèt qui ſe ſuſpendit, viuere poſſit poſt laqueum, vt in Iuda putant authores adducti nuper, non tamen qui ſe ſuffocauit, aut ſtrangulauit, quod Græca vox ſonat. Quare ſine dubio credendum eſt, Iudam & ſtatim, & laqueo vitam finiiſſe.

Neque præterea neceſſarium eſt, 40.
vt hæc quæ minùs inter ſe cohærere aliquibus videntur, aptè conſentiãt ad ea, quæ viris doctis commenta exiſtimantur, confugere. Periit apud Matthæum Iudas interclùſo ſpiritu, haud dubiè laqueo: apud Lucam verò πρηνὴς γενόμενος, id eſt, vel *præceps*, vel *deiecto capite, & in terram prono*, vt etiam vertit Auguſtinus lib. 1. contra Felicem Manichæum cap. 4. Voluit autem, meo iudicio, Petrus apud Lucam oſtendere, non tam mortis genus, quàm cauſam, & effectum ipſius. Cauſam verò

Conciliatur Lucas cum Matthæo.

verò optimè declarat vox *πρηνὴς γενόμενος*, ſiue hæc *præcipitem* ſignificet, ſiue *in terram pronum, & demiſſum*; nam præceps Iudas quaſi exagitatus furiis conſilium plenum feſtinationis, à deſperatione ſuſcepit potiùs, & à furore, quàm à ratione. Qui autem rem magnam aggrediuntur feſtinatò, ac temerè, præcipites agi dicuntur: & talis profectò Iudas fuit. Nam ſi tantiſper reſpiraſſet, rémque cum aliis, ac ſecum conſideraſſet attentiùs, nunquam fortaſſe de laqueo cogitaſſet. Dicitur etiam præceps, qui omnium rerum aleam, atque diſpendium ſciens, volénſque ſubit; & qui deſperatione, ac furore, quaſi nulla ſit reliqua ſpes ſalutis, cæcus, & amens in exitium tendit. Hæc autem paſſum eſſe Iudam quis non videt?

Si *πρηνὴς γενόμενος*, *pronum, & deiectum* interpretère, effectus eſt, & ſignum non obſcurum deſperationis, ac profundi mœroris, vultus demiſſio. Nam qui deiecto ſunt animo, illi etiam plerumque deiecto ſunt in terram vultu, cuius rei exẽplo nobis eſſe poteſt Cain, cui præ mœrore concidit facies. Quare qui triſtes ſunt, à Græcis *κατηφεῖς* appellantur, id eſt, *qui deiecto ſunt vultu*. Sumitur itaque vultus demiſſio, ac pronitas pro mœrore, atque deſperatione.

41. Oſtendit ergo Petrus Iudam eò adductum eſſe, dum mœrori, atque pudori ſuccumbit, *vt* ſponte illud mortis genus oppetierit, ex quo diffuſa ſunt omnia viſcera eius, ſuſpendiũ innuens, licèt nõ exprimat. Optimè verò noſter Interpres reddidit *ſuſpenſum*, quia non tam ſignificationem vocis, quàm rem ipſam ſignificatam exprimere voluit; quod vſitatum valdè eſt tum apud profanos, tum etiam apud ſacros ſcriptores, quibus familiare eſt effectus per cauſas ſignificare: vt dum dicunt aliquem extinctum auaritia, quia pecuniarum cupiditate in mare ſe dedit, vbi naufragio periit: aut ambitione, & gloria, quia propter illam ſe in periculum temerarius coniecit, vnde emergere non potuit. De ſacris ſcriptoribus docuit Hieronymus ſæpe, maximè in fine libri 1. epiſt. ad Galat. & lib. de optimo genere interpretandi, vbi docet ab Apoſtolis, & Euangeliſtis ſeruato ſenſu figuras orationis interdum mutari.

Hæc ſatis videntur ad explicandum Græcæ dictionis vſum. Quibus addo ideo videri poſſe ſuſpenſum è laqueo vocatum eſſe *πρηνὴς*, quia eorum, qui laqueo collum inſeruerunt, caput ſolet in terram deiici: vel certè quia ita ſuffocatus eſt Iudas, vt pedibus in arboris ramis, aut offirmatis, aut impeditis capite in terram prono pependerit, quod ſuſpendij genus in arboribus humilibus facile, & pene neceſſarium eſt. Niſi dicas ideo Iudã dictũ eſſe præcipitem, quia cùm priùs nodo collũ implicuiſſet, ſtatim deiecit ſe; qui modus vſitatus eſt eorum, qui ex loco ſublimi ſuſpenſi pereunt.

Crepuit medius.] Vt ſuprà Petrus mortis cauſam oſtendit, ſuppreſſo mortis genere, quod expreſſit Matthæus, ſic nunc id quod mortem aut comitatum, aut cõſecutum eſt, addit, quod fuerat omiſſum à Matthęo. At neceſſarium non eſt, vt illam corporis inflationem fingamus, ad quam nonnulli confugiunt, cùm hoc non naturali aliqua cauſa, ſed diuino iudicio contigiſſe exiſtimandum ſit; vt ei, qui indignè Euchariſtia ſuſcepta ſtatim ad tantum facinus 42. Quomodo Iudas medicus crepuerit.

Digitized by Google

facinus aduolaſſet, occulta vi numinis lateribus fœdè, ac miſerabiliter diſruptis viſcera diffluerent. Seu certè, quod noſtro Maldonato videtur veriſimile, dum penderet è laqueo ſic intumuit, vt non quidem ſtatim, ſed aliquanto pòſt tempore medius crepuerit; nam qui eo modo pendēt, vehementiùs inflari ſolent. Probarem quidem hoc poſterius, niſi viderem cautum eſſe Deut. 21. vt qui ſuſpenſus eſſet è ligno, eodem deponeretur die: neque ſatis ſe ab hoc tuebitur incommodo; qui dixerit caueri tantùm ea lege ne corpus eius, qui damnatus eſſet, pernoctaret in patibulo; non verò illius qui voluntarium opetiiſſet interitum.

Iudæi nō permittebant ſuſpenſum in cruce pernoctare.

Nam Ioſephus libr. 3. de bello cap. 14. cùm dixiſſet illis, qui ſibi manus attuliſſent, negari apud omnes honorem ſepulturæ; quod dixit etiam Quintilianus de clem. 4. tamē apud Hebræos aliam eſſe conſuetudinem dicit. *Si qui* (inquit) *ſe occiderint apud nos, vſque ad Solis Occaſum inſepultos abiici decretum eſt: cùm etiam hoſtes ſepeliri fas eſſe ducamus.* Quod fecit Ioſue cap. 8. cum Rege Hai, & cap. 10. cum quinque Regibus, quos cùm egiſſet in patibulum, ad veſperam depoſuit. Nihilominus videtur non improbabile ſi dicamus inſepultum manſiſſe aliquandiu Iudam, & putridis longiori mora, atque ſolutis ilibus inteſtina fuiſſe diſperſa. Nam, vt tradit Hieronymus de locis Hebraicis in Acta in voce *Acheldema,* non omnes mortui in eo agro teguntur, ſed quidam ſub dio inhumati putreſcunt. Sed quia Hieronymi ętate à gentibus, in quibus minùs erat humanitatis, regio illa habitabatur, non à Iudæis, ab illis potiùs, quàm ab his inhumata relinqui cadauera, probabilius eſt. Quare verius puto eodem die depoſitum eſſe Iudam; quod, etſi lex non cogeret. Principum tamē Synagogæ factum eſſe plurimùm intererat: nam ſuſpenſus Iudas prætereuntibus clarè Chriſti innocentiam, & ſanctitatem prædicaret. Quare ab illis curatum veriſimile eſt, vt illud ſuæ impietatis, & Chriſti ſanctitatis monumentum ab hominum oculis remoueretur.

Sed ſi cauſam naturalem viſcerum effuſionis quæramus, ea ſatis idonea videtur, ſi dicamus vbi ruptus eſt laqueus, graui è ſuperiori loco lapſu diſruptum eſſe corpus, & diffluxiſſe viſcera: imò conatus ipſe ad illud mortis genus, maximè ſi ex humili loco laqueus dependeat, ſatis grauis exiſtimatur ad ilia rumpenda; vt vir magnæ fidei mihi narrauit; qui & ipſe norat, cui illud idem in eodem conatu contigiſſet. 43.

Verſ. 19. *Ita vt appellaretur ager ille lingua eorum Acheldema, id eſt, ager ſanguinis.*] Quia ager ille iniqua mercede coëmptus eſt, nomē etiam retinuit, quo in poſterum conſtaret & Iudæorum ſcelus, & Iudæ perfidia. Sanguis enim Chriſti, qui nomē prædio dedit; clamat quotidie meliùs quàm Abel. Explicatio verò nominis à Luca interpoſita eſt, qui Græcè ſcripſit, & opus Græco lectori Theophilo dicauit, cui ignota erat Hebraicæ vocis ſignificatio; non addita à Petro, quia cum iis agebat, qui vim nominis ignorare non poterāt. Neque id nouum: nam ſæpe peregrinorum nominum vis à ſacris ſcriptoribus adhiberi ſolet, imò ab Interpretibus. Quando verò nominis explicatio ab authore fit, vel ab Interprete, docuimus pluribus in cap. 7. Zachariæ in principio. 44.

Hæc quæ de Iudæ interitu dicta ſunt, 45.

ſunt, interpoſita quidam putant à Luca, non à Petro dicta: quia non exiſtimant eo tempore commemorari oportuiſſe, cùm res illa, & quia recens, & quia ad Dominum pertineret, non potuerit non eſſe notiſſima; præſertim cum ibi etiam dicatur, *vt appellaretur ager ille lingua eorum Acheldema*. Si Petri eſſet oratio, cùm Hebræus eſſet, & ad Hebræos ageret; non diceret *eorum*, quaſi de aliena lingua loqueretur. Probabile hoc videtur Salmeroni, qui tamen ad oppoſitum non eſt difficilis; mihi probabilius videtur hæc à Petro propoſita; non à Luca interpoſita, & concluſa parentheſi: nam filum orationis non apparet hîc ita eſſe diſciſſum, vt parētheſi videatur eſſe claudendum, imò videtur durū, ſi à narratione Petri hæc tanquam aliena ſuccidas. Neque quòd res eſſet nota, eius commemoratio otioſa exiſtimari debet: nam bonus paſtor, & concionator egregius nō ſolùm docere voluit, quid geſtum eſſet, ſed etiā oſtendere perfidiæ grauitatem; & quàm miſerè qui à fide, officióq; recedunt, pœnas exoluant. Deinde ager ille non Apoſtolorum lingua, qui Galilæi erant; ſed *illorum*, id eſt, eorum qui habitabāt Ieruſalem, dictus eſt Acheldema. Vſu.n. venire ſolet, vt in eadem lingua proprietates ſint aliquot, ſiue in terminatione vocum, ſiue in literarum mutatione, vt in eadem gente hæ prouinciæ ab illis facilè diſtinguantur: maximè vbi aliqua lingua diuerſarum gentium admixtione corrumpitur, vt in Græcorum dialectis conſtat: & lingua Latina in diuerſis regionibus aliter, atque aliter corrupta eſt. Neque Hiſpanica lingua inter Hiſpanos vbique eadem. De Hebræorum lingua idem Hieronymus ſuper Matth. c. 26. *Vnaquæque*, inquit, *prouincia, & regio habet proprietates ſuas*. Quare Petrus loquela Galilæus eſſe cognoſcitur ab ancilla oſtiaria: & Ephratæi ab Hebræis aliis pronunciatione vnius voculæ internoſcuntur. Vox autem *Acheldema*, vt inquit Hieronymus de nominib. Hebraicis in Acta, Syriaca eſt: nam Syrorum lingua tunc Hieroſolymitanis familiaris erat. Petrus ergo qui Galilæus erat, & procul ab Hieroſolymis vixerat, tanquam de aliena lingua locutus eſt.

Variæ Hebraicæ linguæ dialecti inter Hebræos.

46. Ager iſte à Matthæo dicitur *ager figuli*, vnde illi hoc nomen, non omnes eodem modo explicant. Res ſanè obſcura, in qua illuſtranda ſi paulo diutiùs immoratus fuero, nō videbor, credo, otioſam, aut inutilē operam ſumpſiſſe. Maldonatus in Matthæum putat figuli agrum eſſe omnino quod ſonat; quia inde à figuli pro fingendis vaſis terra effoderetur; vnde lacunoſum eſſe oportebat: vel quia eò teſtarum fragmenta proiicerentur. Adde ego quòd argilla & creta figularis non admodùm agricolarum vſibus idonea eſt, vt docet Virg. 2. Georg & Columella libr. 3. cap. 11. Docet autem Plato 12. de legibus, cuius ſententiam ad verbum expreſſit Cicero 2. de legibus, mortuos ſepeliendos eſſe ſterili ſolo, ne mortui viuis minuant vtilitatem. Cùm ergo ager ille rebus aliis eſſet inutilis, humandis corporibus viſus eſt accommodatus, & qui paruo pretio cōparari poſſit. Sententia quidem non improbabilis; dicam tamen meam quoque coniecturam, & quid de nominis notatione mihi magis videatur veriſimile.

Cur dictus ager figuli.

47. Dum hæc ego iam olim auidè ſcrutarer, cogitare cœpi aptiſſimè ſepulturam, maximè communem, quam cœmeterium, vel polyandrū

Ager figuli ſepulchri deſcriptio.

dicimus, hieroglyphicè vocari agrũ figuli, quia in eo communis ſepulchri imago videbatur expreſſa; nam in agro, aut area figulari apparent inutiles teſtæ, fragmenta comminuta, quæ priùs ex eodem luto ſumpta in alias, atque alias formas fingebantur, alia in honorem, alia in contumeliam. Quædam verò illorum iam informata, in igne corrupta ſunt: alia verò in ipſo artificis conatu, rotæque conuerſione diſiecta; omnia tamen iam prorſus, & deformia, & inutilia, in quibus aut nullum, aut certè pertenue veſtigium appareat antiquæ formæ, & ſi quid eſt antiquæ formæ reliquum, neque pretium auget, neque authoritatem conciliat. Sic in polyandriis, quæ conſtrata ſunt, ac plena mortuorum oſſibus, non facilè diſtinguas quæ Regum oſſa, quæ tenuium, quæ ſapientium, quæ ſtultorum ſunt. Illud tamen videas, omnia eſſe fœda, omnia vilia, omnia ſine honore, omnia ſine vſu. Accedit quòd Ierem. cap. 18. iubetur deſcendere ad domum figuli, vt Deum loquentem audiat; *Et ecce*, inquit, *ipſe faciebat opus ſuper rotam, & diſſipatum eſt vas quod ipſe faciebat è luto manibus ſuis*; quod de morte intelligit Hilarius Pſalm. 2. Ad philoſophandum autem, & audiendam Dei vocem opportunus eſt locus inter mortuorum ſepulchra: quare Democritus ex omnibus locis mortuorum monumenta, ac cineres ad philoſophandum eligebat. Hæc mihi tunc apta videbatur nominis notatio: ſed nunc ſuccurrunt aliæ, quę magis fortaſſe ad literam; ex his quam voles, elige.

48. Non video apud antiquos locum aliquem publicè deſtinatum eſſe ſepulturis; licèt in agris tam Hebræi, quàm alij communiter humarentur; ſed ſuis quique ſepulchris. Apud Athenienſes inuenio locum extra vrbem illuſtrium virorum tumulis, ac ſignis nobilitatum: ibi, vt tradit Suidas in voce Κεραμικὸν, qui in bello cecidiſſent, publico sũptu ſepeliebãtur. Quòd ſi cui in Ceramico ſepulturę locus cõcedebatur, ſingulare putabatur beneficium, quale populi decreto conſecuti ſunt Zeno, vt refert Diogenes in eius Vita, & Lycophron, vt Plutarchus in decem Rhetoribus; & alij multi. Certè Cicero 2. de legibus in Ceramico ſepulchrorum amplitudines commemorat. *Ceramicum* agrum, aut officinam, aut locum figuli ſignificat, dictum, vt tradit Plin. lib. 35. c. 12. quia qui ſigna ex argilla cruda fingebat, ibi ſuam habuit officinam figularem. Neque minùs notum erat commune illud, ac publicum ſepulchrum; vtpote quod in vrbe nobiliſſima, & illuſtrium virorum monumentum; quàm ſingulare aliud quod à Mauſolo Rege Cariæ Mauſolæum vocatum eſt. Vt ergo *Mauſolæum* pro quocumque ſingulari ſepulchro ponitur, ſic puto *Ceramicum* pro communi ſumi, maximè ſi in agro ſit, quia Ceramicus, vt tradit Suidas ſuprà, extra ciuitatem erat. Cùm ergo ager figuli explicatio ſit nominis Ceramici; cùm ager figuli pro peregrinis ſepeliendis emptus fuiſſe dicitur, Ceramicum profectò, id eſt, cœmeterium emptum fuiſſe fateamur in promptu eſt. Neque nouum eſt in Scriptura notationẽ, aut ſignificationem nominis pro nomine ipſo vſurpari, vt nos pluribus oſtendimus in illud Cant. 6. *ſuauis & decora*.

Ager figuli nomẽ ſepulchri communis, ſicut apud Græcos Ceramicum.

49. Accipe explicationem tertiam, quæ eo fortaſſe nomine diſplicebit minùs; quia non à Græcis, id eſt, alienis

Ager figuli Gehenna vel Topheth.

nis gentibus, ſed propiùs ab Hebręis petita eſt. Porta erat Hieroſolymis, quæ dicebatur fictilis. Ierem. cap. 19. iuxta Topheth ſiue Gehennam ſiue vallem Hennon. Ex his rectè diſcuſſis conſtabit, quomodo commune ſepulchrum dici potuerit apud Hebræos, vel Ceramicum, vel ager figuli. Et primùm, vt rectè Lyra in cap. 19. Ieremiæ, & cum eo alij ferme Interpretes ex ſententia Hebræorum, illa porta non ideo dicitur fictilis, quia ex laterculo constructa, aut figlino opere, ſed quia ibi eſſent figulorum officinæ; ſiue Ceramæa, vel quia eò coniiciebantur inutilium vaſorum minuta fragmenta, vt ex Rabbi Salomone docet Lyra. Porrò Gehinnon, ſeu Topheth eſt prope portam illam ſiue fictilem, ſiue figulorum, vt liquet ex Ieremia ſuprà; *Egredere,* inquit, *ad vallem filij Ennon, quæ eſt iuxta introitum portæ fictilis.* Quòd verò *Gehenna*, ſiue *Topheth* pro communi ſepulchro ſumi debeat, dicit apertè Theodoretus, dum tradit Ieremiam egreſſum eſſe in ſepulchrum; & oſtendunt apertè LXX. qui pro *valle Ennon* transferunt *polyandrium*; neque id ſine conſilio: nam ſtatim locus ille futurus eſſe dicitur multorum ſepultura. *Non vocabitur,* inquit, *locus iſte amplius Topheth, & vallis filij Ennon, ſed vallis occiſionis*; pro quo LXX. *polyandriũ.* Eodẽ modo Hieronymus in cap. 10. Matth. & paulopòſt clariùs. *In Topheth ſepeliuntur, eo quòd non ſit alius locus ad ſepeliendum.* Accedit quòd à Chaldæo vocatur porta illa ſterquilinij, vel ſtercoraria; quia per illam quæ terri ſunt odoris, & aſpectu fœda efferebantur, qualia ſunt mortuorum cadauera, præſertim pauperum; ſicut in aliis etiam ciuitatibus portæ ſunt infauſtæ, & execrandæ, cadaueribus efferendis deſtinatæ. Vide infrà cap. 12. ad illud, *ad portam ferream.* Quia ergo porta fictilis, vbi figulorum officinæ frequentes, proxima erat Gehennæ, ſiue polyandrio, in quod ipſi, & rudera, & ſuæ artis interrimenta comportabant, ſepulchra communia, ſeu cœmeteria *ager figuli* vulgò dicebantur. Et quidem locum illum eſſe pauperum ſepulturam communem, & ignobilis vulgi, planè docemur 4. Reg. cap. 23. vbi ſic de Ioſia Rege. *Et efferri fecit lucum de domo Domini, foras Ieruſalem in conuallem Cedron, & combuſſit eum ibi, & redegit in puluerem, & proiecit ſuper ſepulchra vulgi.* In quem locum proiectus eſſe traditur Vrias Propheta à Rege Ioacim Ierem. c. 26. Et ſicut neque incommodè, neque ineptè qui ad Barathrum Athenis duceretur, dici poſſet duci ad Charoniam portam, quia per illam ex more ad ſupplicij locum tranſcundum erat; ſic qui ad Gehennam, id eſt, ignobilium ſepulturam efferendus eſſet, aptè diceretur ad figulos efferri, quia per illas officinas futura erat illa tranſmiſſio. Vocatur autem locus ille ager figuli, ea figura qua 4. Regum cap. 18. locus vbi piſcinæ erant in quo fullones mundandis veſtibus dabant operam; *ager fullonis* dicitur.

Ierem. 19.

Porrò locus ille, i. Gehenna, pro damnatorũ carcere, & carnificina ſumitur; ſicut à Græcis Barathrum, & Auernus, tum propter acerbitatem, & fletum, quia ibi per ignem traducebantur infantes, cremabantúrque in honorem Moloch. 4. Reg. 23. & ideo vocatur *Gehenna ignis*: deinde quia locus ille ſtercorum, cadauerúmque graui anhelitu, ipſóque rerum fœdiſſimarum

Sepulchra vulgi.

aſpectu horribilis, ſi quiſquam alius optimè inferni ſqualorem, & cruciatum referebat. Atque huc ſpectaſſe Chriſtum exiſtimo, qui Marci 9. cùm agit de gehenna, ter dicit; *vbi vermis non moritur, & ignis non extinguitur.* Vbi reſpicere videtur ad ignem quo pueri conſecrabantur Moloch, & ad ſepulchra, atque cadauera, quæ ſcatere ſolent vermibus. Ac ſi dicat: gehenna illa, cui in æternum ſupplicium addicti ſunt improbi, non habebit aut ignem, aut vermes, qui citò deficiant, ſicut illa, quæ in Hieroſolymis à vobis appellatur Gehenna, ſed qui in æternum durent, & in ęternum crucient. Vide explicationem aliam, quam adduximus in Commentariis ſuper Zachar. cap. 11. ad illud; *Appenderunt mercedem meam triginta argenteis.* vbi oſtendimus quomodo rectè Matthæus cap. 26. dum agit de hoc agro, optimè citauerit Ieremiam, cùm tamen illa verba Zachariæ videantur.

Marc 9.

Verſ. 20. *Fiat commoratio eorum*
50. *deſerta; & Epiſcopatū, &c.*] Hęc ſumpta non ſunt ex eodem Pſalmo, ſed ex diuerſis. Illud de habitatione ex Pſal. 68. de Epiſcopatu verò, Pſ. 108. quia, vt inquit Beda, cùm vellet Petrus, & Iudæ abiectionē, & electionem Matthiæ teſtimoniis aſtruere propheticis, cōiunxit teſtimonium, quod de Epiſcopatu Mathię ſpecialiter; & quod de Iudæorū, in quorū numero Iudas erat, abiectione generaliter poſitū erat: nam duo illi Pſalmi ſcripti ſunt contra eos, qui in Chriſti mortem coniurarunt, aut in eam aliquid conſilij, aut operæ contulerunt; ſed Pſal. 108. ita de omnibus loquitur, vt videatur ſpectare vnum Iudam, quia à plurali numero ſæpe ad ſingularem erumpit. Quod autem de habitatione deſerta hîc dicitur, de toto Iudæorum populo intelligitur à Paulo Rom. 11. quorum domus deſerta fuit, quia ab alienis habitata.

Quomodo fuerit deſerta Iudæ commoratio, obſcurum eſt. Quidam poſſeſſionem illam arbitrantur, quæ empta eſt mercede iniquitatis, id eſt, Acheldema; ita Chryſoſtomus. Quæ ideo deſerta videri potuit, quia omnes grauis è cadauere ſanioſo, ac putri fœtor abigebat; vt nonnulli voluerunt. Sed quia eò ſpectat hæc narratio, vt in proditoris locum ſufficiatur alius, commoratio pro gradu Apoſtolatus ſine dubio eſt intelligēda. Deſerta verò dicitur, quia nullus eam occupauit, quem Iudas in Chriſto genuiſſet; quemadmodum, vt exponunt aliqui Thren. 1. ſola dicitur Ieruſalem, quia à legitimis habitatoribus vacua, licèt plena populo, id eſt, habitata à populo Gentili, & Barbaro. Et vacua dicitur, & caduca poſſeſſio, quando nullus eſt, qui iure quaſi hæreditario illam legitimè adeat. Sic etiam Epiſcopatus Iudæ vacuus fuit à poſſeſſore, & ideò alter in eius poſſeſſionem vocatus quaſi alienus, quia Iudæ non fuit in Chriſto filius. Non ſic autem in aliis Apoſtolis; pro quibus Eccleſiæ nati ſunt filij; atque adeò illorum habitatio neque deſerta eſt, neque vnquam, vt deſeratur, continget. Ita enim Apoſtoli mortui ſunt, vt in filiis Euangelico partu ſuſceptis perpetuò viuant, iuxta illud Eccleſiaſt. 30. *Mortuus eſt pater, & quaſi non eſt mortuus; ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe.* Hîc obſerua vſitatum eſſe ab Apoſtolis, & Euangeliſtis, atque à Chriſto Domino è duobus Scripturæ locis vnum teſtimonium conflare; vt pluribus docuimus in illud Zachar. 9. *Exulta*

51. Quomodo commoratio Iudæ deſerta.

Exulta ſatis filia Sion: Exempla multa habes apud Salmeronem Proleg. 9. can. 27.

Obſerua ſecundò ex Ruperto, pro triginta argenteis, quos ex vendito Chriſti ſanguine retulit Iudas, totidem execrationes in illum intorqueri in Pſal. 118. quare ex venditione ſacrilega non tam rediit ornatus pecunia, quàm oneratus maledictis. Qua verò ratione omnes illæ execrationes in Iudam conueniant, non eſt facile explicare; neque exiſtimo omnes ad Iudam pertinere. Quare hunc laborem meritò videor poſſe declinare.

Verſ. 21. *Oportet ergo ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati,* &c.]
52. Electionem Petrus multitudini permittit, etiamſi à Chriſto haberet liberam eligẽdi facultatem, tum propter modeſtiam, tum etiam ne apud populum vllam ſibi conflaret inuidiam; atque etiam vt illius munera libentiùs exciperent alij, cui ſuis ſuffragiis illam dignitatem, & munus detuliſſent. Præfinit tamẽ, quod in eo ſpectandum ſit, qui Apoſtolici nominis menſuram implere debeat, nempe vt teſtis ſit eorum, quæ de Chriſto prædicanda ſunt, iuxta illud, de quo ſuprà; *& eritis mihi teſtes in Ieruſalem*, &c. & Ioan. 15. *Vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.* Quare id exigit in Iudæ ſucceſſore, vt interfuerit omnibus à Chriſto geſtis à Baptiſmo Ioannis vſque ad Aſcenſionem, id eſt, ab eo tempore, quo poſt 30. annorum ſilentium prodiit in conſpectũ hominum apertè, & palàm de Regno cœlorum locutus eſt. Præcipuè verò Reſurrectionis teſtem eſſe vult, quia de illa, & diſputandum ſæpiùs, & laborandum erat operoſiùs, & quia Reſurrectionis fides facilè myſteriis aliis fidem faceret, quæ de Chriſto homines credere iubentur.

In omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos.] Frequens eſt in Scriptura *ingreſſus*, atque *egreſſus* nomine explicari negotia omnia, atque opera, in quibus aliquis verſatur. Exẽpla ſunt obuia. Num. 27. de Ioſue; *Ad verbum eius ingredietur, & egredietur*, id eſt, nihil faciet niſi ex eius imperio. Deut. 31. Moyſes de ſe ipſo ait. *Centum viginti annorum ſum, non poſſum vltrà egredi, & ingredi*, id eſt, non ſum aptus rebus gerendis. 2. Par. 1. *Benedictus eris ingrediens, & egrediens.* Hiſpanè, *en todo lo que puſieres mano*: & eodem ſenſu Pſal. 120. *Dominus cuſtodiat introitum tuũ, & exitum tuum.* Senſus ergo horum verborum eſt, quærendum eſſe aliquem, qui teſtis eſſe poſſit eorum, quæ Chriſtus geſſit à Baptiſmate, &c. Toletus in illud Ioan. 10. *egredietur, & ingredietur*, in hunc ſenſum accepit præſentem locum: *in omni tempore, quo nobiſcum eſt familiariter conuerſatus.* Quo etiam ſenſu videtur exponendum illud 1. Reg. 18. de Dauid, *qui ingrediebatur, & egrediebatur in conſpectu populi*, id eſt, familiariter, & liberè conuerſabatur. Sed prior ſenſus magis eſt ad inſtitutũ; poſterior in aliis ſatis accommodatus; & eſt Hiſpanis familiaris: *entra y ſale libremente como en ſu caſa, y el maeſtro entra y ſale, replica y deia el argumento quando ſele antoia.*

53. *Intrare, & exire quid*

Verſ. 23. *Statuerunt autem duos.*] Hîc impius Beza periculoſi erroris arguit Auguſtinum, qui lib. 1. contra Felicem Manichæum cap. 4. *ſtatuit*, poſuit, pro *ſtatuerunt*. *Nihil enim* (inquit) *hic priuatim à Petro geritur quaſi excellentiori dignitate prædito, ſed publicè, & totius Collegij ſuffragiis.* Sed

54. *Beza malè Auguſtinum arguit.*

poſſet impius ex hoc loco;quod maioris ingenij,atque doctrinæ faciunt viri pij,colligere Petri ſupra reliquā multitudinem excellentiam, cuius imperio coacta concio, edictū quid facto opus eſſet,propoſita eligendorum conditio. Hæc omnia ſolus Petrus agit, reliqua ſuffragiis permittit; modeſtè ſanè, & humaniter; vt tanti magiſtri diſcipulum, & Vicarium decebat; cùm tamen illi integrum eſſet de ſumma rerum liberè ſtatuere, cuius modeſtiam etiam nunc imitati Pontifices, cùm ſuo arbitratu poſſent, nolunt. tamen interdum alios ad Epiſcopatum vocare, niſi adhibito Cardinalium conſilio. Quod docuit Nicolaus dum agit de poteſtate Pontificis, reſpondens Carolo Galliarum Regi: *Quod ſua*, inquit, *authoritate perficere valet, multorum Sacerdotum decernit definire conſenſu*. Sed, vt Auguſtinum ab ignorantia, vel incuria contra Bezæ calumniam vendicemus, obſerua, opus illud non tam ſcriptum fuiſſe ab Auguſtino, quàm exceptum à notariis, qui diſputationem, quam tunc habebat cum Felice Manichæo, ſcriptis de more mandabant. Quare fieri potuit, vt notarius vnum numerum pro alio in ſcripta retulerit: neq; id mirum cùm res feſtinatò ageretur, vt fert diſputantium conſuetudo, & volanti calamo. Tunc verò non ſolùm vna, aut altera litera attentum etiam, ac fidelem ſcribam, ſed integræ quoque dictiones ſolent effugere. Sed ſi faciamus hæc eſſe ab Auguſtino recognita, quod videtur certum; cùm *ſtatuit*, dixit, obſcuriùs ille quidem, & magis ambiguè, ſed dixit eodem ſenſu: nam ille ſtatuiſſe dicitur duos, qui vt ab aliis ſtatuerentur fecit; ſicut Rex dicitur arcem ædificaſſe, & Epiſcopos creaſſe Pontifex; quia vt hæc fierent, & imperio indixerunt, & perfecerunt poteſtate.

Ioſeph, qui vocabatur Barſabas, qui 55.
cognominatus eſt Iuſtus, & Matthias.] Bis credo rem eſſe commiſſam ſortibus, vel ſuffragiis, priùs cùm ex illa multitudine ſegregati ſunt duo; iterum cùm è duobus alter electus eſt. Quis verò fuerit hic Ioſephus, non conſtat. Lyra putat eſſe illum, qui apud Mat. 27. & Mar. 6. dicitur frater Domini. Origenes videtur negare, dum dicit illius Ioſephi nullam alibi fieri mentionem. Et hoc poſterius videtur veriſimilius; quia qui frater dicitur Domini, in Græcis codicibus Ioſſe dicitur, non Ioſeph; tum quia hic Ioſephus à principio ſecutus eſt Chriſtum, quia id imprimis deſiderauit Petrus in ſucceſſore Iudæ. At quidam fratres Domini non credebant in eum. Ioan. cap. 17. & ex horum numero creditur eſſe Ioſſe.

Hîc notandū, eſſe vſitatū in Scri- 56.
ptura, vt aliquis duo habeat nomina eiuſdem ſignificationis, in diuerſis tamen linguis, quorum altero ab vna natione: altero ab aliis vocaretur; qui Petrus à Græcis, idē ab Hebræis vocatur Cephas. i. *lapis*. Simō ab illis Zelotes, ab his Chananæus i. *zelator*, qui ab Hebræis Thomas, idem à Græcis Didymus. i. *gemellus*, Iudas qui à Chaldæis Thaddæus, ab Hebræis Lebbæus, quod ſonat *cor*: & quæ à Græcis Dorcas, eadē ab Hebræis Tabitha. i. *capra*; eadē omnes ſignificatione compellabantur. Sic Ioſephus iſte qui ab Hebræis Barſabas, id eſt, *iuramenti filius*, vel *quietis*, id eſt, fidelis, & pacificus, idem à Romanis, quorum tunc in vrbe magna multitudo, Latino vocabulo dicebatur *Iuſtus*. Vnde appellatione publica bonū ſecū afferebat teſtimonium

Reg. Duo nomina diuerſarum linguarū vni data.

Digitized by Google

nium etiã ab iis, qui foris ſunt, quod cõmendat Paulus 1. Timot. 3. Probatiſſimæ verò vitæ oportet fuiſſe illũ, qui ad tantũ munus à tanto, támque probato cõuentu ſit aſſumptus; quíque nõ à domeſticis ſolùm, ſed etiã ab externis publicè ſuæ virtutis, atq; innocentiæ teſtimonium haberet.

57. Notandum, hîc nomina propria, aut etiã ea, quæ propriorum vſum, & locũ habent, etiamſi appellatiua ſint, ſiue quæ peregrino nomine magis nota ſunt; à ſacris ſcriptoribus ea forma interdum vſurpari, quam habuerunt in ea lingua, atque idiomate, vnde ſũpta ſunt. Quare in hiſtoria ſacra, quæ Græcè ſcripta eſt, inuenies Latina forma, & ſono, *cuſtodiam, flagellum, ſudarium, cenſum, prætoriũ, coloniam, légionem*, & alia plura. Vide Salmeronem Proleg. 13. Sic etiam hic Latino vocabulo *Iuſtus* dicitur, quia eo etiam nomine Hieroſolymis notus. Quod nomen habuerunt in Græco etiam codice, Titus infrà cap. 18. & quidam Ieſus ad Coloſſ. cap. 4.

Nomina multa Latina in textu Græco.

Verſ. 25. *Vt abiret in locum ſuum.*]

58. Locus hic ambiguus eſt; neque enim apparet ex hac loquendi forma abiturúſne fuerit Iudas in locum ſuum, id eſt, in laqueum, & infernum; nam hic locus proditoris eſt, alius vſurpatus, & alienus: an Matthias, vel Ioſeph in locum ſibi deſtinatum, id eſt, Apoſtolatum. Vtrumque enim admittit ſacer hic textus; & ita innuit Oecumenius. Videtur autem pertinere magis ad Iudam, ad quod propendent magis omnes pene Interpretes, & Bernardus ſermone 8. in Pſal. 9. Et ſanè ita videtur poſtulare curſus ipſe orationis; nam ſuprà dictum fuerat à Petro præclaram ſortem Apoſtolatus cum infami poſſeſſione agri commutaſſe Iudam: nunc illud idem cõfirmat, dum ait excidiſſe ex Apoſtolatu, vt in locum ſuum, id eſt, ſuæ debitum perfidiæ deſcenderet: neque enim eius erat, aut certè eius conueniens moribus locus ille ſublimior; à quo ſacrilega audacia præuaricatus eſt.

Verſ. 26. *Et dederunt ſortes eis.*]

Græcè αὐτῶν. i. *ipſorum*, Ioſeph, nẽpe, & Matthiæ, quia eorũ locus, & gradus quærebatur. Quæ verò ſortes iſtæ fuerint non conſtat: at eſſe inter Hebræos vſitatum, ante diuini Spiritus deſcenſum in Apoſtolos, ſortes conſulere, docet Beda, & exemplorum in Scriptura ſatis, vbi obſeruat ſortes ab eo tempore inter Sanctos conſuli deſiiſſe. Porrò cùm aliquid, ſi ex hominum arbitratu fieret, offenſioni in futurum eſſe credebatur, aut inuidiæ, aut cùm res ſic eſſet incerta, vt humano conſilio, atque ſolertia explorari nõ poſſet, res cõmittebatur ſortibus, quas cùm Deus temperet, iuxta illud Prouerb. 16. *Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur*; quidquid declarabatur ſorte, id à Deo probari, aut manifeſtari putabatur. Infidelium etiam hominum ſortes à Deo regi docuit peccatum Ionæ per infidelium ſortes à Domino proditum: & euentus eodem conſilio quæſitus ab Aman de Iudæorum exitio Eſther 1. Sortitò enim exiit menſis duodecimus diuino conſilio, vt inquit Rupertus, vt eo ſpatio Iudæi ſibi ipſis in eo diſcrimine conſulerent. Dei autem explorari ab Apoſtolis voluntatem, atque conſilium certum eſt, quia id orantes petunt: *Tu Domine, qui corda noſti hominum, oſtende quem elegeris*, &c. 59.

Quando locus ſortibus.

Sortes propriè dicuntur, quæ non conſilio aliquo, aut ratione, quæ dubia ſunt, produnt, ſed caſu 60.

Quid ſortes.

tan

Hiſtoria ſcholaſtica. Sic putant cõciliari poſſe Lucam cũ Matthæo. Sed vnde iſta authores ſuprà dicti petere potuerint, non video. Certè liber ille, cuius author ab Oecumenio Papias eſſe dicitur, non omnibus ſuam fidem ſatis probat. Indicat enim non paucos à ſuſpendio dies ſuperuixiſſe Iudam, quod plurimi, neque obſcuri nominis authores negant, quia Scripturæ verba ſuſpenſum laqueo ſtatim, & crepuiſſe medium indicant. Neque veriſimile eſt Chriſtum, qui Thomam incredulũ tanta humanitate ſuſcepit, quique ſe ipſum tangendum, imò intima quoque præcordia rimanda obtulit; qui Petro, à quo cum obteſtatione, atque execratione non ſemel negatus, atque abiuratus fuerat, ſuam Reſurrectionem nominatim nunciari iuſſit, vt pudorem eriperet, ac metum, quo fortaſſe impeditus magiſtri oculos ſubire non auderet, & iacentem animum, & mœrore collapſum erigeret, confirmarétque, omiſſurum hoc ſuæ humanitatis officium cum proditore Iuda, quod cum incredulo Thoma, & abiurante Petro præſtitiſſet. Præſertim cùm eum iam tanti ſceleris pœniteret, & proiectis in templum argenteis, qua poterat ratione, quem antea inierat, contractum ſacrilegum reſcidiſſet. Relinquerétne illum, quem tanto ſtudio, & tot officiis ad meliorem mentem reuocare voluit, de ſua ſalute, de peccati venia deſperantem? Corporis doloribus ægrè, & animi angore multo moleſtiùs excruciatum, mortémque vltrò expeteré non iuberet aut præſens ipſe bono eſſe animo, & à ſua benignitate ſperare omnia; aut certè per Diſcipulos, quibus credibile non eſt ignotam eſſe tam omnibus notam Iudæ, & animi, & corporis tantam ægritudinem?

Adde quòd vbi Matthæus ſuprà dicit ſuſpenſum eſſe laqueo Iudam, Græcè eſt ἀπήγξατο, quod *ſtrangulare*, aut *ſuffocare* ſignificat. Noſter Interpres, *ſuſpenſum eſſe laqueo* vertit, quia eo ſe modo Iudas ſuffocauit: & ſanè ita plerumque contingit, vt qui compreſſo ſpiritu perire volunt, id laqueo, atque ſuſpendio tentent. Porrò illud ἀπήγξατο, licèt ſit in voce media, paſſiuè exponendum eſt, ita vt non ſolùm ſe ipſum ſuſpenderit Iudas, ſed etiam ſuſpendio interierit: nam vox media Græcorum, ſi poſt ſe nullum habeat caſum, paſſiuæ plerumq; ſignificationis eſt; & quidem 2. Reg. 17. vbi de ſuſpendio Achitophel ſermo eſt, eadem eſt vox ἀπήγξατο, cui reſpondet Hebraica חנק quod ſine dubio paſſiuè ſignificat in *Niphal*. Neque præterea vox Græca admittit dubium illum ſenſum, quem habet Latina, *laqueo ſe ſuſpendit*; nam licèt qui ſe ſuſpendit, viuere poſſit poſt laqueum, vt in Iuda putant authores adducti nuper, non tamen qui ſe ſuffocauit, aut ſtrangulauit, quod Græca vox ſonat. Quare ſine dubio credendum eſt, Iudam & ſtatim, & laqueo vitam finiiſſe. 39.

40. Conciliatur Lucas cum Matthæo.

Neque præterea neceſſarium eſt, vt hæc quæ minùs inter ſe cohærere aliquibus videntur, aptè conſentiãt ad ea, quæ viris doctis commenta exiſtimantur, confugere. Periit apud Matthæum Iudas interclusо ſpiritu, haud dubiè laqueo: apud Lucam verò πρηνὴς γενόμενος, id eſt, vel *preceps*, vel *deiecto capite, & in terram prono*, vt etiam vertit Auguſtinus lib. 1. contra Felicem Manichæum cap. 4. Voluit autem, meo iudicio, Petrus apud Lucam oſtendere, non tam mortis genus, quàm cauſam, & effectum ipſius. Cauſam verò

verò optimè declarat vox *πρηνὴς γενόμενος*, ſiue hæc *præcipitem* ſignificet, ſiue *in terram pronum, & demiſſum*; nam præceps Iudas quaſi exagitatus furiis conſilium plenum feſtinationis, à deſperatione ſuſcepit potiùs, & à furore, quàm à ratione. Qui autem rem magnam aggrediuntur feſtinatò, ac temerè, præcipites agi dicuntur: & talis profectò Iudas fuit. Nam ſi tantiſper reſpiraſſet, rémque cum aliis, ac ſecum conſideraſſet attentiùs, nunquam fortaſſe de laqueo cogitaſſet. Dicitur etiam præceps, qui omnium rerum aleam, atque diſpendium ſciens, volénſque ſubit; & qui deſperatione, ac furore, quaſi nulla ſit reliqua ſpes ſalutis, cæcus, & amens in exitium tendit. Hæc autem paſſum eſſe Iudam quis non videt?

Si *πρηνὴς γενόμενος*, *pronum, & deiectum* interpretêre, effectus eſt, & ſignum non obſcurum deſperationis, ac profundi mœroris, vultus demiſſio. Nam qui deiecto ſunt animo, illi etiam plerumque deiecto ſunt in terram vultu, cuius rei exẽplo nobis eſſe poteſt Cain, cui præ mœrore concidit facies. Quare qui triſtes ſunt, à Græcis *κατηφεῖς* appellantur, id eſt, *qui deiecto ſunt vultu*. Sumitur itaque vultus demiſſio, ac pronitas pro mœrore, atque deſperatione.

41. Oſtendit ergo Petrus Iudam eò adductum eſſe, dum mœrori, atque pudori ſuccumbit, vt ſponte illud mortis genus oppetierit, ex quo diffuſa ſunt omnia viſcera eius, ſuſpendiũ innuens, licèt nõ exprimat. Optimè verò noſter Interpres reddidit *ſuſpenſum*, quia non tam ſignificationem vocis, quàm rem ipſam ſignificatam exprimere voluit; quod vſitatum valdè eſt tum apud profanos, tum etiam apud ſacros ſcriptores, quibus familiare eſt effectus per cauſas ſignificare: vt dum dicunt aliquem extinctum auaritia, quia pecuniarum cupiditate in mare ſe dedit, vbi naufragio periit: aut ambitione, & gloria, quia propter illam ſe in periculum temeratius coniecit, vnde emergere non potuit. De ſacris ſcriptoribus docuit Hieronymus ſæpe, maximè in fine libri 1. epiſt. ad Galat. & lib. de optimo genere interpretandi, vbi docet ab Apoſtolis, & Euangeliſtis ſeruato ſenſu figuras orationis interdum mutari.

Hæc ſatis videntur ad explicandum Græcæ dictionis vſum. Quibus addo ideo videri poſſe ſuſpenſum è laqueo vocatum eſſe *πρηνῆ*, quia eorum, qui laqueo collum inſeruerunt, caput ſolet in terram deiici: vel certè quia ita ſuffocatus eſt Iudas, vt pedibus in arboris ramis, aut offirmatis, aut impeditis capite in terram prono pependerit, quod ſuſpendij genus in arboribus humilibus facile, & pene neceſſarium eſt. Niſi dicas ideo Iudã dictũ eſſe præcipitem, quia cùm priùs nodo collũ implicuiſſet, ſtatim deiecit ſe; qui modus vſitatus eſt eorum, qui ex loco ſublimi ſuſpenſi pereunt.

Crepuit medius.] Vt ſuprà Petrus mortis cauſam oſtendit, ſuppreſſo mortis genere, quod expreſſit Matthæus, ſic nunc id quod mortem aut comitatum, aut cõſecutum eſt, addit, quod fuerat omiſſum à Mattheo. At neceſſarium non eſt, vt illam corporis inflationem fingamus, ad quam nonnulli confugiunt, cùm hoc non naturali aliqua cauſa, ſed diuino iudicio contigiſſe exiſtimandum ſit; vt ei, qui indignè Euchariſtia ſuſcepta ſtatim ad tantum facinus 41. Quomodo Iudas medius crepuerit.

facinus aduolaſſet, occulta vi numinis lateribus fœdè, ac miſerabiliter diſruptis viſcera diffluerent. Seu certè, quod noſtro Maldonato videtur veriſimile, dum penderet è laqueo ſic intumuit, vt non quidem ſtatim, ſed aliquanto pòſt tempore medius crepuerit; nam qui eo modo pendēt, vehementiùs inflari ſolent. Probarem quidem hoc poſterius, niſi viderem cautum eſſe Deut. 21. vt qui ſuſpenſus eſſet è ligno, eodem deponeretur die: neque ſatis ſe ab hoc tuebitur incommodo; qui dixerit caueri tantùm ea lege ne corpus eius, qui damnatus eſſet, pernoctaret in patibulo; non verò illius qui voluntarium opetiiſſet interitum. Nam Ioſephus libr. 3. de bello cap. 14. cùm dixiſſet illis, qui ſibi manus attuliſſent, negari apud omnes honorem ſepulturæ; quod dixit etiam Quintilianus de clem. 4. tamē apud Hebræos aliam eſſe conſuetudinem dicit. *Si qui* (inquit) *ſe occiderint apud nos, vſque ad Solis Occaſum inſepultos abiici decretum eſt: cùm etiam hoſtes ſepeliri fas eſſe ducamus*. Quod fecit Ioſue cap. 8. cum Rege Hai, & cap. 10. cum quinque Regibus, quos cùm egiſſet in patibulum, ad veſperam depoſuit. Nihilominus videtur non improbabile ſi dicamus inſepultum manſiſſe aliquandiu Iudam, & putridis longiori mora, atque ſolutis ilibus inteſtina fuiſſe diſperſa. Nam, vt tradit Hieronymus de locis Hebraicis in Acta in voce *Acheldema*, non omnes mortui in eo agro teguntur, ſed quidam ſub dio inhumati putreſcunt. Sed quia Hieronymi ętate à gentibus, in quibus minùs erat humanitatis, regio illa habitabatur, non à Iudæis, ab illis potiùs, quàm ab his inhumata relinqui cadauera, probabilius eſt. Quare verius puto eodem die depoſitum eſſe Iudam; quod, etſi lex non cogeret. Principum tamē Synagogæ factum eſſe plurimùm intererat: nam ſuſpenſus Iudas prætereuntibus clarè Chriſti innocentiam, & ſanctitatem prædicaret. Quare ab illis curatum veriſimile eſt, vt illud ſuæ impietatis, & Chriſti ſanctitatis monumentum ab hominum oculis remoueretur.

Iudæi nō permittebant ſuſpenſum in cruce pernoctare.

Sed ſi cauſam naturalem viſce- 43.
rum effuſionis quæramus, ea ſatis idonea videtur, ſi dicamus vbi ruptus eſt laqueus, graui è ſuperiori loco lapſu diſruptum eſſe corpus, & diffluxiſſe viſcera: imò conatus ipſe ad illud mortis genus, maximè ſi ex humili loco laqueus dependeat, ſatis grauis exiſtimatur ad ilia rumpenda; vt vir magnæ fidei mihi narrauit; qui & ipſe norat, cui illud idem in eodem conatu contigiſſet.

Verſ. 19. *Ita vt appellaretur ager ille lingua eorum Acheldema, id eſt, ager ſanguinis.*] Quia ager ille iniqua 44.
mercede coëmptus eſt, nomē etiam retinuit, quo in poſterum conſtaret & Iudæorum ſcelus, & Iudæ perfidia. Sanguis enim Chriſti, qui nomē prædio dedit; clamat quotidie meliùs quàm Abel. Explicatio verò nominis à Luca interpoſita eſt, qui Græcè ſcripſit, & opus Græco lectori Theophilo dicauit, cui ignota erat Hebraicæ vocis ſignificatio; non addita à Petro, quia cum iis agebat, qui vim nominis ignorare non poterāt. Neque id nouum: nam ſæpe peregrinorum nominum vis à ſacris ſcriptoribus adhiberi ſolet, imò ab Interpretibus. Quando verò nominis explicatio ab authore fit, vel ab Interprete, docuimus pluribus in cap. 7. Zachariæ in principio.

Hæc quæ de Iudæ interitu dicta 45.
ſunt,

Digitized by Google

ſunt, interpoſita quidam putant à Luca, non à Petro dicta: quia non exiſtimant eo tempore commemorari oportuiſſe, cùm res illa, & quia recens, & quia ad Dominum pertineret, non potuerit non eſſe notiſſima; præſertim cum ibi etiam dicatur, *vt appellaretur ager ille lingua eorum Acheldema.* Si Petri eſſet oratio, cùm Hebræus eſſet, & ad Hebræos ageret; non diceret *eorum*, quaſi de aliena lingua loqueretur. Probabile hoc videtur Salmeroni, qui tamen ad oppoſitum non eſt difficilis; mihi probabilius videtur hæc à Petro propoſita, non à Luca interpoſita, & concluſa parentheſi: nam filum orationis non apparet hîc ita eſſe diſciſſum, vt parẽtheſi videatur eſſe claudendum, imò videtur durũ, ſi à narratione Petri hæc tanquam aliena ſuccidas. Neque quòd res eſſet nota, eius commemoratio otioſa exiſtimari debet: nam bonus paſtor, & concionator egregius nõ ſolùm docere voluit, quid geſtum eſſet, ſed etiã oſtendere perfidiæ grauitatem; & quàm miſerè qui à fide, officióq; recedunt, pœnas exoluant. Deinde ager ille non Apoſtolorum lingua, qui Galilæi erant; ſed *illorum*, id eſt, eorum qui habitabãt Ieruſalem, dictus eſt Acheldema. Vſu.n. venire ſolet, vt in eadem lingua proprietates ſint aliquot, ſiue in terminatione vocum, ſiue in literarum mutatione, vt in eadem gente hæ prouinciæ ab illis facilè diſtinguantur: maximè vbi aliqua lingua diuerſarum gentium admixtione corrumpitur, vt in Græcorum dialectis conſtat: & lingua Latina in diuerſis regionibus aliter, atque aliter corrupta eſt. Neque Hiſpanica lingua inter Hiſpanos vbique eadem. De Hebræorum lingua idem Hieronymus ſuper Matth. c. 26 *Vnaquæque*, inquit, *prouincia, & regio habet proprietates ſuas.* Quare Petrus loquela Galilæus eſſe cognoſcitur ab ancilla oſtiaria: & Ephrataei ab Hebræis aliis pronunciatione vnius voculæ internoſcuntur. Vox autem *Acheldema*, vt inquit Hieronymus de nominib. Hebraicis in Acta, Syriaca eſt: nam Syrorum lingua tunc Hieroſolymitanis familiaris erat. Petrus ergo qui Galilæus erat, & procul ab Hieroſolymis vixerat, tanquam de aliena lingua locutus eſt.

Variæ Hebraicæ linguæ dialecti inter Hebræos.

Ager iſte à Matthæo dicitur *ager figuli*, vnde illi hoc nomen, non omnes eodem modo explicant. Res ſanè obſcura, in qua illuſtranda ſi paulo diutiùs immoratus fuero, nõ videbor, credo, otioſam, aut inutilẽ operam ſumpſiſſe. Maldonatus in Matthæum putat figuli agrum eſſe omnino quod ſonat; quia inde à figuli pro fingendis vaſis terra effoderetur; vnde lacunoſum eſſe oportebat: vel quia eò teſtarum fragmenta proiicerentur. Adde ego quòd argilla & creta figularis minus admodùm agricolarum vſibus idonea eſt, vt docet Virg. 2. Georg. & Columella libr. 3. cap. 11. Docet autem Plato 12. de legibus, cuius ſententiam ad verbum expreſſit Cicero 2. de legibus, mortuos ſepeliendos eſſe ſterili ſolo, ne mortui viuis minuant vtilitatem. Cùm ergo ager ille rebus aliis eſſet inutilis, humandis corporibus viſus eſt accommodatus, & qui paruo pretio cõparari poſſit. Sententia quidem non improbabilis; dicam tamen meam quoque coniecturam, & quid de nominis notatione mihi magis videatur veriſimile. 46.

Cur dictus ager figuli.

Dum hæc ego iam olim auidè ſcrutarer, cogitare cœpi aptiſſimè ſepulturam, maximè communem, quam cœmeterium, vel polyandriũ 47.

Acer ſepulchri ſepulchri deſcriptio.

dicimus, hieroglyphicè vocari agrũ figuli, quia in eo communis ſepulchri imago videbatur expreſſa;nam in agro, aut area figulari apparent inutiles teſtæ, fragmenta comminuta, quæ priùs ex eodem luto ſumpta in alias, atque alias formas fingebantur, alia in honorem, alia in contumeliam. Quædam verò illorum iam informata, in igne corrupta ſunt: alia verò in ipſo artificis conatu, rotæque conuerſione diſiecta; omnia tamen iam prorſus, & deformia, & inutilia, in quibus aut nullum, aut certè pertenue veſtigium appareat antiquæ formæ, & ſi quid eſt antiquæ formæ reliquum, neque pretium auget, neque authoritatem conciliat. Sic in polyandriis, quæ conſtrata ſunt, ac plena mortuorum oſſibus, non facilè diſtinguas quæ Regum oſſa, quæ tenuium, quæ ſapientium, quæ ſtultorum ſunt. Illud tamen videas, omnia eſſe fœda, omnia vilia, omnia ſine honore, omnia ſine vſu. Accedit quòd Ierem. cap. 18. iubetur deſcendere ad domum figuli, vt Deum loquentem audiat; *Et ecce*, inquit, *ipſe faciebat opus ſuper rotam, & diſſipatum eſt vas quod ipſe faciebat è luto manibus ſuis*; quod de morte intelligit Hilarius Pſalm. 2. Ad philoſophandum autem, & audiendam Dei vocem opportunus eſt locus inter mortuorum ſepulchra: quare Democritus ex omnibus locis mortuorum monumenta, ac cineres ad philoſophandum eligebat. Hæc mihi tunc apta videbatur nominis notatio: ſed nunc ſuccurrunt aliæ, quę magis fortaſſe ad literam; ex his quam voles, elige.

48. Non video apud antiquos locum aliquem publicè deſtinatum eſſe ſepulturis; licèt in agris tam Hebræi, quàm alij communiter humarentur; ſed ſuis quique ſepulchris. Apud Athenienſes inuenio locum extra vrbem illuſtrium virorum tumulis, ac ſignis nobilitatum: ibi, vt tradit Suidas in voce Κεραμικὸν, qui in bello cecidiſſent, publico sũptu ſepeliebãtur. Quòd ſi cui in Ceramico ſepulturę locus cõcedebatur, ſingulare putabatur beneficium, quale populi decreto conſecuti ſunt Zeno, vt refert Diogenes in eius Vita, & Lycophron, vt Plutarchus in decem Rhetoribus; & alij multi. Certè Cicero 2. de legibus in Ceramico ſepulchrorum amplitudines commemorat. *Ceramicum* agrum, aut officinam, aut locum figuli ſignificat, dictum, vt tradit Plin. lib. 35. c. 12. quia qui ſigna ex argilla cruda fingebat, ibi ſuam habuit officinam figularem. Neque minùs notum erat commune illud, ac publicum ſepulchrum; vtpote quod in vrbe nobiliſſima, & illuſtrium virorum monumentum; quàm ſingulare aliud quod à Mauſolo Rege Cariæ Mauſolæum vocatum eſt. Vt ergo *Mauſolaum* pro quocumque ſingulari ſepulchro ponitur, ſic puto *Ceramicum* pro communi ſumi, maximè ſi in agro ſit, quia Ceramicus, vt tradit Suidas ſuprà, extra ciuitatem erat. Cùm ergo ager figuli explicatio ſit nominis Ceramici; cùm ager figuli pro peregrinis ſepeliendis emptus fuiſſe dicitur, Ceramicum profectò, id eſt, cœmeterium emptum fuiſſe fateamur in promptu eſt. Neque nouum eſt in Scriptura notationẽ, aut ſignificationem nominis pro nomine ipſo vſurpari, vt nos pluribus oſtendimus in illud Cant. 6. *ſuauis & decora*.

Ager figuli nomẽ ſepulchri communis, ſicut apud Græcos Ceramicum.

49. Accipe explicationem tertiam, quæ eo fortaſſe nomine diſplicebit minùs; quia non à Græcis, id eſt, alienis

Ager figuli Gehenna vel Topheth.

nis gentibus, ſed propiùs ab Hebręis petita eſt. Porta erat Hieroſolymis, quæ dicebatur fictilis. Ierem. cap. 19. iuxta Topheth, ſiue Gehennam, ſiue vallem Hennon. Ex his rectè diſcuſſis conſtabit, quomodo commune ſepulchrum dici potuerit apud Hebræos, vel Ceramicum, vel ager figuli. Et primùm, vt rectè Lyra in cap. 19. Ieremiæ, & cum eo alij ferme Interpretes ex ſententia Hebræorum, illa porta non ideo dicitur fictilis, quia ex laterculo conſtructa, aut figlino opere, ſed quia ibi eſſent figulorum officinæ; ſiue Ceramæa, vel quia eò conijciebantur inutilium vaſorum minuta fragmenta, vt ex Rabbi Salomone docet Lyra. Porrò Gehinnon, ſeu Topheth eſt prope portam illam ſiue fictilem, ſiue figulorum, vt liquet ex Ieremia ſuprà; *Egredere*, inquit, *ad vallem filij Ennon, quæ eſt iuxta introitum portæ fictilis*. Quòd verò *Gehenna*, ſiue *Topheth* pro communi ſepulchro ſumi debeat, dicit apertè Theodoretus, dum tradit Ieremiam egreſſum eſſe in ſepulchrum; & oſtendunt apertè LXX. qui pro *valle Ennon* transferunt *polyandrium*; neque id ſine conſilio: nam ſtatim locus ille futurus eſſe dicitur multorum ſepultura. *Non vocabitur*, inquit, *locus iſte amplius Topheth, & vallis filij Ennon, ſed vallis occiſionis*; pro quo LXX. *polyandriũ*. Eodẽ modo Hieronymus in cap. 10. Matth. & paulo pòſt clariùs. *In Topheth ſepelientur, eo quòd non ſit alius locus ad ſepeliendum.* Accedit quòd à Chaldæo vocatur porta illa ſterquilinij, vel ſtercoraria; quia per illam quæ tetri ſunt odoris, & aſpectu fœda efferebantur, qualia ſunt mortuorum cadauera, præſertim pauperum; ſicut in aliis etiam ciuitatibus portæ ſunt infauſtæ, & execrandæ, cadaueribus efferendis deſtinatæ. Vide infrà cap. 12. ad illud, *ad portam ferream*. Quia ergo porta fictilis, vbi figulorum officinæ frequentes, proxima erat Gehennæ, ſiue polyandrio, in quod ipſi, & rudera, & ſuæ artis intertrimenta comportabant, ſepulchra communia, ſeu cœmeteria *ager figuli* vulgò dicebantur. Et quidem locum illum eſſe pauperum ſepulturam communem, & ignobilis vulgi, planè docemur 4. Reg. cap. 23. vbi ſic de Ioſia Rege. *Et efferri fecit lucum de domo Domini, foras Ieruſalem in conuallem Cedron, & combuſſit eum ibi, & redegit in puluerem, & proiecit ſuper ſepulchra vulgi.* In quem locum proiectus eſſe traditur Vrias Propheta à Rege Ioacim Ierem. c. 26. Et ſicut neque incommodè, neque ineptè qui ad Barathrum Athenis duceretur, dici poſſet duci ad Charoniam portam, quia per illam ex more ad ſupplicij locum tranſeundum erat; ſic qui ad Gehennam, id eſt, ignobilium ſepulturam efferendus eſſet, aptè diceretur ad figulos efferri, quia per illas officinas futura erat illa tranſmiſſio. Vocatur autem locus ille ager figuli, ea figura qua 4. Regum cap. 18. locus vbi piſcinæ erant in quo fullones mundandis veſtibus dabant operam; *ager fullonis* dicitur.

Ierem. 19.

Porrò locus ille, i. Gehenna, pro damnatorũ carcere, & carnificina ſumitur; ſicut à Græcis Barathrum, & Auernus, tum propter acerbitatem, & fletum, quia ibi per ignem traducebantur infantes, cremabantúrque in honorem Moloch. 4. Reg. 23. & ideo vocatur *Gehenna ignis*: deinde quia locus ille ſtercorum, cadauerúmque graui anhelitu, ipſóque rerum fœdiſſimarum, Sepulchra vulgi.

Digitized by Google

aſpectu horribilis, ſi quiſquam alius optimè inferni ſqualorem, & cruciatum referebat. Atque huc ſpectaſſe Chriſtum exiſtimo, qui Marci 9. cùm agit de gehenna, ter dicit; *vbi vermis non moritur, & ignis non extinguitur.* Vbi reſpicere videtur ad ignem quo pueri conſecrabantur Moloch, & ad ſepulchra, atque cadauera, quæ ſcatere ſolent vermibus. Ac ſi dicat: gehenna illa, cui in æternum ſupplicium addicti ſunt improbi, non habebit aut ignem, aut vermes, qui citò deficiant, ſicut illa, quæ in Hieroſolymis à vobis appellatur Gehenna, ſed qui in æternum durent, & in ęternum crucient. Vide explicationem aliam, quam adduximus in Commentariis ſuper Zachar. cap. 11. ad illud; *Appenderunt mercedem meam triginta argenteis.* vbi oſtendimus quomodo rectè Matthæus cap. 26. dum agit de hoc agro, optimè citauerit Ieremiam, cùm tamen illa verba Zachariæ videantur.

Marc 9.

Verſ. 20. *Fiat commoratio eorum*
50. *deſerta; & Epiſcopatũ, &c.*] Hęc ſumpta non ſunt ex eodem Pſalmo, ſed ex diuerſis. Illud de habitatione ex Pſal. 68. de Epiſcopatu verò, Pſ. 108. quia, vt inquit Beda, cùm vellet Petrus, & Iudæ abiectionẽ, & electionem Matthiæ teſtimoniis aſtruere propheticis, cõiunxit teſtimonium, quod de Epiſcopatu Matthię ſpecialiter; & quod de Iudæorũ, in quorũ numero Iudas erat, abiectione generaliter poſitũ erat: nam duo illi Pſalmi ſcripti ſunt contra eos, qui in Chriſti mortem coniurarunt, aut in eam aliquid conſilij, aut operæ contulerunt; ſed Pſal. 108. ita de omnibus loquitur, vt videatur ſpectare vnum Iudam, quia à plurali numero ſæpe ad ſingularem erumpit. Quod autem de habitatione deſerta hîc dicitur, de toto Iudæorum populo intelligitur à Paulo Rom. 11. quorum domus deſerta fuit, quia ab alienis habitata.

Quomodo fuerit deſerta Iudæ 51.
commoratio, obſcurum eſt. Quidam poſſeſſionem illam arbitrantur, quæ empta eſt mercede iniquitatis, id eſt, Acheldema; ita Chryſoſtomus. Quæ ideo deſerta videri potuit, quia omnes grauis è cadauere ſanioſo, ac putri fœtor abigebat; vt nonnulli voluerunt. Sed quia eò ſpectat hæc narratio, vt in proditoris locum ſufficiatur alius, commoratio pro gradu Apoſtolatus ſine dubio eſt intelligẽda. Deſerta verò dicitur, quia nullus eam occupauit, quem Iudas in Chriſto genuiſſet; quemadmodum, vt exponunt aliqui Thren. 1. ſola dicitur Ieruſalem, quia à legitimis habitatoribus vacua, licèt plena populo, id eſt, habitata à populo Gentili, & Barbaro. Et vacua dicitur, & caduca poſſeſſio, quando nullus eſt, qui iure quaſi hæreditario illam legitimè adeat. Sic etiam Epiſcopatus Iudæ vacuus fuit à poſſeſſore, & ideò alter in eius poſſeſſionem vocatus quaſi alienus, quia Iudæ non fuit in Chriſto filius. Non ſic autem in aliis Apoſtolis; pro quibus Eccleſiæ nati ſunt filij; atque adeò illorum habitatio neque deſerta eſt, neque vnquam, vt deſeratur, continget. Ita enim Apoſtoli mortui ſunt, vt in filiis Euangelico partu ſuſceptis perpetuò viuant, iuxta illud Eccleſiaſt. 30. *Mortuus eſt pater, & quaſi non eſt mortuus; ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe.* Hîc obſerua vſitatum eſſe ab Apoſtolis, & Euangeliſtis, atque à Chriſto Domino è duobus Scripturæ locis vnum teſtimonium conflare, vt pluribus docuimus in illud Zachar. 9.

Quomodo commoratio Iudæ deſerta.

Exulta

Digitized by Google

Exulta ſatis filia Sion. Exempla multa habes apud Salmeronem Proleg. 9. can. 27.

Obſerua ſecundò ex Ruperto, pro triginta argenteis, quos ex vendito Chriſti ſanguine retulit Iudas, totidem execrationes in illum intorqueri in Pſal. 118. quare ex venditione ſacrilega non tam rediit ornatus pecunia, quàm oneratus maledictis. Qua verò ratione omnes illæ execrationes in Iudam conueniant, non eſt facile explicare; neque exiſtimo omnes ad Iudam pertinere. Quare hunc laborem meritò videor poſſe declinare.

Verſ. 21. *Oportet ergo ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati*, &c.]
52. Electionem Petrus multitudini permittit, etiamſi à Chriſto haberet liberam eligêdi facultatem, tum propter modeſtiam, tum etiam ne apud populum vllam ſibi conflaret inuidiam; atque etiam vt illius monita libentiùs exciperent alij, cui ſuis ſuffragiis illam dignitatem, & munus detuliſſent. Præfinit tamē, quod in eo ſpectandum ſit, qui Apoſtolici nominis menſuram implere debeat, nempe vt teſtis ſit eorum, quæ de Chriſto prædicanda ſunt, iuxta illud, de quo ſuprà; *& eritis mihi teſtes in Ieruſalem*, &c. & Ioan. 15. *Vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.* Quare id exigit in Iudæ ſucceſſore, vt interfuerit omnibus à Chriſto geſtis à Bapriſmo Ioannis vſque ad Aſcenſionem, id eſt, ab eo tempore, quo poſt 30. annorum ſilentium prodiit in conſpectū hominum apertè, & palàm de Regno cœlorum locutus eſt. Præcipuè verò Reſurrectionis teſtem eſſe vult, quia de illa, & diſputandum ſæpiùs, & laborandum erat operoſiùs, & quia Reſurrectionis fides facilè myſteriis aliis fidem faceret, quæ de Chriſto homines credere iubentur.

In omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos.] Frequens eſt in Scriptura *ingreſſus*, atque *egreſſus* nomine explicari negotia omnia, atque opera, in quibus aliquis verſatur. Exēpla ſunt obuia. Num. 27. de Ioſue; *Ad verbum eius ingredietur, & egredietur*, id eſt, nihil faciet niſi ex eius imperio. Deut. 31. Moyſes de ſe ipſo ait. *Centum viginti annorum ſum, non poſſum vltrà egredi, & ingredi*, id eſt, non ſum aptus rebus gerendis. 2. Par. 1. *Benedictus eris ingrediens, & egrediens.* Hiſpanè, *en todo lo que puſieres mano*: & eodem ſenſu Pſal. 120. *Dominus cuſtodiat introitum tuū, & exitum tuum.* Senſus ergo horum verborum eſt, quærendum eſſe aliquem, qui teſtis eſſe poſſit eorum, quæ Chriſtus geſſit à Bapriſmate, &c. Toletus in illud Ioan. 10. *egredietur, & ingredietur*, in hunc ſenſum accepit præſentem locum: *in omni tempore, quo nobiſcum eſt familiariter conuerſatus.* Quo etiam ſenſu videtur exponendum illud 1. Reg. 18. de Dauid, *qui ingrediebatur, & egrediebatur in conſpectu populi*, id eſt, familiariter, & liberè conuerſabatur. Sed prior ſenſus magis eſt ad inſtitutū; poſterior in aliis ſatis accommodatus; & eſt Hiſpanis familiaris: *entra y ſale libremente como en ſu caſa, y el maeſtro entra y ſale, replica y deia el argumento quando ſele antoia.* 53. *Intrare, & exire quid*

Verſ. 23. *Statuerunt autem duos.*] 54. *Beza malè Auguſtinum arguit.*
Hîc impius Beza periculoſi erroris arguit Auguſtinum, qui lib. 1. contra Felicem Manichæum cap. 4. *ſtatuit*, poſuit, pro *ſtatuerunt*. *Nihil enim* (inquit) *hic priuatim à Petro geritur quaſi excellentiori dignitate prædito, ſed publicè, & totius Collegij ſuffragiis.* Sed

Digitized by Google

poſſet impius ex hoc loco,quod maioris ingenij,atque doctrinæ faciunt viri pij,colligere Petri ſupra reliquã multitudinem excellentiam; cuius imperio coacta concio, edictũ quid facto opus eſſet,propoſita eligendorum conditio.Hæc omnia ſolus Petrus agit, reliqua ſuffragiis permittit: modeſtè ſanè, & humaniter; vt tanti magiſtri diſcipulum,& Vicarium decebat; cùm tamen illi integrum eſſet de ſumma rerum liberè ſtatuere, cuius modeſtiam etiam nunc imitati Pontifices, cùm ſuo arbitratu poſſent, nolunt tamen interdum alios ad Epiſcopatum vocare, niſi adhibito Cardinalium conſilio. Quod docuit Nicolaus dum agit de poteſtate Pontificis, reſpondens Carolo Galliarum Regi: *Quod ſua*, inquit, *authoritate perficere valet, multorum Sacerdotum decernit definire conſenſu*. Sed, vt Auguſtinum ab ignorantia, vel incuria contra Bezæ calumniam vendicemus, obſerua, opus illud non tam ſcriptum fuiſſe ab Auguſtino, quàm exceptum à notariis,qui diſputationem, quam tunc habebat cum Felice Manichæo, ſcriptis de more mandabant. Quare fieri potuit, vt notarius vnum numerum pro alio in ſcripta retulerit: neq; id mirum cùm res feſtinatò ageretur, vt fert diſputantium conſuetudo,& volanti calamo. Tunc verò non ſolùm vna, aut altera litera attentum etiam,ac fidelem ſcribam, ſed integræ quoque dictiones ſolent effugere.Sed ſi faciamus hæc eſſe ab Auguſtino recognita,quod videtur certum; cùm *ſtatuit*, dixit, obſcuriùs ille quidem, & magis ambiguè, ſed dixit eodem ſenſu: nam ille ſtatuiſſe dicitur duos, qui vt ab aliis ſtatuerentur fecit;ſicut Rex dicitur arcem ædificaſſe, & Epiſcopos creaſſe Pontifex;quia vt hæc fierent,& imperio indixerunt,& perfecerunt poteſtate.

Ioſeph,qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt Iuſtus, & Matthias.] 55. Bis credo rem eſſe commiſſam ſortibus,vel ſuffragiis,priùs cùm ex illa multitudine ſegregati ſunt duo; iterum cùm è duobus alter electus eſt. Quis verò fuerit hic Ioſephus, non conſtat. Lyra putat eſſe illum, qui apud Mat.27. & Mat. 6. dicitur frater Domini. Origenes videtur negare,dum dicit illius Ioſephi nullam alibi fieri mentionem. Et hoc poſterius videtur veriſimilius; quia qui frater dicitur Domini, in Græcis codicibus Ioſſe dicitur, non Ioſeph; tum quia hic Ioſephus à principio ſecutus eſt Chriſtum, quia id imprimis deſiderauit Petrus in ſucceſſore Iudæ.At quidam fratres Domini non credebant in eum. Ioan. cap.17.& ex horum numero creditur eſſe Ioſſe.

56. Hìc notandũ,eſſe vſitatũ in Scriptura,vt aliquis duo habeat nomina eiuſdem ſignificationis, in diuerſis tamen linguis,quorum altero ab vna natione: altero ab aliis vocaretur; qui Petrus à Græcis,idẽ ab Hebræis vocatur Cephas.i.*lapis*. Simõ ab illis Zelotes,ab his Chananæus i.*zelator*, qui ab Hebræis Thomas, idem à Græcis Didymus. i. *gemellus*, Iudas qui à Chaldæis Thaddæus, ab Hebræis Lebbæus, quod ſonat *cor*: & quæ à Græcis Dorcas,eadẽ ab Hebræis Tabitha.i. *capra*; eadẽ omnes ſignificatione compellabantur. Sic Ioſephus iſte qui ab Hebræis Barſabas,id eſt,*iuramenti filius*,vel *quietis*, id eſt,fidelis,& pacificus,idem à Romanis,quorum tunc in vrbe magna multitudo, Latino vocabulo dicebatur *Iuſtus*. Vnde appellatione publica bonũ ſecũ afferebat teſtimonium

Reg. Duo nomina diuerſarum linguarũ vni date.

nium etiã ab iis,qui foris ſunt,quod cõmendat Paulus 1.Timot.3.Probatiſſimæ verò vitæ oportet fuiſſe illũ, qui ad tantũ munus à tanto,támque probato cõuentu ſit aſſumptus;quique nõ à domeſticis ſolùm, ſed etiã ab externis publicè ſuæ virtutis,atq; innocentiæ teſtimonium haberet.

57. Nomina multa Latina in textu Græco. Notandum,hîc nomina propria, aut etiã ea, quæ propriorum vſum, & locũ habent, etiamſi appellatiua ſint,ſiue quæ peregrino nomine magis nota ſunt; à ſacris ſcriptoribus ea forma interdum vſurpari, quam habuerunt in ea lingua, atque idiomate,vnde ſũpta ſunt. Quare in hiſtoria ſacra, quæ Græcè ſcripta eſt, inuenies Latina forma,& ſono,*cuſtodiam,flagellum,ſudarium,cenſum,prætorium,coloniam,legionem*,& alia plura.Vide Salmeronem Proleg.13. Sic etiam hic Latino vocabulo *Iuſtus* dicitur,quia eo etiam nomine Hieroſolymis notus. Quod nomen habuerunt in Græco etiam codice,Titus infrà cap.18. & quidam Ieſus ad Coloſſ.cap.4.

Verſ. 25. *Vt abiret in locum ſuum.*]

58. Locus hic ambiguus eſt; neque enim apparet ex hac loquendi forma abiturúſne fuerit Iudas in locum ſuum,id eſt,in laqueum, & infernum; nam hic locus proditoris eſt, alius vſurpatus, & alienus: an Matthias, vel Ioſeph in locum ſibi deſtinatum, id eſt, Apoſtolatum. Vtrumque enim admittit ſacer hic textus; & ita innuit Oecumenius. Videtur autem pertinere magis ad Iudam, ad quod propendent magis omnes pene Interpretes,& Bernardus ſermone 8.in Pſal.9. Et ſanè ita videtur poſtulare curſus ipſe orationis; nam ſuprà dictum fuerat à Petro præclaram ſortem Apoſtolatus cum infami poſſeſſione agri commutaſſe Iudam:nunc illud idem cõfirmat,dum ait excidiſſe ex Apoſtolatu,vt in locum ſuum,id eſt,ſuæ debitum perfidiæ deſcenderet: neque enim eius erat, aut certè eius conueniens moribus locus ille ſublimior; à quo ſacrilega audacia præuaricatus eſt.

Verſ. 26. *Et dederunt ſortes eis.*] Græcè αὐτῶν, i. *ipſorum*, Ioſeph,nẽpe,& Matthiæ,quia eorũ locus, & gradus quærebatur. Quæ verò ſortes iſtæ fuerint non conſtat: at eſſe inter Hebræos vſitatum, ante diuini Spiritus deſcenſum in Apoſtolos, ſortes conſulere, docet Beda, & exemplorum in Scriptura ſatis, vbi obſeruat ſortes ab eo tempore inter Sanctos conſuli deſiiſſe. Poriò cùm aliquid,ſi ex hominum arbitratu fieret; offenſioni in futurum eſſe credebatur,aut inuidiæ,aut cùm res ſic eſſet incerta, vt humano conſilio,atque ſolertia explorari nõ poſſet,res cõmittebatur ſortibus, quas cùm Deus temperet,iuxta illud Prouerb. 16. *Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur*; quidquid declarabatur ſorte, id à Deo probari,aut manifeſtari putabatur.Infidelium etiam hominum ſortes à Deo regi docuit peccatum Ionæ per infidelium ſortes à Domino proditum; & euentus eodem conſilio quæſitus ab Aman de Iudæorum exitio Eſther 3. Sortitò enim exiit menſis duodecimus diuino conſilio, vt inquit Rupertus, vt eo ſpatio Iudæi ſibi ipſis in eo diſcrimine conſulerent. Dei autem explorari ab Apoſtolis voluntatem, atque conſilium certum eſt, quia id orantes petunt: *Tu Domine, qui corda noſti hominum, oſtende quem elegeris*, &c. 59. Quando locus ſortibus.

Sortes propriè dicuntur,quæ non conſilio aliquo, aut ratione, quæ dubia ſunt, produnt, ſed caſu 60. Quid ſort.

tan

tantùm, atque fortuitò. Cicero 2. lib. de diuin. *Quid enim ſors eſt? idem propemodum quod micare, quod talos iacere, quod teſſeras; quibus in rebus temeritas, & caſus, non ratio, nec conſilium valet.* Hæc verò vel coniectu fiunt, vt cùm quis talos iacit, aut eductu, cùm ex vrna, aut ſinu extrahuntur nomina, aut nota iam, & conſtituta ſymbola: hoc verò modo Apoſtolos adhuc rudes diuinam voluntatem cõſuluiſſe, non eſt improbabile, cùm id apud Hebræos viitatum eſſet, vt probat illud Prou. 16. ſuprà, & caſus Achan, & Ionathæ, qui ſortibus deprehẽſi ſunt, alter de anathemate cõtra Dei præceptum; Ioſue c. 7. alter de melle contra parẽtis edictum aliquid tuliſſe; & ſcirent ſortes à Domino temperari, cuius tunc voluntate, atque Spiritu ducebantur. Et ita ſentit Beda, & indicat S. Thomas 2. 2. q. 95. ar. 8. vbi multa de ſortibus. Tamen valdè probabile eſt, explorare Apoſtolos voluiſſe diuinam voluntatem ſortibus non propriè, ſed figuratè ſumptis.

61. Sortes impropriæ, & metaphoricæ ſunt; cùm id quod obſcurum eſt, & incertum, quódque ſortibus plerumque exquiri ſolebat, alio quodam modo inueſtigatur. Modus autem ille, quicunque ſit, ſors dicitur vulgato omnium pene linguarum more, in quibus eorum nomen retineri ſolet, quorum loco aliquid ſuffectum eſt; vnde *metiri*, & *pendere ſtipendia* ab antiquo ritu, & ſtipendium *congiarium*, vel *ſalarium* vocatur, quia his olim famulorum operæ compenſabantur. Sic ergo oracula omnia ſortes dicuntur, quia ſortium loco futura prænunciant. Duobus modis à Deo nobis obſcurum aliquid ſignificari petimus, vel vt animos noſtros interna aliqua inſpiratione doceat, & illuminet, vel vt externo ſigno, atque aſpectabili, quid fieri velit, oſtendat. Vtrum horum modorum adhibuerint in hanc deliberationem Apoſtoli, incertum; vtrolibet fieri potuiſſe probabile eſt. Neque obſtat quod Matthias annumeratus dicatur cum vndecim Apoſtolis, pro quo Græcè habemus, συγκατεψηφίσθη, id eſt, *ſuffragiis electus eſt*: nam vbi ſuperna luce illuſtrati, vel aliquo viſibili ſigno edocti de diuino conſilio certi fuerunt, ſuis ſuffragiis, vel acclamationibus dixẽre illum futurum eſſe in Apoſtolorũ numero, quem internus à Deo afflatus, vel cœleſte prodigium deſignaſſet.

Sanctus Dionyſius de Eccleſiaſtica Hierar. cap. 5. p. 3. cœleſti ſigno declaratum eſſe Matthiam oſtendit. *Videtur*, inquit, *mihi Scriptura ſacra ſortem appellaſſe diuini quiddam, & præcipui muneris, per quod illi choro ſacratiſſimo inſinuaretur, quis eſſet diuina electione declaratus.* Neque nouũ eſt, vt nuper diximus, *ſortis* nomine non tantùm comprehendi ea, in quibus caſus tantùm, & fortuna dominatur; ſed etiam oracula, & quod rei alicuius dubiæ certam cognitionem oſtentat. Cic. de diuin. ſortes appellat, quæ vaticinatione funduntur. Virgil. Æneid. 5. 62. Quo ſigno electus Matthias.

Italiam Lyciæ iuſsêre capeſſere ſortes.

Horatius in arte,

——dictæ per carmina ſortes.

Ouid. 1. Metamor. ſimili propè conſilio, licèt in materia toto cœlo diuerſa;

——placuit, inquit, *cœleſte precari*
Numen, & auxilium per ſacras quærere ſortes.

Eſt autem veriſimile externum ſignum, quod etiam vocari poteſt oraculum, cecidiſſe ſuper Matthię ſymbolum, aut nomen, eóque declaratũ eſſe Apoſtolum; ſicut Aaron n. 17. florente

florente virga deſignatus Sacerdos, & Ioſephus Virgini datus ſponſus de cœlo. Quod ſignũ ſortem appellar Germanus in oratione de oblatione Mariæ, & Epiphanius hæreſi 78. & in Anchorato ad medium.

63. Porrò illud, *dederunt eis ſortes*, Græcè *eorum*, id eſt, Matthiæ, & Ioſephi, ſic interpretor, vt qui futuri erant electionis ſpectatores, aut arbitri, ſortes duorum, id eſt, ſymbola, aut nomina in medio conſtituerent, in quæ ſignum aliquod caderet cœleſte; ſeu duo certa ſigna proponerẽt, quorum altero Matthias, altero Ioſephus Apoſtolus deſignaretur, ſicut Ionathas fecit, cùm caſtra Philiſtim cum armigero aggreſſurus fuit: & ſeruus Abraham cùm ad puteum certo ſigno de vxore Iſaac explorauit. Cecidit autẽ ſors ſuper Matthiã; aut quia Matthiæ nomen, aut ſignũ tetigit, aut quia illud ſignũ de cœlo datũ, quod pro Matthia reliqui cõſtituerant. Neque mirum videri debet, ſi Apoſtoli rudes adhuc maiorũ exemplo docti ſignũ aliquod è cœlo diuini conſilij, & voluntatis teſtem poſtulauerint. Hæc mihi videntur aliena non eſſe, neque ab vſu, neque à litera: ſi quis tamen de propria ſorte accipiat, quod, vt dixi, docent magni nominis authores, ſic illud, *dederunt ſortes eis*, commodè exponi poteſt, deſignata fuiſſe quædam ſymbola, aut teſſeras pro Matthia, & Ioſepho, quæ etiam eſſe potuerunt ipſorum nomina; nam ipſos abfuiſſe ab eo conuentu veriſimile eſt: quia in electionibus, præſertim vbi inter paucos deliberatio eſt, illi de quibus eſt conſultatio, ipſo electionis articulo intereſſe non ſolent. Cecidit verò ſors ſuper Matthiã, quia Deus ita ſortes temperauit, vt ſors eius exierit. Porrò, vt priori loco *ſortes* pro ſymbolis, aut nominibus ſumuntur; ſic credo *ſortem* poſteriori pro ſtatu, aut munere Apoſtolico eſſe ſumendam; ita vt ſortibus à Domino temperatis Matthias ſortem illam Apoſtolatus obtinuerit; quo ſenſu dixit Horatius lib. 1. Saty. 1. ſortem à ſorte obiectam:

Quî fit Mæcenas, vt nemo quam ſibi ſortem
Seu ratio dederit, ſeu ſors obiecerit, illa
Contentus viuat.

Hæc de primo capite.

COMMENTARII IN ACTVS APOSTOLORVM.

CAPVT SECVNDVM.

1 *ET cùm complerentur dies Pentecoſtes,erant*
2 *omnes pariter in eodem loco : * & factus*
eſt repentè de cœlo ſonus,tanquam aduenien-
tis ſpiritus vehementis , & repleuit totam
3 *domum vbi erant ſedentes.* Et apparue-*
runt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis,
4 *ſeditque ſupra ſingulos eorum : * & repleti ſunt omnes Spiritu*
ſancto,& cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus ſanctus
5 *dabat eloqui illis.* Erant autem in Ieruſalem habitantes Iudæi,*
6 *viri religioſi ex omni natione , quæ ſub cœlo eſt.* Facta autem*
hac voce conuenit multitudo , & mente confuſa eſt , quoniam
7 *audiebat vnuſquiſque lingua ſua illos loquētes.* Stupebant autē*
omnes,& mirabantur, dicētes:Nónne ecce omnes iſti,qui loquū-
8 *tur,Galilæi ſunt, *& quomodo nos audimus vnuſquiſque lin-*
9 *guā noſtrā,in qua nati ſumus? * Parthi,& Medi , & Elamitæ,*
& qui habitant Meſopotamiam,Iudæam,& Cappadociam,Pō-
10 *tum , & Aſiam , * Phrygiam, & Pamphyliam,Ægyptum, &*
11 *partes Libyæ,quæ eſt circa Cyrenen,& aduenæ Romani,* Iudæi*
quoque , & proſelyti, Cretes,& Arabes : audimus eos loquen-
12 *tes noſtris linguis magnalia Dei. * Stupebant autem omnes,*
& mirabantur ad inuicem dicentes : Quidnam vult hoc eſſe?
13 ** Alij autem irridentes dicebant : Quia muſto pleni ſunt iſti.*
14 ** Stans autem Petrus cum vndecim leuauit vocem ſuam , &*
locutus eſt eis : Viri Iudæi , & qui habitatis Ieruſalem vniuerſi,
hoc vobis notum ſit , & auribus percipite verba mea.
** Non*

* Non enim, ſicut vos æſtimatis, ebrij ſunt, cùm ſit hora 15
diei tertia: * ſed hoc eſt, quod dictum eſt per Prophetam 16
Ioël: * Et erit in nouiſſimis diebus (dicit Dominus) effundam 17
de Spiritu meo ſuper omnē carnē: & prophetabunt filij veſtri,
& filiæ veſtræ, & iuuenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores
veſtri ſomnia ſomniabunt. * Et quidem ſuper ſeruos meos, 18
& ſuper ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu
meo, & prophetabunt: * & dabo prodigia in cælo ſur- 19
ſum, & ſigna in terra deorſum, ſanguinem, & ignem,
& vaporem fumi. * Sol conuertetur in tenebras, & 20
Luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domni ma-
gus & manifeſtus. * Et erit: omnis, quicumque inuocauerit 21
nomen Domini, ſaluus erit. * Viri Iſraëlitæ, audite verba 22
hæc: Ieſum Nazarenum, virum approbatum à Deo in vo-
bis, virtutibus, & prodigiis, & ſignis, quæ fecit Deus per
illum in medio veſtri, ſicut & vos ſcitis: * hunc definito 23
conſilio, & præſcientia Dei traditum, per manus iniquorum
affligentes interemiſtis: * quem Deus ſuſcitauit, ſolutis do- 24
loribus inferni, iuxta quod impoſſibile erat teneri illum ab
eo. * Dauid enim dicit in eum: Prouidebam Dominum in 25
conſpectu meo ſemper: quoniam à dextris eſt mihi ne com-
mouear: * Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit 26
lingua mea, in ſuper & caro mea requieſcet in ſpe: * Quo- 27
niam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis
Sanctum tuum videre corruptionem. * Notas mihi feciſti vias 28
vitæ: & replebis me iucunditate cum facie tua. * Viri fra- 29
tres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid
quoniam defunctus eſt, & ſepultus: & ſepulchrum eius eſt
apud nos vſque in hodiernum diem. * Propheta igitur cùm eſ- 30
ſet, & ſciret quia iureiurando iuraſſet illi Deus de fru-
ctu lumbi eius ſedere ſuper ſedem eius: * prouidens lo- 31
cutus eſt de reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus
eſt in inferno, neque caro eius vidit corruptionem.
* Hunc Ieſum reſuſcitauit Deus, cuius omnes nos teſtes 32

Digitized by Google

33 *ſumus. * Dextera igitur Dei exaltatus, & promiſſione Spi-
ritus ſancti accepta à Patre effudit hunc, quem vos videtis,
34 & auditis. * Non enim Dauid aſcendit in cælum: dixit au-
tem ipſe: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis
35 36 * donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. * Cer-
tiſſimè ſciat ergo omnis domus Iſraël, quia & Dominum eum,
& Chriſtum fecit Deus, hunc Ieſum, quem vos crucifixiſtis.
37 * His autem auditis, compuncti ſunt corde, & dixerunt ad
Petrum, & ad reliquos Apoſtolos: Quid faciemus viri fra-
38 tres? * Petrus verò ad illos: Pœnitentiam (inquit) agite, &
baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti in re-
miſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spi-
39 ritus ſancti: * vobis enim eſt repromiſſio, & filiis veſtris, &
omnibus, qui longè ſunt, quoſcumque aduocauerit Dominus
40 Deus noſter. * Aliis etiam verbis plurimis teſtificatus eſt, &
exhortabatur eos, dicens: Saluamini à generatione iſta praua.
41 * Qui ergo receperunt ſermonem eius, baptizati ſunt: & appo-
42 ſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia. * Erant autem
perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione
43 fractionis panis, & orationibus. * Fiebat autem omni animæ
timor: multa quoque prodigia, & ſigna per Apoſtolos in Ieruſa-
44 lem fiebant, & metus erat magnus in vniuerſis. * Omnes etiã,
qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia.
45 * Poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant, & diuidebant illa
46 omnibus, prout cuique opus erat. * Quotidie quoque perduran-
tes vnanimiter in templo: & frangentes circa domos panem, ſu-
47 mebant cibum cum exultatione, & ſimplicitate cordis, * collau-
dantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem. Domi-
nus autem augebat qui ſalui fierent quotidie in idipſum.*

IN

Digitized by Google

IN CAPVT SECVNDVM ACTVVM APOSTOLORVM.

Verſ. 1. D*Vm complerentur dies Pentecoſtes.*] Duplici capite

1. Quo cé-lebrata Pẽtecoſte.

dies hic celebris, & illuſtris Pẽtecoſte dicitur; & quia ille dies quinquageſimus eſt à Reſurrectione Domini, & quòd tunc renouaretur memoria datæ legis, quæ quinquageſimo die ab egreſſu ex Ægypto data creditur. Ita putat Cyprianus ſermone de Spiritu ſancto. Hieronymus ad Fabiolam manſione 12. Auguſt. qq. ex Nouo Teſtamento cap. 95. & epiſt. 119. cap. 16. Leo ſermone 1. de Pentecoſte. Chryſoſt. ſerm. 2. in eodem feſto: ſed non conſtat certò datam eſſe legem illa die; neque ſi data eſſet, ideo Iudæis olim fuiſſe ſolennem. Sed eſt mihi veriſimilius die ſexto tertij menſis datam eſſe legem, vt bene probat Ribera libr. 5. de templo cap. 7. Atque ita credo eodem die, & Apoſtolos Spiritum ſanctum, & legem à Deo accepiſſe Hebræos. Sed ſanè mirum eſt, cùm eo die Hebræi in monte Sinai legem acceperint, nullam in inſtitutione Pentecoſtes mentionem fieri de lege. Sed ab oblatione

Cuius gratiâ inſtituta.

quadam, quæ illo die fieri præcipitur, vocatur feſtum nouorum, id eſt, nouarum frugum; vel primitiarum, quia, vt ex Leuit. cap. 23. & Deut. c. 16. conſtat, ſinguli familiæ eo die panes duos è nouo tritico, quod tunc incipiebat meti, offerebant Domino frugum primitias. Quare videri poſſet inſtitutum hoc feſtum in gratiarum actionem pro terræ frugibus; quod ex eo etiam apparet veriſimile, quia quinquageſimus hic dies à ſecundo Azymorum die numeratur, in quo ſimiliter offeruntur manipuli, id eſt, primitiæ frugis hordeaceæ. Quare duo iſti dies conſecrati videntur; alter pro hordeaceo, alter pro triticeo prouentu.

De inſtitutione huius feſti agitur 2.
Leuit. 23. & Deut. 16. vtrobique iiſdem pene verbis. *Numerabitis*, inquit, *ergo ab altero die Sabbathi, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum ſeptem hebdomadas plenas vſque ad alterum diem expletionis hebdomadis ſeptimæ, id eſt, 50. dies, & ſic offeretis ſacrificium nouum Domino*, &c. Dies autem hic, in quo offeruntur manipuli, vt vidimus, ſecundus Azymorum eſt. Sed vt tota ratio conſtet, quæ obſcurior eſt, aliqua nobis expedienda ſunt.

Primum, ſi ſecundus Azymorum 3.
dies cadit in 16. Lunam menſis primi, quo tempore frigus eſt (vt docuit Petrus, qui primo Azymorum die, in quo Chriſtus eſt paſſus, calefaciebat ſe, quia frigus erat) quomodo poterant tunc hordeaceæ fruges eſſe maturæ, vt excuſſis è manipulo granis, oblatio fieret? Certum eſt in Palæſtina meſſem hordeaceam incidere in æquinoctium vernum, atque adeò plerumque in Paſcha, & Azyma. Ita Origen. in cap. 4. Ioan. Caiet. ibid. Abul. 1. Reg. 12. q. 15. Ioſeph. lib. 3. Antiq. cap. 10. ſcribit Iudæos ſecundo die Azymorum demeſſis frugibus ad illud vſque tempus intactis inci-

Meſſis hordeacea tempore Azymorũ.

pere veſci. Et Ægeſippus lib. 3. cap. 6. tradit, tunc in Iudæa fruges meti, quando alibi ſeruntur: & probat ſatis Scriptura; nam Exod. 13. & Deut. 16. menſis Niſan vocatur menſis nouarum frugum: & Ioſue 4. populus tranſiuit Iordanem tempore meſſis; & ſtatim cap. 5. dicitur altera die Azymorum, id eſt, ſecundo die comediſſe de frugibus præſentis anni panes Azymos, & polentam. Quòd ſi propter Lunæ varietatem, quæ menſium rationem moderatur, ac temperat (illa enim menſes inchoat, & finit) contingat 16. Luna ſpicas eſſe virentes, oblationis forma traditur Leuit. 2. *Si autem*, inquit, *obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino de ſpicis adhuc virentibus, torrebis igne, & confringes in modum farris*, &c. Vide Ioſeph. lib. 3. Antiq. cap. 10.

4. Sabbathū ſecundo-primum.

Ante oblatos manipulos ſecundo die Azymorum, nullo modo licebat aut metere, aut vti nouis frugibus. Ita Leuit. 23. & Ioſephus ſuprà. Ex quo, meo iudicio, colligitur
Luc. 6. cur à Luca cap. 6. obſeruatum ſit eſſe Sabbathum ſecundoprimum, in quo ſpicæ ab Apoſtolis collectæ ſunt. Significare enim voluit per legem illis licuiſſe vellere ſpicas, cùm neceſſariò tranſiiſſet ſecundus dies Azymorum, in quo manipuli eſſent oblati. Tria obiici potuerunt Diſcipulis, & quòd alienas collegiſſent ſpicas; & quòd ante tempus, & quòd in die Sabbathi. A primo excuſat illos Lucas dum dicit velliſſe Apoſtolos ſpicas, non meſſuiſſe: nam Deut. 23. lex quæ vetat, ne falcem quis mittat in alienam ſegetem, permittit vt velli poſſint ſpicæ, terique manibus. A ſecundo defendit dum tempus notat, dicens eſſe Sabbathum ſecundoprimum, quod neceſſariò ſequitur ſecundum diem Azymorum, in quo oblati ſunt manipuli. Quare oſtendit Phariſæos id vnum habuiſſe quod obiicerent Apoſtolis, quòd laborem ſuſcepiſſent in Sabbatho ſpicis vellendis; eóſque Chriſtus propter neceſſitatem à violati Sabbathi culpa defendit.

5. Dicitur verò, vt ego exiſtimo, Sabbathum ſecundoprimum (neque enim explicationes aliæ omnino vel ſuis authoribus ſatisfaciunt) quia Sabbathum quod anteceſſerat, id eſt, proximum decimæ quartæ Lunæ, erat primò primum: vel quia primum erat in anno, quia incidebat in tempus omnium celeberrimum, à quo conſentaneum erat, vt temporum curricula ducerentur, & eſſet Sabbathum aliquod, à quo cætera ordinem ſumerent, & numerum. Sicut nunc noſtræ Dominicæ, quia numerum ſumunt à Reſurrectione, & Pentecoſte; dicuntur primæ, vel ſecundæ poſt Reſurrectionem, vel Pentecoſtem. Sic etiam Sabbathum primum dicitur, quod omnium proximè ſuccedit decimæ quartæ Lunæ; ſecundò primum, vel ſecundum à primo, quod ab eo proximum eſt. Seu certè, quod magis probo, quia Sabbathum quod anteceſſit, directò in illum diem incurrebat, in quo Deus ab vniuerſi creatione ceſſauerat: &
ideo credo Ioan. 20. illum diem vocatum eſſe magnum. Ioan. 20.
Erat, inquit, *magnus dies ille Sabbathi*. Nam illud (*ille*) aliquid præcipuum ac ſingulare ſignificat ſupra reliqua Sabbatha, quæ in memoriam Domini Creatoris iuſſa ſunt coli; quid enim opus erat dicere illum diem Sabbathi eſſe magnum; cùm prius meminiſſet

Digitized by Google

miniſſet diem eſſe Sabbathi? Sicut nunc apud nos prima eſt, & præcipua illa Dominica, quæ memoriam recolit Reſurrectionis Chriſti: aliæ verò Dominicæ per annum ita eandem Reſurrectionem celebrant, vt illa priori ſint longè inferiores. Quòd verò eo tempore, æquinoctio ſcilicet verno, creatus ſit mundus, communior eſt ſententia Patrum, & rationes graues. Quia cùm in æquinoctio verno mundus maxima à Deo beneficia acceperit: in ipſo enim Iſraëliticus populus ex Ægyptia ſeruitute liberatus; in eo Deus in virgineo vtero factus eſt homo; in eo mortuus: quare cùm in eo refectus ſit mundus, conſentaneum eſt, vt in ipſo quoque factus fuerit. Accedit quòd ab eo æquinoctio ſpecioſa facies eſt anni, & læta temperies; ab autumnali verò horrida, & triſtis. Certè antiqui renaſci annum putant ineunte vere; ex quo dicturi etiam videntur natum tunc eſſe. Certè Virgil. 2. Georg. vernum tempus mundo naſcenti maximè opportunum eſſe dicit; ſic enim de vere:

Mundus creatus in æquino. ctio verno.

Non alios prima creſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies, aliúmve habuiſſe tenorem
Crediderim, ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis.——————

Aliqui in Autumno creatum eſſe mundum eò maximè ſibi perſuadent, quia tempore illo arbores plenæ ſunt fructibus, & venuſtiſſima totius anni ſpecies eſt. Sed hi non vident ineunte vere, id eſt, in æquinoctio verno, eo loco vbi communiter exiſtimatur Adam eſſe creatus, meſſem eſſe hordeaceam: & in eius meſſis maturitate aliarum etiã arborum maturitatem contingere; & ex eo tempore annum eſſe pulchriorem: neque eſſe veriſimile annum in ſua quaſi ſenectute fuiſſe creatum, vt ſtatim nudus appareret, & horridus. Vide Pereiram diſputatione quadam in primum caput Geneſ. vbi ipſe in contrariam ſententiam inclinat cum Abulenſ. & Lyra. Sed rationes horum non admodùm vrgent. Vide Molinam de opere ſex dierum diſput. 14.

6. Sed quia hæc ſententia noua videtur, neque omnino à ſuis difficultatibus expedita, aliquid explicationis gratiâ addamus oportet. Vt communiter pene omnes mundum in æquinoctio verno creatum exiſtimant; ſic etiam Lunam in plenilunio, eo ſcilicet aſpectu quẽ habet decima quarta die à ſuo exortu. Ita Beda. S. Tho. 1. p. q. 70. ar. 2. ad 5. *Satis*, inquit, *probabile eſt quòd Luna fuerit facta plena, ſicut & herbæ factæ ſunt in ſua perfectione, facientes ſemen, & ſimiliter animalia, & homo.* Molina de opere ſex dierum diſput. 15. Auguſt. lib. 2. in Gene. cap. 15. dubius eſt. Ex quo fit decimæ quartæ Lunæ poſt tertium diem ſucceſſiſſe Sabbathum illud magnum, à quo alij feſti dies appellantur Sabbatha, in quo Deus ab vniuerſo opere requieuit. Vnde eſt ſatis veriſimile Sabbathum quod proximè ſuccedit decimæ quartæ Lunæ, eſſe quotannis magnum Sabbathum.

7. Sed illud video obeſſe huic explicationi, quia menſes cum Luna oriuntur, ita vt primus Lunæ, ipſe quoque ſit primus menſis dies:

dies: quare ille *neomenia* dicitur, id eſt, Luna noua, ſeu prima. Quòd ſi in ſuo plenilunio Luna creata eſt, menſis primus mundi aliter incepit atque menſes alij, alij nempe à prima, ille verò à decima quarta Luna; imò etiam ſi ſequens menſis à nouilunio incipit, neceſſe eſt, vt primus menſis quindecim, aut ſedecim tantùm dies habuerit.

8. Hoc mihi ſolùm in ea ſententia difficile eſt, ſed aliud huic incommodo non diſſimile ſequitur, ſi Lunam in congreſſu Solis, id eſt, ſine luce creatam eſſe fateamur, vt alij volũt, neque enim eſt qui alio in ſtatu, vel aſpectu creatam eſſe dicat: nam cùm Luna creata fuerit quarto die, ſi menſis à noua incipit Luna, neceſſe omnino eſt, vt tres qui anteceſsēre dies, extra ordinem menſium ſint, imò extra annorum, quia ſicut Luna ſuo curſu menſes, ſic annos Sol moderatur, ac definit.

9. Mihi hæc non adcò grauia viſa ſunt, vt priorem mihi ſententiam extorqueãt: nam vt in vniuerſi exortu multa facta ſunt, ſecus atque aliis, quæ deinde conſecuta ſunt, ſæculis: quæ nimirum Deus ad hominum vſum aliter diſpoſuit, atque in principio rerum inſtituerat; vt quòd terra vbique lateret ſub aquis, quòd tempora non eſſent dierum, ac noctium viciſſitudine diuiſa; quòd primus homo plures habuerit coſtas, quàm reliqui hominum; quòd ineũte vere arborum fructus illam haberent maturitatem, quam habere plerumque ſolent ſub Autumnum: ſic etiam non admodùm durum videri debet, ſi dicamus aliter eſſe ſiue numerata, ſiue deſcripta tempora poſtea, quàm in principio mundi: aut totum illud tempus, quod primam Lunę cum Sole coïtionẽ anteceſſit; quæ menſes inchoat, in communem alium omnium ſæculorum ordinem non cogi. Ita vt menſis primus à Luna creata, id eſt, à plenilunio ad principium vſque ſecundæ Lunæ, à quo menſis incipit ſecundus, diebus conſtiterit quindecim, aut ſedecim, reliqui deinceps 29. aut 30. ſicut etiam de anno aliquid non minùs difficile dicendum eſt. Nam ſi Sol creatus eſt in principio Arietis, vnde cum æquinoctio verno incipit annus, ſanè aut tres dies, qui præceſſerunt, extra ordinem ſunt; aut primus ille annus tribus diebus alios ſuperauit.

In principio mundi multa extra cõmunẽ ordinẽ naturæ.

Sed hîc rogabis, quomodo à die Reſurrectionis ad Pentecoſtem vſque 50. dies intercedere potuerint; nam interceſſiſſe communis eſt opinio. Sanè hoc non facile explicatu eſt: nam dies Dominicus, in quo ſurrexit Dominus, non potuit incidere in ſecundum Azymorum, à quo ad Pentecoſtem dies 50. numerantur. Quòd ſi Pentecoſte noſtra in Hebræorum incurrat Pentecoſtem, neceſſe eſt, vt plures ipſi numerent dies quàm quinquaginta: nam cùm ſecũdus dies Azymorum incideret in Sabbathum, quinquageſimum etiã diem Sabbathum eſſe oportuit: atqui certum eſt Pentecoſtem in diem incidiſſe Dominicum. 10.

Reſpondent aliqui, eo anno diem primum Azymorum tranſlatum eſſe in Sabbathum ſequens; atque inde fieri, vt ſecundus dies Azymorum, eſſet dies Dominicus. Ita Burgenſis in addition. ad caput 26. Matth. Lyra in illa verba eiuſdem capitis; *erat autem dies Azymorum.* Gagneius ibidem. Ianſenius in Concordia c. 126. Onufrius lib. 2 faſt. anno 180. Ioannes Lucidus tractatu de Paſſione Chriſti cap. 9. Maldonatus in illud Matth. 26. *ſcitis quia poſt biduum Paſcha fiet*; & alij plures. Ratio verò eſt, quia cùm die feſto parari non poſ- 11.

ſint

ſint cibi; ita Iudæi tēpora diſpēſant, vt duo feſti dies non ſuccederēt ſibi continenter; eſſet enim & moleſtum parare cibos pro duobus feſtis, & illud non admodùm vel ad ſtomachum, vel ad palatum: item laborioſum eſſet duobus continuis diebus ab omni opere ſeruili vacare. Sed hîc non vidēt aliis feſtis diebus à Sabbatho licere per legem condire cibos. Et ſignatè de Azymorum diebus primo, atque poſtremo, qui ſolēnes ſunt, dicitur Exod. 12. *Nihil operis facietis in eis exceptis his, quæ ad veſcendum pertinent.* Et certè duos dies feſtos fuiſſe coniunctos docet Ioſephus lib. 13. Antiq. cap. 16. vbi ad preces Hircani Iudæi conſtitit ad biduum Antiochi exercitus, *quia Penteeoſtes,* inquit, *inſtabat poſt Sabbathum, quo tempore iter facere noſtris nefas habetur.*

11. Alij putant eo anno non à ſecūda die Azymorum numeratos fuiſſe ab Hebræis 50. dies, ſed à tertia, id eſt, à die Dominica, quia cùm ſecundus ille dies eo anno incidiſſet in Sabbathum, in quo metere non licebat. Exod. 34. manipulus primitiatum eo die offerri non potuit. Oblatus eſt ergo ſequenti die; à die verò oblationis numerandos eſſe 50. dies conſtat Leuit. 23. Ita fermè Epiphanius hæreſi 51. Baronius in Annalibus anno 34. Manuel de Sa hîc. Quæ ſanè explicatio contemnenda non eſt; nam licèt lex non vetaret religionis causâ manipulos illos metere, maximè cùm res eſſet leuiſſima, tamen gentis illius in eo genere nimia ſuperſtitio alligata verborū non tam ſententiæ, ac ſpiritui, quàm ſono; non patiebatur leuiſſimum illum metendi laborem aſſumi. Minoris certè laboris erat ſpicas vellere, ac fricare manibus; ſed, quia id factum eſt die Sabbathi, Diſcipuli violatæ religionis à Phariſæis accuſati ſunt. Neque Chriſtus videtur concedere id licere in Sabbatho, cùm docuerit exemplo Dauid illud propter neceſſitatem fieri potuiſſe. Die verò antecedenti meti non poterat, quia erat primus Azymorum, atque ideo oblationem in tertiam diem, id eſt, in Dominicam dilatam oportuit.

Sed neque hoc placet; nam ſicut religionis causâ fiebant alia maioris laboris, atque moleſtiæ in die feſto, vt victimarum cædes, & præparatio, quæ operæ eſſent ſeruilis, niſi interceſſiſſet religio, ſic etiam manipulorum meſſio, quæ neque minùs erat religioſa, neque magis moleſta. Meſſuiſſe verò manipulos Iudæos die Sabbathi, quando in illum incurreret dies manipulorum, docet Rabbi Iſaac Arama ſuper illud Leuit. 23. *Cùm veneritis in terram, quam ego do vobis, & meſſueritis,* &c. vbi etiam formam tradit metendi manipulos in Sabbatho; & citat librum Menahoth, quæ eſt pars Talmud. Adde quòd non eſt neceſſe, vt eodem die metantur manipuli, quo offeruntur: neque enim id vllo modo colligitur ex inſtitutione, licèt ita eſſe faciendum præſcribat Talmudicus liber Menaboth, de quo ſuprà. Nam ſi fortè propter Lunæ varietatem, aut tempeſtatem frigidam, & minùs opportunam frugum maturitati in agro Hieroſolymitano non eſſent ad oblationem idonei manipuli, ex agro Galilæo, vbi maturior eſt prouentus, adducebantur, vt tradit Ioſephus, ſi ſatis memini, quo tamen loco in præſentia nō ſuccurrit. Cùm autem ager ille eſſet remotior, neceſſe erat multo ante ſecundum diem fruges eſſe demeſſas. 12. Manipuli in Sabbatho meti poterant.

Alij putant Pentecoſtem noſtram 13.

incurriſſe omninò in Pentecoſtem Iudæorum, ſed circiter. Ita Chryſoſt. om. & Oecumenius hîc, in quam ſententiam inclinat Franciſcus Suarez 1. tom. in 3. part. S. Thom. diſput. 46. ſectione 1. Neque abnuit Salmeron, & modus ipſe loquendi non admodùm contrà pugnat. Illud enim, *dum complerentur dies Pentecoſtes*, latiori quodam modo explicari poteſt; quia vt in numeris notior, atq; nobilior aſſumitur, quando, qui notari debuit, parùm ab illo diſtat; ſic notiſſimus dies pro aliis, qui proximi ſunt, adhiberi ſolet. Et idem propè dicunt qui cenſent non agere de antiqua Pentecoſte, ſed de noſtra. Ita Beda, & Auguſtinus citatus à Beda, & Caiet. hîc. Sed poſterior hæc ſententia minùs placet, quia Lucas certum aliquem diem, & notum deſignare voluit; at erat notiſſima antiqua Pentecoſte, noſtra verò obſcura, quando Lucas ſcripſit, neque tunc fortaſſe celebrari cœpta. Deinde, quia ideo videtur Lucas diem oſtendiſſe, vt probabile fieret legentibus ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt, confluxiſſe Iudæos: nam ad feſtum illud vndique fiebat Iudæorum concurſus. Præterea ſi aſſignandus eſſet terminus, à quo ducerentur noſtræ Pentecoſtes dies, Aſcenſionis futurus eſſet, non Reſurrectionis, quia cùm de illa egiſſet in principio Actuum, ad illam referre debuit quod deinde conſecutum eſt.

14. Quare mihi verior videtur illa ſententia, quæ ſtatuit in eundem omninò diem incidiſſe vtramque Pentecoſtem: & ſuppono certiſſimum eſſe (quod miror multis dubium, neque admodùm paucis falſum videri) in incunda aliqua ſumma non eſſe neceſſarium extremum numerum colligi, licèt id magis vſitatum inter Hebræos; ſed interdum vtrumque, ſæpiſſimè autem alterum omitti. De vtroque extremo conſtat; nam quod Matthæus dicit cap. 17. *& poſt dies ſex duxit illos in montem*; dixit Lucas cap. 9. *poſt hæc verba ferè dies octo*, nempe alter extrêmos incluſit terminos, alter excluſit. De altero extremo exempla ſunt obuia 2. Paralipomenon 30. *Facta eſt grandis celebritas in Ieruſalem, qualis à diebus Salomonis non fuerat*. vbi non numeratur tempus Salomonis; & Matth. 1. in ſecunda teſſaradecade non includitur Dauid, à quo ducitur: & Lucæ 2. Anna dicitur vixiſſe cum viro ſeptem annis à virginitate ſua; vbi virginitas extra numerum eſt. Et infrà cap. 13. vbi ponũtur iudices vſque ad tempora Samuelis, neceſſariò excluditur Samuel, quia ipſius Regnum cùm Saülis regno confuſum ſtatim quadraginta annis definitur. & 2. Reg. 6. Michol dicitur non ſuſcepiſſe filium vſque ad diem mortis ſuæ, vbi abſque dubio mortis tempus excluditur. Et, vt obſeruauit Auguſt. tom. 4. quæſt. 10. in Veteri Teſtamento Geneſ. 15. dicuntur filij Iſraël egreſſuri generatione quarta; & Moyſes tradit egreſſos fuiſſe generatione quinta. Occurrunt præterea exempla quamplurima in rebus permanentibus, ac ſolidis; nam in his quoad loquendi modum eadem eſt ratio. Exod. 23. *Ponam autem terminos tuos à mari Rubro vſque ad terminos Palæſtinorum: & à deſerto vſque ad fluuium*. Certum autem eſt aliquot ex his terminis eſſe extra terram promiſſam. Ex his conſtat ſecundum

Regul. In numerando interdum extremi numeri includũtur: interdum neuter, interdum tantũ alter.

dum diem Azymorum eſſe extra numerum quinquaginta dierum, quibus finitur feſtum Pentecoſtes; & ideò cùm ſecundus dies incideret in Sabbathum, à Dominica die cœpit apud Hebræos eo anno quinquagenarius numerus; vnde etiã nos numeramus. Sed eſt aliquid diſcriminis, quia nos à Dominica die incluſiuè, illi à ſecunda Azymorum excluſiuè numerant: quod fieri poſſe, & ſolere non rarò iam docuimus.

15. Sed graui hæc explicatio videtur vrgeri incommodo; quia ſi à die ſecundo Azymorum excluſiuè, id eſt, à Luna 17. dies numeremus ad diem ſextum menſis tertij, id eſt, Maij: in quem, vt docet Hebræorum Calendarium, & eorumdem Chronicum, quod inſcribitur Seder Holam cap. 5. ad finem, perpetuò incurrit feſtum Pentecoſtes, quadraginta nouem dies ſunt, non quinquaginta; quod ita liquet: nam ex primo menſe à 16. die excluſiuè 14. habemus dies, quia ille 30. diebus conſtat. Adde 29. ſequentis menſis, & à tertio deinde ſume ſex; ex his ſumma colligitur 49. dierum, non 50.

Sed eſt ſolutio non difficilis: nam cùm feſti dies à veſpera in veſperã celebrentur, dies, qui præceſſit ratione veſperæ per ſynecdochẽ ad ſequentem pertinet ſolennitatem. Ex quo fit, vt vnus dies ſacer, & vt ita loquar, Eccleſiaſticus, duos contineat ciuiles, & naturales. Nam veſpera illa modò attribuitur in Scriptura ciuiliter antecedenti, modò legaliter ſubſequenti diei feſto. De conſequenti exemplorum ſatis eſt; de antecedenti ſufficiat in hac eadem materia illud Exod. 12. *Primo menſe, quarta decima ad veſperam Azyma comedetis.* vbi veſpera decimæ quartæ eſt, id eſt, præcedentis diei. Quare Pentecoſte optimè dici poteſt incidere in diem ſextum, & ſeptimum tertij menſis. Neque hic loquendi modus alienus eſt ab vſu ſacræ Scripturæ: nam ratione veſperæ decima quarta Luna dicitur dies Azymorum, etiam ante veſperam Matth. 26. *Prima die Azymorum acceſſerunt Diſcipuli ad Ieſum dicentes; vbi vis paremus tibi comedere Paſcha?* Et Marci 14. *Primo die Azymorum, quando Paſcha immolabant, dicunt ei Diſcipuli, quò vis eamus, & paremus tibi, vt manduces?* Lucæ 22. *Venit dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha.* Neque aliam ob cauſam puto Ioſephum, qui probè nouerat, & lib. 3. cap. 10. dixerat feſtum Azymorum per ſeptem dies celebrari, lib. 2. cap. 5. dixiſſe, octo eſſe Azymorum dies. Et Leuit. 23. vbi agitur de ieiunio expiationis, cùm dictum eſſet; *Decimo die menſis huius ſeptimi dies expiationis erit celeberrimus, & vocabitur ſanctus, affligetiſque animas veſtras in eo;* paulo pòſt dicitur: *affligetis animas veſtras die nono menſis;* & eius ratio ſtatim ſubditur: *à veſpera in veſperam celebrabitis Sabbatha veſtra.* Quare ſi quis diceret ieiunium expiationis celebrari die nono, aut die decimo Septembris, nihil diceret alienum ab vſu Scripturæ. Eodem omnino modo nihil nos dicemus inuſitatum, ſi dicamus, diem Pentecoſtes celebrari ſexto, aut ſeptimo die menſis tertij. Venit autem Spiritus ſanctus in Diſcipulos die ſeptimo ſub horam ſextam, id eſt, inclinato iam ad exitum feſto; nimirum 18. horã poſtquam inceperat, & ſexta ante finem: & ideo Lucas

Digitized by Google

dicit, *Dum complerentur dies Pentecoſtes.* vbi pluralis numerus, non vno die, ſed duobus celebrari indicat feſtum Penrecoſtes. Quamuis autem plurimùm ſupereſſet ſpatij ad finem vſque diei, tamen ex vſu ſacræ Scripturæ optimè dicitur dies Pentecoſtes compleri, etiam cùm inceptus tantùm eſt, vt diximus ad illud cap. 1. Zachariæ. *Iſte iam ſeptuageſimus annus eſt.* Accipe nunc duo alia exempla, ſatis ad inſtitutũ accõmodata. Ierem. c. 34. n. 14. cùm de Hebræo ſeruo, qui ineunte anno 7. manumittendus eſt, vt conſtat Exod. 21. *Si emeris ſeruum Hebræũ, ſex annis ſeruiat tibi, in ſeptimo egredietur liber:* tamen de ſeptimo anno quaſi finito videtur loqui. *Cùm completi fuerint ſeptem anni dimittat vnuſquiſque fratrem ſuum Hebræum.* Certum eſt ſub finẽ octaui diei non fuiſſe circumciſũ Ieſum; at Lucæ 2. dicitur *cùm cõſummati ſunt dies octo, vt circuncideretur puer.* i. cùm venit dies octauus.

Verſ. 2. *Et factus eſt repentè de cœlo ſonus, tanquã aduenietis ſpiritus vehemẽtis.*] Græcè πνοῆς βιαίας. i. *flatus violẽti.* Dubitare hîc aliquis poſſet, terribiliſne fuerit ſonitus ille, ita vt Diſcipulorũ corda cõcuſſerit, an verò ſuauis? Certũ imprimis hoc eſſe debet, ſonũ fuiſſe magnũ, quique non ſolùm auditus fuerit in cœnaculo, vbi congregati Diſcipuli, ſed etiam foris: nam *facta hac voce conuenit multitudo.* Cur verò ab aliis quoque ſonus ille de cœlo audiẽdus fuerit, explicat Chryſoſtomus, & Oecumenius, vt intelligerent vocem illam contigiſſe diuinitùs: nam ſi ebrios dixerunt Apoſtolos, cùm variis linguis loquentes audierunt, quid non auderent liberiùs obiicere, ſi non anteceſſiſſet tam illuſtrè de cœlo teſtimonium? Et eſt mihi veriſimile ſonum illum fuiſſe talem

16\. qualis excuſſo fulmine reddi ſolet è nubibus, quod tonitru dicimus. Id enim videtur ſibi velle Græcè πνοῆ βιαία, id eſt, *ſpiritus violentus.* Licèt enim violentus ſit interdum aër à turbine circumactus, aut alio modo violenter impulſus; ſed cum vehementi fragore, ac ſonitu fieri non ſolet, qualem fuiſſe hunc docet tam frequens, tam attonitus ex tota ciuitate concurſus. Adde quòd de cœlo factus eſt ſonus; at fieri de cœlo non dicitur, niſi quod de cœlo lapſum videtur: quare tacta de cœlo dicuntur, quæ ſunt à fulmine percuſſa. Item quia ſonus iſte *vox* ſtatim vocatur; quo nomine vocatur tonitru Pſalm. 28. Hic verò ſonus in aëre factus eſt, qui ex vſu Scripturæ cœlum dicitur, quomodo volucres cœli dicuntur, & claudi cœli ne pluant, & cataractæ cœli, & manna de cœlo, & plurima alia.

Hunc ſonum Diſcipulis fuiſſe ſuauiſſimum, neque terroris aliquid attuliſſe, aut perturbationis, ſatis eſt veriſimile; cùm eſſet quidam nuncius eius, in quo eſſet omnis ſuauitas: licèt enim Spiritum Dei ſanctum antecedere ſoleat grauior aliquis motus, quo terreri ſolent, ac concuti mortalium animi, id tamen plerumque fit cùm ex peccato, id eſt, morte vocantur ad vitam. At hi ſancti iam erant in oratione aſſidui, in Deum vnum intenti, & Paracletum à Domino expectare iuſſi. Paracletum igitur, id eſt, conſolatorem, pacatum, & dulcem, non grauem, & terribilem acceperunt. Sanè Apocal. 14. audita eſt vox tanquam tonitrui magni, ſed dulcis ſicut citharædorum citharizantium in citharis ſuis. Hanc tamen vocem ita diuinus Spiritus moderatus eſt, vt ad aliorum 17. Sonus ſuauis aduenientis Spiritus.

aliorum aures accederet terribilis; & quæ Diſcipulis conſolationi, ac voluptati, aliis timori, atque conſternationi eſſet. Sicut Ioan. 12. vocem à Patre de cœlo miſſam quidam audire potuerunt, & intellexerunt; alij tonitruum eſſe exiſtimarunt.

Verſ. 2. *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ taquã ignis, ſeditq́; ſupra ſingu-*
18. *los eorum.*] Diuinus Spiritus, quia inflammaturus erat Diſcipulorum corda, ignis illorum oculis ſimilitudinem obiecit; & quia totius mũdi magiſtros inſtituebat, magiſtrorum inſtrumenta præcipua ad docendum dedit, linguam ſanè non frigidam & *in vdo*, vt Satyricè Perſius, *lubricè natantem*, ſed igneam, & volubilem, quæque inflammata priùs reliquos ſimiliter inflammaret. Dicuntur autem diſpertitæ, vel quia non eſſent in vno quaſi aceruo confertim, ſicut frondes in arbore, ſed ita diſperſæ, vt ſingulæ ſingulorum capitibus inſiderent: vel quia expeditæ linguæ, & ad fingẽdos ſonos aptæ figuram referebãt. Talis verò lingua diuiſa, ac diſpertita videtur dici poſſe; nam linguæ ad formandam, diſtinguendámque vocem aptæ, abſolutæ eſſe debent, id eſt, extentæ, non conſtrictæ; illæ enim ſermonem exprimunt, voluũtque celeriter, hæ impediunt, & & obſcurant. Quare, vt inquit Ariſtot. 2. de partibus cap. 17. & 1. de hiſtor. cap. 11. conſtricta lingua balborum eſt, atque blæſorum: & homines à Græcis *meropes* dicuntur, quia vocem diuidunt, formántque variè. Vnde lingua diſpertita fortaſſe dicitur hominis lingua, quia ſermones aliter, atque aliter fingit. Et hanc ſententiam indicat Pineda in cap. 17. Iob, verſ. 17.

19. Sed eſt mihi veriſimilius ideo diſpertitas vocati, quia ſectili forma, aut vibrata viſæ ſunt, quod duobus modis contingere potuit, aut quia reuera linguæ illæ diuiſæ erant, quales eſſe in aliquibus animalibus tradit Plinius libro 11. cap. 37. lacertis enim bifida lingua eſt, & vitulis marinis duplex; ſerpentibus verò triſulca, quod etiam Virgilius dixit Georgic. 3. & Valer. lib. 1. Argon. & Ouidius lib. 7. Met. licèt alij bifidam eſſe putent. Ariſt. lib. 2. de partibus animal. cap. vltimo, & Plautus in Aſinaria, & in Pœnulo: ſeu quia licèt vna eſſet lingua, ac ſolida, tamen triſulca videbatur ac multiplex, vt contingit in eis, quæ celeriter moueri, ac vibrari ſolent, vt in virga, & in fulmine, quod, cùm vnum ſit, videtur tamen multiplex; quare communiter à Poëtis fulmen trifidum dicitur, ac triſulcum; & idem etiam contingit in fulgure. Eſt autem in Scriptura vſitatum, vt talia dicantur aliqua, nõ qualia ſunt, ſed qualia videntur, vt diximus in illud Cant. 6. *Naſus tuus.* Et hoc poſterius mihi magis placet, quia vt ſonus ille fuit inſtar tonitrui, vt diximus, ſic ſplendor inſtar ignis, qui cum tonitruo ſimul emicat è nubibus, ignis verò, aut fulgur ex diſciſſa nube violenter erumpẽs ſectili, atque multiplici ſpecie apparere ſolet.

Varie. linguarum figuræ.

Hîc etiã obſerua, linguas non di- 20.
ci ignis, ſed *tanquam ignis*; fuerunt enim ſplendores quidam tanquam emicantes, ſicut ſplendor magni ignis, aut luminis, qui ab aquis, vel ſpeculo vibratur, igneus non eſt, ſed igneo ſimilis. Eſt autem in omnibus ferme linguis vſitatum, vt quod extremum eſt, & acutum lingua dicatur: quare ſcopulos ſummos, & inuios linguas vocat Cæſar libro 3. de bello Gallico, &

Lingua de igne.

Ioſue 15. vbi noſter habet; *à lingua eius, quæ reſpicit Meridiem*; alij ferme omnes *à petra*, vel *ſcopulo*: ſic etiam flamma ignis, lingua ignis dicitur. Iſai. 5. *propter hoc ſicut deuorat ſtipulã lingua ignis*, &c. Quare hũc puto verũ eſſe ſenſum; deſcendiſſe in Apoſtolos ſplendores quoſdam, ac lumina, quæ eſſent inſtar flammarum ignis, nempe diſperſa, & vt ipſa flammarum natura fert, in linguarum ſimilitudinem.

21. Secundò obſerua, non colligi ex textu ſingulas illas flammas, aut ſplendores, in flammarum, linguarúmque ſpeciem figuratos ſingulorum capitibus inſediſſe: nam vox *ſedit*, quæ ſingularis eſt, ad Spiritum ſanctum pertinet, à quo omnes ſtatim dicuntur eſſe repleti, non ad linguas, niſi mauis ad ignem referre cum Cypriano in 3. teſtimonio cap. 101. & Montano hîc. Quod ſanè durum eſt, quia *ignis* in genitiuo eſt, & reuera ignis non fuit, qui ſederet, ſed ſplendores tanquam ex igne. Eſt tamen admodùm veriſimile ita contigiſſe, vt ſplendores illi ſupra ſingulorum capita ſederint; vt indicat Syrus, qui vertit *ſederunt*; & tradit Cyrillus Catecheſi 17. & docent antiquiſſimæ picturæ, quæ longo iam vſu in Eccleſia receptæ grauiſſimi teſtimonij momentum habent. Quòd verò *ſedit* ſingularis ſit numeri; ſplendores autem illi, ſeu linguæ pluralis, non admodùm refert: nam ex vſu Græcorum nomini plurali iungi ſolet verbum ſingulare; & apud Hebræos, quorũ idioma aliquando imitatur Lucas, id eſt frequens, vt adiectiuũ, ſeu verbum ſingulare nomini plurali adiungatur. Gen. 1. vbi noſter, *fiant luminaria*; Heb. *ſit luminaria*, & Gen. 49. vbi vulgatus, *filiæ diſcurrerunt ſuper murum*; Heb. *diſcurrit*. Exempla plura vide apud Pagninum in Arte Grammatica lib. 4. capite 45. Sic ergo *ſedit* adhibitum eſſe pro *ſederunt*, non eſt mirandum.

22. Super mulieres etiã deſcendit Spiritus ſanctus.

Verſ. 4. *Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.*] Omnes quotquot erant in cœnaculo, non Diſcipulos ſolũ, ſed etiã mulieres Spiritus ſanctus repleuit, vt dicit Chryſoſtomus. Certè veriſimile non eſt eo diuini Spiritus conſpectu, & dono Mariam caruiſſe, vt probat Franciſcus Suarez in 3. p. S. Tho. q. 37. diſput. 20. ſect. 2. & idem puto de illis mulieribus, quæ cum Maria dicuntur in oratione perſeueraſſe. Neque, ſi mulieribus publicè concionari permiſſum non eſt, efficitur ſtatim, vt linguarum donum, & ignea quædam facultas otioſa in illis futura fuerit: nam & priuatis colloquiis rem promouere Chriſtianam, & inflammare animos ſolent interdum fœminæ non ſegniùs, aut inefficaciùs quàm viri. Deinde, quia ſicut Apoſtoli antea infirmi, & pauidi ad magna pro Chriſti nomine diſcrimina Spiritus ſancti virtute confirmati ſunt; ſic etiam fœminæ natura pauidæ, ac debiles ad eadem diſcrimina confirmari debuerunt. Adde quòd hoc ipſum oſtendit Petrus, dum verbis Ioël docet id Hebræis hominibus videri nouum non debere. *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ*, &c. *& quidem ſuper ſeruos meos, & ancillas effundam de Spiritu meo.*

23. *Et cœperunt loqui variis linguis.*] Græcè ἑτέραις, id eſt, *aliis linguis*: ſed eodem omnino ſenſu: nam hîc Lucas ea commemorat, quæ à Spiritu ſancto acceperunt Apoſtoli, &

li, & quæ populo fuerunt admirationi. Sed antiquo, atque vernaculo vti ſermone neque miraculi quicquam, neque admirationis habere potuit. Ita ergo Lucas aliis linguis vſos narrat Apoſtolos, vt tamẽ non neget vſos patrio ſermone. Rectè ergo vertit noſter Interpres, *variis linguis*, ſua nimirum, & alienis.

Prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.] Sediſſe dicitur diuinus Spiritus ſuper ſingulos, ſicut ſuper currum auriga, & ſuper nauem gubernator. Ille ergo & ſuggerebat quid dicerent, & linguam ita moderabatur, vt & vera loquerentur, & grauia, & ad ſenſus, aureſque hominum attemperatè. Sedere autem, inquit Beda, Regiæ poteſtatis eſt. Felix, qui à Spiritu ſancto ſe regi ſinit: neque à ſua voluntate quicquã habet, niſi quòd ſe totum diuinæ voluntati, atque cõſilio gubernandum dedit.

Dubitari hîc, ac quæri à multis ſolet, an pluribus linguis ſimul locuti ſint Apoſtoli, vt de quibuſdam fabuloſè narrat Diodorus Siculus lib. 2. cap. vltimo: ſeu cùm vna lingua; ſeu idiomate loquerentur, aliter tamen, atque aliter audirentur à diuerſis? Imprimis certum eſt, Apoſtolos accepiſſe omnium linguarum cognitionem, vt illis accõmodatè ad auditores, cùm opus eſſet, vterentur, alioqui quomodo tot gentes, ac linguas vtiliter luſtrare potuiſſent?

24. Quòd locuti fuerint variis linguis Apoſtoli, docet Nazianzenus Oratione in Pentecoſtem, & Caiet. hîc; quoniam ſi vna tantùm lingua loquerentur, & plures in auditoribus reſonarent, miraculum potiùs in auditoribus fieret, quàm in Apoſtolis. Quòd verò vna tantũ lingua locuti fuerint, quæ variè ad aliorum aures ſit delata, ſentit Arator, Chryſoſtomus, Oecumenius, Carthuſianus, indicat Cyprianus ſermone de Spiritu ſancto: vtrumque fatetur fieri potuiſſe S. Tho. 2. 2. q. 176. ſed in priorem ſententiam inclinat cum Nazianzeno. Mihi poſterior magis placet, quia faciliùs intelligitur quomodo vna lingua peruenire multiplex ad aliorum aures, quàm quomodo vna lingua diuerſos formare ſonos, & ſyllabas potuerit. In vtroque modo ſanè miraculum eſt, at in poſteriori longè facilius: nam ſicut manna, quo exemplo vtitur Carthuſianus, in ſe ipſo vnum ſaporem habuit, in guſtãtibus varios; ſicut vna lux Solis pro varietate ſubiectorum varios habet effectus, & quodam modo varia eſt; & vna aqua variè fœcundata ab incubante ſpiritu multiplicia genuit natantium genera: &, vt exemplo vtar Cyrilli Catecheſi 6. *vna pluuia in vniuerſum deſcendit mundum, quæ alba quidem fit in ſpinis, rubra in roſis, purpurea verò in hyacinthis, ac in diuerſis ſpeciebus diuerſa; & in omnibus fit omnia, & cuicunque naturæ ſeſe adiunxerit, illi fit incrementum, ſic & Spiritus ſanctus*, &c. Sic Apoſtolorũ verba, quæ dictabat S. Spiritus diuerſorum ſonorum fœcunda, & grauida, diuerſa accedebant ad diuerſorum aures, cuius rei exẽpla habemus non admodùm antiqua in Antonio Patauino, & S. Vincentio Ferreiro, qui cùm vna loquerentur lingua, à multis tamen nationibus intelligebantur, & adhuc noſtra ætate maiora B. P. Franciſcus Xauier è noſtra Societate eiſdẽ verbis rogantibus variè, ac tumultuariè Iaponiis reſpõſa varia, ad varia

Vna lingua locuti Apoſtoli, ſed in variis auditi.

Ioſue 15. vbi noſter habet; *à lingua eius, quæ reſpicit Meridiem*; alij ferme omnes *à petra*, vel *ſcopulo*: ſic etiam flamma ignis, lingua ignis dicitur. Iſai. 5. *propter hoc ſicut deuorat ſtipulā lingua ignis*, &c. Quare hūc puto verū eſſe ſenſum; deſcendiſſe in Apoſtolos ſplendores quoſdam, ac lumina, quæ eſſent inſtar flammarum ignis, nempe diſperſa, &, vt ipſa flammarum natura fert, in linguarum ſimilitudinem.

21. Secundò obſerua, non colligi ex textu ſingulas illas flammas, aut ſplendores, in flammarum, linguarúmque ſpeciem figuratos ſingulorum capitibus inſediſſe: nam vox *ſedit*, quæ ſingularis eſt, ad Spiritum ſanctum pertinet, à quo omnes ſtatim dicuntur eſſe repleti, non ad linguas, niſi mauis ad ignem referre cum Cypriano in 3. teſtimonio cap. 101. & Montano hîc. Quod ſanè durum eſt, quia *ignis* in genitiuo eſt, & reuera ignis non fuit, qui ſederet, ſed ſplendores tanquam ex igne. Eſt tamen admodùm veriſimile ita contigiſſe, vt ſplendores illi ſupra ſingulorum capita ſederint; vt indicat Syrus, qui vertit *ſederunt*; & tradit Cyrillus Catecheſi 17. & docent antiquiſſimæ picturæ, quæ longo iam vſu in Eccleſia receptæ grauiſſimi teſtimonij momentum habent. Quòd verò *ſedit* ſingularis ſit numeri; ſplendores autem illi, ſeu linguæ pluralis, non admodùm refert: nam ex vſu Græcorum nomini plurali iungi ſolet verbum ſingulare; & apud Hebręos, quorū idioma aliquando imitatur Lucas, id eſt frequens, vt adiectiuū, ſeu verbum ſingulare nomini plurali adiungatur. Gen. 1. vbi noſter, *fiant luminaria*; Heb. *ſit luminaria*, & Gen. 49. vbi vulgatus, *filiæ diſcurrerunt ſuper murum*; Heb. *diſcurrit*. Exempla plura vide apud Pagninum in Arte Grammatica lib. 4. capite 45. Sic ergo *ſedit* adhibitum eſſe pro *ſederunt*, non eſt mirandum.

Verſ. 4. *Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.*] Omnes quotquot erant in cœnaculo, non Diſcipulos ſolū, ſed etiā mulieres Spiritus ſanctus repleuit, vt dicit Chryſoſtomus. Certè veriſimile non eſt eo diuini Spiritus conſpectu, & dono Mariam caruiſſe, vt probat Franciſcus Suarez in 3. p. S. Tho. q. 37. diſput. 20. ſect. 2. & idem puto de illis mulieribus, quæ cum Maria dicuntur in oratione perſeueraſſe. Neque, ſi mulieribus publicè concionari permiſſum non eſt, efficitur ſtatim, vt linguarum donum, & ignea quædam facultas otioſa in illis futura fuerit: nam & priuatis colloquiis rem promouere Chriſtianam, & inflammare animos ſolent interdum fœminæ nō ſegniùs, aut inefficaciùs quàm viri. Deinde, quia ſicut Apoſtoli antea infirmi, & pauidi ad magna pro Chriſti nomine diſcrimina Spiritus ſancti virtute confirmati ſunt; ſic etiam fœminæ natura pauidæ, ac debiles ad eadem diſcrimina confirmari debuerunt. Adde quòd hoc ipſum oſtendit Petrus, dum verbis Ioël docet id Hebræis hominibus videri nouum non debere. *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ*, &c. *& quidem ſuper ſeruos meos, & ancillas effundam de Spiritu meo.* 22.

Super mulieres etiā deſcendit Spiritus ſanctus.

Et cœperunt loqui variis linguis.] Græcè ἑτέραις, id eſt, *alijs linguis*: ſed eodem omnino ſenſu: nam hîc Lucas ea commemorat, quæ à Spiritu ſancto acceperunt Apoſtoli, & 23.

li, & quæ populo fuerunt admirationi. Sed antiquo, atque vernaculo vti ſermone neque miraculi quicquam, neque admirationis habere potuit. Ita ergo Lucas aliis linguis vſos narrat Apoſtolos, vt tamẽ non neget vſos patrio ſermone. Rectè ergo vertit noſter Interpres, *variis linguis*, ſua nimirum, & alienis.

Prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.] Sediſſe dicitur diuinus Spiritus ſuper ſingulos, ſicut ſuper currum auriga, & ſuper nauem gubernator. Ille ergo & ſuggerebat quid dicerent, & linguam ita moderabatur, vt & vera loquerentur, & grauia, & ad ſenſus, auréſque hominum attemperatè. Sedere autem, inquir Beda, Regiæ poteſtatis eſt. Felix, qui à Spiritu ſancto ſe regi ſinit: neque à ſua voluntate quicquã habet, niſi quòd ſe totum diuinæ voluntati, atque cõſilio gubernandum dedit.

Dubitari hîc, ac quæri à multis ſolet, an pluribus linguis ſimul locuti ſint Apoſtoli, vt de quibuſdam fabuloſè narrat Diodorus Siculus lib. 2. cap. vltimo: ſeu eùm vna lingua; ſeu idiomate loquerentur, aliter tamen, atque aliter audirentur à diuerſis? Imprimis certum eſt, Apoſtolos accepiſſe omnium linguarum cognitionem, vt illis accõmodatè ad auditores, cùm opus eſſet, vterentur, alioqui quomodo tot gentes, ac linguas vtiliter luſtrare potuiſſent?

24. Quòd locuti fuerint variis linguis Apoſtoli, docet Nazianzenus Oratione in Pentecoſtem, & Caiet. hîc; quoniam ſi vna tantùm lingua loquerentur, & plures in auditoribus reſonarent, miraculum potiùs in auditoribus fieret, quàm in Apoſtolis. Quòd verò vna tantũ lingua locuti fuerint, quæ variè ad aliorum aures ſit delata, ſentit Arator, Chryſoſtomus, Oecumenius, Carthuſianus, indicat Cyprianus ſermone de Spiritu ſancto: vtrumque fatetur fieri potuiſſe S. Tho. 2. 2. q. 176. ſed in priorem ſententiam inclinat cum Nazianzeno. Mihi poſterior magis placet, quia faciliùs intelligitur quomodo vna lingua peruenire multiplex ad aliorum aures, quàm quomodo vna lingua diuerſos formare ſonos, & ſyllabas potuerit. In vtroque modo ſanè miraculum eſt, at in poſteriori longè facilius: nam ſicut manna, quo exemplo vtitur Carthuſianus, in ſe ipſo vnum ſaporem habuit, in guſtatibus varios; ſicut vna lux Solis pro varietate ſubiectorum varios habet effectus, & quodam modo varia eſt; & vna aqua variè fœcundata ab incubante ſpiritu multiplicia genuit natantium genera: & , vt exemplo vtar Cyrilli Catecheſi 6. *vna pluuia in vniuerſum deſcendit mundum, quæ alba quidem fit in ſpinis, rubra in roſis, purpurea verò in hyacinthis, ac in diuerſis ſpeciebus diuerſa; & in omnibus fit omnia, & cuicunque naturæ ſeſe adiunxerit, illi fit incrementum, ſic & Spiritus ſanctus*, &c. Sic Apoſtolorũ verba, quæ dictabat S. Spiritus diuerſorum ſonorum fœcunda, & grauida, diuerſa accedebant ad diuerſorum aures, cuius rei exẽpla habemus non admodùm antiqua in Antonio Patauino, & S. Vincentio Ferreiro, qui cùm vna loquerentur lingua, à multis tamen nationibus intelligebantur, & adhuc noſtra ætate maiora B. P. Franciſcus Xauier è noſtra Societate eiſdẽ verbis rogantibus variè, ac tumultuariè Iaponiis reſpõſa varia, ad varia

Vna lingua locuti Apoſtoli, ſed in variis auditi.

varia interrogata reddebat. At dif-
ficilius eſt varias ſententias, & ra-
tiones ex vna ratione pullulare,&
fundi, quàm ex vno ſono diuerſos
accedere ad auditorum aures. Et
quidem Chryſoſtomus hîc, & Oe-
cumenius,cùm Parthicè audirentur
Apoſtoli,negant ipſos ſcire Parthi-
cè ſe loqui.Neque contra hanc ſen-
tentiã admodũ vrget quod ab aliis
opponitur,miracula in aliis fieri po-
tiùs,quàm in Apoſtolis: nam vt ita
fuiſſe fateamur, nouum non eſt, vt
vis diuinæ virtutis in aliis appareat,
qui tamen Sancti non ſunt,per ſan-
ctos tamen viros applicata.Qua ra-
tione Sanctorum precibus ſanantur
ægri,mouentur ſaxa,ſiccantur arbo-
res,& paludes, &c. præſertim quia
magnum eſt miraculum ex Apoſto-
lorum ore prodiiſſe verba à Spiritu
ſancto ad ſonorum diuerſitaté adeò
fœcunda,vt in aliorum auribus va-
riè reſonarent.

Verſ. 5. *Erant autem in Ieruſalem*
habitantes Iudæi viri religioſi ab omni
25. *natione,quæ ſub cœlo eſt.*] Ideo Pente-
coſtes meminit Lucas,vt probabile
fieret legentibus vndique in Ieruſa-
lem conueniſſe Iudæos. Conuene-
runt autem viri religioſi,id eſt, qui-
bus captiuitatis tempore peregrini
mores nihil Gentilitię ſuperſtitionis
alliuiſſent. Hi verò,& patriæ amore,
& templi religione adducti, vel ex
variis regionibus ſtabilem in vrbe
ſedem ſibi parauerant; vel certè ad
feſtum ita conuenerant, vt eo per-
acto rurſus in ſua redirent domici-
lia. Tamen horum plurimi vel lin-
guam didicerant alienam, vel ſuam
ita corruperant,vt redoleret ſemper
aliquid ex eorum ſermone, apud
quos longum produxerant exilium.
Certum autem eſt Hebræos varia
fortuna ita à ſuis ſedibus fuiſſe diſ-
ſipatos, vt nulla ferme fuerit tam
diſſita regio,quam non miſeræ gen-
tis ruinæ, reliquiæue compleuerint.
Dicuntur verò Iudæi ab omni re-
gione,quæ ſub cœlo eſt, conueniſſe, 26.
iuxta vulgatum Scripturæ morem,
quæ cùm omnem terram, aut quid
ſimile dicit, non omnem abſolutè,
ſed iuxta materiam ſubiectum in-
telligit; vt docet Hieronymus in
illud Iſai. cap. 13. [*vt diſperdam om-*
nem terram] *Non inquit totum orbem,*
ſed omnem terram Babylonis,& Chal-
dæorum.Idioma eſt enim Scripturæ, vt
omnem illius ſignificet prouinciam, de qua
ſermo eſt. Exempla ſunt plurima.1.
Eſdræ cap.1.dicit Cyrus: *Omnia re-*
gna terræ dedit mihi Dominus; ſcili-
cet Aſſyriorum, vbi ipſe regnabat.
Sic Lucæ cap.2. *Exiit Edictum à Cæ-*
ſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuer-
ſus orbis; ſubiectus nempe Roma-
no Imperio. Ad hunc ergo modum
Iudæi conuenerunt, non ab omni
omnino natione; ſed ab ea, in qua
habitabant Iudæi ſoliti ad illam
ſolennitatem venire. Cùm verò
Iudæi eo tempore, vt tradit
Philo lib. contra Flaccum, & lib.de
legatione ad Caium,& Ioſephus lib.
14.cap.12. non in Palæſtina ſolùm
habitarent, ſed ampliſſimo numero
in Aſia, Aphrica, atque Europa mo-
rarentur, non tamen hîc comme-
morantur nationes omnes, ex qui-
bus Iudęos in vrbem euocarat illius
diei religio, ſed quindecim præci-
puè, quia inde fortaſſe maiori nu-
mero confluxerant.

Reg. Omnis terra de ea dicitur prouincia, de qua ſermo eſt.

Verſ.6. *Facta autem hac voce conue-*
nit multitudo; & mente confuſa eſt,
quoniam audiebat,&c.] In *voce* toni- 27.
tru intelligo:nam & hoc *vox* dici-
tur Pſal. 28. niſi enim vehe-
mens vox eſſet, & inſolita,non om-
nes tanto ſtudio eò conuolaſſent.
Sonus ergo ille turbam adduxit ad
Apoſtolorum domicilium, quæ po-
ſtea

ſtea cōfuſa eſt, & admirata vehementer, quòd, cùm tot eſſent homines, tamquè diuerſi linguis, patrium tamen ſermonem ab vno concionatore eodem temporis momento omnes agnoſcerent. Sed dicet hîc fortaſſe non nemo mirandum non eſſe, ſi omnes illi, qui ad nouum ſpectaculum venerant, ſuam in Petro, aut in quolibet alio Diſcipulorum linguam audirent, cùm ab Hebræo cōcionatore auditores Hebræi, Hebraicā ſanè linguam eſſent audituri: neque enim ſi modicè pro regionū diuerſitate eſſet corrupta, fiebat vt intelligi non poſſet; quemadmodū à Hieroſolymitanis ciuibus peregrinos, & conuenas, & ab his rurſus illos intelligi veriſimile eſt. Eſt planè admirabile, vt omnes qui conuenerant, Hebræi fuerint, non quidem intellectum eſſe ſermonem, ſed in vna, eadémq; ſimpliciſſima lingua, multarum tamen prouinciarū proprietates reperiri; quemadmodum ſi in Latina lingua Hiſpanus, Italus, & Gallus (nā in his nationibus Latina lingua aliter, atque aliter corrupta eſt) & vernaculum ſonū, & terminationes varias, & literarum mutationes longè diſſimiles deprehenderent. Sed textus id apertè dicit: nā pro *lingua ſua*, Græcè eſt, ἰδίᾳ διαλέκτῳ, vbi non diuerſa lingua, ſed diuerſa linguæ proprietas indicatur.

Lingua Hebraica variè corrupta.

28. Adde quòd multi in peregrinis ab vrbe regionibus nati, peregrinam etiam linguam didicerant, & illam audiebant; *& quomodo*, inquiunt, *nos audiuimus vnuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus?* At nati erant vbi vernacula lingua non erat Hebraica. Item quia non tantùm aderant Iudæi, ſed proſelyti, id eſt, qui à Gentibus ad Iudæorum leges, & ſacra tranſierant: quorum numerum fuiſſe non exiguum probat ardens illud ſtudium, quod inflammabat Iudæos patriæ religionis propagandæ. Quod liquet ex eo Mat. 23. *circuitis mare, & aridam vt faciatis vnū proſelytum*; quorum in eam curam ſollicitudo iam penè abierat in Prouerbium apud Gentes. Horatius lib. 1. Satyra 4.

——— Ac veluti te
Iudæi cogemus in hanc concedere turbam.

At proſelytos ex variis etiam regionibus veniſſe cum Iudæis mihi dubium non eſt; qui ſanè non Hebraicam linguam à Iudæis, ſed vernaculam à parentibus didicerant. Adde quòd non ſolùm primæ illi concioni interfuêre Iudæi, ſed etiā Gentiles, vt putat Chryſoſtomus, & Oecumenius: neque obſcurè indicat textus ipſe, qui nationes aliquas ſecernere videtur à Iudæis. Quod etiā Eccleſia canit in die ſacro Pentecoſtes. Sic enim in quodam hymno.

Ex omni Gente cogniti,
Græcis, Latinis, Barbaris.

Et alio loco clariùs.

Linguis loquuntur omnium,
Turbæ pauent Gentilium.

Neque obſtat, quominus Gentes doceri ab Apoſtolis potuerint, nondum aſcito ad Eccleſiam Cornelio, quia vt alio loco fuſiùs oſtendemus, poſt Spiritus ſancti deſcenſum integrum Apoſtolis fuit Gentibus impertiri Euangelicam lucem.

Verſ. 9. *Parthi, & Medi, & Elamitæ*, &c.] Hi omnes, qui Parthi, & 29.
Medi vocantur, Hebræi ſunt, ex illis regionibus profecti à quibus retenta patria Religione nomen tamen peregrinum ſumpſerūt. Ita Ioſephus contra Appionem. *Qui Antiochiam*, inquit, *habitant Iudæi, Antiocheni nominantur: ius enim ciuium eis dedit conditor Seleucus. Similiter, & qui in Epheſo commorantur, & Ionia, cum ciuibus*

ex inde natis eandem appellationem habent. Quænam ſint hæ prouinciæ à Luca deſcriptæ, quam in partem pertineant, quibus definiantur terminis, non eſt huius loci exactè deſcribere. Illud tamen obſeruandum, Aſiam hoc loco non eſſe tertiam orbis partem; neque illam, quæ minor dicitur vulgò Natholia: nam cùm in hac contineantur aliquæ, quæ hîc commemorantur, Pontus, & Cappadocia, & Galatia, ſanè cur exprimeretur ſeorsũ non erat. Eſt ergo vel ciuitas in eo tractu præcipua eiuſdẽ cũ prouincia nominis (ſicut in alijs quoq; prouinciis non rarò fit, vt ciuitas toti prouinciæ ac Regno nomẽ tribuat; exemplo ſunt in Hiſpania Toletum, Valentia, Corduba, Hiſpalis, & Murcia: & in Aphrica, eiuſdem nominis ciuitas, à quibus prouinciæ nomen accepêre) ſeu etiam, vt obſeruauit Salmeron, quædam Aſia eſt, quæ à ſitu Propontica dicitur, de qua Ptolomæus lib. 5. tab. 1. Aſiæ cap. 1. de qua etiã Petrus epiſt. 1. *Petrus Apoſtolus Ieſu Chriſti electis aduenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ,* &c. Elamitæ ſunt Perſæ ab Elam filio Sem, vt docet Hieronymus de nominibus Hebraicis in Acta, & in cap. 15. Ieremi. & Ioſephus lib. 1. Ant. cap. 7. & eodem ordine ab Iſidoro in lib. de patribus Noui Teſtamenti in Vita S. Thomæ ponuntur hi populi: *In multas prouincias* (inquit) *profectus eſt ad prædicandum Chriſti Euangelium Parthis, Medis, Perſis,* &c.

Elamitæ qui.

30. Verſ. 10. *Aduenæ Romani.*] Dubiũ an hi ſint Iudæi, qui Romana ex vrbe Hieroſolymam venerant, an Romani, qui in vrbe iã Romano Imperatori ſubiecta morabãtur; quorum erat non exiguus numerus; & hoc quidẽ probabile: ſed illud probabilius. Tũ quia aduenæ dicuntur, quo nomine à Petro ſuprà Iudæi appellãtur, qui à patria exacti in alieno habitãt ſolo: tum quia hîc de viris religioſis ſermo eſt, vt conſtat ex illo; *Erant autem in Ieruſalem habitatores Iudæi viri religioſi ab omni natione.* Tales autẽ non erant illi, qui præſidij potiùs, quã religionis gratiã ciuitatẽ illã ſanctam incolebãt; præſertim cũ Græca vox ἐπιδημοῦντες non tam ſignificet *ibi commorantes homines,* quàm *eò peregrinatos.*

Aduenæ Romani.

31. Verſ. 11. *Iudæi quoque, & proſelyti.*] Exiſtimo hos ad prouincias ſuprà relatas pertinere; ita vt ex illis non tãtùm Iudæi, qui ibi agerent, ſed etiã proſelyti, & feſtũ obierint Pentecoſtes, & tot linguas in vna voce ſonãtes audierint. Factum eſt autem diuino conſilio, vt ex variis regionibus profecti quamplurimi, & miraculũ teſtes ipſi cognouerint, & doctrinã ab Apoſtolis Hieroſolymis traditã, id eſt, in totius orbis theatro, & doctorum hominum cõuentu acceperint, vt in varias rurſus prouincias redeuntes Apoſtolicæ doctrinæ, cuius ipſi tantam lucem aſpexerant, aditum aperirent.

32. Verſ. 14. *Stans autẽ Petrus cũ vndecim.*] Hinc diſce ſtatim atq; diuino Spiritu afflati ſunt, & animati Apoſtoli, in publicũ aliquẽ locũ erupiſſe, & variis linguis effudiſſe in numeroſam illam turbã quod à cœlo hauſerant: cúmq; omnes locuti fuiſſe videãtur, vt indicat illud; *repleti ſunt omnes S. Spiritu, & cœperũt loqui.* tamen de duodecim hoc præcipuè prodit Lucas; forraſſe quia illapſo primùm Spiritu ardẽtes omnes in admirationis, & lætitiæ vocem eruperũt, quaſi tanti ardoris, & ponderis impotẽtes: deinde verò loquẽdi partes Apoſtolis permiſere, quibus id præcipuo quodã priuilegio mãdatũ eſt: ſicut & ipſi vndecim, cùm prius eo ardore egiſſent, vt ab aliquibus muſto iudicarentur pleni; tamen vbi agendum pro

pro cócione fuit, id negotij Petro tã quam Chriſti Vicario, & Doctori ſummo reliquerunt.

33. *Viri Iudæi,*&c.*hoc vobis notũ ſit, & auribus percipite verba mea.*] Captat hîc beneuolentiã Petrus, dũ Iudæos vocat eos etiam, qui non erãt ex tribu Iuda; nam Iudæi inter Iſraëlitas erant præcipui, quia ab ipſis Regium ducebatur genus; & in optima Iudææ ſorte viuebant. In Iudæis verò numerantur etiam proſelyti, quia licèt genere non eſſent, profeſſione tamen erant Iudæi. Facit auté attentos ipſa exordiendi forma: nam quãdo magni aliquid dicendũ eſt, id iterata aliis, atque aliis verbis ſententia proponi, ac ſignificari ſolet; vt Gen. 4. *Audite vocem meã vxores Lamech; auſcultate ſermonẽ meũ.* Deut. 32. *Audite cœli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* Pſ. 77. *Attendite popule meus legem meã, inclinate aurem veſtrã.* Sic Petrus magnarũ rerũ expectationẽ mouet, dum dicit: *hoc vobis notum ſit, & auribus percipite verba mea.* Oratio autem Petri id agit, vt dicenti ſibi, & ſociis primùm auctoritaté côciliet, quod præſtat dũ ebrietatis ſuſpicioné depellit. Deinde vt Chriſti Paſſionem, Reſurrectioné, & Aſcéſionem in cœlum, & Spiritus ſancti miſſionem ſacrarũ literarum oraculis côſentire doceat. Huius verò orationis, quã longiorẽ fuiſſe oportet, breuis tantùm ſumma proponitur; nam ad extremum addit Lucas; *Aliis etiam verbis plurimis teſtificatus eſt.*

34. Partes diei. Verſ. 15. *Cùm ſit hora diei tertia.*] A temporis importunitate Petrus ſe ſocióſque ab ebrietate vindicat. Sed videri alicui poſſet nõ admodũ grauis Petri ratio: nã ſi, vt multi volunt, dies in quatuor partes diſtribuatur, ſicut in quatuor vigilias diuiditur nox; quarũ quælibet ternis conſtat horis; vt prima dicatur ſpatiũ illud, quod eſt ab ortu Solis ad tertiã vſq; horam; & tertia deinceps ad ſextam vſque, ita vt hora diei tertia ad meridiem vſque producatur (quæ ratio facilè conciliat Ioannem cum Marco, quorum alter Chriſtum crucifixum eſſe dicit hora ſexta, alter hora tertia: nam tertiæ finis in ſextæ principiũ incurrit; & crucifixio, quæ aliquid habuit moræ partem ſumpſit à tertia, & partem à ſexta; quare verè dici potuit crucifixus à Ioanne hora ſexta, & à Marco tertia.) Si ergo tertia hora meridiem attingit, quid mirũ, aut inuſitatũ eſt ebrios eſſe illos eo tempore, quo ex more Gentiũ illarum prãſi eſſe potuerint? Quòd ſi, vt omnino dicendum eſt, tertia hora ſit, quæ poſt ortum Solis ſecundæ ſuccedit, adhuc ratio apparet non admodùm firma: quia cùm æſtiuæ horæ longiores ſint, quia etiam eo tempore longiores ſunt dies; dies autem tam Romanorum, quàm Hebræorum more in duodecim partes diuidantur, longiores quidẽ in æſtate, in hyeme autem breuiores, cùm hora iam eſſet tertia, eáque æſtiua, aut æſtiuæ proxima; conſequens eſt, vt multùm iam diei eſſet progreſſũ, quarta nimirùm pars, à qua cùm alienus cibus non ſit, aliena quoque non videtur ebrietas. Adde quòd tenui fortuna homines, quíque quæſtũ manibus, & arte faciunt, quales maximè piſcatores ſunt, non ſolent ieiuni ſextam expectare, imò neque tertiam horam.

Si hæc facta eſſe dicamus in ipſa 35. In diebus feſtis ad ſextã vſq; ieiuni Iudæi.
antiquæ Pentecoſtes ſolennitate, vt ſanè dicendùm eſt, facilis eſt ſolutio: nam diebus feſtis non dabatur opera rei piſcatoriæ, ac ruſticæ; quare neceſſarium non erat matutino cibo ſe ad diurnum laborem comparare: tum quia veriſimile eſt in illis diebus ad ſextam vſque cibum non ſumi. Quam conſue-

tudinem indicat Ioſephus in Vita ſua: *Proculdubio*, inquit, *exorta eſſet ſeditio, niſi concionem ſoluiſſet ſexta hora ſuperueniens, quæ noſtros ad prandium vocare ſolet Sabbatis.* Quare ratio iſta leuis non eſt, quia ſuprà docuimus in Pentecoſtem veterem incurriſſe hoc myſterium. Quòd ſi feſtus non eſſet dies, adhuc multùm in Petri ratione momenti: quia hora tertia non ſatis eſt opportuna ciborum intemperantiæ, & crapulæ, quæ plerumque hora ſexta, ſi vnquam, contingere ſolet. Eſt autem argumentum hoc topicum ſumptũ ab eo quod in vſu frequens eſt; neque eo loci commodior, aut grauior vlla ratio afferri potuit: non enim quod contra conſuetudinem, aut honeſtatem fieri ſolet, factum exiſtimatur, niſi grăues vrgeant coniecturæ. Sed hoc inſolenter, & intemperanter fieri docent Prophetarum minæ, acerbæque reprehenſiones. Eccleſ.10. *Væ terra, cuius Rex puer eſt, & cuius Principes manè comedunt.* Iſai. 5. *Væ qui conſurgitis manè ad ebrietatem.* Sed cùm grauior aliqua coniectura non premat, ſatis habet defenſionis tempus immaturum ebrietati. Quòd verò homines, quos neque ingenium antè, aut doctrina, aut orationis facundia commendabat, expedita lingua, ac varia verba fundant, id non ebrietati, quæ loquax eſt, & diſertos facit, vt dixit Satyricus, ſed Spiritui ſancto, qui linguas infantium diſertas facit, tribuendum probat; Qua ratione depulſa videtur eſſe ſatis intenta calumnia.

36. Verſ.17. *Et erit in nouiſſimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo.*] Verba Ioëlis de hoc Spiritus ſancti deſcenſu eſſe intelligenda impiũ eſt dubitare, cùm ita Petrus exponat, cui datus eſt Scripturę ſẽſus.

Quod tẽpus nouiſſimum.

Qui verò ſint nouiſſimi dies, non omnes eodẽ modo ſtatuunt. Quidã *nouiſſimum diem*, vel *tempus*, aut *finem ſæculorum*, de tempore Euangelij intelligũt. Ita Hieronymus Iſai 2. & in illud Malachiæ 4. *Et erit in nouiſſimo dierum* Lyranus ibidem, Salmeron hîc. Sed licèt quæ hîc dicũtur, in tẽpus Euangelij inciderint, abſolutè tamẽ in Scriptura *nouiſſimum tempus* non dicitur Euangelicum: nã multa nouiſſimis tẽporibus facta eſſe traduntur, quæ longè Euangelij tẽpus anteceſſerunt. Gen. 49. *Vocauit Iacob filios ſuos, & dixit eis: congregamini, vt annunciem quæ ventura ſunt vobis in diebus nouiſſimis:* ſed illorũ pleraque, ac penè omnia expleta eſſe ante Euãgelium notũ eſt; & Dan. 2. *Eſt Deus in cælo reuelans myſteria, qui reuelauit tibi, quæ ventura ſunt in nouiſſimis temporibus.* Horum autem pleraque ante Chriſti aduentum contigerunt, vt quæ ibi de Perſarum, Medorum, & Græcorũ Imperiis prędicũtur. Et huius generis ſunt plura alia exẽpla.

Alij de tempore eo accipiunt, in quo Chriſtus nobiſcũ egit in terris, quod minùs eſt probabile: quia præter ea, quæ facta eſſe dicuntur ante Chriſti aduentum; multa dicuntur futura in nouiſſimis tẽporibus, quæ poſt Chriſti Aſcenſionem, aut facta iã ſunt, aut aliquando fient. 1. Tim. 4. *In nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide.* & 2. Tim. 3. *In nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa;* & hoc ipſo loco Iudicij dies, vt quidam putant, nouiſſimus dicitur.

Mihi valdè placet quod noſter Ri- 37.
bera ex parte docet in illud Michæę 4. *Et erit in nouiſſimo dierum.* vbi *nouiſſimum* dicit non ſignificare certũ aliquod tempus, putà tempus Meſſiæ, aut finem ſæculorum; ſed eſſe explicandum accommodatè ad ea, quæ anteceſſerunt, quocumque illa

Digitized by Google

illa tempore contingant. Plerumque verò non tam comparantur cum temporibus, quæ conſequuntur, ſuperlatiuè, ita vt dicantur illorum temporum extrema; quàm cum præcedentibus, ita vt ſit ſenſus; poſt hæc, aut illa tempora: quod probat vox Hebraica אחרים quam modò noſter Interpres *poſtea*, modò *nouiſſimè* conuertit. Dan. 2. quæ priùs nouiſſimis temporibus, illa eadem poſtea eodem penè verborum textu, futura dicuntur: & Gen. 33. vbi vulgatus habet; *poſuit vtramque ancillam, & liberos earum in principio: Liam verò, & filios eius in ſecundo loco: Ioſeph autem, & Rachel nouiſſimos.* Hebraicè eſt, *Liam & filios* אחרים id eſt, *poſt ipſos*; & Rachel אחרים *poſt illos:* neque enim ibi Lia poterat eſſe nouiſſima, cùm poſt illam ſequeretur Rachel. Poſſemus plura huc exempla congerere; ſed inſtar omnium eſt locus iſte, quem nunc verſamus. Nam quod hîc Petrus dicit ex Ioël *in nouiſſimis diebus*, vulgatus habet in ipſo Propheta, *poſt hæc.*

Ex his conſtat quid ſibi velit Ioël, quem nunc Petrus exponit. Prædixerat cap. 1. duabus tribubus Chaldæorum aduentum, funeſtam eladem, ſterilitatem, & famem: in ſecundo verò capite, vnde ſumptum eſt hoc teſtimonium, impetum hoſtilem cōtra duas illas tribus deſcribit, eáſque ad peccatorum pœnitentiam hortatur; poſtquam Dei benignitatem promittit, bonorúmque ſpiritualium per Chriſtum vbertatem. *Poſt hæc*, inquit vulgatus: Petrus verò, *in nouiſſimis diebus*, id eſt, poſtquam Chriſtus datus à Patre iuſtitiæ doctor, & Deus in medio Iſraël fuerit; *poſt hæc*, id eſt, poſtquam eſſe deſierit corporaliter, *effundam Spiritum meum*, &c.

38. *Effundam de Spiritu meo.*] Vulgatus in Ioël *Spiritū meum.* Verbum *effundo* vbertatē deſignat: quæ enim effunduntur, non parcè dantur, aut ſtillatim, ſed abundanter, & copioſè. Metaphora ab aquis ſumitur, quibus irrorari leuiter contingit homines; & baptizari, id eſt, ablui largè; & hoc poſterius valet *effundo*. Eadē metaphora vſus eſt Chriſtus ſuprà; *vos autem baptizabimini Spiritu ſancto*, id eſt, replebimini. Et Ioannes Matt. 3. *ipſe vos baptizabit Spiritu ſancto.* Vbi Chryſoſtomus: *Sicut ego modò copioſè effundo aquam ſuper vos, ita ipſe copioſè Spiritum ſanctum effundet.* Theophyl. *mundabit vos largiter Spiritus ſancti gratia.* Rufinus hunc locum audaciùs dicit accommodatum à Petro ad Chriſti tempora, cùm agat Propheta de Ezechiæ temporibus; ſed fallitur omnino.

Effundo abundantiam ſignificat.

39. *Super omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri & filiæ veſtræ.*] *Omnis caro*, vocantur omnis conditionis, ætatis, & ſexus homines, cuiuſcumque illi nationis ſint. Quo ſenſu dicitur Iſai. 40. *omnis caro fœnum*; & Pſal. 144. *Benedicat omnis caro nomen ſanctum eius.* Prophetare autem non ſolùm eſt futura prædicere, vt vox ipſa ſonat, ſed etiam laudare Deum, & ſcripturas interpretari, vt docet S. Thomas in illud 1. Cor. 11. *omnis vir orans, aut prophetans:* quia etiam ſcriptura *Prophetia* dicitur 2. Petri cap. 1. *habemus firmiorem propheticum ſermonem.* Vnde *prophetare* eſt in ſcriptura idem quod, in Prophetis legendis, ſeu interpretandis verſari: Et quia diuinæ laudes ex ſacra ſcriptura plerumque ſumuntur, laudare Deum prophetare eſt. Et in hunc ſenſum omnes communiter accipiunt illud 1. Paral. 25. *Igitur Dauid, & magiſtratus exercitus ſegregauerunt in miniſterium filios Aſaph, & Hemā, & Idithum, qui prophetarent in citharis, & pſalteriis, & cymbalis*, id eſt, canerent: licèt

Quot modis ſumatur Prophetia.

1. Cor. 11.

1. Paral. 25.

Hebræi aliter accipiant. Siue ergo propter hoc, ſiue quia hęc omnia pręſtare ſolebant Prophetæ; *prophetare* ex Scripturæ vſu eſt ad Prophetarum ſimilitudinem aut loqui, aut viuere. Quod ex eo magis liquet, quia cùm Prophetæ miracula ederent, iam etiã ipſa miraculorum narratio *Prophetia* vocatur, id eſt, opus Prophetæ. Eccleſ. c. 48. de Eliſæo. *Et mortuum prophetauit corpus eius*, quia, vt conſtat 4. Reg. cap. 13. mortuus ipſe ſuſcitauit hominem, quem occiſum latrunculi in ipſius ſepulchrum intulerant. Et in eundem ſenſum puto accipiendum quod ſtatim cap. 49. de Ioſeph dicitur; *& oſſa ipſius viſitata ſunt, & poſt mortem prophetauerunt.* Hæc autem omnia prophetandi genera Apoſtolicis temporibus contigerunt: nam & futura prædixit Agabus; & Paulus; Scripturam interpretatur hoc loco Petrus; viſiones vidit Ioannes in Apocalypſi; Petrus Act. 10. Paulus Act. 9. & 16. Porrò ſomnia, & viſiones ad Prophetiam pertinent, vt docet S. Thom. 2. 2. quæſt. 174. articul. 3.

Eccl. 48.

40. Quando hîc Propheta ſomniorum, & viſionum meminit, oportet breuiter dicamus quid ſit inter vtraque diſcriminis. Et primùm, quod ad hunc locum ſpectat, nihil intereſſe arbitror inter viſionem, & ſomnium; ſenſum enim eſſe puto, tempore à Propheta deſignato, & iuuenes, & ſenes futuros eſſe Prophetas. Vbi duæ Prophetiæ formæ, pro ipſa Prophetia ſumuntur. Quare, meo iudicio, non eſt cur hoc loco quæramus, quare viſio iuuenibus, & ſenibus ſomnia tribuantur. Viſiones dicuntur propriè illæ Prophetiæ, quæ mentes mouent, & illuſtrant imaginibus plerumque menti tantùm obiectis: quales oblatæ ſunt Iſaiæ, Ieremiæ, Ezechieli, Danieli, & Zachariæ, & Ioanni Euangeliſtæ in tota Apocalypſi; interdum oculis, quales fuerunt illæ literæ, quas in aduerſo pariete vidit Daniel cap. 5. ex quibus cognouit imminere iam interitum Balthaſari Regi. & Imperium Babylonicum transferendum ad Perſas. Quia verò quæ videmus oculis, illuſtriora ſolent eſſe atque certiora, fit vt illa etiam Prophetia vocetur *viſio*; in qua Prophetæ nullæ oblatæ ſunt rerum imagines. Quare Prophetiæ Iſaiæ, & Abdiæ *viſiones* dicuntur; & Prophetæ olim *videntes* appellabantur. Somnia dicuntur quando dormientibus futurarum rerum euentus oſtenduntur; ſiue hoc per imagines fiat, vt contigit Petro Act. 10. & Pharaoni Geneſ. 41. & Nabuchodonoſor Daniel. cap. 2. ſiue, per internam locutionem, & illuſtrationem. Et hoc modo Adam in ſomnio exiſtimo cognouiſſe matrimonij leges: ſic ter Ioſephus Mariæ ſponſus in ſomnis admonitus eſt, ſemel vt Mariam ſponſam domum traduceret, iterum vt Mariam cum filio in Ægyptum tranſportaret: tertiò cùm Herode defuncto iuſſus eſt redire in terram Iſraël.

Somnium, & viſio quid.

41. Hîc obiter obſeruandum, etiamſi aliquis ſemel, aut iterum in ſomnis, vel interno ſermone, vel obiecta ſpecie ſit illuſtratus, non ſtatim habendum eſſe in Prophetis, vt contigit Pharaoni, & Nabuchodonoſori; Laban Geneſ. 31. & Abimelech Geneſ. 20. nam illi non intellexerunt quid portenderent ſpecies oblatæ (quod eſſe neceſſarium in Propheta docet Hieronymus in caput primum Iſaiæ, & cum ipſo alij plures:) intellexerunt autem Ioſeph, & Daniel prophetica illuſtratione docti. Hi verò etiamſi intellexerint, de ſuis tamen rationibus admonebantur, non de communibus; quod datum

Non omnes, qui ſomniis docentur, Prophetæ ſunt.

datum eſt Prophetis, per quos tanquam per inſtrumenta Deus populis aut prædicebat futura, aut de præteritis, quæ non niſi diuina reuelatione cognoſci poterant, docebat.

Verſ. 18. *Et quidem ſuper ſeruos
meos, & ſuper ancillas meas in diebus
illis effundam de Spiritu meo, & pro-
42. *phetabunt.*] Iterum repetit eadem,
vel ſacræ Scripturæ more, quæ iteratione eiuſdem ſententiæ firmitatem, certitudinémque ſignificat, vt in Canticis docuimus cap. 6. ad illud, *capelli tui ſicut grex*: vel certè, quia priùs de Hebræis loquebatur, nunc verò hanc Dei liberalitatem ad Gentes quoque pertinere docet, quæ Spiritum quoque ſanctum acceperunt. Act. 10. *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes, qui audiebant verbum: & ſtupuerunt ex circumciſione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt: audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum.* & Act. 15. idem Petrus de Gentibus dicit.

43. Regul. Apoſtoli ex Teſtamento Veteri non tam verba referunt, quã ſententiã

In Hebræo non eſt *ſeruos meos; & ancillas meas*, ſed tantùm *ſeruos, & ancillas.* Ex quo quidam exiſtimant ab hoc prophetandi munere excludi neminem, etiam alienum à Religione, & ſeruili conditione natum: veruntamẽ de illis qui ſe ad Chriſtum adiúnxerunt ſermonem eſſe certum eſt. Cui rei ſatis affert probationis authoritas Petri, cui Chriſtus Scripturæ ſenſum aperuit: qui vel ita accepit textum Hebraicum, vt ipſe allegauit, vel cùm dubius eſſet ſenſus, ſic eſt interpretatus. Eſt autem vſitatum Apoſtolis, & Euangeliſtis, vt à Teſtamẽto Veteri non tam verba referant, quàm ſenſum, vt tradit Hieronymus tum alibi ſæpe, tum maximè in fine lib. 1. Comment. ep. ad Galatas, & lib. de optimo gen. interpretãdi: vbi multis hoc exemplis confirmat. Vide Salmeronem Proleg. 9. quinquag. 1. can. 27. Et ſtatim, cùm neque in textu Hebraico, neque Græco ſit; *& prophetabunt*, addidit illud Petrus explicationis gratiâ. *Prophetare* autem, vt nuper diximus, ea ferme ſignificat omnia, quæ Apoſtoli afflati pleniùs Spiritu ſancto præſtiterunt.

Verſ. 19. *Et dabo prodigia in cœlo
ſurſum, & ſigna in terra deorſum.*] Hîc 44.
multa obſcura ſunt, & in Propheta Ioël, & in Petro. Primum, quomodo hæc cum antecedentibus congruant: ſecundum, ad quodnam tempus referenda; deinde quomodo impleta ſint. Sunt qui dicant, teſte Hieronymo in cap. 2. Ioël. Apoſtolos nõ propriè vſos eſſe Scripturæ teſtimoniis, ſed quæ de aliis temporibus dicta ſunt, accommodatè ad ſuum inſtitutum ad alia tempora retuliſſe. Quod ſanè hîc dici non debet: nam licèt per accommodationem explicari ſoleant Scripturæ loca; hîc tamen eo modo explicari non poſſunt, quia Iudæos explicatio per accommodationem nõ conuinceret, quæ magis declarandæ rei gratiâ aſſumitur, quàm probandæ.

Chryſoſtomus, & Oecumenius hîc de excidio Hieroſolymitano intelligunt, in quo ex his ſignis multa contigerunt, vt prodit Ioſephus lib. 7. cap. 12. de bello. Sed ſanè aliquid maius ſonant verba Prophetæ. Quare communiter alij de extremo Iudicij tempore accipiunt. Orig. tract. 30. in Matth. Beda in Marcum cap. 13. S. Thomas in Mat. cap. 24. Theodoretus, & Rupertus in Ioël. cap. 2. Caiet. hîc; neque id negat Chryſoſtomus, & Oecumenius; & videtur hoc ſatis eſſe probabile.

Sed

Sed cur hæc adducantur à Petro, cùm ad depellendum crimen ebrietatis nihil pertineant, difficile explicatu eſt. Poſſet non nemo ſuſpicari, ideo à Petro fuiſſe ſubiecta, quæ à Ioële de extremo Iudicio dicta ſunt, vt compleret in ipſo prædicationis exordio mandatum illud, quod à Magiſtro ſe accepiſſe tradit Act. 10. *Præcepit*, inquit, *nobis prædicare populo, & teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum, & mortuorum.* Atque ideo oblatam ſibi occaſionem abire paſſus non eſt; neque exiſtimauit, quæ coniuncta ſunt apud Ioëlem à Spiritu ſancto, eodem agente Spiritu ſeparari fas eſſe: maximè cùm paulò antè ipſo Aſcẽſionis die idem penè fecerit magiſter, qui è medio ad cœlum curſu per Angelos monuit eadem maieſtate venturum ſe ad iudicãdum, qua in cœlum tunc moliebatur aſcenſum.

45. Hæc de tempore Euangelij. Hæc, vt dixi, plurimùm habent probabilitatis: ſed mihi veriſimilius eſt, & quæ à Ioële antè, & à Petro nunc, hæc omnia non tam ad finem ſæculorum, quàm ad Chriſti tempora, & ad ea, quæ in naſcentis Eccleſiæ primordiis contigerunt, eſſe relata. Reliqua verò quæ Propheta deinde ſubiicit, quæ à Petro repetita non ſunt, ad quæ tempora pertineant, non eſt noſtrarum partium inquirere. Hæc eſt ſententia Hieronymi ſuper cap. 2. Ioëlis, & Bedæ, & Gagnei hîc; quod vt mihi perſuadeam, facit imprimis Petri teſtimonium, quod & obiectam ebrietatis culpam diluit, & Chriſti de quo penè totus ſermo eſt, ſanctitatem, & dignitatem oſtendit. Et ideo poſt recitatum Ioëlis teſtimonium de Chriſto diſputat, illique poſtrema verba, quæ omnium maximè iudicij tempus indicare exiſtimabantur, accommodat. Nam cùm de illorum temporum ſignis ageret, & prodigiis, illis à Patre approbatum, & oſtenſum indicat. *Ieſum*, inquit, *Nazarenum virum approbatum* (Græcè ἀποδεδειγμένον, quod etiam *demonſtratum* valet) *à Deo in vobis virtutibus, prodigiis, & ſignis.* Porrò illud, *audite verba hæc*, magnã coniunctionem eſſe oſtendit inter illa quæ à Ioële dicta commemorat, & quæ deinde ſubiicit de Chriſto: ideo enim excitat Iudæorum memoriam ad eorum recordationem, vt ex eis Ieſum Meſſiam eſſe cognoſcant. Porrò ſigna omnia à Ioële prædicta & Chriſti, & primis Euangelij temporibus accidiſſe ſatis conſtat. Data ſunt enim de cœlo ſigna, miſſus eſt ignis de cœlo eo ipſo, quo Petrus hæc loquebatur die: qui ſi verus ignis fuit, vaporem quoque fumi extitiſſe veriſimile eſt, etiamſi à Luca non exprimatur, quia illum emittunt, quæ ab igne tacta ſunt, præſertim cœleſti. Sol item obſcuratus eſt, & conſequenter Luna, quę tunc erat toto orbe illuſtris, quia hæc à luce fulget Solis, & ille iam defecerat. Data item ſunt ſigna in terra deorſum; nam & diſciſſa ſunt ſaxa, & aperta ſepulchra. Illud de ſanguine difficilius. Sed referri poteſt ad ſanguinem, quem omnes penè Chriſti Diſcipuli, & fideles alij pro Chriſto fuderunt; quod graue teſtimonium fuit eius diuinitatis; vel quod eſt veriſimilius, ad ſanguinem, quem Romanus Imperator à Iudæis tanto ardore expetiuit, dum effuſum ab ipſis Chriſti ſanguinem vlciſcitur: niſi mauis accipere figuratè de gladio, & igne, quæ vt in terram mitteret, Dominus ſe dicit in terram veniſſe, Matth. 10. & Lucæ 12. quæ duo eodem loco, & tempore dicta fuiſſe ſatis liquet, ſi vtrumque

que Euangeliſtam conferas. Et fortaſſe ad hunc locum Ioëlis reſpexit Chriſtus, qui ſanguinem, & ignem coniunxit.

46. Regul. Res non ſemper eo narrãtur ordine, quo geſtæ ſũt.

Duo verò ſunt, quæ huic expoſitioni non parum incommodant; alterum eſt, quia hæc ſigna, atque prodigia non eo ordine in Chriſti paſſione contigerunt, quo referuntur à Propheta. Nam quæ priori loco numerantur, impleta ſunt poſt aduentum Spiritus ſancti, quæ poſteriori, in Chriſti Paſſione, quæ longè anteceſſit; quare de aliis ſignis, atque temporibus videtur locutus Propheta. Difficultatem hanc facilè ſoluit Scripturæ conſuetudo, quæ, vt notauit Hieronymus in illud Amos 2. *Ego ſum qui aſcendere vos feci de terra Ægypti*; ordinem temporum vbique ſeruare non ſolet. Conſtat priùs egreſſos eſſe Iſraëlitas, quã exterminatos Amorrhæos, ſed in Amos ſuprà priùs narratur Amorrhæorum clades, quàm Iſraëlitarum exitus, & Pſal. 77. & 104. quæ priùs facta ſunt, poſteriori narrantur loco: & Paulus ad Hebr. 11. non eo ordine numerat viros illuſtres fide, quo ipſi vixerunt; nam Gedeonem ponit ante Barac; Samſonem ante Iephthe, Dauid ante Samuëlem. Sic hoc loco priùs narratur Spiritus ſancti deſcenſus, & eius ſigna, quàm Chriſti Paſſio, & quæ illam comitata ſunt, & conſecuta prodigia.

47. Dies mortis Chriſti magnus, & terribilis.

Alterum eſt; quia non apparet quis eſſe poſſit magnus ille dies, & horribilis, vt dicit Ioël, ſiue manifeſtus, vt dicit Petrus, quem ſigna præcedent. Et primùm veriſimile eſt, & oſtendit ipſe narrationis textus, nõ hîc agi de ſignis omnibus, ſed de obſcuritate Solis, & Lunæ; hæc verò anteceſſerunt Chriſti mortem, & Reſurrectionem. Vter autem horum dicendus ſit magnus, atque horribilis dies, inueſtigandum eſt: vtrumque diem eſſe magnum negat nemo; terribilem fuiſſe diem mortis, vel propter ipſa prodigia ipſi etiam hoſtes confeſſi ſunt: nam Matth. 27. Centurio, & qui cum ipſo erant cuſtodientes Ieſum viſo terræ motu, & his, quæ fiebant, timuerunt valdè. Hunc diem, id eſt, huius diei articulum, in quo Chriſtus eſt mortuus, præceſſit Solis, & Lunæ defectio; quo tempore fulgebant maximè. Nam Luna tunc, ſi vnquam, erat illuſtris, quia obiecta ex aduerſo Soli totum implerat orbem ſuũ: Sol verò, quia hora ſexta, lucebat maximè. Obſcuratus eſt Sol in noſtro, Luna in oppoſito hemiſphærio. Sol ſupra Chriſti caput; infra pedes Luna; quia non in Iudæa ſolùm, ſed in toto orbe tenebræ factæ ſunt. Luna verò conuerſa dicitur in ſanguinem, ea figura familiari apud Hebræos, quæ rebus accommodat interdum nomen non ſecundùm quod habent, ſed quod vulgi opinione habere exiſtimantur, vt diximus in illud Cantic. 7. *Naſus tuus*. Dicitur verò ſanguis quod ſanguinis habet ſimilitudinẽ: qua ratione vinum vocatur *ſanguis vuæ* Deut. 32. & Eccl. 50. & *ſuccus mori* 1. Machab. 6. Sic etiã quia Luna, quę toto ſplendebat orbe, repẽtè facta lurida, quia rubebat obſcurè, irradiata nempe à Sole obſcurè, & luridè rubente, in ſanguinem conuerſa dicitur.

Si dicamus hîc ſermonem eſſe de læto Reſurrectionis die, non multùm obſtat, quòd à Propheta dicatur eſſe horribilis: nã quæ prodigioſa ſunt, & inopinata, etiamſi non infeſta, horrorem nonnunquam afferunt, vnde *horror* pro admiratione, & *horrendũ* pro admirabili ſumitur; 48. Dies Reſurrectionis quomodo terribilis.

Digitized by Google

quo ſenſu apud Poëtas frequens eſt, *horrendum dictu*. Sumitur etiam pro veneratione, ac religione, vt docuit Seruius in illud Virg. 1.

——Horrentique atro nemus imminet vmbra.

Et Lucanus;

Arboribus ſuus horror ineſt.——

Et in Scriptura *horribile* pro admirabili, & prodigioſo ponitur. 2. Reg. 7. Deus dicitur feciſſe populo ſuo magnalia, & horribilia. *Timor* admirationem, & reuerentiam ſæpe valet. Vide infrà ad illud; *fiebat autem omni animæ timor*. & cap. 3. ad illud. *impleti ſunt ſtupore*; & Lucæ. 7. ſuſcitato filio viduæ dicitur, *timor omnes accepit*: & Lucæ 1. nato Ioanne, *factus eſt timor ſuper omnes vicinos*. & 3. Reg. 3. perſpecta ſapientia Salomonis populus dicitur timuiſſe; & clariùs Mat. 9. vbi ſanato paralytico, *videntes turbæ timuerunt*; Græcè eſt, ἐθαύμασαν, id eſt, *admirati ſunt*. Et de hoc loco mihi dubium non eſt; nam vbi vulgatus reddidit, *terribilis*, Petrus poſuit, *manifeſtus*, ſecutus Septuaginta, apud quos eſt ἐπιφανής, id eſt, *illuſtris*. Illo verò Reſurrectionis die quis vnquam alius ortus eſt clarior, & illuſtrior? Videntur autem Lxx. in ſuis codicibus habuiſſe non ירא *iara*, quod *timere*, ſed ראה *raah*, quod *videre* ſignificat; inter quæ magna eſt literarum ſimilitudo. Siue ergo de Paſſione accipias, ſiue de Reſurrectione, nihil video ſiue à litera diſtortum, ſiue à re ipſa alienum.

49. Quòd ſi mauis de Iudicio extremo hæc intelligere, quod probabile diximus, & multorum ſententia cōfirmatum eſt; ideo à Ioële exiſtimo de Iudicio ſermonem inductum, quia cùm de Chriſto priùs agere cœpiſſet, addere voluit id quod extremum eſt, & quod vnū reliquum erat operum Chriſti; nam illi Iudicium hominum in fine ſæculorum datum eſt. Quod etiam videntur voluiſſe Angeli in Aſcenſione, qui Apoſtolos de ſui magiſtri diſceſſu ſollicitos, & quid de illo in poſterum futurum eſſet cogitantes, monent, illud vnum ſupereſſe negotij, vt eadem maieſtate ad iudicandum redeat, qua tunc ipſis ſpectantibus in cœlum ſublatus eſt. Et Chriſtus ipſe iam Paſſioni proximus, de ſuo egit ad iudicandum aduentu, huc fortè reſpiciens.

Verſ. 21. *Et erit, omnis, qui inuocauerit nomen Domini ſaluus erit.*] Huc 50. S. Petri prudētia.
vſque Petrus deduxit Prophetæ vaticinium, vt commodè de Chriſto, cuius nomen inuocandum dicit, ſermonem inferret. In quo ſanè apparet diuinum quoddam artificium, & altius quàm ab homine piſcatore, & rudi expectari poterat. Erat tunc Iudæorum pleriſque inuiſum Chriſti nomen, quod omni artificio, atque ſtudio ſi minùs extinguere, at certè obſcurare tentauerant, reddereque inuidioſum; ideo ad hunc vſque locum nihil de Chriſto, donec ad illum, & rei admirandæ nouitas, & Prophetæ oraculum facilem, & ſine offenſione aditum expediret, vt bene notauit hîc Chryſoſtomus. Iam verò opportuniùs de Chriſto loquitur adeò liberè, vt facilè oſtendat non timore aliquo conſtrictam eſſe linguam, ne Chriſtum ſonaret; ſed quòd nondum eſſet eius nominandi maturitas. Porrò illud (*erit*) ex Hebræorum vſu redundat; cuius exempla paſſim obuia.

Verſ. 22. *Audite verba hæc.*] Hæc loquendi forma magnum aliquod indicat eſſe momentum orationi: quare attentos eſſe iubet auditores. Summa verò orationis eſt; Ieſum approbatum à Deo multis, clariſſimiſque

miſque teſtimoniis, & excitatum à mortuis, ab ipſis eſſe cruci affixum, quare dent operam, vt per pœnitentiam ſalui fiant.

51. *Ieſum Nazarenum virum approbatum à Deo in vobis.*] Sceleris coarguit eos, qui improbarunt, damnatúntque Ieſum, quem Deus probauit multis prodigiis, & ſignis inter eos, id eſt, ipſis ſpectãtibus; id enim valet *in vobis*. Reprehendit tamen modeſtè, ne alienet auditores, & in Chriſti cauſam ſenſim illabitur. Cęterùm pro *approbatum*, Græcè eſt ἀποδεδειγμένον, quod etiam *demonſtratum*, & *oſtenſum* ſignificat. Vnde quidam ſic accipiunt; Ieſum ſignis, & virtutibus oſtenſum à Patre illum eſſe, quem omnes venturum expectarent. Sed eſt prorſus ſenſus idem: nam Pater approbauit ſignis, quod de ſeipſo Chriſtus profitebatur. Dicebat autem Chriſtus ſe à Patre miſſum, & in ſe Scripturam eſſe complendam.

52. In quo differant virtutes, prodigia, & *ſigna*.

Virtutibus, prodigiis, & ſignis.] Hæc varij variè diſtinguũt. Ammonius in Catena Græca ſuper Ioan. 4. *prodigium* eſſe putat, quod præter naturam fit, vt cœcorum oculos aperire, mortuos ſuſcitare; *ſignum* verò quod præter naturam non eſt, vt ægrotos curare. Salmeron per *virtutes* putat ſignificari miracula, quæ etſi naturam non ſuperant, modo tamen faciendi ſupra naturam ſunt; vt expellere febrim momento temporis; quod præſtare natura non poteſt, quæ motu eget, & tempore. Per *prodigia* verò ea, quæ non ſolùm in modo faciendi, ſed etiam re ipſa totam naturæ facultatem excedunt. Per *ſigna* verò illa miracula, quæ etiam ſignificandi cauſâ fiunt. S.Thom. 2 2. quæſt. 178. articul. 1. ad 3. ſic diſtinguit. *In miraculis*, inquit, *attendi poſſunt duo: vnum quidem eſt id, quod fit, quod quidem eſt aliquid excedens facultatem naturæ, & ſecundùm hoc miracula dicuntur virtutes: aliud eſt id, propter quod miracula fiunt, ſcilicet ad manifeſtandum aliquid ſupernaturale, & ſecundùm hoc communiter dicuntur ſigna: propter excellentiam autem dicuntur portenta, vel prodigia, quaſi procul aliquid oſtendentia.* Hæc S.Thom. qui poſtremis verbis videtur expreſſiſſe notionem nominis *prodigij*; quaſi *porrò dicat*, id eſt, futura prędicat, quam ſumpſiſſe videtur ab Auguſtino 21. lib. de ciuitate cap. 8. ſicut Auguſt. à Cicerone 1. libr. de Diuinatione.

Hæ diſtinctiones optimæ ſunt & faciles. Sed, credo, non multùm aberrarer, qui ſaltem hoc loco prodigia vocaret, quæ de cœlo ſunt, qualia ſunt obſcuratum eſſe Solem, auditum eſſe tonitruum, &c. Signa verò quæ de terra ſunt, vt tremuiſſe terram, ſciſſas eſſe petras, aruiſſe ficum. Nam alluſum hîc videtur à Petro ad illud Ioël. quod paulo antè citarat; *Prodigia in cœlo ſurſum, & ſigna in terra deorſum*. Virtutes autem illa, quæ facta ſunt à Chriſto miraculosè: nam *virtus* hîc Græcè δύναμις, eſt, quæ poteſtatem ſonat, qualis eſt morborum repentina curatio, Dæmonum expulſio, ſuſcitatio mortuorum, ſedatum mare ad ipſius imperium. Facit ad hæc quòd virtutes Hebræorum more dicuntur, quæ cum virtute, id eſt, potentia magna fiunt. Vnde eſt Hebræorum vulgo tritum; *fecit virtutem magnam, & poſt multas virtutes*, id eſt, acta fortia, &c. & miracula ſæpè dicuntur *virtutes*. Lucæ 10. *Si in Tyro,*

Digitized by Google

& Sidone facta fuiſſent virtutes. Act. 19. *virtutes non quaſlibet faciebat Dominus per manus Pauli.* Quæ ergo à Patre in filij commẽdationem, & probationem oſtenſa ſunt, prodigia eſſe credo. & ſigna, illa è cœlo, hæc in terra: quæ verò à Chriſto facta, virtutes, quomodo hæc cumque facta ſint.

52. Video hæc propter vicinitatem quandam modò in hanc, modò in illam ſignificationem indifferenter accipi: nam quæ de cœlo ſunt, quæque propriè prodigia dici docuimus, ſigna vocantur. Iſai. 7. *Pete tibi ſignum à Domino ſiue in profundum inferni, ſiue in excelſum ſuprà;* & Lucæ cap. 11. *alij tentantes ſignum de cœlo quærebant.* Item quas virtutes vocauimus, Marci vltimo ſigna dicuntur. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur, in nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, ſuper agros manus imponent.* Sed quando hæc tria ſeparatim ſæpe inueniuntur, vt 2. ad Theſſalon. cap. 2. & ad Heb. 2. in eodem omnino argumento, *conteſtante Deo ſignis, & portentis, & varijs virtutib.* & de eorum proprietate ſeorſum agendum eſt, nihil videtur dici poſſe commodius.

Verſ. 23. *Hunc definito conſilio, &*
53. *præſcientia Dei traditum.*] Longa hîc quæſtio eſt, quomodo Deus Chriſti mortem definierit, cùm tamen in ea plurima, eáque grauiſſima peccata interuenerint? Qua de re diſputant luculenter, & copioſè Doctores contra hæreticorum huius temporis inſaniam, qui Deo neque horrent, neque verecundantur obiicere auctorem eſſe culpæ. Qui plura de hac re noſſe velit, adeat Scholaſticos, quorum hoc eſt negotium.

Nunc ſatis ſit dixiſſe honeſtam eſſe rem, quam definit Deus, nempe Chriſti mortem; à qua nos habemus, vt mundi ſimus. De hac definitum conſilium fuit: hinc traditus manibus, & poteſtati hominum; quòd autem in ea verſata ſint multorum peccata, id verò definitum non eſt, ſed præſcitum, atque permiſſum. Et ita exiſtimo Petrum Theologorum apicem definitionis, & præſcientiæ meminiſſe: definitionis quidem paſſionis, præſcientiæ verò actionis; quæ diſplicuit ſummopere, adeò non definita eſt, iuxta illud tritum: *Actio diſplicuit, paſſio grata fuit. Non enim,* inquit Leo ſermone de Paſſione Domini, *inde proceſſit voluntas interficiendi, vnde moriendi: nec de vno exiuit ſpiritu atrocitas ſceleris, & tolerantia Redemptoris.* Traditus eſt Chriſtus à Patre, & à ſe ipſo, vt homines redimeret: à diabolo, vt redemptionem impediret, & traditores in peccatum traheret: à Iuda per auaritiam, à Iudæis per inuidiam: à Pilato per timorem, ne parum videretur Cæſaris amicus, atque adeò de ſuo loco, atque exiſtimatione caderet.

Quomodo definita Chriſti mors.

54. Cæterùm quemadmodum quæ hominum ſunt, aut hominibus nota, Deo tribuimus, etiamſi aliquid habeant imperfectum, atque humile, vt quæ in ipſo perfectiſſima ſunt, & illuſtriſſima, aliqua ratione intelligamus; quare Deo vterum, vbera, & lac tribuimus, vt ex his amorem tenerrimum in Deo, qualem in matribus experimur, explicemus: ſic etiam licèt in Deo conſilium propriè non ſit, quatenus deliberationem includit, vt docuit S. Tho. 1. 2. q. 14. art. 1. ad 2. conſilium tamen

In Deo quomodo dicatur eſſe conſiliũ.

Digitized by Google

tamen in Deo eſſe dicitur, vt ſonat decretum certum, & ſtabile, quale illud eſſe ſolet, quod præcedit longa, atque attenta deliberatio. Dum ergo Petrus definito Dei conſilio traditum eſſe Chriſtum dicit, oſtendit primum non caſu accidiſſe, quæ Chriſtus à Iudæis pertulit, quemadmodum vulgò illa fieri putantur, in quibus parum momenti eſt, ſed magno Dei conſilio & decreta eſſe, & multo antè prædicta. Traditum dicit, quia nulla omnino poteſtas eſſet in Chriſtum; niſi Pater illum peccatorum manibus tradidiſſet. Mollit autem cautè illorum culpam in principio, vt æquiùs quæ reliqua ſunt, audiant: ideo traditum dicit diuino conſilio Iudæis, & interemptum per Gentilium manus, & hæc omnia multo antè fuiſſe prædicta per Prophetas; quæ omnia id efficiunt, vt minùs ſit in reprehendendo acerbitatis. Quo artificio vſus eſt Ioſeph, vt fratribus magni ſceleris conſciis timorem eriperet. Geneſ. 45. *Nolite, inquit, pauere, neque vobis durum eſſe videatur, quia vendidiſtis me in his regionibus: pro ſalute enim veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum:* & paulo pòſt; *non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum.*

S. Petri prudẽtia.

55. Verſ. 24. *Quem Deus ſuſcitauit à mortuis.*] Adhuc artificioſè Petrus in animos auditorum cauſam inſinuat. Non dicit excitatum Chriſtum propria virtute; quia nondum Chriſti nomen illis expers inuidiæ: licèt non aliena virtute, vt in vitam rediret, indiguerit. Dixerat enim ipſe Ioann. 2. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* & capite 10. *Poteſtatem habeo ponendi animam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Dei autem definita conſilia de morte priùs, deinde de Reſurrectione Chriſti oſtendunt, quantũ ipſe fiat à Deo; cùm de eo tam accuratè deliberauerit, & tam breui, & glorioſè reuocarit ad vitam.

56. *Solutis inferni doloribus.*] Non eodem modo codices omnes; nam quidam habent *mortis*, & ita legunt Chryſoſtomus, & Oecumenius iuxta Græcum textum, in quo eſt θανάτου. Alij communiter *inferni*, vt habet vulgatus. Alij mortem *inferni* nomine ſignificari putant, neque id ſine fundamento: eſt enim in Scriptura frequens *infernum* pro ſepultura, atq; adeò pro morte ſumi. Et quidẽ ſi de morte ſumas, ſententia facilis eſt: ſignificat enim immortalem iam eſſe Chriſtum, quia exolutus eſt ab his doloribus, & moleſtiis, quibus ſubeſt homo in mortali ſtatu. Et fauet huic expoſitioni Syrorum lectio, quæ pro *doloribus*, vertit *funes*. Nam ſicut funes hominem ligatum trahunt, verbi gratiâ ad patibulum; ſic dolores ad mortem. Iam ergo ab illis funibus ſolutus eſt Chriſtus, quia mors illi vltrà non dominabitur. Siue etiam ſolutus doloribus eſt, quia perfunctus eſt iis doloribus, qui vitam abſtulerunt: ſeu quia debitor creditori Patri perſoluit dolores mortis, & mortem ipſam, quam pro peccatis hominum in ſe ipſum tanquam fideiuſſor deriuarat. Solutis ergo doloribus, quos creditori ſuo debebat ex pacto, ſuſcitatus eſt.

A quibus doloribus inferni Chriſtus ſolutus.

57. De inferno plures accipiunt, id eſt, de ſubterraneo loco, in quo fideles animæ in illum diem ſeruatæ claudebantur. De inferni doloribus non eodem modo omnes. Quidam dolores eſſe ſolutos exiſtimãt, non Chriſti, ſed eorũ, qui ex tenebris

vocati ſunt ab ipſo. Ita Beda in retractationibus;quia licèt in ſinu Abrahæ,id eſt, in conſolatione ſecretæ quietis tenerentur; à dolore tamen mortis, ſiue inferorum non erant omnino liberi, quia nondum ſuperna in cœlis gaudia videre poterant,donec fieret id quod Domino per Zachariam cap.9.dictum eſt; *Tu quoque in ſanguine tuo eduxiſti vinctos de lacu.* Quòd ſi pro *doloribus* cum Syro *funes* legas, aptè *funium* metaphora,& verbum *ſoluo* vinctos è carcere tenebrarum exeptos oſtẽdunt ſolutis funibus. Quam etiam ſententiam indicat Auguſtinus de Geneſi ad literam lib.12. cap. 33. & epiſt.99.ad Euodium, licèt ibi alias explicationes adducat.

58. *Impiè Caluinus de Christi dolorib.* Alij de Chriſti doloribus intelligunt,& horum aliqui adeò impiè, vt illum gehennæ ignem paſſum eſſe dicant. Hi ſunt noſtræ ætatis hæretici,qui,vt probent noſtram ſatisfactionem neceſſariam non eſſe, Chriſti dolores quàm poſſunt effuſiſſimè amplificant:eò autem ſtuporis,atque inſaniæ progreſſus eſt Caluinus, vt affirmet inferni dolores ſenſiſſe Chriſtum ab initio paſſionis,id eſt,ab ea triſtitia, quam eſt in horto paſſus.Contra hunc Bellarm. lib.4.deChriſti anima,& Franciſcus Suarez in 3.p.2.to.diſp.43. ſect.1.

59. Quidam ex Catholicis aliquid pœnæ Chriſtum poſt mortem paſſum eſſe putant;nam aliquod pœnæ genus eſſe putant animam eſſe ſeparatam à corpore, & in ſubterraneo loco concluſam:ita Caiet. hîc, & 3. p.q.53.art.4. quod probat ex Pſalm. 15.citato à Petro;vbi anima Chriſti dicitur non derelinquenda in inferno,neque corpus viſurum corruptionem. Vbi beneficium aliquod eſſe videtur Chriſti animam ab inferno liberari; nullum autem eſſet, niſi ibi aliquid eſſet moleſtiæ: ſed communiter alij contrà ſentiunt; quia cùm in morte redemptio noſtra conſummata ſit, propter quam pœnæ fuerunt ſubeundæ, non eſt cur vltra mortem Chriſtum aliquid ſubiiſſe exiſtimemus. Quare licèt locus ille,quia abditus,& obſcurus, aliis pœnæ vel plurimùm afferre potuerit,Chriſto tamen nihil doloris attulit. Qua de re vide Interpretes S.Thomæ in 3.p.q. 52. vbi optimè,& latè Franciſcus Suarez.

Auguſtinus epiſt. 99. ſolutos dicit Chriſti dolores in inferno, non quia ipſe ſubierit,ſed quia ne ſubiret præuentum eſt; quemadmodũ ſolui poſſunt laquei venantium, ne teneant,non quia tenuerint.Soluti ergo dolores ſunt,quia omnis dolendi occaſio ad inferos deſcendenti Chriſto ſublata eſt,ne ſcilicet pateretur,quod pati ſolent, qui ad ſubterranea illa, & tenebricoſa loca deſcendunt. Id verò ſciri ab hominibus maximè ad Chriſti dignitatem pertinebat:nam Chriſtum obiiſſe conſtabat,& communi iam opinione in illum ſinum deſcendiſſe exiſtimabatur,à quo neque ſanctiſſimos Patriarchas immunitatem nactos vulgò etiam homines intelligebãt,alioqui non induxiſſet Chriſtus de Lazaro,& Abraham parabolam, quæ de rebus notiſſimis ſumi ſolet.Atque id negare Petrus neque debuit,neque potuit. Æquum ergo fuit, vt deſcendiſſe Chriſtum in illum infernum locum ita concederet, vt tamen negaret aliquid ibi ſubiiſſe pœnarum. Ideo ſolutis doloribus,emerſit.i.ſolutus à dolorib. non quia alligatus aliquando fuerit, ſed quia ne alligaretur,à Domino prouiſum eſt.Quo ſenſu Principes ſoluti legibus eſſe dicuntur, non quia ſubiecti fuerint aliquo tempo-

re,

re,ſed quia ne ſubeſſent, vtpote legibus ſuperiores, cautum eſt. Hîc

Hypallage vſitata *ſolutus doloribus*, pro ſolutus à dolorib.

verò hypallage quædam eſt, quia non tam ſoluti ſunt dolores, quàm ipſe à doloribus ſolutus eſt, & liber. Sicut Matth. 8. dicitur, *confeſtim mũdata eſt lepra eius*; pro, mundatus eſt à lepra. Et Iſai. 6. *peccatum tuum mundabitur*, id eſt, à peccato mũdaberis. Eccleſ. 3. & 28. *ſoluentur peccata tua*, id eſt, ſolueris à peccatis: ſic dolores inferni dicuntur ſoluti, quia Chriſtus ab illis ſolutus eſt.

61. Dolores inferni, dolores mortis

Ego ſanè puto hæc eſſe probabilia; ſed longè puto probabilius hîc ſermonẽ non eſſe de his doloribus, qui quoquo modo apud inferos ſuſtinentur; ſed de aliis qui propter acerbitatem hyperbolicè *inferni*, vel clariùs *infernales* dicuntur. Dolor autem, quem paſſus eſt Chriſtus, tãtùm habuit acerbitatis, vt ſi vſpiam alius inferni dolor appellari potuerit. Quare ſenſus erit, Chriſtum perfunctum iam acerrimis doloribus, excitatum eſſe. Neque ab hac ſententia longè ſunt, qui, vt Græcus habet textus, pro *inferno* legũt *mortem*: eodem enim ſenſu & mortis, & inferni dolores dici poſſunt; nam cùm omnes, ante reſerata Chriſto moriente cœlorum clauſtra, ad inferna loca deſcenderent, ad quæ per mortem erat certa tranſmiſſio, quemadmodum dolores, quia ad mortem agebant, dolores mortis, ſic etiam iidem, quia intercedente morte trahebant ad infernum, dolores inferni dici poterant. Ex omnibus poſtrema hæc expoſitio mihi probatur maximè, quæ figuratè in inferni doloribus, dolores mortis explicari putat.

62. *Iuxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo.*] Græcè καθότι, quod multa ſignificat, *quẽadmodum, quoniam, propterea quòd*. Noſter Interpres reddidit *iuxta quod*, ſuo more ſingulas partes ſeorſum explicans. Eſt ergo ſenſus: excitatum eſſe Chriſtum, quemadmodum neceſſarium erat ita fieri: vel propterea quòd impoſſibile erat teneri Chriſtum ab eo, vel inferno, vel morte: nam Græca vox θάνατος, qua vtrũque ſignificatur, maſculini generis eſt.

Verſ. 25. *Dauid enim dicit in eum: prouidebam*, &c.] Rationem reddit 63.

Reg. *In aliquãdo ſumitur pro de.*

cur impoſſibile fuerit Chriſtum teneri à morte, vel inferno: quia neceſſarium erat impleri Prophetiam, quæ hoc ipſum de Chriſto multo antè prædixerat. Pro, *in eum*, Græcè εἰς αὐτὸν, noſter Interpres per accuſatiuum reddidit: quia ad futurum Chriſti tempus referebat vaticiniũ; vel quia, vt proximè fecit in voce καθότι, ſingulas voces ſecundùm earum proprietatem expoſuit. Sed mihi veriſimilius eſt εἰς, id eſt, *in*, hoc loco poſitum eſſe pro περὶ, id eſt, *de*, quod eſt in Scriptura frequens. Quod fortaſſe natum eſt ex Hebraico idiomate, in quo על *in* ſignificat, & *ſuper*; item אל, ex quo fit, vt duæ Græcæ voces, quæ his reſpondent, εἰς, & πρὸς, quæ interdum pro περὶ vſurpantur, à vulgato reddantur *in*, vel *ad*. Marcus cap. 9. *quomodo ſcriptũ eſt in filium hominis*, id eſt, de filio hominis. Lucæ 19. *ait Ieſus ad eum, quia hodie ſalus domui huic facta eſt*, id eſt, de eo: non enim ſermo ad Zachæum dirigebatur, ſed ad circunſtantes. Ad Heb. 1. *& ad Angelos quidem dicit*, id eſt, de Angelis. Et cap. 4. *ad quem nobis ſermo*, id eſt, de quo Iob 42. *neque locuti eſtis ad me rectum, ſicut ſeruus meus Iob*, id eſt, de me: neque enim amici Iob cum Deo loquebantur. Iuxta hæc commodè locus exponitur. *Dauid dicit in eum*, id eſt, de eo; qui ſenſus ſatis expeditus eſt.

Prouidebam Deum in conſpectu 64.

meo

meo ſemper, qui à dextris eſt mihi, ne commoueat.] Orſus eſt paulo altiùs Petrus, vt ex ſingulari illa prouidẽtia, quam commemorat, probabile reddat quod ſtatim ſubiicit; nempe breui emerſiſſe, & ex inferno animam, & corpus è ſepulchro. De manu dextera, atque ſiniſtra varia à variis dicuntur; dicam tamen breuiter quod mihi facilius viſum eſt. Duo conſiderari poſſunt ſtatus, & tempora, alterum quietis, & gloriæ; alterum certaminis, & periculi; quale eſt huius vitæ mortalis in qua nihil eſt tutum. Alterum per verbum *ſedeo* plerumque explicatur; alterum per verbum *ſto, aſſiſto*, aut ſimilia. In priori ſtatu meliori loco eſt, qui à dextris ſedet, quàm qui à ſiniſtris, quia nobilior eſt dextera, quàm ſiniſtra manus. Apud Hebræos exempla ſunt plurima. Matth 25. *ſtatuet oues quidem à dextris ſuis; hœdos autẽ à ſiniſtris.* Et Geneſ. 48. *Ioſeph poſuit Manaſſem primogenitum ad dexteram Iacob, Ephraim ad ſiniſtram*, tanquam in loco minùs digno. Sed Iacob cùm minorem vellet maiori præferre, commutatis manibus dexteram impoſuit minori, maiori ſiniſtram. *Cui Ioſeph: non ita conuenit pater, quia hic eſt primogenitus; pone dexteram tuam ſuper caput eius.* Quare quem honorare volunt Principes, ad dexteram ſtatuunt. 3. Reg. 2 de Salomone. *Surrexit Rex in occurſum eius, adorauitq́; eam, & ſedit ſuper thronum ſuum; poſitusq́; eſt thronus matri Regis, quæ ſedit ad dexteram eius.* & Pſalm. 44. *Aſtitit Regina à dextris tuis.* Qui locus videtur tribui ſponſæ in nuptiali traductione, alioqui neque poſſet eſſe læua ſponſi ſub capite, neque dextera amplexari ſponſam; quia innixa fingitur ſuper dilectum ſuum, id eſt, in ſinu reclinata. Et Chriſtus ſedere dicitur ad dexteram Patris.

Manus dextera interdum honeſtiorem locũ, interdum minùs honeſtum deſignat.

Neque tamen idcirco ſequitur, aut Principem, qui ad dexteram locat, quem honorare vult, aut Patrem, qui Chriſtum hominem à dextris habet, eſſe in inferiori loco; cùm ad aliorum ſiniſtram ſint, quia Regia ſedes aut perſona, vbicunque ſit, digniſſima, atque nobiliſſima cenſetur. Neque illa ab aliis accipit, ſed potiùs dat honorem; neque cum Rege, aut loco, aut dignitate confertur, qui à dextris ſedet, ſed cum his, qui ſedẽt à ſiniſtris. Quare Chriſtus à dextris Patris eſt, quia digniori loco ſedet, quàm alij omnes, qui cũ Chriſto collocati à ſiniſtris ſedere videri poſſunt.

65. In ſtatu alio eorum, qui in hac vita, quaſi in acie ſunt; quique viatores dicuntur, alia ratio eſt. Nam dignior, quemque ſeruatum ab omni diſcrimine volumus, à ſiniſtris locatur, quia ibi commodiùs ab alterius dextera defenditur, vt conſideranti patet: nam ſi ille conſiſteret à dextris, excluſus videri poſſet à dextræ patrocinio, & non tectus; aut interior, & quaſi in alterius ſinu, ſed exterior, & nudus. Quare qui ſiniſtrum latus alterius occupat, interior dicitur, quia illum & dextera, & gladius naturali ſuo motu vibrati in ſiniſtram partem, tegunt, & quaſi intra ſe cohibent. Interiorem verò dici eum, qui à ſiniſtris eſt, conſtat ex illo Virgilij 5. Æneid.

In periculis honeſtior locus eſt à ſiniſtris.

Radit iter læuum interior.———

Et poſtea cùm cautes læuas eſſe dixiſſet, addit:

———*dum prora ad ſaxa ſuburget*

Interior. ——— ———

Quod Seruius interpretatur *ſiniſterior.* Et Ouidius 5. Faſtorum, cùm ageret de honore quem olim iuuenes præſtabant ſenibus, dicit:

Ibat & interior, ſi tamen vnus erat.

Ex

Ex quo etiam fiebat, vt qui ad dextrum incederet latus, exterior diceretur. Apud Horatium lib. 2. Satyra 5. Tereſias Vlyſſem monet, vt ſi diuitias velit colligere, aduletur locupletib. digniorémq; locũ cócedat.

Qui quamuis periurus erit, ſine gente, cruentus
Sanguine fraterno, fugitiuus, ne tamen illi
Tu comes exterior (.i. dexterior) *ſi poſtulet, ire recuſes.*

Ex his liquet in incedendo, atque in pugnando, vbi nihil eſt à vi, ſiue ab inſidiis tutum, magis eſſe honeſtum illum locum, qui eſt ad ſiniſtram alterius, quia locus eſt interior, & tectus. Qua ratione apud Italos locus ille nobilior eſt qui parietem ſpectat propiùs, in quancunque ille manum vergat. Vbi autem quies eſt, & non tam labor, aut periculum, quàm laboris, ac periculi fructus, illũ eſſe honeſtiorem, qui eſt ad alterius dexteram. Ex quo emicat multorum locorum ſenſus, qui videri poterat obſcurior. Ad Hebr. 1. Chriſtus ſedere dicitur à dextris Dei. Item Marci vltimo, & Pſalm. 109. quia de Chriſti gloria ſermo eſt. Sed Pſalm. 15. quem hîc citat Petrus, à ſiniſtris eſt Dei, quando Deus à dextris eſt Chriſti; *à dextris eſt* (inquit) *mihi, ne commouear*: quia tunc Chriſtus in certamine conſideratur, & in labore conſtitutus. Et pauperi à dextris eſt Deus. Pſalm. 108. *Aſtitit à dextris pauperis, vt ſaluam faceret à perſequentibus animam meam.* Ex quo etiam intelligitur quomodo Chriſtus Pſalm. 109. priùs dicatur ſedere à dextris Dei. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis*: & paulo pòſt à ſiniſtris. *Dominus à dextris tuis confregit in die iræ ſuæ Reges*; quia priùs victor inducitur, & in quiete regnans; poſteriùs verò quaſi in cóflictu ſub Patris vmbra, atque tutela. Quòd verò Pſ. 108. dicitur; *& diabolus ſtet à dextris eius*; indicatur quã ſit diuerſa ſors peccatoris, ac iuſti: nã huic à dextris Deus eſt, vt illum tueatur, regátque dexteram, ne quid faciat ſiniſtri, ac deuij; illi verò diabolus, vt in rebus omnibus exitio ſit; impediátque dexteram, quominùs dextrum aliquid, id eſt, rectum faciat.

Ex quo etiam intelligi poteſt cur in Pontificiis diplomatis Paulus ad Petri dexteram pingatur. Conſiderantur enim hi duo magni Principes non vt regnantes in cœlo; neque enim de illorum ſanctitate, gloriæque præſtantia quicquam in ea pictura definit Eccleſia; ſed adhuc in hac vita pro Eccleſia Dei, & pro anima ſua certantes; quod planè oſtendunt ea inſignia quæ manibus geſtant, quę non triumphantiũ ſunt, ſed eorum, qui Dei causâ laborant. Ibi ergo Paulus à ſiniſtris habet Petrum; tutiori ſcilicet, atque honeſtiori loco; vt eum tanquam Imperatorem ſuum, & caput defendat, ſicut à ſtrenuo ſtipatore, & milite ęquum eſt fieri. 66. Paulus cur à dextris Petri pingatur.

Verſ. 27. *Quoniam non derelinques animam meã in inferno, nec dabis ſanctũ tuum videre corruptionẽ.*] Non deſcendit in infernũ anima Chriſti, ita vt quemadmodum aliorum animæ, ibi diu moraretur; neque corpus in ſepulchrum, ita vt in eo, vt reliqua corpora putreſceret. Quòd ſi vera eſſet Damaſceni ſententia, qui lib. 3. de fide cap. 28. ſentit; idque à piis fratribus accepiſſe ſe dicit, Chriſti corpus fuiſſe incorruptibile propter ſuppoſiti dignitatem, vaticiniũ hoc Spiritus ſanctus accommodauit hominum opinioni; nam licèt Chriſti corpus eſſet corruptionis expers, tamen quia aliorum corpora 67.

poſt tertium plerumque diem corrumpi ſolent, ideo non viſurum dixit corruptionem, quia ante tempus corruptioni maturum ſurrexit à mortuis; quemadmodum Iſai. cap. 8. iuxta communem ſententiam dicitur. *Antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci*, id eſt, ante ætatem illam, in qua communiter alij pueri patrem vocant: nam Ieſus quolibet temporis momento patrem vocare nouerat. Sic Ieſus excitatus eſt antequam aliorum corpora ſolita ſunt corrumpi. Sed quòd Chriſti corpus natura ſua corruptibile fuerit, tenent communiter Theologi 3. d. 21. & S. Thom. 3. p. q. 51. art. 3. ad 2.

Verſ. 28. *Notas mihi feciſti vias*
68. *vitæ.*] Id eſt, ad vitam reuocaſti. Sic
ferme omnes. Quidam hîc præteritum ſumunt pro futuro, id eſt, viuificabis me; quod in Scriptura familiare eſſe cùm alicuius rei celeritas oſtenditur, docuimus ad illud Cant. 2. *Introduxit me.* Sed ſanè non eſt neceſſe ad figuratam illam locutionem confugere: nam hîc tantùm futuri ad vitam reditus ſpes, & promiſſio continetur; quæ anteceſſit longè ante Chriſti Reſurrectionem. Cùm verò de gloria corporis loquitur, quam conſecutus non erat Chriſtus quando hæc dicebantur à Dauide, futurum adhibetur; *Replebis*, inquit, *me lætitia.* Alluſum autem videtur ad illud Geneſ. 3. *Eiecitq́ Adam, & collocauit ante Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, & verſatilem ad cuſtodiendas vias vitæ.* Hoc autem loco apertam ſibi eſſe viam ad vitam, & ad Paradiſum oſtendit, dum de Reſurrectione, & & gloria loquitur.

69. *Cum facie tua.*] Id eſt, coram
te, vel in conſpectu tuo. Priùs actum de Reſurrectione Chriſti, nunc de ipſius in cœlum Aſcenſu. Illud enim eſt, *plenum eſſe iucunditate coram Domino.* vbi etiam oſtenditur iucunditatis magnitudo; quæ ſignificari ſolet ſimili dicendi forma: nam quæ magna ſunt, coram Deo dicuntur eſſe Hebraica phraſi. Porrò vbi vulgatus habet *cum facie*, Hieronymus vertit *coram facie.* Neque hîc aut primùm, aut ſolùm præpoſito *cum* ſumitur pro *coram.* Deut. 18. *perfectus eris, & abſque macula cum Domino Deo tuo*, id eſt, coram Domino. & Geneſ. 5. de Enoch; *ambulauit cum Deo:* & 3. Reg. 11. de Salomone; *neque erat cor eius perfectum cum Domino.*

Cum idem quod coram.

Verſ. 29. *Viri fratres liceat audacter dicere ad vos de Patriarcha Da-*
uid.] Sicut recitato Ioëlis vatici- 70.
nio beneuolos facit, & attentos
Iſraëlitas, dum illud ad Chriſti tempus; & cauſam accommodat; ſic nunc oraculo recitato Dauidico, eodem artificio ad Chriſtum delabitur. Sed quia moleſtè ferimus, ſi quidpiam his, quos amamus, aut colimus, aſpergimus, quod aliquid tetrum, atque ingratum oleat, cùm Dauidis nomen & dulce ſit, & religioſum Iudæis, cui contigiſſe docet, vt in ſepulchro extabuerit, mollit hoc Petrus dum inquit dicturum ſe aliquid audaciùs de Dauid, quem non minùs ipſe religioſè colit. Et ideo Iſraëlitas fratres vocat, id eſt, eiuſdem ſenſus ac Religionis; & ab ipſis licere ſibi poſtulat, quod licèt inuitus, neceſſariò tamen dicturus eſt. Appellat autem eum Patriarcham, & Prophetam: Prophetam quidem, vt oſtendat multo antè præuidiſſe illa, que nouiſſimis hiſce tempori-
bus

S. Petri prudẽtia.

bus impleta ſunt; Patriarcham verò, vt alium etiam honorem illi deberi oſtendat præter propheticum, & Regium, quo communem ſibi cum Iudæis parentem fatetur: quare illos hîc fratrum nomine ſalutat, ex quo probabiliter indicat non tam libenter, quàm neceſſariò ſibi eſſe propoſitum tanto parenti negare quòd corruptionem mortuus non effugerit. Qua verò de cauſa Dauid vocetur Patriarcha, non erit à noſtro inſtituto alienum oſtendere.

Patriarcha, cognationis & familiæ princeps, aut auctor.

Patriarchæ, vt nomen ipſum ſonat, ſunt vel patrum principes, vel inter patres primi, id eſt, qui principium alicuius generis ſunt, & patres eorum, qui in ſuis quiſque familiis principes habentur. 1. Paralip. 8. *hi Patriarchæ, & cognationum principes, qui habitauerunt in Ieruſalem*; in Hebræo: *hi capita patrum in generationibus ſuis capita*. Lxx. *hi principes cognationum*. Eſt autem ſermo de his, ad quos tanquam ad capita magnæ familiæ referebantur; & ideo Abraham ad Hebr. 7. & duodecim filij Iacob Act. 7. dicuntur Patriarchæ; ſic etiam hîc Dauid, quia Regum è domo Iuda & primus, & princeps. Nam licèt Abraham non primus auctor generis, primus tamen poſteris illuſtre nomen peperit: ſic quoque Dauid ſuæ cognationi priùs obſcuræ illuſtre imprimis & auguſtum nomen conciliauit. Ad horum ſimilitudinem in Eccleſiaſtica Hierarchia Patriarchæ dicuntur, qui inter magni nominis Prælatos, qui & ipſi Patres appellantur, principes ſunt, & patres.

71. Sepulchrũ cõmune totis familiæ.

Sepulchrum eius apud nos.] Probat Petrus vaticinium propoſitum non poſſe in Dauidem conuenire, qui corruptionem planè viderit. Quod ex eo probat, quia ipſius ſepulchrum in egregio ciuitatis loco, Regio omnino opere elaboratum nemini incognitum eſſe poterat. Sed obiiceret aliquis, eodem argumento probari etiam poſſe corruptionem etiam ſenſiſſe Chriſti corpus: nam & eius etiam ſepulchrum facilè oſtendi poſſet. At, qui ſepulchrorum formam nouerit, maximè nobilium, intelliget profectò quomodo ex ſepulchro probari potuerit, & Chriſti corpus ab omni tabe eſſe liberum; & Dauidis ab ea reſolutum. Nam potentiorum ſepulchra, vt noſtra ætate plurima, non erant in terra defoſſa, ſed in ſpelunca ex lapide cauato. Probat hoc ſpelunca illa, quam ex Ephron emit Abraham ad ſepeliendam Saram. Geneſ. 23. & ſepultura Chriſti, quam ſibi Ioſeph ad Hebrææ gentis conſuetudinem excauarat in ſaxo. Neque corpora humata erant plerumque, aut incluſa thecis, ſed in loculis ita expoſita, vt videri, tangíque ab ingredientibus poſſent. Ex quo intelligimus quomodo cadauer eius, qui à latronibus eſt occiſus, tangere potuerit oſſa Eliſæi: neque enim defoſſum eſt Eliſæi ſepulchrum, & in illud alterius corpus infoſſum; nam non eſſet minoris laboris, ac moræ illud à latronibus aperiri quàm nouum. Sed cùm ſepulchrum haberet magnifico opere extructum, quale decuit hominẽ Deo acceptiſſimum, vt dicit Ioſephus lib. 9. Ant. cap. 9. id eſt, ſubterraneum aliquod ædificium; in illo facilè cadauer ſublato operculo occultari potuit. Cùm autem aperta eſſent oſſa Prophetæ, facilè à proiecto cadauere tangi potuerũt; atque edere illud miraculum, de quo 4. Reg cap. 13. Vide Abul. in eundem locum q. 19. Porrò in ſepulchra illa non vnum tantùm infere-

Sepulchrorum apud Hebræos quæ forma.

batur cadauer, ſed tota familia in
illa ius habebat quaſi hæreditariũ:
quare in ſepulchro Abrahæ conditi
ſunt poſtea Iſaac, & Iacob, & ſæpe
poſteri incluſi eſſe dicuntur in pa-
ternum monumentis. Et inde natus
eſt dicendi modus; *dormire cum pa-
tribus ſuis, & apponi ad parentes ſuos.*
Exiſtimabatur autem infelix ille,
qui à cineribus, & tanquam ample-
xu parentum eſſet in morte diſtra-
ctus. Hinc conſtat quomodo He-
bræorum ſepulchra ſæpius ſaltem
in propinquorum funere adiri po-
tuerint; viderique omnia, quæ ibi
recondita, vt conſtat de Chriſti ſe-
pulchro. Quod maximè credibile
eſt de ſepulchro Dauid, quod Salo-
mon filius Regio opere, & munifi-
centia extruxit, vt tradit Ioſephus
lib. 7. Ant. c. vlt. & in quod Reges Iu-
da magno numero inferebantur, vt
ex lib. 3. & 4. Regum conſtat, in qui-
bus omnes pene Reges Iuda ſepul-
ti dicuntur in ciuitate Dauid. Quis
autem vel non vidiſſet, vel certè ab
iis qui ſepulchrum ingreſſi ſunt, non
audiſſet, quid actũ eſſet de Rege tã-
to? Satis ergo fuit Petro meminiſſe
Dauidici ſepulchri, vt eius recorda-
tione quid omnibus eſſet explora-
tum, renouaretur. Neque *corruptio-
nis* nomen Petrus attigit, ne aliquo
modo violata regia dignitate, in
ipſo Euangelicæ prædicationis in-
greſſu durior eſſet oratio. At Pau-
lus infrà cap. 13. apertè fatetur Daui-
dem vidiſſe corruptionem, quia
iam Chriſti nomen aucto fide-
lium numero minùs erat inuiſum;
& ipſe fortaſſe cum aliis viderat,
quid eſſet reliquum è Regio cada-
uere.

Sed obiiciet aliquis ex Ioſepho
libro 7. Antiq. in fine, loculos
in quibus eſſent oſſa Regum Iuda,
ca arte ſub terra eſſe reconditos, vt
ab ingredientibus monumentum
inueniri non poſſent. Mihi ſanè *An theſaurus abſconditus in ſepulchro Dauid.*
ſemper ſuſpectum fuit, quod de
ſepulchro Dauid tradit Ioſephus
libro 7. Antiquitatum capite vl-
timo; multa ſcilicet talentorum
millia ibi eſſe recondita; & vt
ibi in honorem Regij monumenti
repoſita eſſe fateamur, certè veriſi-
mile non eſt, ita eſſe ignorata, aut
intacta, vt poſt mille ac trecentos
annos tria talentorum millia inde
extracta fuerint ab Hircano: vt idem
docet libro 13. Antiq. capite 16. &
multo pòſt, vt idem eſt author li-
bro 16. capite 11. mundi pretioſi, &
aureorum ornamentorum vim ma-
ximam ſuſtulerit Herodes. Nam
ante Chaldæorum aduentum, vt
conſtat 4 Reg. 14. *Ioas Rex Iſraël
tulit omne aurum, & argentum, &
vniuerſa vaſa, quæ inuenta ſunt in
domo Domini, & in theſauris Re-
gis.* Et poſtea Chaldæi quicquid
pretioſum erat, ſiue aureum, ſi-
ue æreum, ſecum abſtulerunt, vt
docet Ierem. capite 52. Qui er-
go æreis vaſis, ac columnis non
pepercerant, aureis talentis, quæ
in Regio condebantur tumulo,
pepercilſſent? aut ignorarent in Re-
giis, ac nobilibus tumulis magni
pretij munera recondi ſolita? Cer-
tè eo conſilio ſcrutati fuerunt Re-
gum ſepulchra, ad theſauros, quos
ib latere ſuſpicabantur, anhe-
lantes. Neque aliam ob cauſam
oſſa Regum Iuda effoderunt è ſe- 73. *Oſſa Regũ effoſſa.*
pulchris, quod futurum prædixe-
rat Ieremias capite 8. *Eiicient*, in-
quit, *oſſa Regum Iuda, & oſſa Prin-
cipum*, &c. *de ſepulchris ſuis.* Quod
ſuo tempore impletum eſſe dicit
Baruch capite 2. *Statuiſti*, ait, *ver-
ba tua, quæ locutus es in manibus
puerorum tuorum, & Prophetarum;
vt transferrentur oſſa Regum noſtro-
rum,*

rum, & oſſa patrum noſtrorum de loco ſuo: & ecce proiecta ſunt in calore Solis, & in gelu noctis. Deinde incredibile eſt, ſi modò concedamus Chaldæos à Regiis abſtinuiſſe monumentis, intacta futura fuiſſe longo captiuitatis tempore, in quo ciuitas adeò fuit ab habitatoribus deſerta, vt in monte Sion, id eſt, in parte nobiliſſima, quæ dicebatur ciuitas Dauid, vbi eius, & aliorum Regum Iuda erat commune Mauſolæum; vulpes habitauerint, vt Ieremias plorat Thren. cap. 5. *Mœſtum* (inquit) *factum eſt cor meum propter montem Sion, quia diſperiit, vulpes ambulauerunt in eo.* An deſerta ſepulchra rapinæ hominum, atque ludibrio expoſita tot opes reſeruarent tandiu Hircani, atque Herodis auaritiæ? Vt ergo hæc mihi dubia ſunt, ſic illa quæ ſtatim docet, ſic eſſe rectos loculos, vbi Regia claudebantur oſſa, vt à nemine poſſent inueniri. Certè inuenerunt Chaldæi, à quibus, vt diximus ſuprà, Regum Iuda, qui, vt ex libris Regum ſatis conſtat, in idem monumentum illati ſunt; in quo Dauid ſepultus, effoſſa ſunt oſſa, indecoréque diſperſa.

74 An oſſa Dauid ef foſſa, & deinde collecta. An verò in his etiam fuerint oſſa Dauid, nihil affirmant Doctores; mihi veriſimile eſt illis eſſe parcitum ab hoſte Chaldæo; nam Ieremiæ cap. 8. diſſipanda dicuntur Regum oſſa, & expandenda ad Solem, & Lunam, & omnem militiam cœli, quæ dilexerunt; neque amplius colligenda, ſed in ſterquiliniis futura. Sed cùm ab ea impietate procul fuerit Dauid, qui militiæ cœli honorem nunquam exhibuit diuinum, probabile eſt immunem fuiſſe ab illo ludibrio; licèt reſignatum fuerit eius ſepulchrum, theſaurúſque quæſiti, atque effoſſi. Adde quòd qui inde extrahendi dicuntur, illi etiam iterum dicuntur non colligendi. Tunc verò nihil fidei faceret ratio Petri, quæ Iudæos ad Dauidis ſepulchrum remittit; ſi ibidem Regij cadaueris reliquiæ eſſent nullæ, quæ conuincerent non reſurrexiſſe Dauidem. Vel certè ſi à ſanctorum Regum oſſibus, qui militiam cœli non coluerunt, non abſtinuêre Chaldæi; veriſimile eſt ſanctorum Regum oſſa fuiſſe ab iis, qui remanſerant, in ſuis iterum loculis repoſita: manſerunt autem plurimi in Iudæa etiam poſt extremum ſub Sedechia ciuitatis excidium, vt latè probauimus in illud Zachar. 7. *miſerunt ad domum Dei.* Neque huic cogitationi incommodat, quòd Regum oſſa dicuntur non colligenda, ſed in ſterquilinio futura, quia neque vniuerſè hoc dicitur de Regibus omnibus, neque, ſi nota eſſet vniuerſitatis appoſita, ideo non liceret vnum, aut alterum excludere; nam quando pauci ex magno aliquo numero excipiuntur, ex vſu ſacræ Scripturæ ad omnes dicitur aliquid pertinere; vt ſuprà docuimus capite primo ad illud. *De omnibus, ô Theophile.* Ex quo etiam fieret, vt multi Iudæorum noſſent Dauidis oſſa, & priùs effoſſa, & poſtea rurſus illata monumento: atque adeò Dauidem vidiſſe corruptionem. Cùi enim eſſent ignota, & Chaldæorum impietas in diſpergendis, & Iudæorum humanitas in colligendis

tanti Regis reliquiis?

Sed demus ita fuiſſe tecta Dauidis oſſa, vt neque loculi ab ingredientibus videri potuerint. At erat facile loculos humi etiam altè defoſſos aperire; & videre quid ibi lateret; lateret autem ſine dubio aliquid è Regio cadauere; quod non accidit in Chriſti ſepulchro. Nam qui ingreſſi ſunt in illud, Ioan. 20. nihil inuenerunt præter linteamina, & ſudarium.

75. Ex hoc fit, non ſatis efficaciter ex hoc loco colligere nonnullos Dauidem fuiſſe cum Chriſto ſimul excitatum: quia ſepulchri meminit Petrus, non corporis. Nam cùm in ſepulchro conſtaret eſſe Dauid, idémque fortaſſe viſus eſſet ab iis, qui aderant, aut à maioribus viſum audiſſent, ſatis fuit meminiſſe ſepulchri, quod memoriam Dauidis ibi ſepulti, atque corrupti renouaret. Certè Aug. in Pſal. 15 niſi eſſent in ſepulchro Dauidis oſſa, nihil probari putat argumento Petri.

76. *Vſque in hodiernum diem.*] Perſeuerauit ſepulchrum Dauid non ſolùm ad ætatem vſque Petri integrum, & auguſtum; ſed etiam ad tempus Adriani Imperatoris; nam tunc ſepulchrum magna ex parte corruiſſe author eſt Dion in Adriani Vita. Pepercit enim Regio monumento Chaldæorum furor, & flamma; licèt Regum oſſa inde fuerint extracta, cùm ſubterraneum eſſet ædificium in excauato lapide, vt tradit Sebaſtianus Serlius lib. 3. vbi illud multis deſcribit, & ſuis etiam lineamentis efformat. Quare natura loci ſatis munitum erat contra hoſtium vim, & flammarum incendium. Pepercerunt item Romani; ſiue propter rationem allatam, ſiue propter opinionem tanti Regis, cuius nomen etiam apud externos ſanctum erat: ſiue quia ſepulchra violare Romano populo nimiùm in eam partem ſuperſtitioſo religio eſt.

Sepulchrū Dauid diu ſeruatum

Verſ. 30. *De fructu lumbi eius.*] Beda, *de fructu ventris*; accommodatè ad Pſalmum 131. quem Petrus ſine dubio reſpexit: *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Sed eſt idem ſenſus; *vterus* enim, & *venter* quoad generationis opus non ſolùm dicuntur de fœminis, ſed etiam de viris. Pſal. 109. *Ex vtero ante luciferum genui te.* Gen. 15. ad Abraham; *qui egredietur de vtero tuo. Lumbus* tamen aptiùs de viro dicitur, quàm *venter*; vtrumque verò honeſtè ponitur pro his organis, quorum nomen verecundæ aures audire horrent, iuxta Scripturæ caſtiſſimum morem, quæ, ne quid ſonet obſcœnum, mille figuris variat orationem. Vocat autem ſedem Dauid, non temporalem, quia non illam Chriſtus Rex obtinuit, nec ſpiritualem, quia illam non eſt conſecutus Dauid; ſed ſpiritualem in temporali Dauidis ſede figuratam, quæ futura erat in æternum ſtabilis. De qua Iſai. 9. *Super ſolium Dauid, & ſuper Regnum eius ſedebit, &c. vſque in ſempiternum.* Eſt autem vſitatū in Scriptura, vt vmbra nomen habeat adumbratæ rei, & imago prototypi; vt docet Auguſt. de mirabil. Scripturæ cap. 9. 77.

Quomodo Chriſtus tenuerit ſedem Dauid.

Verſ. 33. *Promiſſione Spiritus ſancti accepta à Patre.*] Adhuc Petrus non tam apertè de Chriſto loquitur quàm ſe ſapienter in cauſam inſinuat. Docere ſtudet miſſū à Chriſto Spiritum ſanctum; ſed quia id fortaſſe reſpuerent non ſatis conciliatæ Iudæorum aures, ideo lenit aliquo modo, dum dicit, accepiſſe Chriſtum à Patre, quod in Diſcipulos effunderet. Obſeruauit hoc 78.

S. Petri prudētia.

Chry

Chryſoſtomus,& Oecumenius, vbi ſummum iam oratorem ex piſcatore Petrum admiratur. Vbi verò iam æquiores ſunt Iudæorũ aures Chriſti nomini, audaciùs de Chriſti diuinitate loquitur, & de Dauide minùs quàm antea timidè. Illud verò de accepta à Patre promiſſione,duplicem habet ſenſum, & vtrumque non difficilem. Prior eſt, admiſſum eſſe à Patre, probatúmque quòd Chriſtus Diſcipulis promiſiſſet de Spiritus ſancti effuſione; & ita annuente Patre Spiritum ſanctum datum eſſe à Chriſto.Promiſerat verò ſæpius Chriſtus diuinum Spiritum. Ioan. 15. *Alium Paracletum dabo vobis*:& rurſus.*Cùm abiero,mittam eum ad vos.*

79. Alius ſenſus eſt,meo iudicio,magis proprius, ita vt promiſſionem à Patre Chriſtus acceperit, vt ipſo ad cœlos ſublato ad ipſius nominis gloriam Spiritum ſanctum viſibili ſpecie in ſui nominis amatores effunderet: neque ſemel tantùm in Pentecoſte, ſed ſæpius aliis etiam temporibus,Quod impletum eſt & hîc, & poſtea cap. 4. 8. & 10. Vbi verò promiſſio facta ſit Chriſto, non conſtat.Facta videtur Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis*. Quis verò dubitet Chriſti precibus annuiſſe Patrem? & ibid.*Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*. Hæc ergo promiſſio non tam eſt facta à Chriſto Diſcipulis, quàm à Patre Chriſto: quod ſtatim in principio videtur oſtẽdiſſe Chriſtus, qui Spiritus ſancti miſſionem Patris promiſſionem vocat: *ſed expectarent* (inquit) *promiſſionem Patris*; quam eſſe de Spiritu ſancto mittendo, explicat quod ſtatim ſubiicitur; *quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto.* Dicitur autem Chriſtus homo mittere Spiritum ſanctum,quia,vt à Patre mitteretur, obtinuit. Iuxta illud ſuprà: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.* Et hoc ſenſu dici poteſt Chriſtus miſiſſe Spiritum ſanctum à Patre.Ioann.15.*Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre*; & Pater miſiſſe in Chriſti nomine.Ioan.14. *Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo*:quia Pater Chriſti precibus, ac meritis dedit in terris copioſa illa Spiritus ſancti dona.

Effudit hoc donum, quod vos vide- 80.
tis, & auditis.] Non viderant Iudæi inuiſibilem Spiritum:at ſigna viderant à Ioële prædicta. Viderãt enim lapſas è cœlo flammas, audierant tonitrua, varios linguarum ſonos acceperant; hæc tam ſubita, atque admirabilia ab alia quàm à cœleſti aliqua vi prouenire non poterant. Vt ergo flammam in cinere, artificem, ac penicillum in imagine, gladium in vulnere, & in veſtigio pedem intuemur; ſic in rerũ admirabilium; & quæ ſe ſupra naturæ facultatem attollunt,aſpectu admirabilem, & humano maiorem artificem agnoſcimus.

Verſ. 34. *Non enim Dauid aſcen-* 81.
dit in cœlum.] Oſtendit illum, qui è mortuis excitatus eſt,ſublatum iam in cœlum à dextris eſſe Dei. Illud verò (*enim*) cuius cauſam reddat, obſcurum eſt. Et quidem non videtur rationem reddere eius, quod proximè dixerat; miſſum de cœlo Spiritum ſanctum à Chriſto: neque enim quiſquam exiſtimare poſſet miſſum à Dauide; atque ideo neceſſarium non erat probare Dauidem non aſcendiſſe in cœlum.Reddit verò, meo iudicio, cauſam cur

Chriſtus

Digitized by Google

Chriſtus credi debeat aſcendiſſe, quod ſignificarat, cùm dixit; *dextera igitur Dei exaltatus*, &c. *effudit hunc*. Et quod illud idem prædictum fuerit à Dauide eodem Pſalmo, in quo de eius Reſurrectione vaticinatus eſt. Continetur autem Chriſti Reſurrectio his verbis; *Notas mihi*
Pſal. 109. *feciſti vias vitæ*. Aſcenſus verò illis; *replebis me iucunditate cum facie tua.* Quorum verborum non apparet quis poſſit commodior eſſe ſenſus. Et ita omnino videtur Petrus expoſuiſſe; & indicat illud *replebis*, quod importare videtur gloriam corporis, & animæ: nam aliter non eſſet verum, Dauid non aſcendiſſe in cœlum; cuius animam aſcendiſſe certum eſt cum aſcendente Domino. Vt ergo ſuprà de Dauid Petrus docuit intelligi non poſſe quod de carnis incorruptione dictum eſt; ſic etiam de illa iucunditatis plenitudine cum facie Domini ad eius dexteram, ad Dauid nullo modo ſpectare ipſius Dauidis teſtimonio cõfirmat ſumpto ex Pſal. 109.

82. *Dixit Dominus Domino meo; ſede à dextris meis.*] Non obſcurè hinc colligit Petrus ſedem à dextris Dei nullo modo promiſſam eſſe Dauidi, cùm ipſe apertè fateatur illam ſuo Domino deberi Hic verò Chriſtus eſt, vt ſtatim ſubiicit Petrus. Eſt autem Dominus Dauidis non ſolùm quatenus Deus, ſed etiam quatenus homo eſt, tam Patris conceſſu, ac dono, quàm acquiſitionis, ac Redemptionis iure, ac merito, iuxta illud Matth. 21. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.* Quid verò ſit ſedere à dextris alicuius, diximus ſuprà ad illud. *à dextris eſt mihi.*

Verſ. 39. *Donec ponã inimicos tuos.*]
83. Dupliciter locus hic exponitur; & futurum eſſe Chriſtum ad Patris dexteram, donec inimici, id eſt, dæmones, & impij ipſius imperio ſubſint: & quia nullo tempore ſubiecti non erunt, ideo Chriſtus nullo tempore ad dexteram Patris non ſedebit. Quaſi dicat Pater Chriſto; *in æternum ſede*. Secundò, eodem quidem ſenſu, non tamen eodem modo ſignificandi. Sed antequam ad poſteriorem explicationem accedo; obſeruandum puto quem vſum habeant particulæ quædam, quæ videntur excluſiuæ, *donec, vſque, antequam*, &c. Et in ſumma iſtæ particulæ adhiberi ſolẽt, non vt aliquid excludant, ſed vt explicent id, in quo difficultas eſſe poterat; aut dubitandi cauſâ; aut, quod ad inſtitutum facit, aſſumant, reliqua non curent. Prioris exemplum eſt 2. Reg. 6. *Michol filiæ Saül non eſt natus filius vſque ad diẽ mortis ſuæ.* Non excluſit tempus poſt mortem, ſed ideo videtur non incluſiſſe, quia nemini dubium eſſe poterat, Michol poſt mortem non ſuſcepiſſe liberos. Matt. 28. *vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi*, id eſt, etiam antequam conſummetur ſæculum: nam conſummato ſæculo non erat dubium. Gen. 8. de coruo; *& non reuertebatur, donec ſiccarentur aquæ.* Siccatis aquis certum erat non reuerſurum coruum. 2. libr. Paral. capl vltimo. *Cunctis diebus deſolationis egit Sabbathum* (populus) *vſque dum complerentur* 70. *anni.* De tempore captiuitatis dubium erat, an conſeruata fuerit Sabbathi religio, poſt ſolutã captiuitatem nemo dubitaret. Poſterioris exemplum eſt illud Mat. 1. *antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens.* & ibid. *& non cognoſcebat eum, donec peperit filium ſuum*, &c. Ex hoc dicendi genere non ſequitur quòd aliquando Virgo cognita fuerit à Ioſepho, quia Euangeliſta probare voluit Virginem à Spiritu ſancto 84.

Quis vſus harũ vocum *donec, vſque, antequam.*

Digitized by Google

ſancto concepiſſe, & non à Ioſeph; ad quod ſatis erat obſeruaſſe, ante cõceptum Ieſum intactam eſſe Virginem: de alio tempore nihil curat. Vide Ambroſ. de inſtit. Virgin. cap. 5. vbi dicit Scripturæ conſuetudinem eſſe, vt cauſam, quæ ſuſcepta eſt, aſtruat, incidentem differat: & Hieron. to. 2. contra Heluidium, vbi optima adducit exempla.

85. Sic ergo cùm dubitare quis poſſet, an Chriſtus modò à dextris ſit Patris, cùm nõdum illi ſubiecta ſint omnia; adhuc enim impij impunè videntur dominari; adhuc dæmon inſidiatur hominum ſaluti, & in eo conatu heu nimiùm felix, in exitium trahit quamplurimos; cogitationi hominum occurrit paterna vox, quę etiam, dum omnino videtur Satanæ aut audacia fracta, aut erepta poteſtas, donec inimici ſubiecti ſint, & calcati pedibus, locum à dextris offert: neque tamen negat honorem illum in omnem æternitatem.

86. *Hoſtes victi pedibus ſuppoſiti.* *Scabellum pedum tuorum.*] Hoc dicendi genere ſignificatur extremũ, atque abiectiſſimum ſeruitutis genus; quia pedes extrema, atque abiectiſſima corporis pars eſt. Quare Ioſue Regum colla calcauit cap. 10 & Adonibezech Iud. 1. Reges ad ſuos pedes ciborum reliquias colligere videbat. Alij victos hoſtes equum aſcenſuri ſcabelli loco pedibus ſubſternebant. Exemplo ſunt Tamerlanes, & Sapores, quorum alter Baiazetum; alter Valerianum Imperatorem ſcabelli vſum ſubire coëgit. Et ſanè in Scriptura ſæpe qui victus eſt, aut ſeruus, pedibus ſubeſſe dicitur. Pſal. 8. 17. 46.

Verſ. 36. *Dominum eum, & Chriſtũ*
87. *fecit Deus hunc Ieſum.*] Ex dictis iam audacior infert Petrus Ieſum eſſe illum, quem Dominum ſuum vocauit Dauid, & eundem dicit eſſe Chriſtum, & Meſſiam toties in patribus, Prophetiſque promiſſum. Cæterùm Cyrillus Alex. libr. 9. theſauri cap. 3. vbi latè explicat hunc locum, dicit Ieſum factum eſſe Dominum ratione humanitatis. Deinde dicit illud *fecit*, ſumi poſſe pro *declarauit*, ſicut paulo antè dixerat Chriſtum ἀποδε-δειγμένον, id eſt, declaratum à Patre ſignis, & virtutibus. Et quidem *facere*, pro *declarare* aliquando ſumitur in Scriptura. ad Heb. 2. *tanto melior, Angelis effectus.* & 1. Cor. 1. *nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi?* id eſt, oſtendit. *Regul. Facio idē quod declaro.*

Puto autem ideo à Petro dici Ieſum eſſe *Dominum, & Chriſtum*; quia de his nominibus ac titulis egerat Dauid in allatis ſuprà Prophetiis. De Domino quidem Pſ. 109. *Dixit Dominus Domino meo.* De Meſſia verò, ſeu Chriſto Pſ. 15. *nec dabis ſanctũ tuum videre corruptionem. Sanctum* ibi maſculini generis eſt, & eſt Chriſti epithetõ qui antonomaſticè *ſanctus* dicitur. Abac. 3. *Deus ab Auſtro veniet, & ſanctus de monte Pharã.* & Lucæ 2. *Quod enim naſcetur ex te ſanctũ.* Videtur autem Meſſias *ſancti* nomine deſignari, quia Sacerdotes per vnctionem conſecrabãtur Deo, vocabantúrque ſancti. Quare Chriſti, id eſt, vncti propria videtur illa appellatio, ſicut Sacerdotum. Illis ergo ſignis, quæ priùs propoſita ſunt, declaratus eſt Ieſus, & Dominus, & Chriſtus, quemadmodum à Dauide vocatus fuerat. 88. *Sanctus Christi epithetõ.*

Verſ. 37. *Compuncti ſunt corde.*] Apparet hîc illud Eccl. 12. quàm veriſſimum; *Verba ſapientium quaſi ſtimuli; & quaſi claui in altum defixi.* Breuis quidem oratio Petri fuit, ſed ſapientis, quam animabat Spiritus, inflammabat amor, vibrabat zelus; quæ iactum ſortita eſt ita felicem, vt vno tantùm 89.

ictu ter mille hominum altè corda compunxerit, id eſt, fecerit vt acta ſuperioris ætatis deteſtati, nouóque melioris vitæ ardore cõcepto, totos ſe Apoſtolorum voluntati regendos

Compũctio cordis.

permitterent. Fecit autem cordis compunctio tam humanos eos, qui priùs irridebant, vt & fratres appellent, & ſupplices orent oſtendi ſibi rectam ad ſalutem viam. *Compungi corde*, hoc loco eſt, angore vexari conſcientiæ, & damnare commiſſa. Alio ſenſu longè diſſimili ſumitur ad Rom. 11. vbi dicitur, *dedit illis Deus ſpiritum compunctionis*; quod ſumpſit ex Iſaiæ cap. 9. iuxta lectionem LXX. quia vbi vulgatus habet, *miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis*; ipſi legunt, *potauit eos ſpiritu cõpunctionis*. id eſt, vt exponit Chryſoſtomus, Theodoretus, & Oecumenius, *obſtinationem, & immutabilitatem in malo, ſicut qui in aliquo loco clauis confixi, atque compuncti ſunt.* Hebraicè תרדמה quod *profundiſſimum ſoporem* ſignificat, qualem dormiebat Adam, cùm illi ad formandam Euam detracta eſt coſta; & Ionas, cùm tempeſtatem ſuâ causâ commotam, aliis vigilantibus, ac ſollicitis ipſe vnus non ſentiebat.

Verſ. 38. *Pœnitentiam agite; & baptizetur vnuſquiſq; veſtrûm.*] Cùm

90. Pœnitentia vera, & eius ſigna.

quærendæ ſalutis viam ab omnibus Apoſtolis doceri vellent ij, quotum corda peccatorum ſtimuli compunxerant, vnus tamen non inuitis aliis reſpondet Petrus, & quæ ad peccatorum veniam neceſſaria ſunt, paucis verbis, iiſque quàm apertiſſimis complexus eſt. Pœnitentiam primùm commendat, quæ & interna eſt, id eſt, dolor, qui ex peccatorum memoria natus animum excruciat; quem iam ipſi concepiſſe videbantur, dum compuncti corde eſſe dicuntur. Et externa, quæ non tam ipſa pœnitentia eſt, quàm pœnitentiæ veræ teſtimonium; hanc vocat Paulus Act. 26. *opera digna pœnitentiæ*; & Ioannes Lucæ 3. *fructus dignos pœnitentiæ.* Hæc verò opera talia eſſe debent, vt nos ad Deum toto eſſe animo conuerſos probent. Quod tunc demum præſtant, cùm nos ſuperioris vitæ verè pœnitere demonſtrant. Quem autem verè, atque ex animo pœnitet factorum, illa quantùm poteſt diſſoluit; ac deſtruit. Ideo enim Gen. 6. dicitur, quòd Deum pœnituerit feciſſe hominem, cùm tamen in Deum nullo modo poſſit cadere pœnitentia, quia deleuit homines diluuio; id eſt, fecit quod homines ſolent, quando illos verè pœnitet facti. Fructus ergo, ſeu opus pœnitentiæ eſt, peccatum delere lacrymando, intemperantiam in libidine, luxúque molliori caſtigare viuendi genere magis ſeuero, iniquos reſcindere contractus, alioqui non tam damnare videbimur, & odiſſe commiſſa, quàm probare.

91. Virtus, aut vitiũ pro eorũ effectibus

Cæterùm hîc effectus cauſæ nomen aſſumit, quod in ſacra Scriptura frequens, ſicut etiam dicimus facere charitatem, iuſtitiam, miſericordiam; pro earum virtutum operibus. Ad hunc modum agere pœnitentiam nihil eſt aliud, quàm agere pœnitentiæ opera. Diſcant hinc, ſi quidquã reliquũ eſt mentis, hæretici conuelli à ſe maxima, & primùm propoſita ſalutis documenta, cùm tantùm fidei, quam ipſi quoque prodiderunt, tribuendum docent, vt opera non putent ad ſalutem neceſſaria. Neque enim peccati ſui conſciis, & de ſalute obtinenda rogantibus reſpondet Petrus ſatis eſſe, quòd erraſſe ſe agnoſcãt, quòd in Chriſtum credant; ſed addit vt pœnitentiam agant, id eſt, opera pœnitentiæ

tentiæ digna. Vide Auguſtinum de fide,& operibus cap. 8. vbi hunc locum explicat.

92. *Et baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in remiſſionem peccatorum.*] Commendata priùs pœnitentia, quæ ad omnia Sacramenta in adultis cum fructu ſuſcipienda animum parat; hortatur Iudæos, vt quando iniurios ſe in Chriſtum fuiſſe dolent, quem aliquid eſſe ſupra hominem iam credunt, ei ſe per Baptiſmum, tamquam membra ſuo capiti coniungant. Hîc verò dubitare quis poſſet quænam pœnitentia Baptiſmum antecedere debeat; ſufficiatne interior, quæ de peccatis dolet, an etiam neceſſaria ſit exterior aliqua, quæ dolorem animi, & certum iam de vitæ mutatione conſilium prodat, vt alienorum reſtitutio, occaſionis peccandi fuga, &c. nam de hac etiam videtur egiſſe Petrus, cùm agendam eſſe pœnitentiam edicit. Qua de re vide Auguſt. ſuprà, & P. Franciſcum Suarez 3. to. in 3. p. S.Th. diſp. 17. ſect. 1. & 2.

93. Quid ſit aliquid fieri in nomine alicuius.

In nomine Ieſu Chriſti.] Hinc Scholaſticis Doctoribus occaſio data de forma Baptiſmi diſputandi; an illa ſufficiat quæ tantùm Ieſum Chriſtum confitetur? Communiter omnes, & verè ſtatuunt non ſufficere. Qua diſputatione, quia alterius eſt negotij, in præſentia prætermiſſa; tantùm obſeruo illud, *in nomine*, ſignificare varia Primò, in nomine alicuius mitti, aut venire dicitur aliquis, cùm alterius partes, & officium ſuſtinet, vt legatus. Quo ſenſu fortaſſe Spiritus ſanctus in nomine Chriſti mittendus dicitur Ioann. 14. *Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*, &c. In nomine Chriſti mittitur, vt quæ Chriſtus facturus eſſet, faceret, confirmarétque à Chriſto tradita documẽta. Secundò, fieri aliquid dicitur in nomine alicuius, id eſt, in eius gratiã, & propter eius meritũ. Quo ſenſu Chriſtus dixit Ioan. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo*; vt exponit Cyrillus lib. 11. cap. 7. Tertiò, virtute, ac poteſtate ab alio tradita aliquid facere, vt in nomine Ieſu dæmonia eiicere, ægros curare, peccatum dimittere. Et ideo Iudæi Act. 4 Apoſtolis denunciant, *ne omnino loquerentur in nomine Ieſu*, id eſt, ne virtuti eius tribuerent, quæ docebant, faciebántque. Vnde Pſal. 43. *in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis; non enim in arcu meo ſperabo.* Quartò, quia nomen pro re ſubiecta nomini ſæpe ponitur in ſacra Scriptura; Ieſu Chriſti nomen pro Ieſu Chriſto ponitur. Probauimus hoc pluribus in illud Cant. 1. *Oleum effuſum nomen tuum.* Quare idem eſt in Ieſu Chriſti nomine baptizari, atque in Ieſu Chriſto.

94. Quæ forma Baptiſmi.

Hinc obſcurum non eſt, quid ſibi velit hîc Petrus, cùm iubet homines compunctos corde baptizari in nomine Ieſu Chriſti, id eſt, Baptiſmo à Chriſto inſtituto, qui ex eius virtute ac meritis peccata diluit: ſiue quo Apoſtoli accepta à Chriſto poteſtate tanquam ipſius legati homines expiant: ſeu certè, quia Chriſti nomen pro Chriſto ponitur; Chriſti nomine baptizari, eſt à Chriſto per Apoſtolos Baptiſmum ſuſcipere. Vt enim ait Aug. tractatu 6. in Ioan. *non tribuitur ſanctitas Baptiſmi, niſi ſuper quem deſcendit columba, de quo dictum eſt: Hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto. Petrus baptizat, hic eſt qui baptizat, Paulus baptizat, hic eſt qui baptizat, Iudas baptizat, hic eſt qui baptizat.* Baptiſmus itaque in Eccleſiæ principio conferebatur expreſſo Pa-

-ttis, Filij, & Spiritus ſancti nomine: conferri tamen dicebatur in nomine Ieſu Chriſti, quia ab eo vim habuit expiandi, & ab eo inſtitutus,& ita inſtitutus,vt in ipſius forma trium perſonarum nomen audiretur. Quod apertè ſumitur Act. 19. nam cùm ab Epheſiis, qui baptizati erant Ioannis Baptiſmate, audiſſet Paulus illis nondum eſſe auditum Spiritus ſancti nomen, ſubiecit, *in quo ergo baptizati eſtis?* Exiſtimabat nimirum baptizatos illos eſſe Chriſti Baptiſmo, qui cùm conferri ſolitus fuerit in nomine etiam Spiritus ſancti, non. fruſtra mirabatur Paulus quòd à baptizatis auditum non eſſet Spiritus ſancti nomen. Quod conſtat multo clariùs ex his, quæ proximè dicuntur: nam cùm baptizati eſſent Epheſij Ioannis Baptiſmo, in quo nihil de Spiritu ſancto audierant, & baptizandi eſſent Baptiſmo, in quo Spiritus ſancti nomen eſſent audituri, baptizati tamen ibi dicũtur in nomine Ieſu. *His auditis*, inquit, *baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu.*

95. Baptizari in Chriſto, aut in eius morte, quid. Hìc obiter notandum, baptizari in Chriſto Ieſu, & in morte ipſius, diuerſo à ſuperioribus ſenſu dici ad Rom. 6. vt Apoſtolus ipſe ſtatim videtur explicare: licèt è recentioribus aliqui idem eſſe putent in Chriſto baptizari, & in Chriſti nomine; quia nomen pro re, vt nuper docuimus, aliquando ſumitur. Sed Apoſtolus indicat illorum verborum aliam eſſe ſententiam; nempe per Baptiſmum nos effici Chriſti membra, & in Chriſtum inſeri, vt ab illo tanquam ab ſtirpe rami nutriti in ipſius ſimilitudinem transformemur. Fauet huic ſententiæ præpoſito εἰς, quæ accuſatiuum habet in Græco textu, & mutationis cuiuſdam vim præ ſe fert. Et ita Tertul. lib. de Reſurrectione carnis legit. *in Chriſtum, & in mortem.* Transformatio autem, & ſimilitudo in quo ſpectetur, docet Paulus ibid. *Conſepulti enim ſumus in illo per Baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & Reſurrectionis erimus.* ad Rom. 6. Per Baptiſmum igitur peccato morimur, ſicut Chriſtus mortuus eſt temporali vitæ. Baptiſmus verò exteriorem aliquam ſepulturæ ſpeciem habet: neque enim quiſquam aliter vndis immergitur, quàm cadauer infertur ſepulturæ. Tunc autem, vt ibid. Paulus. *vetus homo noſter crucifigitur, vt deſtruatur corpus peccati.* Dum autem emergit è lauacro, quaſi à morte excitatus cum Chriſto reſurgit. Vide Baſilium in Regulis breu. Reſponſ. 234. Ambroſ. libr. 2. de Sacrament. cap. 7. & Toletum in locum citatum ad Rom. cap. 6.

In remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti.] 96.
Duo hìc ponũtur quæ diuerſa ſunt, & diuerſorum Sacramentorum propria; & peccatorum remiſſio tam originalis, quàm actualium, quæ Baptiſmum anteceſſerunt, & Spiritus ſancti donum, quorum illa Baptiſmi, hoc verò Confirmationis opus eſt; illo à peccatis abluimur; hoc contra obuia paſſim impedimenta roboramur. Vide epiſtolam Melchiadis ad Epiſcopos Hiſpaniæ cap. 2. & Clementem Papam epiſtola 4. Promittit ſanè Petrus his, qui doceri cupiunt ſalutis

ſalutis viâ, & peccatorum remiſſionem, quod vnum ipſi optabant, & Spiritus ſancti donum, de quo ſibi fortaſſe ſperare aliquid non audebãt. Non tamen credo hîc à Petro promitti hæc duo cõpunctos corde viros habituros à ſolo Baptiſmo, quia neque hæc à Baptiſmo, vt diximus, propriè veniunt, neque illis tẽporibus ſine manuum impoſitione conferebãtur. Quod docuit hic Caietanus, & Suarez in 3. p. q. 72. art. 1. diſp. 32. ſect. 2. Quod ex his Actis colligere non eſt difficile. Actor. 8. de Samaritis. *Nondum in quenquam illorum venerat* (Spiritus ſanctus:) *ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini Ieſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Et Actor. 19. poſtquam Epheſij Baptiſmo Chriſti luſtrati ſunt, *cùm impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* Spiritum verò ſanctum viſibili ſpecie in confirmatos deſcendere illo tempore, quo primùm Chriſti fides fundabatur, docuit Simonis impietas, qui pecuniam obtulit cùm vidiſſet, quia per impoſitionem manuum Apoſtolorum daretur Spiritus ſanctus. Coniunxit autem Petrus hæc duo, quia in ipſis Eccleſiæ primordiis ſtatim cum Baptiſmo fidelibus imponebantur manus.

Verſ. 39. *Vobis enim eſt repromiſſio, & filiis veſtris, & omnibus, qui longè ſunt.*]
97. Confirmat Petrus, quod de Spiritu ſancto promiſerat, dum illis accommodat vaticinium Ioël. *& prophetabunt filij veſtri*, &c. Sed quia multi erant ibi proſelyti ex aliis gentibus ad Iudæorum religionem aggregati, addidit ad externos quoque quantumcunque loco, religionéque diuerſos Ioëlis verba pertinere. Dixerat enim *ſuper omnem carnem*; quod expletum eſſe conſtat poſtea capite 10. *Obſtupuerunt ex circumciſione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes Spiritus ſancti gratia effuſa eſt: audiebant enim illos loquentes linguis*, &c.

Verſ. 40. *Aliis etiam verbis plurimis teſtificatus eſt, & exhortabatur eos dicens: ſaluamini à generatione iſta praua.*] Hinc conſtat ſolere Lucam, 98.
& Euangeliſtas alios, non totas conciones, ſed earum ſummam recitare. Vnde etiam fit, vt quædam ab vno Euangeliſta dicantur, quæ prætermiſſa ſunt ab alio, quia orationum capita non eodem modo colligunt Euangeliſtæ. Vide Auguſtinum ſupra illud, *teſtificatus eſt*. Significare credo aliis pluribus ſacræ Scripturæ teſtimoniis illa eadem confirmata: nam licèt *teſtificari* aliquando ſignificet præcipere, vt Exo. 19. Deut. 32. & in Pſalmis Dei præcepta ſæpe dicantur *teſtimonia*, tamen hîc ſecundùm magis vulgatam verbi ſignificationem, eſt teſtes adducere, ſiue teſtimonia; quia poſt rem probatam commodè ſequitur, imò aliter non poteſt ſequi exhortatio: Petrus verò hîc prius dicitur teſtificatus; deinde exhortatus Iudæos. Eò autem autem ſpectabat tota hæc oratio, vt dicit Auguſtinus ſuprà, vt ex impia illa generatione, ac turba animo compunctos abduceret, id eſt, ad vitæ melioris formam traduceret. Accommodat ſe magnus hic orator, cui nimirùm Spiritus ſanctus afflarat verba, auditorum animis iam multo aliter quàm antè diſpoſitis. Liberè iam, & ſine vlla inſinuatione monet, vt ſe quamprimùm à generatione eximãt, quã audacter appellat prauã: quia cùm ſacrilegas manus contra

Reg. Ab Euangeliſtis non totus alicuius ſermo recitatur, ſed tantùm ſumma.

Chriſtum armaſſet, vel impia conſilia ſuſcepiſſet, perſtabat tamen ad perſequendas ſuorum ſcelerum reliquias obſtinato conſilio.

Verſ. 41. *Appoſita ſunt in die illa*
99. *animæ circiter tria millia.*] Aggregatæ ſunt ad Diſcipulorum cœtum tria circiter animarũ millia; *circiter* dixit Lucas, non quia nõ eſſet illi cognit' verus numerus; ſed quia in Scriptura vſitatum eſt, vt plenus notetur numerus, ac nobilior, quando pauci; aut ſupra, aut infra illum ſunt. Aut certè, quod putat Salmeron Proleg. 11. quinq. 3. Regul. 6. Spiritus ſanctus Scriptori ſacro confuſum numerum, non certum, atque præciſum numerum aliquando reuelat. Quocunque id accidat modo, vſitatum eſt, vt confuſæ illæ particulæ adhibeantur ab Scriptore Canonico. Ioan. 6. num. 10. de his quos Chriſtus qninque panibus pauit. *Diſcubuerunt ergo viri numero quaſi quinque millia.* Et iterum ibid. *Cùm remigaſſent ergo quaſi ſtadia viginti quinque, aut triginta.* & ſuprà cap. 1. num. 15. *Turba hominum ferè centum viginti.*

Verſ. 42. *Erant autem perſeuerantes*
100. *tes in doctrina Apoſtolorum.*] Tã Græcè διδαχῇ, quàm Latinè *doctrina*, & actum docendi ſignificant, & præcepta, ſeu documenta à magiſtro tradita. Quare dubium eſt vtram in partem hæc accipi debeant, id eſt, an animæ illæ nuper conuerſæ operam dederint aſſiduam audiendis Apoſtolis aſſiduè concionantibus, aut ſe documentis ab illis traditis conſtanter excoluerint. Prior expoſitio placet Chryſoſtomo, qui hinc colligit non vno, aut altero die docuiſſe Apoſtolos, ſed multis diebus. Et hoc videtur potiùs eſſe dicendum: quia hîc tradi videntur modi, quibus ſe noui fideles in ſuſcepta fide confirmabant, quorum vnus eſt audiendi diuini verbi aſſiduitas Pro, *perſeuerantes*, Græcè eſt προσκαρτεροῦντες, id eſt, *patienter, atque conſtanter contra difficultates, & contrarios impetus offirmati.* Neque enim in illis Religionis initiis poterant non offerri impedimenta plurima; quia multi, iidémque potentes erant Chriſtiani nominis inimici. Verbum Dei aſſiduè audiendum.

Et communicatione fractionis pa- 101.
nis.] Græcè καὶ τῇ κοινωνίᾳ, καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου, id eſt, *in communicatione, & fractione panis*; ſecundùm quam lectionem variæ ſunt expoſitiones huius loci. Quidam in *communicatione* agnoſcunt quendam bonorum, ac facultatum cumulum ex omnium liberalitate, & abdicatione collectum. Nam, vt ſtatim dicetur, communia erant omnium fidelium bona. Alij ſocietatem quandam, & quaſi conſpirationem animorum; nam in ea verè Angelica Reſpublica, vt dicit Chryſoſtomus, vt nihil erat proprium, ſed omnium perfecta rerum communitas, ſic admirabilis erat animorum, ſtudiorúmque conſenſio. Sed veriſimile eſt noſtrum Interpretem correctum magis habuiſſe codicem, & ita vertiſſe optimè; *In communicatione fractionis panis.* Neque exiſtimo ſenſum eſſe diuerſum, quocunque modo legas; quia fractio panis explicat, quid communicatio ſit. Quis verò ſit horum verborum ſenſus, non adeò facile explicatu eſt. Quidam de materiali cibo intelligunt, idque variè explicant, vel quia in ea conſuetudine ſumendi pariter cibi perſeuerarent, vel quia fractum panem communicarent aliis, iuxta illud Iſaiæ 58. *Frange eſurienti panem tuum.* Chryſoſtomus, & Oecumenius ſignificari hîc putant naſcentis Eccleſiæ frugalitatem, quæ ad pa

Digitized by Google

panem, illúmque in quantitate exigua, vtpote fractum nihil adhibebat. Sed reuera hîc de materiali cibo non videtur inſtitutus ſermo; tum quia hîc generaliter de Chriſtianorum omnium viuendi ratione agitur, quorum multi cùm pauperes eſſent, elargiri aliis elemoſynam non poterant; tum quia in tanta multitudine omnes pane vti ſolo, cóque parcè difficile eſſet: neque Apoſtoli ſobrium illum, atque aridum cibum præſcriberent recèns conuerſis, ne reliqui, ſeuerioris diſciplinæ forma propoſita, ad Eccleſiam minùs eſſent affecti. De communi omnibus cibo, qui ex vſu Scripturæ panis dicitur, quicunque ille ſit, explicatio eſſet facilior, vt ſcilicet collatis in vnum facultatibus, tam qui antea diuites, quàm qui egeni fuerant, in vnum quaſi corpus arctiùs coaleſcerent. Sed quia de his agitur rebus, quibus animus & in virtute creſcit, & contra parata iam impedimenta roboratur, neque de hoc profano, ac communi cibo videtur hic locus accipiendus, præſertim cùm de facultatibus in vnum collatis nondum fuerit quicquam dictum; rerum natura id exigit, vt priùs res eſſe, deinde vſus ſignificetur.

102. Quare probabilius eſt ſermonē hîc eſſe de Euchariſtia: nam de cōmuni cibo ſtatim agitur; & ita vertit Syrus. Tenet Salmeron, Gagneius, Montanus, & eſt communior ſententia. Dicitur verò panis, vel quia cibus eſt Euchariſtia, omnis autem cibus ex vſu Scripturæ panis vocatur; vel quia ante conſecrationem panis erat. Eſt autem vſitatum, vt res mutata illud retineat nomen, quod ante mutationem habuerat. Qua ratione recèns nupta etiam à nouo marito violata, virgo dicitur. Ioël. 1. *Plange quaſi virgo ſuper virum pubertatis tuæ*, id eſt, qui libauit virginitatis florem. Et eodem modo Terentius in Andria, de puella, cuius paulo antè pudori vitium eſſet oblatum, dicit; *virgo illa crumnat*. Sic Adam puluis dicitur, quia puluis nō multo antè fuerat. Et Eua os, & caro Adæ, quia ex eis fuerat paulo antè formata. Sic ergo nunc Euchariſtia dicitur panis; quia mutatus fuerat panis in Euchariſtiam.

Dicitur autem panis ille Euchariſticus frangi, quia primis Eccleſiæ temporibus vnus tantùm panis cōſecrabatur, qui deinde ad communicantium numerum manu fractus potiùs quàm conciſus gladio diuidebatur in partes; quod etiam nunc Græci ſeruant, & Æthiopes. Eccleſia verò Latina, ne qua mica ex conſecrato pane deflueret, aliam conſuetudinem induxit. Sanè Chriſtus non alio modo conſecrauit, qui fregiſſe dicitur panem, & dediſſe Diſcipulis ſuis. Quod ſuo etiam tempore fieri ſolere indicat Apoſt. 1. Cor. 10. *Panis, quem frangimus, nónne participatio corporis Domini eſt?* Quomodo verò panis frangi commodè potuerit, dicemus ſtatim. Eſt ergo ſenſus: erant perſeuerantes in communicatione fractionis panis, id eſt, in communicando pane, nēpe Euchariſtico fracto, atque diuiſo. Hîc verò continentur tria, quibus animus in pietate & creſcit valdè, & confirmatur mirificè; Apoſtolicæ doctrinæ aſſiduitas, Euchariſtiæ vſus, orationis frequentia. His ſe nouus fidelium cœtus à generatione praua facilè eximebat; his ſe cō-tra terrores, & pericula comparabat. Quæ quia nos aut ſeriùs obimus, aut negligentiùs, longè ab illorum temporum ſeruore defecimus. 103. Euchariſtiæ vſus vtilis.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ.43. *Fiebat autem omni animæ*
104. *timor.*]Hîc credo de fidelium timo-
Timor pro reuerentia. re agi,qui ex reuerentia,& magnarum virtutum contemplatione naſcitur, qui non tam deterret, quàm attrahit,non tam concutit,ac debilitat, quàm confirmat, & recreat. *Timorem* verò pro obſeruātia ſumi docuimus ſuprà verſu 20.Nam de metu infidelium, & repugnantium Apoſtolicæ doctrinæ ſtatim agitur,cùm poſt prodigiorum, quæ fiebant ab Apoſtolis, mentionem dicitur;*Et metus erat magnus in vniuerſis.* Quæ verò fuerint prodigia, & ſigna, quæ per Apoſtolos fiebant eo tempore,non refert Lucas. Fortaſſe hîc anticipata narratione indicat, quæ ſuo poſtea loco pluribus commemorat.

Verſ. 44. *Omnes etiam, qui crede-*
105. *bant,erant pariter.*] Erant omnes pa-
Fidelium omnia cōmunia. riter,inquit Chryſoſtomus, non ſanè loco, ſed fide, & charitate, quæ multo propiùs, arctiùſque coniungit, quàm loci communitas. Quæ enim tanta domus omnes caperet? Præſertim cùm eorum multi propter varia miniſteria & priuata, & publica abeſſe domo nō potuerint. Neque verò credibile eſt, omnes fideles ab aliis occupationibus vacare permiſſos ab Apoſtolis. Eſt tamen veriſimile in variis ſimul domibus habitaſſe; ſicut nunc faciunt Religioſæ familiæ. Argumento eſt capui quartum,vbi dicuntur qui poſſeſſores erant agrorum,& domorum ea vēdidiſſe,& attuliſſe pretium. Cùm ergò priuatam domum non habuerint,habuerunt vtique communem. Quare poſtea ſubditur, *frangentes circa domos panem.*

106. *Et habebant omnia cōmunia.*]Hinc nata Religioſorum inſtituta,qui ita à ſe res omnes abdicant, vt nihil ſibi omnino ſalua paupertatis lege pertineant.Fideles igitur de venditis facultatibus, ex illiſque pecunia in communem vſum redacta aliorum neceſſitatibus ſuccurrebant. Non ſanè ad luxum, atque delicias, ſed ad victum,veſtitúmque,& temperatum,& frugalem. Hæc autem communium bonorum diſpēſatio Diaconorum fidei,ac ſedulitati cōmiſſa eſt. Et hoc eſt *miniſtrare menſis*, vt ſuo loco dicemus.

Verſ.46.*Frangentes circa domos pa-*
nem.]Panem hunc eſſe Euchariſtiam 107.
ſentiunt plerique. Baronius 1. tom. Annal.anno 34. Salmeron, Gagneius, Montanus,& indicat codex Syriacus,qui pro *pane* ponit *munus benedictum.* Et quidem hoc videtur probabilius: nam in hoc loco duo diſtinguuntur ciborum genera; nā & panis dicitur frangi,& cibus cum exultatione ſumi. Indicat Paulus 1. Cor.11.dum dicit;*conuenientibus vobis in vnum iam non eſt Dominicam cœnam manducare: vnuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum.*vbi, vt docet S.Thomas, ideo reprehendūtur Corinthij,quia præſumpta vulgari cœna,id eſt,iā pranſi aut cœnati Dominicam cœnam, id eſt,Euchariſtiam ſumebant: non verò reprehenderet, ſi hæc anteceſſiſſet.Eodem propè modo explicat Auguſtinus epiſt. 118. ad Ianuarium cap 5.& 9.Primaſius,Haimo, Lyranus,& alij. Iuxta quam explicationem, frangere panem, ad Euchariſtiam, alius cibus, qui cum exultatione ſumitur,ad communem menſam omnino pertinet. Sed eius loci alius fortaſſe ſenſus eſt.

Quòd primis illis temporibus fi- 108.
deles acceptam à Sacerdote Eucha- Euchariſtia olim
riſtiam domum attulerint ſumen- ſeruata
dam ante cibum, multa probant domi, & ibi ſacta
Sanctorum Patrū teſtimonia. Ter- cōmunio.
tul.ad vxorem lib. 2.cap.5. *Neſciat mari*

maritus quid ſecretò ante omnẽ cibum guſtes. Cyprianus lib. de lapſis. *Cùm quædam* (inquit) *arcam ſuam, in qua Domini ſanctum fuit, manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere.* Et libro de ſpectaculis. *Feſtinans ad ſpectaculum dimiſſus, & adhuc gerens ſecum, vt aſſolet, Euchariſtiam.* Baſilius epiſt. ad Cæſariam, quæ nuper eſt tranſlata; cuius verba refert Anaſtaſius lib. de quæſtionibus rom 6. Bibliothecæ. *Alexandriæ*, inquit, *& in Ægypto vnuſquiſque ex laicis, qui illic degunt, maxima ex parte habent communionem domi ſuæ. Nam cùm Sacerdos ſemel confecerit hoſtiam, & dederit, eam accipiens, & communicans tanquam à Sacerdote ſumptam participare ſe debet credere.* Quæ conſuetudo duraſſe videtur ad Hormiſdæ tempora, ſub quo celebrata eſt Cæſarauguſtana Synodus, quæ anathemati ſubiicit eos, qui in Eccleſia Euchariſtiam non conſumerent, ſed domum referrent. Tam verò domi olim fideles, quàm in Eccleſia acceptam Euchariſtiam non Sacerdotis manu, ſed ſua in os inferebant; quod adeò vſitatum, atque ſolenne fuit, vt de accipienda à Sacerdote Euchariſtia modus fuerit fidelibus præſcriptus. Cyrillus Hieroſ. in myſtag. 5. *Accedens*, inquit, *ad communionem non expanſis manuum volis accede neque disiunctis digitis; ſed ſiniſtram veluti ſedem quandam ſubiicias dexteræ, & concaua manu ſuſcipe corpus Chriſti.* Conſueuiſſe autem viros manu, fœminas verò linteo excipere Euchariſtiam, docet Maximus citatus a Baronio 7. tom. Annal. anno 57. *Omnes viri*, inquit, *qui communicare deſiderant, priùs lauent manus ſuas &c. Omnes mulieres nitida exhibeant linteamina, vbi corpus Chriſti accipiant.* Ex his conſtat quomodo fideles Euchariſtiam acceptam ab Apoſtolis portauerint domum, ibique ſumpſerint ante communem cibum.

Supereſt, vt dicamus cur panis hoc loco frangi dicatur, non ſcindi; nam quòd frangi idem ſit, quod diuidi, nemini credo dubium eſſe; rationem nominis quærimus. Qua de re optimè Baronius 1. tom. Annal. anno 38. vbi dicit accepiſſe ſe à Rabbino Iudaicæ antiquitatis peritiſſimo, ſolitos eſſe olim Iudæos panes ita fingere, vt profundæ lineæ in decuſſim traiectæ illos ita diſtinguerent, vt crebræ, ac minutæ tanquam areolæ concluſæ lineis per totam panis faciem relinquerentur, quæ buccellæ vocantur. Sanè apud Romanos panes in quadras diſtingui notum eſt, & probat ſatis Virgilij moretum, vbi in fingendis placentis ruſtica mulier hunc ordinem ſeruaſſe dicitur. Non tamen credo quadram dici quartam partem panis, vt eſt cõmunis ferme hominum exiſtimatio, ſed quadratam illam buccellam, quam lineis tranſuerſis deſcriptam eſſe diximus. Idque mihi perſuadeo, quia βλωμίλιος, eſt panis iuxta rationem nominis qui buccellatim diſtinguitur: at nemo buccellam dicet quartam partem panis; ſed blomilius, vt inquit Athenæus lib. 3. eſt quem Romani quadratum appellant. Item quia plurimas eſſe quadras in placentis tradit Martialis lib 9 Epig 92.

109. Quid ſit frangi panem.

110. Quid buccella, & in quot buccellas diuiſus panis.

Et plurima ſecta quadra de placẽta.

Quod de quatuor partibus dici nõ ſolet. Et idem lib. . Epig. 74 quadram aliquid eſſe minutum, ac vile indicat.

Cùm mittis turdúmve mihi, quadrámve placentæ;
Siue femur leporis, ſiue quid his ſimile.

Buccellas miſiſſe tuas te, Pontia, dicis.

Ecce quomodo, quæ priùs *quadra*, nunc *buccella* dicitur. Accedit quòd cùm panis rotundus ſit, vt in moreto docet Cybele, de qua Virgilius;

———Iámque ſubactum
Format opus, palmiſq; ſuum dilatat in orbem;
Et notat impreſſis æquo diſcrimine quadris.

Non bene quarta pars appellaretur quadra, quia quarta pars circuli quadrari non poteſt. Et quidem inſtrumenta menſarum, quibus ſuppoſitis minutim epulas cõcidimus, tunc quadræ dicuntur ſi quadratę fuerint; ſi rotundæ, dicuntur orbes. Adde quòd Heſiodus 2. lib. operum, & dierum meminit panis in triginta duas buccellas diſſecti, ἄρτον δειπνήσας τετράτρυφον ὀκτάβλωμον, quod Ioannes Zezes ibidem ita explicat, vt panis quatuor habeat inciſiones, eáſque in crucis ſimilitudinem traiectas; ita vt quælibet octo buccellas habeat, quæ efficiunt triginta duas buccellas. Errant igitur qui putant apud Heſiodum panem in octo buccellas, aut quadras eſſe diuiſum; neque enim quocunque modo quatuor lineas in ſolido deſcribas, octo poſſunt effici partes. Buccellati panis meminit Ammianus Marcel. lib.7. Spartianus in Peſcennino, & Paulinus, & Theraſia in Epiſtola 36. inter epiſtolas Auguſtini. Panis autem ille eſt, qui ad diuturnitatem excoquitur, qui vulgò *bis coctus* dicitur, aut *nauticus*: qui ideo in buccellas diſtinctus eſt, vt ſulci in pane altiùs impreſſi intima etiam nuda, atque aperta torrentibus flammis exhibeant. Neque aliam ob cauſam puto panem à Romanis traiectis in aduerſum lineis incidi.

111. Idem etiam in vſu eſſe apud Hebræos indicat modus ipſe loquendi: nam *frangi panis* dicitur *fragmen*, & *fragmentum panis*, & *buccella* nomen frequens. Quòd verò manu tantùm frangi potuerint ſuprà dicti panes, faciebant inciſiones illæ, ſeu lineæ profundæ, quæ buccellas quadrabãt. Debuit autem ille, qui cõſecrabatur panis, in exiguas partes diſtingui, tum vt ſimiles eſſẽnt buccellæ, & in commodiorem formam diuiſæ, tum ne micæ defluerent, quod maximè caueri debuit. Et ſanè Tertullianus lib. de monogamia cap.11. partes Euchariſtiæ, quæ domum à fidelibus deferebantur, buccellas vocat, vt ibi notant Rhenanus, & Pamelius. Cuius rei habemus etiam nunc aliquod veſtigium in eo pane, qui nunc inter Miſſarum ſolennia benedicitur, & inter fideles diſtribuitur, quod monumentum quoddam eſt Euchariſtiæ olim frequentiùs obitæ. Is enim ita communiter incidi ſolet, vt partem cuilibet fideli tradendam tranſuerſæ, ac in ſe viciſſim incurrentes lineæ definiãt. Certè olim panem benedictũ buccellatum eſſe docent Paulinus, & Theraſia epiſt. 36. de qua nuper. *Ne vacuum fraternæ humanitatis officium videretur, de buccella Chriſtianæ expeditionis, in cuius procinctu quotidie ad frugalitatis annonam militamus, panes quinque tibi pariter, ac filio noſtro Licentio miſimus. Non enim potuimus à benedictione ſecernere, quem cupimus eadem nobis gratia penitus annectere.*

Verſ.47. *Habebant gratiam ad omnẽ plebẽ.*] Chryſoſtomus credit gratiã hanc conciliatam eſſe eleemoſynis: quomodo enim plebi non accederet grata tam profuſa liberalitas? Sed licèt à venditis, diſtributiſque facultatibus orta fuerit in tenuiorũ preſertim animis tanta beneuolentia, exiſtimo tamen & ortam primò, & 112.

corroboratam deinde magis honeſtate morum, & vitæ ſanctitate. Maximè quòd tanta animorum cõſenſio admirabile aliquid, ac diuinum olebat. Vnde aptè ſubiungitur.

113. *Dominus autem augebat qui ſalui fierent.*]Inſtrumentum quo Dominus plurimos ad fidem, & ſanctorum cœtum aggregabat, ſanctorum religio, ac ſanctitas fuit. Neque mirum ſi ad ſanctos, atque gratos homines noua quotidie fieret acceſſio.

114. *In idipſum.*] Chryſoſtomus hîc, & Beda in retractationibus, & Caietanus exiſtimant hinc tertium caput ſumere principiũ:& Apoſtolum Petrum, & Ioannem ad orationem venire *in idipſum*, id eſt, vt Deus credentium numerum augeret; quod proximè dictum. Neque hoc diſplicet Salmeroni. Fauent Græci codices, in quibus *idipſum* ſequentis capitis initium eſt. Sed non eſt quòd à vulgatæ diuiſione recedamus: ſenſus enim facillimus eſt, & magis præcedenti, quàm conſequenti capiti accommodatus. Significat enim alios ad Eccleſiã adiungi in idipſum; id eſt, vt cum aliis, qui apud ipſos gratiam habebant, ſimili fide, & voluntate, imò & bonorum omnium communione viuerent.

Hoc qui dam principiũ eſſe putant capitis.

Digitized by Google

COMMENTARII IN ACTVS APOSTOLORVM.

CAPVT TERTIVM.

1 *PEtrus autem, & Ioannes aſcendebant in tẽ-*
2 *plum ad horam orationis nonam. * Et qui-*
dam vir, qui erat claudus ex vtero matris
ſuæ, baiulabatur: quem ponebant quotidie ad
portam templi, quæ dicitur Specioſa, vt pete-
ret eleemoſynam ab introëuntibus in tem-
3 *plum. * Is cùm vidiſſet Petrum, & Ioannem incipientes in-*
4 *troire in templum, rogabat vt eleemoſynam acciperet. * Intuens*
5 *autem in eum Petrus cum Ioanne, dixit: Reſpice in nos. * At*
ille intendebat in eos, ſperans ſe aliquid accepturum ab eis.
6 ** Petrus autẽ dixit: Argentum & aurum non eſt mihi: quod au-*
tem habeo, hoc tibi do: In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge,
7 *& ambula. * Et apprehenſa manu eius dextera, alleuauit eum,*
8 *& protinus conſolidatæ ſunt baſes eius, & plantæ. * Et exi-*
liens ſtetit, & ambulabat: & intrauit cum illis in templum am-
9 *bulans, & exiliens, & laudans Deum. * Et vidit omnis po-*
10 *pulus eum ambulantem, & laudantem Deum. * Cognoſce-*
bant autem illum, quòd ipſe erat, qui ad eleemoſynam ſedebat
ad Specioſam portam templi: & impleti ſunt ſtupore & extaſi in
11 *in eo, quod contigerat illi. * Cùm teneret autem Petrum, &*
Ioannem, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum, quæ appel-
12 *latur Salomonis, ſtupentes. * Videns autem Petrus, reſpondit*
ad populum: Viri Iſraëlitæ quid miramini in hoc, aut nos quid
intuemini, quaſi noſtra virtute, aut poteſtate fecerimus hunc
13 *ambulare? * Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob,*

Deus

Digitized by Google

Deus patrum noſtrorum glorificauit filium ſuum Ieſum, quem
vos quidem tradidiſtis, & negaſtis ante faciem Pilati, iudican-
te illo dimitti. * *Vos autem ſanctum, & iuſtum negaſtis, &* 14
petiſtis virum homicidam donari vobis: * *auctorem verò vi-* 15
tæ interfeciſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, cuius nos teſtes
ſumus. * *Et in fide nominis eius, hunc, quem vos vidiſtis, &* 16
noſtis, confirmauit nomen eius: & fides, quæ per eum eſt, dedit
integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrûm. * *Et* 17
nunc fratres ſcio quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes
veſtri. * *Deus autem, quæ prænunciauit per os omnium Prophe-* 18
tarum, pati Chriſtum ſuum, ſic impleuit. * *Pœnitemini igitur,* 19
& conuertimini vt deleantur peccata veſtra: * *vt cùm vene-* 20
rint tempora refrigerij à conſpectu Domini, & miſerit eum, qui
prædicatus eſt vobis, Ieſum Chriſtum, * *quem oportet quidem* 21
cælum ſuſcipere vſque in tempora reſtitutionis omnium, quæ lo-
cutus eſt Deus per os ſanctorum ſuorum à ſæculo Prophetarum.
* *Moyſes quidem dixit: Quoniam Prophetam ſuſcitabit vobis* 22
Dominus Deus veſter de fratribus veſtris, tamquam me ipſum
audietis iuxta omnia quæcumque locutus fuerit vobis. * *Erit* 23
autem: omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exter-
minabitur de plebe. * *Et omnes Prophetæ à Samuel, & deinceps,* 24
qui locuti ſunt, annunciauerunt dies iſtos. * *Vos eſtis filij Prophe-* 25
tarum, & teſtamenti, quod diſpoſuit Deus ad patres noſtros, di-
cens ad Abraham: Et in ſemine tuo benedicentur omnes fami-
liæ terræ. * *Vobis primùm Deus ſuſcitans filium ſuum, miſit* 26
eum benedicentem vobis: vt conuertat ſe vnuſquiſque à ne-
quitia ſua.

Digitized by Google

IN CAPVT TERTIVM ACTVVM APOSTOLORVM.

Verſ. 1. *PEtrus autem, & Ioannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam.*] Tres horas deſtinatas

1. Horarum diuiſio.

orationi tradit Tertullianus aduerſus Pſychicos cap. 10. *quia inſigniores ſunt in rebus humanis, quæ diem diſtribuunt, quæ negotia diſtinguunt, quæ publicè reſonant; ita & ſolenniores ſunt in orationibus diuinis.* Hæ verò ſunt tertia, ſexta, & nona. Et cùm aliis etiam gẽtibus hora nona ſatis notata fuerit, Chriſtianis tamẽ maximè religioſa, & orationi ſacra debet eſſe, quia tunc Chriſtus ſpiritum reddidit Patri.

Oratio in templo.

Sed cur in templum aſcendunt Apoſtoli? numquid, inquit Chryſoſtomus, quia Iudaicè viuunt? minimè; ſed quia tunc ita fieri expediebat. Neque omnia, quæ in antiqua legẽ ſancta fuerunt, antiquauit noua. Orare autem in templo, cùm ad cæremonialia non pertineret, nihil habebat Chriſtianæ Religioni contrarium. Præſertim quia cùm alia multa cum antiquo teſtamento iam mortua præſtiterunt Apoſtoli, ne ſcandalo forent Iudæis, alienarẽntque violatæ Religionis opinione, quos ad Chriſti fidem adducere ſtudebant, ſic etiam orare in templo, cùm rei Chriſtianæ amplificandæ tunc expediret maximè, nihil habebat reprehenſionis. Erat verò & loci, & temporis ea maxima commoditas, quia illa hora Religionis, atque orationis causâ frequens erat omnium ordinum in templum concurſus, in quem ſpargi poſſent non infructuosè Euangelij ſemina. Neque tunc abfuiſſe credendum eſt, quos antea iam Petrus fidelibus aggregarat, quos etiam in accepta religione confirmari oporteret: nam cap. 2. hi dicuntur perduraſſe quotidie vnanimiter in templo, horis nempe orationi deſignatis.

Verſ. 2. *Quem ponebant quotidie ad portam tẽpli, quæ dicitur Specioſa.*] Mendici illa loca obſidere ſolent, 2.

2. Pauperes cur ad tẽpli fores.

quæ maiori frequentia homines, ac ſæpius obeunt. Quare apud Romanos mendicorum ſtatio erat ad pontem, ex Iuuenali Satyr. 4. Mart. lib. 10. Epig. 5. & lib. 12. Epig. 32. In Iericho in via iuxta portam. Hic autem vir qui claudus erat ab vtero matris ſuæ, pro templi foribus ſedebat. Ex quo liquet, ſicut apud nos Religionis gratiâ ſæpe, ſic apud Hebræos adiri templa conſueuiſſe. Sunt autem pauperes, claudi, ac debiles templum ingreſſuris nõ exiguo vſui: nam corrogata ſtipe parant nobis receptum ad diuinam miſericordiam, quam; vt ad noſtram miſeriam inflectamus, templum inimus. Deinde docent nos orare, & ſine intermiſſione, & ardenter, &, quod intereſt valdè, proponentes Deo noſtram tenuitatẽ, atque inopiam, ſicut ipſi nobis ſuã infirmitatẽ, & ærumnam proponunt. Qui ſi qua habent vlcera, adeò nõ occultãt, vt quæſtui ducant illa eſſe omniũ oculis nuda.

Quæ dicitur Specioſa.] Quænam ſit hæc porta obſcurũ eſt, item quæ hîc Salomonis vocatur porticus, in qua fuiſſe Specioſam portam conſtat ex eo quod infrà dicitur ſanato claudo 3.

con

concurriſſe plurimos ad Petrum, & Ioannem ad porticum Salomonis, ad locum nempe vbi ſignum contigit. Qua de re multa Baronius t. 10. Annal. anno 34. Quatuor eſſe porticus templi tradit Ioſephus contra Appionem lib. 2. in quarum extimã ingredi etiam alienigenis fas erat; hanc eſſe, aut certè in hac porticum Salomonis, colligitur ex eodem Ioſepho de bello Iudaico lib. 6. cap. 6. vbi, cùm ageret de templo ab Herode reſtituto, partem templi exteriorem porticu Salomonis eſſe nobilitatam tradit: vbi etiam illam latè deſcribit. Et lib. Ant. 2. cap. 8. ſatis indicat poſt templi buſtum, porticum illam ab incendio ſeruatam. Quare Salomonis porticus vocata eſt, quia ex tanta mole quam tot annis, & ſumptibus ad miraculum vſque excitauit Salomon, porticus illa quaſi monumentum, & veſtigium tanti operis relicta eſt. Et ita hîc docet Oecumenius.

4. Meminit Ioſephus lib. 6. de bello c. 6. pulcherrimæ cuiuſdã portæ ex ære Corinthio, quæ erat extra templum, quæque portas alias non ſolũ pretio, & arte; ſed honore etiam, atque ſpecie ſuperabat. Hanc putat Baronius eſſe Speciosã portã. De hac porta nihil exiſtimo certum definiri poſſe. Videtur autẽ certũ illã pertinere ad porticum illam Salomonis, aut certè abeſſe ab illa non longè; & vtramque tam porticum, quàm portam eſſe extra templum, aut ſaltem in illo templi veſtibulo, à quo neque lex, neque Iudæorũ plus ſatis anxia Religio alienigenas repellebat. Hic autem locus aptus erat mendicantibus; quia neque decebat ſordidum illud hominum genus intra locum ſanctitatis eximiæ tandiu deſidere: neque fieri poſſet quin aſſiduæ, & flebiles mendicorum voces aliorum precationibus obſtreperent. Adde quòd Prouerbium erat inter Hebræos. 2. Reg. 5. *Cæci, & claudi non intrabunt in templum*; quòd Iudæorum nimia ſuperſtitio, etiamſi nulla cautum eſſet lege, tamen vulgi vocẽ audiẽdam putaret inſtar legis.

Verſ. 4. *Reſpice in nos*] Expedie- 5.
bat valdè vt claudus cognoſceret à quo tantum beneficium accepiſſet; nã poſtea futurus erat ſanitatis ſubitò receptæ prædicator, cui alij facilè crederent; & ideo oculos, atque animum aduertere iubet Apoſtoli. Itẽ, vt eius fidem, & ad bene ſperandum animum excitarent, & qua ratione fieri tunc poterat, ad beneficium illud obtinendum diſponerent; ac ſi dicerent. Reſpice pauperes hos homines, quiq; & ipſi mẽdicato viuũt, à quibus quid ſtipis ſperare poſſis, nihil eſt: ſed eſt Deus, cuius nos ſerui ſumus, & cui facile eſt ſubitò honeſtare pauperem. In eius ergo nomine ſurge, & ambula. Hinc diſce quemadmodum Deus tacitè inſpiret, vt inde petatur, vnde non videbatur ſperari poſſe medicina. Apoſtoli pauperes erant, &, vt nonnulli putant, etiam mendici, claudus tamẽ ab illis eleemoſynam petit. Agebat nimirum illum diuinus Spiritus, qui docet nos orare, oſtenditque nonnullam ſpem ſalutis, aut alicuius boni, quod, quale futurum eſſet, ignorabat.

In nomine Ieſu Chriſti Nazareni
ſurge, & ambula.] Quid ſit aliquid 6.
in nomine alicuius fieri, ſuprà oſtẽſum eſt. Huius verò loci hæc eſt ſentẽtia. Ieſus Chriſtus Nazarenus per nos tibi ſalutẽ impertit. Nam *nomen* in miraculis virtutẽ ſignificat, quia etiam miracula virtutes appellãtur; ſunt ergo Apoſtoli diuinæ virtutis inſtrumenta. Eodem ſenſu infrà c. 9. dixit idẽ Petrus Æneę paralytico;

Sanet

Sanet te Dominus Ieſus Chriſtus, ſurge: & ſtatim de eodem claudo. *Hunc quem vos vidiſtis, & noſtis, confirmauit nomen eius*, id eſt, virtus eius; vel ipſe Chriſtus. Cæterùm dum ſanitatem confert Petrus, ideo tria Ieſu nomine præmittit, ne cui dubium eſſet in cuius virtute, ac fide miraculum fieret. Quod facilè claudus ipſe cognouit, qui ad imperium Petri non ſolùm ambulando, ſed exiliendo laudabat non tam Petrum, quàm Deum, cuius virtuti conſolidatas plãtas, & expeditos iam ad curſum pedes tribuebat.

Verſ. 8. *Ambulans, & exiliens.*]
7. Duo in claudo miracula. Hinc iam apparet alterum à pedum ſanitate miraculum: nam cùm ad ambulandum non ſolùm requiratur plantarum firmitas, ſed etiam aliquis vſus, quem ſi longo intermittas tempore, cum vſu ipſam pene ambulandi facultatem perdidiſti. Quare optimè Cicero 1. Tuſc. *qui in compedibus corporis fuerint, etiã cùm ſoluti ſunt, tardiùs ingrediuntur.* Hic tamen claudus à ventre matris, atque ita claudus, vt aliorum miniſterio deportatus ad templi ianuam ſederet, repentè ſurgit, ambulat, ſalit: nimirum Dei opera imperfecta non ſunt.

Verſ. 11. *Cùm teneret autem Petrum, & Ioannem, cucurrit omnis po-*
8. *pulus ad eos.*] Iam claudus miraculum prædicat, & auctores oſtendit. Ex quo apparet quàm non ſine cauſa priùs iuſſus eſſet reſpicere in Apoſtolos, & aduertere in cuius nomine, & virtute impertiretur ſalus. Et eſt ſatis veriſimile nunquam diſceſſiſſe ab Apoſtolis, in quibus aliquid eſſe humana facultate maius agnoſcebat. Sicut multi non recedebant à Chriſto, à quo ſanitatem conſecuti fuerant. Lucæ cap. 8.

Verſ. 12. *Aut nos quid intuemini quaſi noſtra virtute, aut poteſtate,* &c.]
Negat Petrus poteſtatem ſibi eſſe 9.
vllam propriam patrandi miracula, & totam eius facti laudem in Chriſtum refert, quem Pater Deus Abraham glorificauit, & antea ſæpe, & nunc claudi pedibus ad inceſſum firmatis, de cuius Reſurrectione ſe teſtem eſſe profitetur.

Ex his verbis multa arripiunt 10.
hæretici, vt omnem vim, & poteſtatem Sanctis eripiãt, quibus cultum, & venerationem omnino negant: Sanctorũ interceſſionis quanta vis. ſed ſi bene hæc intelligantur, illorum impietati nullo modo fauent. Et primùm negari non debet miraculorum poteſtatem à Chriſto cõmunicatam Apoſtolis. Mat. 10. *Conuocatis duodecim Diſcipulis ſuis dedit illis poteſtatem ſpirituũ immundorum, vt eiicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.* Dum ergo Petrus claudi ſanitatem, neque pietati ſuæ, neque virtuti tribuit, docet illud non naturæ ſuæ, aut meritorum opus eſſe, ſed diuinæ gratię beneficium, à qua id habet, vt non tam ſua, quàm aliena virtute miraculum illud ediderit. Non diſputat Petrus de facultate ſibi, aliiſque Sanctis ad hæc, maioráque conceſſa: quia in eo totus erat, vt Chriſti ſanctitatem, & diuinitatem oſtenderet; & ideo quicquid præclarum eſt, & admirabile, eius potentiæ tribuit, à qua ipſi habent potentes vt ſint. Et ideo multis modis eiuſdem ſententiæ variata figura acceptum refert Chriſti nomini, & quòd claudus ſanus, & quòd ipſe ad ſanitatem largiendam aliquo modo potens fuerit.

Verſ. 13. *Deus Abraham & Deus Iſaac*, &c.] Epitaſim habet Dei no- 11.
men toties repetitum, maximè adiunctum iis hominibus, qui magno apud Iudæos in loco, ac veneratione fuerunt.

fuerunt. Perinde enim eſt ac ſi diceret Petrus: non Deus ex ligno, aut marmore, quem ſuis manibus Gentilitas fingit; non Deus recens à cæcis hominibus in honorem adductus, ſed ille antiquiſſimus, quẽ propter fidelitatem in dubiis, arduiſque rebus exploratam ſępe, propter aſſidua merita parentes noſtri tam ſancti, tam ſapientes ab Abraham ad noſtrum vſque tempus agnouerunt, & venerati ſunt.

12. *Glorificauit Filium ſuum, quem vos quidem tradidiſtis.*] Eadem pene oratione vtitur, qua priùs in variarum linguarum admiratione, niſi quòd hîc audaciùs. Nam quem ſuprà dixit virum approbatum à Deo, eum hîc apertè Filium dicit eſſe Dei; & Iudæos acriùs incuſat, qui iudicante Pilato indignum eſſe morte, ipſi tamen negauerint, & ſcelerato, atq; homicida prælato, iuſtum, & ſanctum ad mortem expetierint. Nimirum iam, & miracula, & tot hominum concurſus ad Chriſti fidem, aditum fecerant magis expeditum ad omnem vel reprehenſionem Iudæorum vel Chriſti commendationem. Nam hactenus maturitas deerat agendi liberiùs, non animus, qui Spiritus ſancti allapſu ſatis erat in omnem euentum promptus, & ardens.

13. Quæ fides neceſſaria ad miracula. Veſ. 16. *In fide nominis eius hunc, quem vos vidiſtis, & noſtis, confirmauit nomen eius.*] Aliquid hîc ſibi tribuit Petrus, nempe fidem in nomine Ieſu, propter quam audacter claudo iuſſit, vt ambularet. Neque enim fides illa claudi fuit, quiñ tam eo tempore de ſalute, quàm de eleemoſyna cogitabat. Ait ergo à Chriſti nomine, in cuius fide dictum eſt infirmo, vt ſurgeret, ſalutem proueniſſe: & ſtatim idem repetit; *Et fides, quæ per eum eſt, dedit integram ſanitatem*, id eſt, fides, quam nos per ipſum, eiúſque gratiam tenemus, & profitemur. Sanauit ergo Chriſtus, media tamen Petri fide, hominem infirmum. Quomodo verò ad miracula alicuius fides neceſſaria ſit, vide S. Thomam de potentia q. 6. vbi ad 19. concludit fidem nõ eſſe ſufficientem cauſam ad miracula, ſed diſpoſitionem quandam. Et ſanè Chriſtus Matth. cap. vltimo credentium fidei vim miraculorum promittit. *Signa*, inquit, *eos qui crediderint, hæc ſequentur, linguis loquentur nouis.* Hanc fidem Petrus habuit dum in fide nominis Ieſu ſanatum eſſe dicit hominem claudum. Hinc apparet quàm prudenter Petrus attentum eſſe iuſſerit hominem infirmum: & fortaſſe aliorum quoque, qui aderant attentionem pararat, vt viderent, quomodo poſt imploratum Ieſu Chriſti Nazareni nomen ſecuta ſit ſanitas: ne quæ hîc tam accuratè à Petro commemorantur ſæpiùs, à quoquam falſitatis notata minùs haberent fidei. Porrò *nomen* hîc, ſi vſpiam, pro re ſubiecta nomini commodiſſimè ponitur (quod ſæpe in ſacra Scriptura fieri diximus in illud Cant. 1. *Oleum effuſum nomen tuum*) eſt enim ſenſus: Chriſtus, quem nos confitemur, & in quem credimus, per nos infirmo ſanitatem largitus eſt.

Verſ. 17. *Et nunc fratres, ſcio quòd per ignorantiam feciſtis ſicut & Principes veſtri.*] Duas hîc video ab expoſitoribus afferri ſententias. Altera eſt, quòd hi, ad quos Petri ſermo, fecerunt quidem, quod eorũ Principes, ignoranter tamen, cùm Principes non ex ignorantia, ſed ex inuidia, atque odio facinus admiſerint; ita vt ſimilitudo ſit in re ipſa facta, nõ tamen in animo, & cognitione. Ita 14. Quæ Iudæorum ignorãtia circa Chriſti mortẽ.

Caietanus, & Salmerō. Altera, quòd tam hi, quàm illi ignorarūt non quidem eſſe culpam, quam parabola de vinea, & de hærede occiſo. Matt. 21. apertè illos ſceleris coarguit. Et ibidem. *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent;* ſed illum, cui mors inferebatur eſſe Filium Dei. Ita videtur apertè tradi 1. Cor. 2. *Loquimur Dei ſapiētiam*, &c. *quam nemo Principum huius ſæculi cognouit; ſi enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Et ita ſentit S. Thomas in hūc locum. Ianſenius in Conc. c. 143. Et ſanè Chriſtus orauit pro omnibus ſuæ mortis authoribus, causámque veniȩ illam proponit, *quia neſciunt, quid faciunt.* Et Lucæ cap. 22. non obſcurè indicat Chriſtus: nam cùm Principes dixiſſent; *Si tu es Chriſtus, dic nobis palàm*, ipſe reſpondit; *Si vobis dixero, non credetis.* Idem Ioann. cap. 25. Et Paulus cùm eſſet in lege doctiſſimus, & ad Gamalielis pedes inſtitutus, dicit tamen 1. Timot. 1. *miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci.* Quare exiſtimo ex his Principes non cognouiſſe Ieſum eſſe Meſſiam. Neque parabola de vinea conuincit oppoſitū, quia etiamſi Chriſtus ſignificauerit ſe eſſe hæredem, & filium domini vineæ, non tamen ſequitur, illos intellexiſſe. Neque enim ſi Meſſiam illum eſſe cognoſcerent, quem tantopere expectabant, & libertatis ſuæ vindicem futurum credebant, audita parabola tanto in illum eſſent odio commoti. Et ſanè talis videtur eſſe ſenſus, quem verba Petri hîc primùm offerunt. Dixit idem Paulus infrà cap. 13. & clariùs oſtendit Principes etiam Chriſtum ignoraſſe. *Qui enim*, inquit, *habitabant Ieruſalem, & Principes eius hunc ignorantes*, &c. *petierunt à Pilato.* Fuit tamen in populo, quàm in Principibus culpa leuior, quia hos inuidia, atque ambitio; illum verò communis error concitatæ plebis, vel Principum authoritas in fraudem cæcum, aut in culpam non ita voluntarium induxit, vt neglecto Chriſto, Barabam eligeret. Vtroſque verò peccaſſe indicat Petrus, cùm ſubdit. *Pœnitemini igitur*, de illo ſcilicet peccato, quod antè illis obiecerat, aduerſus authorem vitæ ab ipſis impiè crucifixum.

15. Quomodo omnes Prophetæ de Christi morte prophetauerint.

Verſ. 18. *Deus autē, qui prænunciauit per os omniū Prophetarū pati Chriſtum, impleuit ſic.*] Confirmat Iudæorum animos, ne de venia deſperent propter admiſſi ſceleris immanitatem, oſtendens impleuiſſe Deum ipſorum miniſterio, quæ decreuerat Chriſto ſuo eſſe ſuſtinenda. Sed rogabis quomodo per os omnium Prophetarum Deus dicatur prædixiſſe, quæ Chriſtus ſubiit, cùm tamen non conſtet ab omnibus fuiſſe antea nunciata? Quidam exiſtimant hæc referri etiam ad ea, quæ dicuntur ſtatim de Iudicij, ac Reſurrectionis tempore, de peccatorum venia, &c. Ita Salmerō; ſed videtur durior expoſitio; quia quæ prædicta ſunt per os omnium Prophetarum, impleta iam erant, vt dicit Petrus: quare de Iudicio hîc ſermo eſſe non poteſt. Exiſtimo hæc pertinere tantùm ad Chriſti Paſſionem, & Prophetas omnes vel apertè, vel obſcurè aliquid de illa ſignificaſſe. Vide Ioſephum Acoſtam de Chriſto reuelato lib. 1. cap. 3. vbi docet omnes Prophetas locutos eſſe de Chriſto, imò totam Scripturam Chriſtum ſonare. Eodem loquendi genere vſus eſt Zachar. Lucæ c. 1. *Quia fecit*, inquit, *redemptionem plebis ſuæ, ſicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo*

Digitized by Google

tulo ſunt Prophetarum eius : imò &
Chriſtus ipſe Lucæ 24. cùm propo-
neret, oportuiſſe Chriſtum pati, &
ita intrare in gloriam ſuam, *incipiẽs*,
ait, à *Moyſe, & omnibus Prophetis in-
terpretabatur illis in omnibus Scriptu-
ris, quæ de ipſo erãt*. Neq; arbitror huic
expoſitioni incommodare, quòd in
vno aut altero Propheta nihil ſit
ſcriptũ de Chriſti Paſſione: eſt enim
vſitatũ in Scriptura, vt omnino ali-
quid fieri, aut omnes facere dican-
tur, quando aut magna ex parte fit,
aut à pleriſque. Vide quæ ſuprà dixi-
mus c.1. ad illud, *de omnibus, ô Theo-
phile*; & quæ c.13. dicuntur ad illud,
videte contemptores.

Verſ. 20. *Vt cùm venerint tempora
refrigerij à conſpectu Domini; & miſerit
eũ, qui prædicatus eſt vobis, Ieſum Chri-*
16. *ſtum.*] Suſpẽſa eſt hæc oratio, neque
ſententiam aliquã abſoluit, vt patet.
Irenæus lib.3. cap.12. cum his verbis
extrema ſuperioris clauſulæ cõiun-
git. *Pœnitentiam*, inquit, *agite, & con-
uertimini, vti deleantur peccata veſtra,
& veniant vobis tempora refrigerij à fa-
cie Domini, & mittat præparatum vo-
bis Ieſum Chriſtum.* Eodem modo
vertit Tertul. lib. de Reſurrectione
carnis c. 23. niſi quòd vbi Irenæus
vertit *præparatũ*; Tertul. habet *præ-
deſignatum*. Vterque variat à vulga-
to, qui vertit, *qui prædicatus eſt*. Illi ac
commodatiùs ad textum Græcum,
quem nos habemus; vulgatus aliter
videtur legiſſe, nõ προκεχειρισμένον,
vt nunc eſt, ſed προκεκηρυγμένον. Et
ſanè poſterior hæc lectio quam no-
ſter eſt ſecutus; magis eſt cum textu
conſentiẽs. Tota hæc clauſula, vt eſt
ab Irenæo, & Tertulliano conuerſa,
optimè, & clarè reddit vim Græci
textus; nõ tamẽ ſenſu à vulgato diſ-
ſimili. In quo aliquid neceſſariò ſup-
plendum eſt, neque illud obſcurum,
ſcilicet, *vt cùm venerint tempora re-
frigerij, requiẽ habeatis, aut ſaluemini*,
aut quid ſimile. Hæc verò loquendi
figura plus ſignificat, dum aliorum
cogitationi aliquid conſiderandum
relinquit, quàm dum illud exprimit.
Subauditur autem aut gloriæ ma-
gnitudo, aut ſingularis humanitas,
& beneuolentia Chriſti, qui ventu-
rus eſt Iudex; ſicut Pſ. 22. dicitur, *&
calix meus inebrians*. Vbi in oratione
ſuſpenſa ineffabilis ſuauitas ſubin-
telligitur: nam quod ſtatim ſubdi-
tur, *quàm præclarus eſt*; non eſt in te-
xtu Hebraico, ſed explicationis gra-
tiâ additum.

Quod ſit refrigerij tempus obſcu- 17.
rum eſt. Oecumenius ad excidium Quod tẽpus refrigerij.
Ieruſalem refert, & ad alia innu-
mera propè infortunia, quæ Iudai-
co generi propter Chriſti cædẽ iam
imminebãt. Iubet ergo Petrus, pœ-
nitentiam vt agant, quò ab illis in-
commodis aliquando reſpirent: re-
ſpirabũt autem in morte; nam ad il-
lud vſque tempus variè iactabuntur.
Alij de Iudicij tempore cõmuniter
accipiunt. Vult autem Petrus ita ſpẽ
veniæ proponere animis propter ad-
miſſum facinus abiectis, & languẽ-
tibus, vt etiam repugnantibus timo-
rem incutiat. Dicit enim illum, qui
per ludibrium ſummum in crucem
actus eſt, extremo mundi tempore
venturum cum maieſtate ad iudi-
candum. Quod ſanè tempus ſicut
terrori erit iis, qui in ſcelere ani-
mum obfirmauerint ſuum: ſic ma-
gno erit refrigerio iis, qui ſcelus de-
teſtati, melioris vitæ conſilium
inierint. Dixerat hoc idem priori
concione; nunc verò quia tem-
pus illi; atque occaſio fauet, addit
minas propoſita Moyſis Prophe-
tia; de quo mox dicetur. Eſt autem
Petrus magiſtri ſui exemplum ſe-
cutus, qui in ipſo temporis veſti-
gio, quo de ipſius agebatur morte,

de ſuo ad iudicandum aduentu cum maieſtate ſermonem intulit.

18. Pro *refrigerio*, Græcè eſt ἀνάψυξις, in qua eſt elegans, & ad duos articulos alluſio, & ad pœnitentium hominum ſortem plus quàm felicem. Ita enim *refrigerium* ſignificat, vt etiam ſonet animæ reditum, ſiue animæ reſumptionem, aut animationem iterum factam. Quare duo hîc articuli fidei proponuntur à Petro, & Reſurrectionis carnis, & extremi Iudicij. Item quia ἀνάψυξις *Reſurrectionem* ſonat, & *refrigerium*, indicatur qualis verè pœnitentibus Reſurrectio futura ſit, nempe non ad mortem, ſed ad vitam ſuauitatis plenam. Ac ſi dicatur; ἀνάψυξις, quæ Reſurrectio eſt, & reanimatio, implebit vobiſcum totam ſui nominis menſuram, atque ideo illa eadem iuxta ſui nominis notationem erit etiam vobis refrigerium; atque adeò dici omnino poterit Reſurrectio. Quod dixit Dominus Lucæ 21. *Leuate capita veſtra, quia appropinquat redemptio veſtra.* Cæterùm exiſtimo hîc à Petro non ſolùm alluſum ad alteram ſignificationem ἀναψύξεως, id eſt, Reſurrectionem: ſed etiam de Reſurrectione egiſſe præcipuè. Neque hîc primùm *refrigerium* pro Reſurrectione ſumitur; nam etiam Sap. 2. eandem ſine dubio ſignificationem habet. Cùm enim ſermo eſſet de impiis, qui ideo ſe ad omnem voluptatem, & luxum acuunt, quia nihil putant poſt mortem eſſe reliquum; ſed cum corpore omnia prorſus extingui, ſic loquentes inducuntur. *Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis, & nõ eſt qui agnitus ſit reuerſus ab inferis: quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hæc erimus tãquam non fuerimus.* Ex quibus non obſcurè conſtat, *refrigerium* pro Reſurrectione, ſeu reanimatione ſumi. Id enim indicant apertè quæ mox ſequuntur. Et licèt pro *refrigerio* hîc non ſit ἀνάψυξις; ſed ἴασις. i. *medicina*: ſed nulla poſt mortem medicina eſſe poterat, niſi Reſurrectio.

Reſurrectio quomodo dicatur refrigeriũ.

Sap. 2.

19. Verſ. 21. *Tempora reſtitutionis omnium.*] Hæc ad extremum Iudicium ſpectant: ſed cur ſic appellentur, non facile explicatu eſt. Poſſet aliquis non ineptè exiſtimare, ſic eſſe appellata Iudicij tempora, quia iũe, quæ à ſuis momentis, & gradibus vel re ipſa, vel hominum opinione exciderant, in ſuum gradum, atque ordinem reſtituentur. Nam improborum quidam hominum non tam opinione, quàm errore felices exiſtimabantur, & loco excelſo poſitis & contrà Sanctorum alij infortunati, & in durum, ac tetrum carcerem abiecti. Hi diuina agẽte iuſtitia, ſuis quique locis, gradibúſque reſtituẽtur. Nam qui ſancti ſunt, & eo nomine millies fortunati, tales etiam ab illis agnoſcentur; qui ſecus exiſtimabant: & qui improbi, ſuis iam meritis, & ſuppliciis cogniti, ex eo loco cadent, quem nullo ſuo merito in opinione hominum obtinuerant. Verè tempora reſtitutionis illa ſunt, in quibus redditur cuique quod videbatur ablatum: *nam liberabitur creatura à ſeruitute corruptionis*; ad Rom. 8. *reformabitur corpus noſtrum*; ad Philipp. 3. redderetur corpori anima; & bonorum corpus cœlo, malorum gehennæ: ſi in opinione honum; aut in monumentis, quæ excitauit ambitio, quicquam viuit de malorum laude, aut de laude bonorum quicquam detractum eſt, illud delebitur, hoc reſtituetur.

Quod tẽpus reſtitutionis.

ad Rom. 8.

20. Hæc ſanè probabilia; ſed aliunde fortaſſe his extremis temporibus inditũ *reſtitutionis* nomen. Inueterarat,

rarat,

narat,credo,apud Hebræos,extremis temporibus venturum eſſe Eliam, qui omnia reſtitueret,ſiue quæ erepta fuerant à filiis Iſraël,ſiue Iſraëlitas etiam ipſos in ſuam ſedem, gradúmque reduceret: nam Hebræorum vulgus fortaſſe de Elia tunc nihil altius cogitabat. In quã ſententiam adducti videri potuerunt illis
Eccli. 48. verbis Eccli 48.de Elia. *Qui inſcriptus es in iudiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium,& reſtituere tribus Iacob.* Doctiores tamen hæc ab Elia præſtanda ante aduentum Meſſiæ ad iudicandum intellexiſſe veriſimile eſt. Nam de extremo Iudicio toties in Scriptura reperito dubitare non poterant:ſed ante hoc tempus venturũ eſſe Eliam didicerant ex Malachia cap. 4. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam,antequam veniat dies Domini magnus,& horribilis; & conuertet cor patrum ad filios*, id eſt, reducet Iudæos ab Antichriſto deceptos,ita vt parentibus ſuis ſanctis placeant, quibus propter inconſtantiã, atque perfidiam diſplicuerant. Nam quòd Elias Iudæus ideo ſeruatus ſit,vt Iudæis pœnitentiam annunciet, communis eſt ſententia ex loco citato ex Eccleſiaſtico ſuprà: ſicut Enoch Gentibus.Eccl.42.*vt annunciet Gentibus pœnitentiam*; quia ipſe ante legem fuit. Porrò pro eo quod noſter Interpres in Malachia reddit,*conuertet*, Græcè eſt ἀποκαταστήσει, quod Hieronymus Eccl. 48. reddit,*reſtituet*.

21. Erat ergo ex his locis notum, & tritum *reſtitutionis* nomẽ:& ita Mat. 17.& Marc.9.cùm poſt Transfigurationis myſterium præcepiſſet Chriſtus tribus Diſcipulis, ne cui dicerent,antequã filius hominis à mortuis reſurgeret,audito *Reſurrectionis* nomine,quam ante extremum Iudicium eſſe futuram iam antè didicerant.(certè Martha ſatis notat in fine ſæculorum ſurrecturos mortuos, quando Ioan.6.de fratre Lazaro dixit,*ſcio quia reſurget in nouiſſimo die.*) cùm eum reſurrecturum cum aliis omnibus extremo tempore exiſtimarent, & ita crederent imminere iam Iudicij diem; de illo ſecum ſecretò loquebantur. Marc. 9. *Et verbum continuerunt apud ſe conquirentes,quid eſſet cùm à mortuis reſurrexerit: & interrogabant eum, dicentes. Quid ergo dicunt Phariſæi, & Scribæ, quòd Eliam oportet venire primùm? Quibus reſpondit Chriſtus; Elias cùm venerit, reſtituet omnia.* Quaſi hoc etiam dicerent Scribæ. Hinc credo reſtitutionem omnium, etiam vulgo Hebræorum, ſumi pro die Iudicij: neque enim aliã ob cauſam Eliæ meminiſſe videntur Apoſtoli.

Sed placet mihi magis tertia ex- 22.
plicatio,quæ ideo putat Iudicij tempora vocari tempora reſtitutionis, quia tunc Chriſto redduntur illa, quæ ipſius nomini,ac gloriæ debentur. Eſt autem hîc alluſum ad illud
Pſal. 109. *Sede à dextris meis, donec* Pſal. 109.
ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum; de quo idem Petrus egerat præcedenti capite.Quia ab eo tempore Chriſti pedibus erunt omnes, & omnino ſubiecti.qui hoc tempore viſi ſunt non ſolùm liberi à iugo, & ſeruitute; ſed eſſe cum imperio. Quod conſtabit magis ex aliis,quæ mox dicentur.

Verſ.21. *Quem oportet quidem cœlum ſuſcipere vſque ad tempora reſtitutionis.*] Duos hîc articulos Chriſtia- 23.
næ fidei proponit Petrus: alterum Aſcenſionis,dum affirmat cœlo eſſe ſuſceptum:alterũ Iudicij per ipſum exercendi, dum dicit futurum eſſe Chriſtum in cœlo, vſque quò tempora reſtituat,vel ab Elia reſtituan- Ex hoc loco malè hæretici colligũt Chriſtum non eſſe in Euchariſtia.

tur. Hinc Heretici Sacramentarij, qui Chriſti præſentiam in Euchariſtia negant, argumentum arripiunt ſuo potiùs, quàm aliorum iudicio graue. Si Chriſtus, inquiunt, in cœlo eſt vſque ad Iudicij tempus, quomodo poteſt eſſe in Euchariſtia realiter? quaſi Chriſtiana fides aliquãdo docuerit, Chriſtum in propria, ac naturali ſpecie, ſeu forma eſſe in Euchariſtia, & non potiùs Sacramẽtali, reali quidem, & vera, magis tamen arcana præſentia; ad illum modum, quo Angelus in loco eſt, & anima in corpore, quod informat. Qua de re plutibus Scholaſtici, quorum hoc eſt negotium. Quod noſtrũ eſt, agamus. Illud *oportet*, ideo poſitum eſt ab Apoſtolo, quia Pſalmo 109. prædictum erat de Chriſto; *Sede à dextris meis, donec ponam*, &c. Neceſſe autem eſt impleri Prophetarum oracula, ſicut cap. 2. dixerat, impoſſibile eſſe teneri illum ab inferno, quia id prædictum à Dauide fuerat Pſal. 15.

Ex hoc loco nõ colligitur Christum ab Aſcẽſione in terrã non deſcẽdiſſe

24. Hinc quidam ex Catholicis inferunt, Chriſtum nũquam in propria, ac naturali forma è cœlo deſcendiſſe; quia ibi futurus eſſe dicitur vſq; ad extremum Iudicij diem. Sed re vera infirmum eſt argumentum: nã particula *vſque*, eodem modo exponenda eſt, quo præcedenti capite expoſuimus ex Pſal. 109. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos*, &c. quia ſine dubio ad illum locum hîc alluſum eſt; & ideo dictum eſt à Petro, oportere Chriſtũ eſſe in cœlo, quia ſic eo Pſal. prædictum à Prophera: & nomine *reſtitutionis* ſuprà diximus explicari illud, *donec ponam inimicos tuos ſcabellum*, &c. quia hoc Chriſti gloriæ debetur; & quaſi ablatum ſit, extremo tandem mundi tempore reſtituetur. Vt ergo ibi *donec* ſignificat futurum Chriſtum à dextris Dei, id eſt, in ſummo loco, etiam dum inimici nondum poſiti ſunt ſcabellum pedum ipſius, id eſt, etiã dum non ipſi reſtituta omnia: ſic etiam nunc futurus eſſe dicitur in cœlo, ſummo nimirum loco, vſque ad reſtitutionem, id eſt, etiam antequã reſtituta ſint omnia, quæ ipſius nomini, atque honori debentur. Erit ergo ſenſus huius loci, habiturum Chriſtum in cœlo ſummam gloriã, etiamſi nondum conſecutus videatur extremam de ſuis hoſtibus victoriam; non tamen futurum tanquam in carcere, vt exire non liceat, ſed in libera domo. Quare vt qui domicilium aliò non transferr, ibi ſemper habitare, & eſſe dicitur, etiãſi aliquoties animi gratiâ, aut alias ob cauſas egrediatur, quia ibi fixam habet, & ſtabilem ſedem: ſic Chriſtus, etiamſi Virgini morienti, aut eidem dum aſſumeretur in cœlum, occurrerit; aut apparuerit Paulo, nõ tamen ideo cœlum reliquiſſe dicendus eſt, quia non è fixo in cœlis domicilio in aliud emigrauit.

Quæ locutus eſt Deus per os ſanctorum ſuorum à ſæculo Prophetarum.] Sine dubio hîc ſermo eſt de temporibus nouiſſimis, in quibus apparebit maximè Chriſti maieſtas, atque 25.
potentia; quæ quo magis horribilia ſunt, conciliãda magis eſt Chriſti beneuolentia; quam tunc obtinemus maximè cùm eius verba & ſedulò, & religioſè colimus. Poriò de his temporibus aut egerunt Prophetæ omnes, aut eorum plerique iuxta ea, quæ ſuprà diximus ad illud, *per os omnium Prophetarum.*

Verſ. 22. *Moyſes quidem dixit.*] Ex Prophetarum, qui ſcriptis aliquid prodiderunt, antiquiſſimo 26.
Moyſe probat Petrus, & Chriſti verba eſſe ſuſcipienda, & eorum tranſgreſſoribus pœnam eſſe propoſi

Reg. Chriſtus, & Apoſtoli non tã verba teſtamẽtive teris repetunt, quã ſententiã.

poſitam.Hîc obſeruandum Apoſtolos,& Euangeliſtas, & ipſum etiam Chriſtum in citandis Scripturæ teſtimoniis non tam ſpectare verba, quàm ſententiam, vt Hieronymus docuit,cùm in aliis locis, tum maximè in calce lib.1.Comment.in epiſtol.ad Galat.& in lib.de optimo genere interpretandi, vbi id multis confirmat exemplis. Verba enim hæc, quæ citantur à Petro, aliter habentur Deut. cap. 18.hoc modo. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit Dominus Deus tuus, ipſum audies.* Petrus refert non eiſdem verbis, eodem tamen ſenſu.

27. Chriſtus Propheta.

Chriſtum eſſe Prophetam tenent cõmuniter Theologi. Vide S.Thomam 3.p.q.7.ar.8.& ibi Doctores Scholaſticos,& probat ſatis hic locus,quem de Chriſto eſſe intelligẽdum, nemini pio dubitandum eſt, cùm de illo Petrus hîc interpretetur, & Stephanus infrà cap. 7. Illuſtre verò fuiſſe hoc Moyſis de Chriſto teſtimonium ex eo liquet, quia ſæpe in Teſtamento Nouo, aut repetitum,aut indicatum eſt.Ioan.capite 1.dicit Philippus; *quem ſcripſit Moyſes in lege*, &c. & ibidem Sacerdotes, & Leuitæ rogant à Ioanne; *Propheta es tu*? ille nẽpe magnus, de quo Moyſes; & de hoc Ioannes negat, vt dicit Chryſoſtomus hom. 15.in Ioan.imò & ipſe Chriſtus eodem vtitur teſtimonio Ioan. 5. *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi; de me enim ille ſcripſit.*

Verſ. 23. *Erit autem, omnis anima, quæ non audierit Prophetam il-*
28. *lum, exterminabitur de plebe.*] In
Deut. 18. Deuteron.capite 18.vnde hæc ſumpta ſunt,paulo aliter habent;*ego vltor exiſtam*; & ita vertunt LXX. quos Petrus eſt ſecutus. Hebraicè, *ego requiram ab eo*, eodem planè ſenſu, niſi quòd Petrus clariùs expreſſit,quod in Deut.dicebatur obſcuriùs. Ibi enim generatim proponebatur pœna, quæ ſequebatur illorum perfidiam,qui tanti Prophetæ verba reſpuerent: Petrus ſpeciatim expreſſit, eiúſque grauitatem oſtendit,dum dicit eos exterminandos de plebe.Sed quid ſit exterminari de plebe,aut de terra, ſiue deleri,quod in Scriptura frequens;non omnes eodẽ modo accipiunt.Quidam in hac loquendi forma tẽporalem mortem, alij æternam denunciari putant:ſeparationem nonnulli à populo,qualis per excommunicationem fieri ſolet.

Mihi probabile eſt hoc denun- 29. Extermi- nari, aut deleri de terra, quid.
ciationis genere nihil definitè ſignificari;ſed illa omnia, de quibus alij modò; quæ determinari ſolent, aut à materia ſubiecta, aut ab aliquo alio,quod circũſtat, adiũcto. Quòd his verbis aliquãdo corporalis pœna ſit propoſita,conſtat Exod.31.vbi cùm ſermo eſſet de Sabbathi cuſtodia,dicitur, *qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi ſui.* Quid autem ſit hoc loco *perire*, ſtatim explicat, *qui fecerit opus in hac die, morietur.* Similis pœna videtur denunciari ei, qui vnguentum Sacerdotale compoſuerit, & dederit alieno. Exod. 30.de quo dicitur; *Exterminabitur de populo ſuo.* & Exod. 12. *Quicunque comederit fermentatum, peribit anima illius de Iſraël.* Et ita communiter accipiunt Doctores Leuit.17.De illo qui occiderit bouem, neque oblationẽ obtulerit ad oſtiũ tabernaculi dicitur, *peribit de medio populi ſui*:& quid ſit explicuerat paulo antè dicẽs. *Sãguinis reus erit.* De ſeparatione verò à populo quaſi per excõmunicationẽ propter mũditiã legalẽ, videtur intelligendũ illud Nu.19. *Omnis qui*

tetigerit humanæ animæ morticinium, & aſperſus hac commixtione non fuerit, polluet tabernaculum Domini, & peribit ex Iſraël, quia aqua expiationis non eſt aſperſus; immundus erit, & manebit ſpurcitia eius ſuper eum. Ecce quomodo poſtquam periturus dicitur de populo, vocatur etiam immundus; ex quo fit mortis non fuiſſe, ſed legalis mundiciæ reum.

De morte æterna accipiunt communiter Doctores illud Geneſ. 17. *Maſculus, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illius de populo ſuo*; qui putant circuncisionē in populo Hebræorum neceſſariam ad tollendum originale peccatum; quod ex hoc loco colligit Auguſtinus multis in locis. Neque ſanè cùm multi de populo diu circuncisi non fuerint, quiſquam illorum ideo reperitur morte mulctatus. Eodem ſupplicio exiſtimo à Petro hoc loco dici plectendū eſſe illum, qui Chriſti verba non audierit, cùm exterminandus dicitur de terra. Neque capitalem pœnam ſubiit vllus, eo quòd Chriſti legem non admiſerit, aut eius doctrinam audire contempſerit.

30. Salmeron putat eſſe probabile, minas haſce eſſe de temporali morte, quam per ſummum ludibrium, atque acerbitatem Iudæi ſubierunt à Romanis; non quidem omnes, ſed qui reſpuerunt traditam ab Apoſtolis diſciplinam Nam Chriſtiani diuinitus admoniti imminêre iam vrbi extremum excidium, in Pellam Agrippæ ciuitatem matura ſe receperunt fuga. Quod nos pluribus docuimus in illud Zachariæ c.13. *partes duæ in ea diſperdentur.*

Addam ad extremum id, quod mihi veriſimile videbatur. Fortaſſe quia nouum, alicui placebit minùs: ſed non tam affirmo, quàm aliis examinandum offero. Suſpicabar hoc loco Petrum nihil dixiſſe aut grauiùs, aut expreſſiùs, dum dicit, *exterminabitur de terra*, quàm Moyſē Deut. 18. qui ſcripſit, *ego vltor exiſtam*; & Heb. *ego requiram ab eo*: & vtrumque in genere magni alicuius ſupplicij minas intentaſſe iis, qui venturum Prophetam non ſuſcepiſſent. Quòd generalis ſupplicij metus proponatur Deut. 18. nemo dubitabit, illud difficile, nihil ſignificari propriè, ac definitè illis verbis; *deleri, exterminari, perire de plebe, de populo, de cœtu Iſraël.* Hoc igitur probemus. 31.

Reg. Per ſynecdochem vnum genus ſupplicij pro quolibet alio ponitur.

Satis notum eſt in Scriptura per ſynecdochem ſpeciem aliquam certam vſurpari pro genere, eámque plurimùm, quæ in eo genere illuſtrior eſt, aut nota magis. Quod in ſuppliciis, de quibus hîc agimus, vſitatum valdè: nam quia crux durum erat, & olim infame, atque execrabile ſupplicium, frequens erat in minis, ac terroribus crucis appellatio. Hinc *mitti ad crucem, ad reſtim, ad coruos*, quæ eôdem ſpectant, nimis vulgare; & Hiſpani cùm magni ſupplicij acerbitatem proponimus, his ferme vocibus ſignificamus; *hundir a vno, o echar le del mundo.* Apud Hebræos *ignis* pro graui ſupplicio, aut cruciatu ponitur: nā Achan Ioſ. capite 7. iubetur comburi, & tamen lapidatus eſt. Ex quo apparet *combuſtionem* pro graui ſupplicio ſumi; &

Vri. & ſecari pro graui aliquo tormēto. Ioſue 7.

Ierem. 11. filij Iſraël dicuntur erepti de fornace ferrea, id eſt, de magna tribulatione. Et eo fortaſſe ſenſu dicitur Abraham eductus de Vr Chaldæorum, id eſt, de igne, quia de magna tribulatione, atque cruciatu liberatus eſt. Et Ierem. 29. duo ſenes, qui accuſauerūt Suſannam, frixi dicuntur igne, & tamen lapidati ſunt. Dan. cap. 13. ſi modò de duobus illis ſenibus loquitur Ieremias, quod

Ierem. 11.

Ierem. 29.

putat

putat Orig.lib.10.Strom. & Hieronymus in cap. 13. Dan.& cum illis communiter alij : & *ſecari*, aut *medium diuidi* in Scriptura dicitur qui graue aliquod ſupplicium ſubit, quodcunque illud ſit; vt diximus in proœmio Iſaiæ. Sic etiã puto apud Hebræos illis verbis, *delere, exterminare*, &c. ſolere magni ſupplicij pondus oſtendi. Nã, vt nuper vidimus, eadem ſupplicij denunciandi forma, modò corporalem, modò æternam mortem, modò excommunicationem quandã, & à cõmuni congreſſu ablegationẽ continet. Quare optimè hîc Petrus videtur nobis explicuiſſe, quid ſit exterminari de plebe; & phraſes alias huic affines; dum pro eo, quod in Deut. habemus, *Ego vltor exiſtam*, ſupponit, *exterminabitur de plebe*.

32. Hęc verò loquẽdi forma apud Hebræos ex eo nata eſſe videtur, vt obſeruauit Pradus in illud Ezech.13. *& in Scriptura domus Iſraël non ſcribentur*; quia ex quo egreſſi ſũt filij Iſraël primùm de Ægyptiaca, deinde de Babylonica ſeruitute, numerati ſũt, & in cenſum relati, vt colligi videtur poſſe ex Num.cap.1.& 3.& 1.Eſdræ c 8.Nehemię cap.7. Quare cùm Iſaias c.4. de magna ſtrage Iudæorũ ageret; *Sãctus*, inquit, *vocabitur omnis, qui ſcriptus eſt in vita in Ieruſalem*, id eſt, vt Pradus vult, admirationi erit, ſi quis ex ea cæde reliquus in viuorũ catalogum referatur. Addit pręterea ex Iſraëlitarum ſenſu deleri ſtatim illum qui è vita deceſſit. Sanè ſi hęc conſtarent ex Scriptura, & locus Iſaiæ aliter exponi non poſſet, ita videbatur omnino eſſe dicendum, vt ſentit Pradus; nihilominùs ſatis probabiliter, & acutè conijcitat, & & mihi valdè placet. Ex quo apparet quid ſit exterminari de plebe, populo, aut cœtu Iſraël, nempe tolli de viuentium numero, quia viui ſolùm erant in Iſraëlitarum catalogo. Et quid ſit illud Exod. 32. *dele me de libro vitæ*, id eſt, interfice me; & quod cum vita functis vſu ſit; *dele me de catalogo viuorum*. Hinc liber vitæ dicitur, in quo prædeſtinatorum nomina ſcripta ſunt; ſumpta metaphora ab hoc viuentium libro, ſeu catalogo; quia beati ſoli poſſunt verè viuentes dici, alij verò omnes longè infra mortuos. Huc alluſiſſe videtur Ieremias capite 17. *recedentes à te in terra ſcribentur*; quod ſic interpretor: Scribentur peccatores non in libro viuorum, ſed in terra, id eſt, in ſepulchris; ac ſi dicat, inter viuos eſſe deſinent, & erunt cum mortuis ſcripti in illorum cẽſu, qui non eſt alius niſi puluis, & tumulus. Hæc mihi non aliena viſa ſunt, quam volet, quiſque ſententiam ſequatur.

Exod. 32.

Liber vitę

33. In illo, *Erit autem, omnis anima*, Hebraiſmus eſt valdè vſitatus, in quo redundare videtur verbũ *ſum*, aut *fio*, in præterito ſæpe, in futuro rariùs. Exempla ſunt obuia ſuprà cap.2. *Et erit, omnis quicunque inuocauerit nomen Domini ſaluus erit.* Illud *erit* prius otioſum eſt: eſt enim ſenſus; *& omnis quicunque*, &c. *ſaluus erit*. Sic hoc loco: *Erit autem, omnis anima*, ſublato *erit*, ſenſus erit facilis, ſi ita legas; *omnis autem anima*, &c.

Reg. Verbum ſum, aut fio ſæpe redũdat.

34. Verſ. 24. *Et omnes Prophetæ à Samuel, & deinceps*, &c.] Iterum dicit Petrus Prophetas omnes de Chriſto, diebúſque illis, quos tunc nacti erant Iudæi, fuiſſe locutos: de Moyſe iam dixerat, nunc à Samuele incipit, & in illo *deinceps* reliquos Prophetas comprehendit, qui deinde cõſecuti ſunt. Sunt verò omnes, quotquot literis ſua vaticinia prodiderunt. Omittit

Digitized by Google

tamen, qui vel Moyſem anteceſſerunt, vt Iob, vel Samuëlem, vt Balaam, quia tantùm voluit adducere Prophetas de gente Iudæorum, vt ſtatim adderet, *vos eſtis filij Prophetarum, & teſtamenti.*

35. Filij Prophetarũ, filij Regni, filij promiſſionis.

Verſ. 25. *Vos eſtis filij Prophetarum, & teſtamenti.*] Filij Prophetarum dicuntur Hebræi, ſeu quia in maioribus ſuis Prophetas agnoſcunt; ſeu quia vulgò etiam filij dicuntur, qui alicuius doctrina inſtituti ſunt: qua ratione 4. Reg. cap. 2. & 9. diſcipuli Prophetarum filij eorum vocantur, vt reddit Chaldæus. Seu potiùs quia ad eos primùm ſpectant Prophetarum oracula, & promiſſiones. Quod ſtatim explicatur magis, cùm dicuntur *filij teſtamenti.* Qua ratione Mat. 8. vocantur *filij Regni*, quibus Regnũ promiſſum eſt. Porrò *teſtamẽtum* hîc pactum ſignificat: dici ergo poſſunt teſtamenti filij, quia ad illos tanquã ad hæredes pertinet promiſſio, & pactum, quod Deus pepigit cum Abraham; quòd ſcilicet in eius ſemine benedicendæ eſſent omnes gentes. Benedictio verò omnem abundantiam, & felicitatem ſonat. Quare Abrahæ ſemini, id eſt, Chriſto, quicquid Hebraico, quicquid Gentilico populo bonum, ac fauſtum accidit, tribuendum eſt. Eodem ſenſu à Paulo ad Rom. 9. & ad Galat. 4. Hebræi dicuntur *promiſſionis filij*. Hoc igitur illuſtri nomine confirmat Petrus Iudæorum animos, ne admiſſi ſceletis cogitatione de venia deſperent: nam qui tam in promittendo antè prolixus fuit, ille erit in præſtando fidelis, & in ignoſcendo facilis.

36. Verſ. 26. *Vobis primùm Deus ſuſcitans filium ſuum miſit eum benedicentem vobis, vt conuertat ſe vnuſquiſque à nequitia ſua.*] Non eſt hoc loco *ſuſcitans*, idem quod *excitans à mortuis*: ſed eo ſenſu quo Moyſes dixit excitandum eſſe Prophetam de Iudæorum gente ſimilem ſui. Quod ex eo fit planum, quia illud *ſuſcitans* Græcè eſt ἀναςήσας, præteriti temporis. Et ideo ſenſus eſt; cùm excitaſſet, vel poſtquam excitaſſet. Miſit autem illum antequam à mortuis excitaſſet: imò aliquo modo poſt mortem ad Iudæos miſſus non eſt; qui tantùm per dies 40. conuerſatus dicitur Actor. cap. 1. cum Diſcipulis, & familiari ſibi, ac domeſtica, vt ita loquar, familia. Hic ergo miſſus dicitur, vt populo ſuo benedicat, & vt auertat à nequitia. Et hoc eſt quod Chriſtus dixit Matt. cap. 15. *Non ſum miſſus, niſi ad oues quæ perierant de Iſraël.* Non tamen ex hac Dei liberalitate excluduntur Gentes; nam ad has etiam, & Dei benignitas, & Apoſtolorum prædicatio pertinuit.

Vt conuertat ſe vnuſquiſque à nequitia ſua.] Græcè eſt, ἐν τῷ ἀναςρέφειν ἕκαςον, quæ verba duplicem admittunt ſenſum. 37.
Alter eſt, miſſum eſſe Chriſtum, vt benedicat Iudæis, dummodò ſe ipſi à peccatis conuertant, alioqui illius benedictionis expertes erunt. Et ita accipit Chryſoſtomus, Oecumenius, Eraſmus, Vatablus, Montanus, & Syra tranſlatio. Alter eſt, à Deo miſſum eſſe Chriſtum, vt homines à nequitia conuertat, ſeu, quod idem eſt, vt faciat, vt homines ſe conuertant à nequitia. Ita Caietanus, Gagneius, Salmeron: vulgatus ſine dubio poſteriorem ſententiam indicat, dum vertit, *vt conuertat ſe vnuſquiſque.* Quam tranſlationem ſatis admittit Græcus textus, etſi alicui minùs probetur: ſatis enim eſt notum iis, qui mediocriter ſciunt, præpoſitionem Græcam ἐν cum datiuo vim habere interdum inſtrumenti; & ideo non incommodè verti poſſet, ἐν τῷ ἀποςρέφειν ἕκαςον, *dum vnumquem*

Peccatoris cõuerſio per Chriſtum

quemque à nequitia conuertit; ſeu, *in conuertendo quemlibet à nequitia*, & ita Gagneius vertit, neque diſplicet Eraſmo in annotationibus ſuper Acta. Et hic eſt vulgatæ tranſlationis ſenſus. Neque admodùm refert, ſi cum vulgato legas, *vt conuertat ſe vnuſquiſque*, vel, vt ſonat ad verbum Græcus textus, *in conuertendo vnumquemque*; nam in materia ſubiecta ſenſus eſt idem. Dum enim ſe quis à peccando conuertit, à Chriſto conuertitur, quia ab illo habet, vt conuerti poſſit. Quare optimè conuerſionem noſtram antecedit Chriſti benedictio, quia ab ea paratur, & aperitur ad ſalutem via. Eò verò ſpectat illa benedictio, vt homines auertãtur à nequitia. Iſa. 27. *Iſte omnis fructus, vt auferatur peccatum*. Ioan. epiſt. 1. cap. 3. *In hoc apparuit Filius Dei, vt diſſoluat opera Diaboli*. Illa verò omnia, quibus nos Deus ad iuſtitiam vocat, atque diſponit, & benedictiones dici, & propter Chriſtum conferri docet Apoſtolus ad Epheſ. cap. 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto*.

Digitized by Google

COMMENTARII IN ACTVS APOSTOLORVM.

CAPVT QVARTVM.

1 LOquentibus autem illis ad populum, ſuperue-
nerunt ſacerdotes, & magiſtratus templi, &
2 Sadducæi, * dolentes quòd docerent popu-
lum, & annunciarent in Ieſu reſurrectio-
3 nem ex mortuis : * & iniecerunt in eos
manus, & poſuerunt eos in cuſtodiam in
4 craſtinum : erat enim iam veſpera. * Multi autem eorum,
qui audierant verbum, crediderunt : & factus eſt numerus
5 virorum quinque millia. * Factum eſt autem in craſtinum,
vt congregarentur principes eorum, & ſeniores, & Scribæ in
6 Ieruſalem, * & Annas princeps ſacerdotum, & Caiphas, &
Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere ſacerdo-
7 tali. * Et ſtatuentes eos in medio, interrogabant: In qua vir-
8 tute, aut in quo nomine feciſtis hoc vos? * Tunc repletus Spiri-
tu ſancto Petrus, dixit ad eos: Principes populi, & ſeniores au-
9 dite: * Si nos hodie diiudicamur in benefacto hominis infirmi,
10 in quo iſte ſaluus factus eſt, * notum ſit omnibus vobis, &
omni plebi Iſraël, quia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti
Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitauit à
11 mortuis, in hoc iſte aſtat coram vobis ſanus. * Hic eſt lapis
qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput
12 anguli: * & non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud no-
men eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos
13 fieri. * Videntes autem Petri conſtantiam, & Ioannis, com-
perto quòd homines eſſent ſine literis, & idiotæ, admirabantur,

& co

Digitized by Google

*& cognoſcebant eos quoniam cum Ieſu fuerant : * hominem* 14
quoque videntes ſtantem cum eis,qui curatus fuerat,nihil pote-
*rant contradicere. * Iuſſerunt autem eos foras extra conci-* 15
*lium ſecedere : & conferebant ad inuicem, * dicentes : Quid* 16
faciemus hominibus iſtis ? quoniam quidem notum ſignum fa-
ctum eſt per eos, omnibus habitantibus Ieruſalem manifeſtum
*eſt, & non poſſumus negare. * Sed ne ampliùs diuulgetur in* 17
populum, comminemur eis, ne vltrà loquantur in nomine hoc
*vlli hominum. * Et vocantes eos, denunciauerunt ne omni-* 18
*no loquerentur, neque docerent in nomine Ieſu. * Petrus verò,* 19
& Ioannes reſpondentes, dixerunt ad eos : Si iuſtum eſt in con-
*ſpectu Dei, vos potiùs audire, quàm Deum,iudicate : * non* 20
*enim poſſumus quæ vidimus, & audiuimus non loqui. * At* 21
illi comminantes dimiſerunt eos : non inuenientes quomodo pu-
nirent eos propter populum, quia omnes clarificabant id, quod
*factum fuerat in eo quod acciderat. * Annorum enim erat* 22
amplius quadraginta homo, in quo factum fuerat ſignum iſtud
*ſanitatis. * Dimiſſi autem venerunt ad ſuos : & annuncia-* 23
uerunt eis quanta ad eos principes ſacerdotum, & ſeniores di-
*xiſſent. * Qui cùm audiſſent, vnanimiter leuauerunt vo-* 24
cem ad Deum,& dixerunt : Domine,tu es qui feciſti cœlum, &
*terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt : * qui Spiritu ſancto* 25
per os patris noſtri David,pueri tui, dixiſti : Quare fremuerunt
*Gentes, & populi meditati ſunt inania ? * Aſtiterunt reges* 26
terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum,
*& aduerſus Chriſtum eius ? * conuenerunt enim verè in ciui-* 27
tate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti,
Herodes, & Pontius Pilatus cum Gentibus, & populis Iſraël,
** facere quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri.* 28
** Et nunc Domine reſpice in minas eorum, & da ſeruis tuis* 29
*cum omni fiducia loqui verbum tuum, * in eo quòd manum* 30
tuam extẽdas ad ſanitates,& ſigna,& prodigia fieri per nomen
*ſancti filij tui Ieſu. * Et cùm oraſſent, motus eſt locus, in quo* 31

Digitized by Google

erant congregati : & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto , & lo-
32 *quebantur verbum Dei cum fiducia. * Multitudinis autem*
credentium erat cor vnum , & anima vna : nec quiſquam eo-
rum , quæ poſſidebat , aliquid ſuum eſſe dicebat , ſed erant illis
33 *omnia communia. * Et virtute magna reddebant Apoſtoli*
teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini noſtri : & gratia
34 *magna erat in omnibus illis. * Neque enim quiſquam egens*
erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorū, aut domorum
erant , vendentes afferebant pretia eorum , quæ vendebant,
35 ** & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Diuidebatur autem*
36 *ſingulis prout cuique opus erat. * Ioſeph autem , qui cognomi-*
natus eſt Barnabas ab Apoſtolis (quod eſt interpretatum filius
37 *conſolationis) Leuites , Cyprius genere : * cùm haberet agrum,*
vendidit eum , & attulit pretium , & poſuit ante pedes Apo-
ſtolorum.

IN CAPVT QVARTVM
ACTVVM APOSTOLORVM.

Verſ. 1. L*oquentibus* ***autem illis ad populum, venerunt Sacerdotes, & Magiſtratus templi, & Sadducæi,*** &c.] Hi omnes cùm Iudæorum concurſum tantum animaduerterent, quem & Apoſtolorum in dicendo ſpiritus, & ardor, & ſanati claudi miraculum aſciuerant, grauiter offenſi, & manus iniiciunt, & Apoſtolos in cuſtodiam trahunt. Qui verò ſint iſti Sadducæi, non eſt difficile cognoſcere ex Ioſepho lib. 18. Ant. cap. 2. vbi tradit in ea hæreſi fuiſſe Sadducæos, vt crederent animas ſimul cum corporibus extingui. Ex quo facilè coniici poteſt quàm futuri fuerint in omnem turpitudinem proiecti. Fetinis certè moribus inter ſe diſſidere, & in externos inhumanos, atque illiberales fuiſſe ſcribit idem de bello libr. 2. cap. 7. Quòd verò iidem putauerint neque eſſe Reſurrectionem mortuorum, neq; Angelum, neque Spiritum, habemus in Actis infrà cap. 23. Quare mirum non eſt, quòd tam Apoſtolis infenſi fuerint, qui de Chriſti, aliorúmque Reſurrectione tam ſint locuti liberè.

1. Quid Sadducæi.

De magiſtratu templi minùs certum eſt. Græcè ϛρατηγὸς, quæ vox 2.

aliquid

Quis templi magiſtratus. aliquid ſonat militare, licèt ciuilem, & vrbanum magiſtratum interdum ſignificet, vt ex Athenæo cōſtat lib. 5. cap. 14. & ex l. 6. §. 16. & l. 5. §. 9. ff. *de excuſatione tutorum*. Sicut etiam vox *Prætoris*, quæ olim ſignificabatur, qui militibus præerat, nunc vrbani magiſtratus nomen etiam eſt. Sed omnes pene conueniunt vocem eſſe militarem, ſignificaréq; Præfectum aliquem, qui ad templi cuſtodiam militibus præeſt. Ita Chryſoſtomus hîc, & Euthymius in caput 22. Lucæ, & omnes pene recentiores. Sed eſt difficile ſtatuere an præſidium hoc militare pro templi cuſtodia ex Hebræa gente fuerit, vel ex Romana. Montanus ex Hebræa putat, licèt nihil in tali magiſtratu agnoſcat miliare. Item Salmeron, qui hîc præfecturam militarem agnoſcit; & Sigonius lib. 7. de Republica Hebræorum cap. 13. Quæ ſententia ex eo videtur poſſe ſuaderi, quia licèt Iudęi Romanorum Imperio ſubeſſent; eſt tamen veriſimile, obtinuiſſe à Romanis, vt ex Leuitico genere cohortem haberent, ne tanti templi ſanctitas impiorum pateret iniurię. Quod eo tempore maximè neceſſarium videbatur, cùm externorum hominum, & imperio inſolentium plena eſſet Solymitana ciuitas. Quod indicare videtur Titus Imperator apud Ioſephum lib. 7. de bello cap. 5. vbi grauiter ſuccenſens Iudæis, qui templum profuſo ſanguine violarant. *Nónne*, inquit, *literis Græcis, ac noſtris inciſas tabulas conſtituiſtis, quibus ne ſepta cuiquam tranſgredi liceret, edicitur? nónne eos, qui tranſiſſent, quamuis Romanus quis eſſet, vobis necare permiſimus?* vbi & poteſtas, & ferrum pro templi tutela Iudæis videntur eſſe permiſſa.

3. Nihilominùs nunquam adduci potui, vt exiſtimatem tam qui hoc loco, quàm qui in Euangeliis *magiſtratus templi* dicuntur, fuiſſe ex Hebræorum populo; licèt ab Hebræis nomen illud, & munus acceptum fuerit. Quod ſumo ex Ioſepho lib. 15. Ant. cap. 14. vbi docet à Machabæis extructam eſſe turrim adiunctam templo, ad templi vtique cuſtodiam, quam poſtea Herodes munitiorem reddidit, ad eūdem vſum, & ob memoriam Antonij Antoniā vocauit; vbi ſeruabatur Pontificis ſtola. Quæ ea erat magnificentia, atque amplitudine, vt ciuitas videretur, vt idem docet Ioſephus lib. 6. de bello cap. 6. & quæ infrà cap. 21. caſtra dicuntur, vbi Romanorum erat militare præſidium. Neque veriſimile eſt, Romanos homines prudentiſſimos permiſſuros fuiſſe, vt in munitiſſimo totius ciuitatis loco, & iuxta templum, quod munitiſſimæ arcis inſtar erat, præſidium eſſet Iudæorum. Sicut ergo Machabęorum tempore, ad Imperium vſque Romanorum Iudæi ad templi cuſtodiam turrim antea vocatam *Barin*, tenuerunt, ſic Romani poſtea eandem, ſed mutato nomine, vocatam *Antoniam* occuparunt. Et ſicut 4. Magiſtratus erat Romanus illi milites templi, ſeu mauis templarij, &c. qui illis præerat, magiſtratus templi, ſeu dux appellabatur: ſic Romani, quia in eundem locum, & curam ſuffecti, milites quoque, & magiſtratus templi vocati ſunt. His ergo Romanis militibus, & eorum Præfecto, qui hoc loco magiſtratus dicitur, tradita eſt templi cuſtodia, in Iudæorum, vt reor gratiam, ne quid externi contra loci ſanctitatem auderent; mandatúmque ne quid turbarum fieri in templo pateretur. Cúmque hi vicini eſſent Sacerdotibus, atque miniſtris templi; erat inter eos aliqua familiaritas; quare

erant congregati: & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & lo-
32 *quebantur verbum Dei cum fiducia.* * *Multitudinis autem*
credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quiſquam eo-
rum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis
33 *omnia communia.* * *Et virtute magna reddebant Apoſtoli*
teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini noſtri: & gratia
34 *magna erat in omnibus illis.* * *Neque enim quiſquam egens*
erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorũ, aut domorum
erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant,
35 * *& ponebant ante pedes Apoſtolorum. Diuidebatur autem*
36 *ſingulis prout cuique opus erat.* * *Ioſeph autem, qui cognomi-*
natus eſt Barnabas ab Apoſtolis (quod eſt interpretatum filius
37 *conſolationis) Leuites, Cyprius genere:* * *cùm haberet agrum,*
vendidit eum, & attulit pretium, & poſuit ante pedes Apo-
ſtolorum.

IN CAPVT QVARTVM
ACTVVM APOSTOLORVM.

Verſ.1. L*Oquentibus autem illis ad populum, venerunt Sacerdotes, & Magiſtratus templi, & Sadducæi,*
1. &c.] Hi omnes cùm Iudæorum concurſum tantum animaduerterent, quem & Apoſtolorum in dicendo ſpiritus, & ardor, & ſanati claudi miraculum aſciuerant, grauiter offenſi, & manus iniiciunt, & Apoſtolos in cuſtodiam trahunt.

Quid Sadducæi.

Qui verò ſint iſti Sadducæi, non eſt difficile cognoſcere ex Ioſepho lib. 18. Ant. cap. 2. vbi tradit in ea hæreſi fuiſſe Sadducæos, vt crederent animas ſimul cum corporibus extingui. Ex quo facilè coniici poteſt quàm futuri fuerint in omnem turpitudinem proiecti. Ferinis certè moribus inter ſe diſſidere, & in externos inhumanos, atque illiberales fuiſſe ſcribit idem de bello libr. 2. cap. 7. Quòd verò iidem putauerint neque eſſe Reſurrectionem mortuorum, neq; Angelum, neque Spiritum, habemus in Actis infrà cap. 23. Quare mirum non eſt, quòd tam Apoſtolis infenſi fuerint, qui de Chriſti, aliorúmque Reſurrectione tam ſint locuti liberè.

De magiſtratu templi minùs certum eſt. Græcè στρατηγὸς, quæ vox 2.

Quis templi magiſtratus. aliquid ſonat militare, licèt ciuilem, & vrbanum magiſtratum interdum ſignificet, vt ex Athenæo cõſtat lib. 5. cap. 14. & ex l. 6. §. 16. & l. 5. §. 9. ff. *de excuſatione tutorum*. Sicut etiam vox *Prætoris*, qua olim ſignificabatur, qui militibus præerat, nunc vrbani magiſtratus nomen etiam eſt. Sed omnes pene conueniunt vocem eſſe militarem, ſignificaréq; Præfectum aliquem, qui ad templi cuſtodiam militibus præeſt. Ita Chryſoſtomus hîc, & Euthymius in caput 22. Lucæ, & omnes pene recentiores. Sed eſt difficile ſtatuere an præſidium hoc militare pro templi cuſtodia ex Hebræa gente fuerit, vel ex Romana. Montanus ex Hebræa putat, licèt nihil in tali magiſtratu agnoſcat militare. Item Salmeron, qui hîc præfecturam militarem agnoſcit; & Sigonius lib. 7. de Republica Hebræorum cap. 13. Quæ ſententia ex eo videtur poſſe ſuaderi, quia licèt Iudęi Romanorum Imperio ſubeſſent; eſt tamen veriſimile, obtinuiſſe à Romanis, vt ex Leuitico genere cohortem haberent, ne tanti templi ſanctitas impiorum pateret iniurię. Quod eo tempore maximè neceſſarium videbatur, cùm externorum hominum, & imperio inſolentium plena eſſet Solymitana ciuitas. Quod indicare videtur Titus Imperator apud Ioſephum lib. 7. de bello cap. 5. vbi grauiter ſuccenſens Iudæis, qui templum profuſo ſanguine violarant. *Nónne*, inquit, *literis Græcis, ac noſtris inciſas tabulas conſtituiſtis, quibus ne ſepta cuiquam tranſgredi liceret, edicitur? nónne eos, qui tranſiiſſent, quamuis Romanus quis eſſet, vobis necare permiſimus?* vbi & poteſtas, & ferrum pro templi tutela Iudæis videntur eſſe permiſſa.

3. Nihilominùs nunquam adduci potui, vt exiſtimarem tam qui hoc loco, quàm qui in Euangeliis *magiſtratus templi* dicuntur, fuiſſe ex Hebræorum populo; licèt ab Hebræis nomen illud, & munus acceptum fuerit. Quod ſumo ex Ioſepho lib. 15. Ant. cap. 14. vbi docet à Machabæis extructam eſſe turrim adiunctam templo, ad templi vtique cuſtodiam, quam poſtea Herodes munitiorem reddidit, ad eũdem vſum, & ob memoriam Antonij Antoniã vocauit; vbi ſeruabatur Pontificis ſtola. Quæ ea erat magnificentia, atque amplitudine, vt ciuitas videretur, vt idem docet Ioſephus lib. 6. de bello cap. 6. & quæ infrà cap. 21. caſtra dicuntur, vbi Romanorum erat militare præſidium. Neque veriſimile eſt, Romanos homines prudentiſſimos permiſſuros fuiſſe, vt in munitiſſimo totius ciuitatis loco, & iuxta templum, quod munitiſſimæ arcis inſtar erat, præſidium eſſet Iudæorum. Sicut ergo Machabęorum tempore, ad Imperium vſque Romanorum Iudæi ad templi cuſtodiam turrim antea vocatam *Barin*, tenuerunt, ſic Romani poſtea eandem, ſed mutato nomine, vocatam *Antoniam* occuparunt. Et ſicut 4. *Magiſtratus erat Romanus.* illi milites templi, ſeu mauis templarij, &c. qui illis præerat, magiſtratus templi, ſeu dux appellabatur: ſic Romani, quia in eundem locum, & curam ſuffecti, milites quoque, & magiſtratus templi vocati ſunt. His ergo Romanis militibus, & eorum Præfecto, qui hoc loco magiſtratus dicitur, tradita eſt templi cuſtodia, in Iudæorum, vt reor gratiam, ne quid externi contra loci ſanctitatem auderent; mandatúmque ne quid turbarum fieri in templo paterentur. Cúmque hi vicini eſſent Sacerdotibus, atque miniſtris templi; erat inter eos aliqua familiaritas; quare

Digitized by Google

quare ipſi quoque, ſi quid incideret dubij, aut ſeditioſi, cum Pontificibus ſimul deliberabant: & ſi quādo caſus incideret, qui vim poſceret, aut armatam manum, ad hos tanquam ad brachium ſæculare ſubſidij gratiâ confugiebatur. Quare cùm hîc, & cap. 21. & antea in Chriſti cauſa ſeditionis crimen proponebatur, conueniſſe dicuntur cum Sacerdotibus magiſtratus Lucæ 22. Græcè *ςρατηγοὶ*, id eſt, *duces*. Hæc mihi valdè probabilia ſunt, quia c. 21. vbi captus eſt in templo Paulus ſeditioſè, & tantùm non occiſus, non dicuntur adfuiſſe ad illos motus Præfecti aliqui militum ex gente Hebræa; accurriſſent autem, ſi in tēplo fuiſſent; ſed aduolauit ſtatim Tribunus Romanus cum cohorte; qui propè aderat, & Paulum duxit in caſtra, nimirum in arcem adiunctam templo, quam *Barin* antea à Machabæis; poſt verò ab Herode *Antoniam* appellari diximus. Quocirca Tribunus iſte videtur fuiſſe Præfectus templi cuſtodiæ, qui hîc magiſtratus dicitur. Accedit quòd non apparet quæ aliæ gentes cum Herode, & Pilato, & populis Iſraël conuenerint, vt de infligenda Chriſto morte deliberarent; conueniſſe autem Gentes conſtat ex hoc capite ad finem; vbi agi non de illata morte, ſed de inferendæ conſilio ſatis fit veriſimile: quia ibi explicatur Pſalm. 2. vbi de hoc conſilio videtur inſtitutus ſermo.

5. Cohors data Sacerdotibus erat ex Romanis. Accedit quòd illa cohors, quam accepit Iudas, vt Chriſtum comprehenderet, Romanorum fuit, vt dicit Auguſtinus tractatu 112. in Ioannem, & è recentioribus multi. Toletus, & Emanuel Sà in illud Ioann. 18. *cùm accepiſſet cohortem*. Ianſenius cap. 137. Conc. Maldonatus in illud Matth. 27. *& cum eo turba multa*. Ea item quæ à Principibus Sacerdotū cuſtodiēdo ſepulchro præpoſita eſt, vt dicit Nicephorus lib. 1. hiſt. c. 32. Et pro eadē ſententia citatur Chryſoſtomus, Auguſtinus, Theophylactus; ſed nihil apud illos inuenio. Sentit tamen ex Iunioribus Maldonatus, & Vatablus in c. 27 Mat. Ianſenius c. 145. Conc. & fauet valdè huic ſententiæ, quia Græcus textus habet vocem Latinam *cuſtodiam*, quam credo accommodatam eſſe militibus Romanis, non Iudæis: eſt enim vſitatum, vt peregrinos homines, & quę peregrinorum hominum propria ſunt, ſuarum nationum nominibus appellemus. Hanc ergo cuſtodiam dicit Pilatus Mat. 27. habere Principes, & Sacerdotes ex Romana nimirum gente; ad eiuſmodi caſus, qui vim, & arma poſcerent, ad templi, & Sacerdotum vſum deſtinatam. Hāc quia habebat Tribunus in caſtris adiunctis templo; dux tēpli, ſeu magiſtratus vocabatur. Hæc ergo probabili, vt mihi videor, coniectura ſecutus ſum; paratus audire, atque amplecti, ſi quid, quod velim, ab alio certius afferatur.

Regul. Peregrina nomina peregrinorum nomen indicant.

6. Verſ. 4. *Factus eſt numerus eorum quaſi quinque millia.*] Iam in Eccleſia octo hominum millia numerantur. Nam hic numerus quinque millium à tribus hominum millibus diuerſus eſt, qui prima Petri concione cōuerſi ſunt; vt textus ipſe oſtēdit, qui ſic habet. *Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt*; & ita docet Hieronymus in illud Iſai. 1. *niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen*. & cap. 11. in illud, *adiiciet Dominus ſecundò manum*. Tenet Caietanus, Salmeron, Lyranus, qui dicit quoſdam aliter ſentire. Sentit certè aliter Caluinus Eccleſiæ in ætate etiam prima importunus hoſtis, qui hunc numerum de tota Eccleſia

Ioan. 18.

potiùs

Digitized by Google

potiùs, quàm de noua fidelium acceſſione intelligit; ſed ipſum textus ipſe non dubij erroris, & mendacij coarguit. Et ſanè mirandum eſt tantam animorum factã eſſe mutationem, quo tempore Apoſtoli à Principibus Sacerdotum, templíq; magiſtratu coniiciebantur in vincula. Sed eſt profectò magni momenti Concionatorum verba animata eſſe cœleſti Spiritu; noſſe quantùm impendeat periculi, ſi contemnantur, violentúrque diuina præcepta, & quàm ſit Dominus ad ignoſcendum facilis.

Verſ. 5. *Factum eſt autem in craſtinũ, vt congregarentur Principes eorum, & Seniores, & Scribæ.*
7. *Conciliũ Seniorũ.*] Qui non multo antè in magiſtri cædem callidè, ac malitioſè conuenerant, illi iidem nunc contra Diſcipulos neque minori ſtudio, neque animo meliori conueniũt. Seniores apud Hebræos ſunt, qui Senatores, aut Patres dicuntur à Romanis, qui de communi re legitimo, ordinarióque conſenſu deliberãt. Scribæ ſunt legis Doctores, quorum munus eſt Scripturam interpretari. Cum his adfuerunt quoque Sacerdotes, neque exiguo numero, cùm congregati dicuntur quotquot erãt è genere Sacerdotali: ſed præcipuè connumerantur Annas, & Caiphas, quia inter illos primi; alter, quia tũc obibat, alter, quia iam obierat ſummũ Sacerdotium: ſiue quia Concilio illi, aut Collegio præerat quod Seniorum dicitur. Quocirca ad illum tanquã ad Concilij Principem Chriſtus priùs delatus eſt; & nunc eãdem ob cauſam priori loco nominatur. Ita putat Baronius t. to. Annal. anno 31. vbi pluribus agit de hoc Cõcilio, quod originẽ videtur duxiſſe à 70. Senioribus, quos ad iudicandi negotium Moyſes ſibi ſocios adiunxit. Num. c. 11. De Anna, & Caipha alia ab aliis narrantur. Auguſt. tract. 49. in Ioan. alternis annis illos obiiſſe Pontificatum putat, quem ſibi à Romanis pecunia quæſierant. Quod indicat Ioan. c. 11. dum dicit; *Cùm eſſet Pontifex anni illius.* Quod, an extremis annis tantùm acciderit, dubium eſt. *Alternũ Sacerdotium Annæ, & Caiphæ.* Certè Ioſephus lib. 18. Ant. c. 4 narrat à Valerio Grato obtinuiſſe Pontificatum anno Tiberij 3. Ex quo fit, illum ſupra quindecim annos in eo fuiſſe magiſtratu.

Verſ. 9. *In benefacto hominis infirmi.*] Hebraiſmus eſt; nam præpoſitio *in* aliquando ſignificat *propter*, quo sẽſu dixit Paulus Epheſ. 4. *Deus in Chriſto donauit vobis*, id eſt, propter Chriſtum. & ſæpe: *ego vinctus in Domino*, id eſt, propter Dominum. Et 1. ad Timot. 4. *in hoc laboramus, & benedicimur*, id eſt, propter hoc. Sic etiã hoc loco, *in benefacto hominis infirmi*, id eſt, propter beneficium, quo infirmus ſanatus eſt. 8. *In idem quod propter.*

Verſ. 11. *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.*] Reperit Petrus Dauidis 9.
teſtimoniũ, quo Chriſtus vſus fuerat Mat. 21. contra eoſdem, quos nũc & ſceleris coarguit, & ad ſalutẽ ab illo quærendam, quem antea reprobauerant, hortatur; vt intelligant quàm verè à Chriſto dictum ſit caput anguli ſe futurum, id eſt, digniſſimo loco ſtatuendũm lapidem, quẽ ipſi contemptui priùs habuiſſent, cùm exaltari videant à Patre ſignis, atque prodigiis, tot vocibus, ac linguis prædicari, à tot hominum millibus tanto ſtudio quærri, quem tanquam communi ſpiritu indignum crudeliſſima morte tollẽdum curarunt. Porrò eodem ſenſu dicitur *lapis factus in caput anguli*, &, *lapis ſummus angularis*, vt vocatur à Paulo Epheſ. 2. Sed videri poſſet alicui nobiliori aliquo loco ſtatui poſſe lapidem illum, quàm in ſummo angulo;

Digitized by Google

eſſet enim illuſtrius in ipſa operis
teſtitudine, aut ſumma apſide, aut
Tecta in Palæſtina non faſtigiata: ſed plana.
fornicis vmbilico. Sanè ſi domus
eſſet teſtudinato, aut fornicato ope-
re: ſed cùm apud Palæſtinos, vt tra-
dit Hieronymus epiſt. 135. ad Sun-
niam, & Fretellam, domus non faſti-
giatis tectis, atque acuminatis tegã-
tur; ſed planis, quæ dicũtur domata,
Hiſpanè *terrados*, nulla eſt nobilior
ſedes ea, quæ duo latera in ſummo
coniungit. Chriſtus verò in Eccleſię
ædificio lapis dicitur, & primus,
quia fundamentum eſt, ſupra quod
tota conſurgit Eccleſiæ moles, &
ſummus, quia totum opus complet,
& illuſtrat. Qua ratione Deus dici-
tur Apoc. 1. *α*, & *ω*, quia ab illo duci-
tur, & ad eundem refertur tota con-
ſtructio. Neque nomẽ *capitis* alienũ
eſt ab eo lapide, qui in imo loco, id
eſt, fundamento locari ſolet; nam
hoc vocantur nomine rerum princi-
pia, vt, caput fontium, ac fluminum,
caput menſæ, caput malorum, vnde
natus dicendi modus, *à capite acer-
ſere*, id eſt, à principio.

10\. Exiſtimo autem Prouerbiali figu-
Lapis in caput anguli. Prouerbium.
ra dici apud Hebræos, reprobatum
lapidem fieri in caput anguli; cùm
id, quod futile exiſtimatur, & nul-
lius vſus, eximium eſſe deprehendi-
tur, & in egregiũ locum, aut munus
Pſ. 117.
aſſumitur. Vnde verò ortũ ſit Pro-
uerbium, ſi modò Prouerbium, in-
certum eſt. Quidam exiſtimant cùm
ad Salomonis templi fabricam ſecti-
iam, & politi lapides ex lapidicinis
comportarentur, quia ſuis quique
conſignati notis ſuam quoque ſe-
dem, & ordinem deſignabant, con-
tigiſſe vt angularis lapis, qui futurus
erat in ædificãdo poſtremus, occur-
reret ſæpe, reprobaretúrque ab ædi-
ficantibus, quia nondum apparebat
locus, quem vel impreſſa nota, vel
ipſa lapidis figura poſcebat; donec
tandẽ relictus ſolus vendicauit ſibi
locum ſummum, qui ab illo tantùm
lapide impleri poterat. Acutè ſanè
iſta, & origo Prouerbij ſatis ad plau-
ſum, ſi modò vera. At quî poteſt ve-
ritatis ſpeciem habere vllam, cùm
ante cõſtructionem templi, quadra-
tóſq; lapides Salomonis ſumptibus,
à Dauide reprobatus lapis, & in an-
guli caput ſublatus eſſe dicatur? Po-
tiùs crediderim ortum eſſe Prouer-
bium ex eo, quod euenire ſolet non
rarò in ædificando, vt conſumptis
primùm lapidibus in reliquo opere,
deficiẽtibúſq; qui ad dignitatẽ, ſplẽ-
dorémque fabricæ comportati erãt;
adhibiti neceſſariò fuerint ad extre-
mũ operis columen, & caput, qui vel
contempti fuerant, vel in alios vſus
elaborati. Niſi mauis Prouerbiũ ma-
naſſe ob eãdem, ſimilémve cauſam;
ex alio tamẽ ędificio ex his, quæ ma-
gnis ſumptibus, & egregio opere
conſtructa ſunt, vel ab ipſo Dauid,
in arce Sion, vel ab aliis Regibus ex-
ternis, quorum inſanæ moles com-
memorãtur in Scriptura. Eſt autem
veriſimile, ſicut in extruẽdo templo
Salomonis, quadrati, & ſecti lapides,
ſuiſ ſ; ſignati notis è lapidicinis ad-
uecti ſunt; ſic etiam ad alias fabricas
cõportari ſolitos; vt detrito è ſaxis
eo, quod fabricæ vſui futurum non
erat, facilior eſſet lapidum vectura;
& in extremum ſæpius incurri, con-
temníque, vt minùs idoneum præ-
ſenti operi.

Huius verò Pſalmi ſentẽtia, etiãſi 11.
varia poſſit eſſe, hîc tamẽ ſummum
in ædificio locum oſtendit, quia re-
probationi opponitur; neque quili-
bet angularis lapis eſt, ſed qui inter
angulares honeſtiori loco ponitur, ad Epheſ. 2.
quod explicuit Paulus ad Epheſ. 2.
*ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ie-
ſu*. Dicitur autem angularis, quia ſi-
cut hic duos parietes & firmat, &
iungit; ſic etiam Chriſtus populos
duos, Iudaicum, & Gentilicũ in vnũ
quaſi

Digitized by Google

quaſi corpus coagmentat, & conſtruit. Et qui credentibus ornaméto, atque firmitati eſt, idem non credentibus offenſioni eſt, & exitio, vt qui contra tot officia pertinaciter pugnant, & in tanta luce voluntarij cæcutiunt. Quod dixit Chriſtus Mat. 21. & Petrus epiſt. 1. cap. 2.

Verſ. 19. *Si iuſtum eſt in conſpectu Dei, vos potiùs audire, quàm Deum, iudica-*
12. *te.*] Digna ſanè Apoſtolica pietate conſideratio; quæ ſemper, & vbique præſentem Deum intuetur. Erant Apoſtoli in conſpectu Principum; ſed erant etiam in conſpectu Dei: indicunt ſilentium Principes, Deus contrà iubet vt loquantur; interrogant quid in eo cõtrariarum rerum cóflictu fieri debeat, & quia opportunum ab eo concilio reſpóſum expectari non poterat, ipſi, & ſibi, & pro nobis, cùm ſimilis inciderit occaſio, reſpondent: *Non poſſumus, quæ audiuimus, & vidimus non loqui*; quia præſens ſpectat, qui nos ſilere hîc prohibet.

Verſ. 25. *Quare fremuerunt Gen-*
13. *tes.*] Hinc ſe iam prodit quo ardore inflãmati fideles omnes ſuæ ſalutis immemores, & de vna Chriſti gloria ſolliciti, pro ſe nihil, pro Chriſti nomine amplificando multis orent. Vbi enim ex Pſal. 2. conſpirationem à Principibus, & Gentibus in Chriſti mortem initã oſtendiſſent, orant vt ſimilis conſpiratio ad extinguendum Chriſti nomen inanis excidat, adſitque diuina virtus, vt fidelium animi nullo metu fracti audacter in diuini verbi prædicationem incumbant; & per Ieſu nomen, vt cœpit, prodigia fieri, & ſigna concedat.

Verſ. 30. *In eo quòd manum tuam ex-*
14. *tendas ad ſanitatem*, &c.] Græciſmus hic eſt, quem aliquando retinet noſter Interpres. Poſſet magis ad Latinum idioma ſic reddi: *extendendo manum tuam ad ſanitatem, ſigna, atque prodigia facienda.*

Verſ. 31. *Et cùm oraſſent, motus eſt*
locus, &c.] Meruit ſanè tam pia fide- 15.
lium oratio exaudiri, certóq; ſigno probari exoratum eſſe Deum. Obſeruauit hîc Chryſoſtomus cõmoueri terram interdum iræ, interdum viſitationis, & prouidentiæ ſignum eſſe. Sed terræ motus, atque concuſſio, Dei quoque virtutẽ, atque potẽtiam docent: nam cùm Dei potẽtia laudatur Iud. 5. & Pſ. 67. & 113. terra commota dicitur: neque enim concuſſum eſſe montem Sinai, cùm lex daretur Moyſi, ſignum erat iræ, ſed potentiæ. Quod etiam ſignificarunt petræ ſciſſæ, & terra cõcuſſa in Seruatoris morte, illum nimirũ eſſe potentiſſimũ, qui tam videbatur infirmus mori. Solet verò Deus ſignum oſtendere voluntatis ſuæ rebus, ſiue quæ fiunt, ſiue quæ poſtulantur, accõmodatum. Vt cùm ſacrificia abſumuntur igne, igne de cœlo miſſo acceptũ Deo ſacrificium oſtenditur: ſicut de ſacrificio Abel ſẽſit Hieron. lib. de tradit. Heb. in Geneſi. Et probat ſacrificium Aarõ Leuit. 9. & Gedeonis Iud. 6. quia fumus, & vapor ſurſum ſublati à Domino videntur aſſumi, & Deus dicitur odorari illa, vt dicitur de ſacrificio Noë. Cùm ergo virtutem ad loquendum cum fiducia fideles à Deo cõcedi ſibi peterent, annuiſſe ſe illorum poſtulatis declarat Deus terræ concuſſu, qui Diuinæ virtutis ſignum eſt. Quo declarat Deus non poſſe per tenues Principũ vires Spiritui ſancto, quo tunc iterum repleti ſunt Diſcipuli, & fideles alij, aduerſari, quo terræ firmitas tam facilè, & tanto motu concuſſa eſt. Exoraſſe verò Diſcipulos quod orarent, oſtendit Lucas: *nam virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium Reſurrectionis, & faciebant ſigna, & prodigia multa in plebe.*

Signis Deus voluntatem ſuam oſtendit.

Verſ. 32. *Multitudinis autem credentium erat cor vnum.*] Hinc iam
16. Vnio animorum. appatent certæ, legitimæque notæ illapſi in Eccleſiam illam Spiritus ſancti: nam ſtatim ab vno ſpiritu omnes conſpirant. Cor vnum eſt, & anima vna, quia vnus agit, & moderatur Spiritus. Et ſicut in Phyſicis vna anima mẽbris omnibus ineſt, pro omnibus laborat, & qua ratione patitur natura rerum, nihil ſinit eſſe non commune. Quòd ſi alimentum foris adueniat, dummodò in comedentis ſubſtantiam mutari cõtingat, quia iam à ſe receſſit, & in aliud corpus, naturámque coaluit, fouet illud anima non ſecus atque illa, quæ informabat, atque fouebat priùs: ſic diuinus Spiritus eos, qui & genere, & conditione diuerſi ſunt, in vnum quaſi corpus ita coniungit, reddítque in tanta diſſimilitudine non tãtùm ſimiles, ſed pene aliquid omnino idem, vt nihil eſſe ſinat alicui proprium, ſed omnia cõmunia; atque ea non eorum, qui renunciauerunt, ſed Apoſtolorum voluntate diſpenſanda.

Verſ. 33. *Et gratia magna erat in*
17. *omnibus illis.*] Græcè; χάρις μεγάλη ἦν ἐπὶ πάντας αὐτούς; quæ ſic ad verbum reddita, *magna gratia erat ad omnes ipſos.* Quorum ſenſus eſt dubius. Si ad Apoſtolos referas, quorum proximè mentio; ſic interpretaberis. Omnes Apoſtoli apud omnes erant gratiſſimi, qui ea diligentia, ac fide communia bona diuidebant, vt nemo inter illos indigeret; & ideo libenter diuendita bona ad illorum pedes abiiciebantur. Quæ ſententia difficilis non eſt, & eſt valdè ad textum Gręcum accõmodata.

18. Si tamen ad totam Eccleſiam fidelium referas, vt planè videtur eſſe referendum, duplex poteſt eſſe ſenſus; vtrum tamen illorum magis probem, non adhuc mihi conſtitutum eſt. Alter eſt, magnam eſſe gratiam ad totam Eccleſiam, id eſt, Eccleſiam omnibus eſſe gratam; quæ viuẽdi rationem complexa eſſet ita humanam, & piam, vt in tanta multitudine indigeret nemo. Eodem planè ſenſu, quo ſuprà c. 2. ad finem, propter honorũ omnium communitatem, de qua hîc etiam agitur, omnes fideles dicũtur habuiſſe gratiam apud omnem plebem. Accedit quòd orationis filum ſatis oſtendit eos, de quibus ſtatim dicitur, *inter illos*, eoſdem eſſe cum iis, de quibus hîc, *in omnibus illis.* At, qui ſecundo loco ponantur, ſine dubio non ſunt Apoſtoli tantùm, ſed fideles omnes.

Alter ſenſus eſt, magnam gratiam, id eſt, valdè gratum, & iucundum eſſe omnibus fidelibus eſſe in eo Sanctorum cœtu, bonis renunciare, & in commune conferre, cùm ea fide, atque prudentia diſtribuerentur omnia. Tres iſtæ explicationes videntur probabiles, ſed placet ſecunda magis.

Verſ. 35. *Et ponebant ante pedes*
Apoſtolorum.] Chryſoſt. hinc colligit quanta obſeruantia cœtus ille fidelium Apoſtolos coleret, quando non ad illorum manus bonorum afferunt pretia, ſed ad pedes. Abiectis autem ea ratione bonis ſignificabant quàm parui hæc facerent; quæ digna ſunt non ſanè quæ tangãtur manu, ſed quæ calcentur pedibus; & quàm non grauatè abiicerẽt, quæ iam apud ipſos in nullo erant pretio. Eodẽ modo Paulus, vt Chriſtum lucrifaceret, quæ ab hominibus putantur lucra, ipſe arbitratus eſt ſtercora, quæ non tam continentur in ſinu, quàm ſubiiciuntur pedibus, & ad quæ ingenuus ſtomachus nauſeare ſolet. 19. Bona cõmunia.

Verſ. 36. *Ioſeph autem, qui cognominatus eſt Barnabas ab Apoſtolis.*] Non 20.
eſt hic Ioſephus ille de quo ſuprà in electio

electione Matthiæ; nā ille Barſabas dicebatur. *Barſane* autē nomen impoſitū eſt à Apoſtolis, quod ſignificat filium cōſolationis; quia vēdito agro, quē habebat in Cypro, opportuno ſubſidio conſolatus eſt fideliū inopiā. An verò hic ex numero fuerit Diſcipulorū, non cōſtat Quidam negant, quia agrum habebat, quem antea deferre potuiſſet. Sed hæc ratio non multùm vrget: neque enim cùm Chriſtus dixit, omnia eſſe relinquenda, alioqui deſerendū Diſcipulorū nomē, præcepit, vt reipſa fieret, ſed concepto voto omnia, cùm commodè poſſent, renunciandi, ſuo id tempore præſtarent. Nā Apoſtoli ſua ſibi retia, & ſcaphas retinuerūt, & alter Ioſeph ab Arimathia diues erat, & agrū habebat in quo ſepultus Chriſtus: at erat Chriſti Diſcipulus. Mat. 27. Cæterùm hunc Ioſephum Diſcipulum fuiſſe Chriſti è 72. tenet Epiph. hæreſi 1. Euſeb. lib. 3. hiſt. c. 33. Dorotheus in ſynopſi.

21. *Leuitis poſſeſſio extra terram promiſſionis.*

Sed quæres, quomodo cùm Ioſeph iſte Leuites fuerit, cui Deut. 8. & 10. edicitur ne poſſeſſionē vllā habeat, agrū habuerit? Reſpōdeo primùm, id ſeruari potuiſſe integra Hebræorum Republica. Cùm verò iā tam ipſi Leuitæ, quàm pleræque è tribubus variè eſſent diſperſæ, neque illarum liberalitate ſuſtentari poſſent, nil mirum ſi de victu ſibi aliter, atque antè prouiderint. Et ideo fortaſſe Deus Ieremiæ, qui ex Leuitis erat, iuſſit vt agrum emeret in Anoth, quando impendebat Hieroſolymorū clades Ierem. c. 32. Vide quæ diximus ad illud Zachar. 11. *decorū pretiū.* Maximè quia in terra promiſſionis lex illa nullā Leuitis ſeparatim ab aliis ſortē deſignabat, extra illam verò nulla cauebatur lege, quominùs Leuita poſſet agros ſibi parare. Quomodo autem Leuitæ extra Iſraëlitarum cœtum, & conuentus ex eorum decimis, & oblationibus viuerent? Barnabam autem agrum illum, cuius pretium ad Apoſtolorum pedes proiecit, in Cypro habuiſſe veriſimile eſt.

22. *Bonorum renunciatio in principio potiùs laudata, quā præcepta.*

Ad extremum obſeruandum eſt, non omnibus qui Chriſtianæ Religioni nomen darent in illo naſcentis Eccleſiæ ſtatu, propoſitum eſſe, vt bona relinquerent, aut certè cum aliis haberent communia, licèt plurimi Spiritus ſancti afflatu initio præſtiterint: imò & fortaſſe omnes. Eſſet enim hoc onus longè durius, quàm vt ferre poſſet natura mortalium, quæ ſpoliari omnino non vult, neque ſe facilè aliorum liberalitati, & prouidentiæ credit. Quod cùm aliis plerumque accideret incōmodè, tum hominibus copioſis impedimentum obtenderet ſanè quàm difficile. Neque minùs ab Apoſtolorū doctrina, ac ſocietate deterrerentur, quàm adoleſcens ille, qui receſſit à Chriſto, eo quòd poſſeſſiones haberet plurimas. Sed docet hoc apertè Paulus, qui 2. Cor. 8. quoſdam monet, ne tam ſint in largiendo profuſi, ne dum aliorum neceſſitati ſubueniunt, aliis ſit abundantia, ipſis verò tribulatio. Quod non obſcurè indicat Petrus cap. 5. dum liberum fuiſſe dicit Ananiæ venditum agrum in ſua retinere poteſtate.

23. *Bona in Alexandria communia.*

Porrò hoc inſtitutū fuiſſe quoq; ſeruatum in Alexandrina Eccleſia à Marco inſtituta, docet Hieronymus ex ſententia Philonis Iudæi libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, priùs in Marco, poſtea in Philone. Vbi tradit quā Alexandrini fideles ſanctè vixerint, quantam habuerint non ſolùm animorum, ſed bonorum etiam communionem.

COMMENTARII IN ACTVS APOSTOLORVM.

CAPVT QVINTVM.

1 *VIr autem quidam nomine Ananias,cũ Sap-*
2 *phira vxore ſua vendidit agrum, * &*
fraudauit de pretio agri,conſcia vxore ſua:
& afferens partem quãdam,ad pedes Apo-
3 *ſtolorum poſuit. * Dixit autem Petrus:*
Anania,cur tẽtauit Satanas cor tuum,men-
4 *tiri te Spiritui ſancto, & fraudare de pretio agri? * Nón-*
ne manens tibi manebat,& venundatum in tua erat poteſtate?
Quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus homi-
5 *nibus,ſed Deo.* Audiens autem Ananias hæc verba,cecidit &*
expirauit. Et factus eſt timor magnus ſuper omnes,qui audie-
6 *runt. * Surgentes autem iuuenes amouerunt eum, & effe-*
7 *rentes ſepelierunt. * Factum eſt autem quaſi horarum trium*
ſpatium,& vxor ipſius neſciens quod factum fuerat, introiuit.
8 ** Dixit autem ei Petrus: Dic mihi mulier,ſi tanti agrum ven-*
9 *didiſtis? At illa dixit: Etiam tanti. * Petrus autem ad eam:*
Quid vtique conuenit vobis tentare Spiritum Domini? Ecce
pedes eorum, qui ſepelierunt virum tuum ad oſtium, & effe-
10 *rent te. * Confeſtim cecidit ante pedes eius,& expirauit. In-*
trantes autem iuuenes inuenerunt illam mortuam, & extule-
11 *runt,& ſepelierunt ad virum ſuum.* Et factus eſt timor ma-*
12 *gnus in vniuerſa Eccleſia,& in omnes,qui audierunt hæc. * Per*
manus autem Apoſtolorum fiebant ſigna, & prodigia multa
in plebe. Et erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis.
13 ** Cæterorum autem nemo audebat ſe coniungere illis: ſed ma-*

gnifi

gnificabat eos populus. * Magis autem augebatur creden- 14
tium in Domino multitudo virorum , ac mulierum , * ita 15
vt in plateas eiicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grab-
batis , vt , veniente Petro , ſaltem vmbra illius obumbraret
quenquam illorum,& liberarentur ab infirmitatibus ſuis.* Cō- 16
currebat autem & multitudo vicinarum ciuitatum Ieruſalem,
afferentes ægros, & vexatos à ſpiritibus immundis : qui cura-
bantur omnes. * Exurgens autem princeps ſacerdotum ,& 17
omnes,qui cum illo erant (quæ eſt hæreſis Sadducæorum)repleti
ſunt zelo: * & iniecerunt manus in Apoſtolos,& poſuerūt eos 18
in cuſtodia publica. * Angelus autem Domini per noctem ape- 19
riens ianuas carceris,& educens eos,dixit: * Ite,& ſtātes loqui- 20
mini in templo plebi omnia verba vitæ huius. * Qui cùm 21
audiſſent, intrauerunt diluculo in templum, & docebant. Ad-
ueniens autem princeps ſacerdotum,& qui cum eo erant,conuo-
cauerunt concilium,& omnes ſeniores filiorum Iſraël : & miſe-
runt ad carcerem vt adducerentur. * Cùm autem veniſſent 22
miniſtri,& aperto carcere non inueniſſent illos,reuerſi nuncia-
uerunt, * dicentes : Carcerem quidem inuenimus clauſum cum 23
omni diligentia,& cuſtodes ſtantes ante ianuas : aperientes au-
tem neminem intus inuenimus.* Vt autē audierūt hos ſermones 24
magiſtratus templi , & principes ſacerdotum, ambigebant de
illis quidnam fieret. * Adueniens autem quidam nunciauit eis: 25
Quia ecce viri,quos poſuiſtis in carcerem,ſunt in templo ſtantes,
& docentes populum. * Tunc abiit magiſtratus cum miniſtris, 26
& adduxit illos ſine vi:timebant enim populū ne lapidarentur.
* Et cùm adduxiſſent illos,ſtatuerunt in concilio:Et interrogauit 27
eos principes ſacerdotum, * dicens:Præcipiendo præcepimus vo- 28
bis ne doceretis in nomine iſto:& ecce repleſtis Ieruſalem doctri-
na veſtra : & vultis inducere ſuper nos ſanguinē hominis iſtius.
* Reſpondens autem Petrus,& Apoſtoli dixerunt:Obedire opor- 29
tet Deo magis,quàm hominibus. * Deus patrū noſtrorum ſuſci- 30
tauit Ieſum,quē vos interemiſtis,ſuſpendentes in ligno. * Hunc 31
principem,& Saluatorem Deus exaltauit dextera ſua ad dandā

pœni

32 *pœnitentiam Iſraëli, & remiſſionem peccatorum.* * *Et nos*
ſumus teſtes horum verborum, & Spiritus ſanctus, quem dedit
33 *Deus omnibus obedientibus ſibi.* * *Hæc cùm audiſſent, diſſeca-*
bantur, & cogitabant interficere illos. * *Surgens autem*
34 *quidam in concilio Phariſæus, nomine Gamaliel, legis doctor*
honorabilis vniuerſæ plebi, iuſſit foras ad breue homines fieri:
35 * *dixitque ad illos: Viri Iſraëlitæ attendite vobis ſuper*
hominibus iſtis quid acturi ſitis. * *Ante hos enim dies ex-*
36 *titit Theudas, dicens ſe eſſe aliquem, cui conſenſit nu-*
merus virorum circiter quadringentorum qui occiſus eſt:
& omnes, qui credebant ei, diſſipati ſunt, & redacti ad
37 *nihilum.* * *Poſt hunc extitit Iudas Galilæus in diebus pro-*
feſſionis, & auertit populum poſt ſe, & ipſe periit: & om-
38 *nes, quotquot conſenſerunt ei, diſperſi ſunt.* * *Et nunc*
itaque dico vobis, diſcedite ab hominibus iſtis, & ſinite il-
los: quoniam ſi eſt ex hominibus conſilium hoc, aut opus,
39 *diſſoluetur:* * *Si verò ex Deo eſt, non poteritis diſſoluere*
illud, ne fortè & Deo repugnare inueniamini. Conſenſerunt
40 *autem illi.* * *Et conuocantes Apoſtolos, cæſis denunciaue-*
runt ne omnino loquerentur in nomine Ieſu, & dimiſerunt
41 *eos.* * *Et illi quidem ibant gaudentes à conſpectu concilij,*
quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pa-
42 *ti.* * *Omni autem die non ceſſabant in templo, & circa*
domos docentes, & euangelizantes Chriſtum Ieſum.

IN

Digitized by Google

IN CAPVT QVINTVM ACTVVM APOSTOLORVM.

1. Quo tempore datũ præceptũ, ſeuera illius violatio punitur.

Verſ.1. V*Ir autem quidam nomine Ananias.*]Quo magis homines ſupplicij metu deterrerẽtur à flagitio; appareretque quantùm inſit in violato præcepto fœditatis, ſeuerè à Domino mulctati ſunt, qui primi contra legem aliquid tentarunt audaciùs. Qui primus datum ſibi præceptum tranſgreſſus eſt, dedit guſtati pomi pœnas, & graues, & diuturnas. Primus qui ſe fraterna cæde polluit, durè punitus eſt ob homicidium. Qui primi ignẽ alienum ad ſacrificium adhibuerũt, igne à Deo miſſo conſumpti ſunt. Et qui colligẽdis lignis primus Sabbathi ſanctitatem contempſit, lapidatus eſt. Sic Ananias, vt aliis eſſet in Eccleſiæ principio documẽtum graue, quàm non expediat Spiritui ſancto mentiri, repentino caſu ſublatus eſt. Docuit hoc optimè Iſidorus Peluſiota epiſt. 181. *Non crudelitatis,* (inquit) *atque amentiæ fuit, quòd ſapientiſſimus Petrus eos, qui peccauerãt, morte affecit: verùm præſcientis doctrina multa hominum peccata præſanantis. Nam cùm tunc Euangelij ſementem facere incepiſſent, ac ſtatim enata Zizania conſpexiſſent, ſapienti conſilio ea ſapienter euulſerunt, ne vnà cum tritico aucta futuro igni ad exuſtionem ſeruarentur. Ad eundem enim modum diuinus quoque Moyſes legem ab initio latam, violatam perſpiciens, etſi ob exiguũ peccatum, ſaxis tamen obrui iuſſit, qui die Sabbathi ligna collegerat.* Vide reliqua. Quod verò fuerit tantum crimen, aut quod in Spiritum ſanctum mendacium, explorato opus eſt.

Qui tunc ex venditis poſſeſſionibus redactum pretium ad Apoſtolos afferebant, faciebant hoc non tantùm propter perfectionem charitatis, vt putauit Caietanus, ſed adiuncto plerumque paupertatis voto, cuius fiebat tunc externa profeſſio, quando ad pedes Apoſtolorum iactabatur. Quod videntur ſentire, qui putant hîc monaſticæ paupertatis formam proponi. De Anania communis eſt Patrum ſentẽtia, omnem pecuniam ex agro confectam ex voto Deo reddere debuiſſe. Athanaſ.in Euangelio in Paſſionem & Crucem. Baſilius ſermone 1.de Inſtit.Monaſt. Chryſoſtomus hîc. Cyprianus lib.3.ad Quirinum cap. 30. Hieronymus epiſtola ad Demetriadem. Aug. de verbis Apoſtoli ſerm. 27. Greg lib. 1. Regiſtri epiſt. 31. ad Venantium. Et probant apertè verba Petri; *Cur tentauit Sathanas cor tuũ mentiri te Spiritui ſancto?* Non autem eſſet illi mentitus, niſi eidem omnia bona redditurus eſſet ex voto: neque de pretio agri fraudaſſet, niſi per votum priùs abdicaſſet ſibi; quis enim vnquam ſua fraudaſſe dictus eſt? Præterea illud ſatis oſtendit; *Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate?* cuius hæc eſt ſententia: Poſſes agrum non vendere; quòd ſi vendere ſtatuiſſes, venundatum.i. venũdati pretiũ poſſet

2. Fideles emittere ſoliti paupertatis votum.

G. Sanctij Comm. in Act. Apoſt. Q

in tua eſſe poteſtate, quia poſſes nõ vouere;at poſt votum retinere aliquid, tibi integrum non eſt. Ex his cõſtat quod in fine capitis ſuperioris dictum eſt, non cogi fideles ab Apoſtolis in ipſis etiam Eccleſiæ incunabulis abdicare ſe bonis, ſed id facere ſolitos ſponte ſua Apoſtolorum exemplo, quos videbant nihil habere proprium:vel certè interiùs agente Spiritu, quò totis in Deum collectis animi viribus,diuinæ vocationi ſatisfacerent.

3. Circa literam notãdum,in Græcis exemplaribus pro, *tentauit*, eſſe ἐπλήρωσε,id eſt,*impleuit*; & ita legunt Cyprianus,& Chryſoſtomus ſuprà, & Origenes hom. 8. in Matthæum, & iuxta hanc lectionem ſenſus eſſet, & elegans,& grauis: Dum plenum te Spiritu ſancto putas, qui aliis, vt ſua vltrò largirentur, author fuit, plenus es Satana, qui contrà quàm ex voto facere debuiſſes, vt tibi aliquid retineres perſuaſit. Sed eſt alia lectio verior,quam noſter Interpres eſt ſecutus,qui ſine dubio legit ἐπείρασε. Facilè autem fieri potuit ex vno verbo in alterum mutatio propter Græcarum vocum ſimilitudinem.

4. Reg. Genus retinetur linguæ ex qua tranſlatio fit.

Nota ſecundò, illud *venundatum* reſpondere *agro*,etiamſi hic maſculinus ſit, illud neutrum; ſolet enim noſter Interpres genus ſeruare earũ linguarum,vnde aliquid in Latinum conuertit.Apoc.cap.10.*Accipe librũ, & deuora illum*,&c. *& eris dulce*, &c. illud (*dulce*)non reſpicit vocem Latinam *librum*; ſed Græcam βιβλιαρίδιον: & cap.11.*duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtãtes*;reſpexit ad vocem Græcam λυχνίαι; quæ generis eſt fœminei, non ad *candelabra*.Sic etiam hoc loco cùm præceſſiſſet in verſione Latina *agri* nomẽ, *venundatum* ſequitur, non *venundatus*,quia in Græco præceſſerat χωρίον, neutrius generis.

Hîc etiam inuenio alium dicendi modum in Scirptura frequẽtem, in quo pro mercede,aut pretio ponitur id,cuius aliquid pretium, aut merces eſt.Vnde *opus* pro operis mercede ſumitur.Iſai. 32. *erit opus iuſtitiæ pax*,id eſt,merces operis iuſti. Et eodẽ ſenſu dicitur Leuit.19.*Non morabitur opus mercenarij tui vſque manè.* & Pſal. 127.*labores manuum tuarum quia manducabis*. Sic etiam *ager* ponitur pro pretio agri venditi, dum dicitur;*venundatum in tua erat poteſtate*. Neque enim in poteſtate erat ager,quem à ſe venditione diſtraxerat:erat tamen pecunia,quam ex illo redegerat. 5. Reg. Pro mercede,aut pretio ponitur id, cuius merces, aut pretium eſt.

Verſ.4. *Nónne manens tibi manebat?*] Hæc repetitio epitaſim habet, 6.
quæ Petrus exprobrat Ananiæ perfidiam,qui cogente,ac ſuadente nemine vendidiſſet agrum, & pretij partem attuliſſet, profeſſus nihil ſibi reliquum eſſe pecuniæ. Ac ſi diceret: ager antequam venderetur, & eius pretium, poſtquam venditus eſt, erant omnino tua; neque te vis vlla,aut fidei ſuſceptæ Religio abalienare cogebat, ſponte vendidiſti, ſponte vouiſti, &c.

Quæri hîc ſolet quo animo Ananias in aliorum cumulum partem bonorum ſuorum conferre voluerit, re priùs cum vxore communicata, quæ vt ſceleris conſcia; ſic etiam repentini ſupplicij conſors fuit?Res eſt incerta.Baſilius ſerm. 1. de Inſtitut. Monach. ambitioni tribuit:dicit enim attuliſſe pecuniam, vt egregij facti ſpecie hominum in ſe admirationem excitaret; quia videbat magnam habere fideles gratiã apud omnes,quam ipſe vt venaretur,illa ſimulatione vſus eſt.Idem Hieronymus epiſtola ad Hedibiam quæſt. 7. Quo animo Ananiæ bona ad Apoſtolos allata.

quæſt.1. Fortaſſe vouit priùs animo religioſo, ac pio, idq; aliis nō ignorantibus: cùm autem vereretur poſtea ne ſatis eſſet ſuæ neceſſitati cōſultum, partem detulit, ne omnino ſibi, ſi abdicaret omnia, & opinioni aliorum, ſi detuliſſet nihil, defuiſſe videretur.

8. Petrus nō eſt imprecatus mortem Ananiæ. Quæri ſecundò ſolet; an Petrus imprecatus ſit pœnam illam, aut aliquo alio modo authot fuerit repentini caſus? Porphyrius, vt Hieronymus ſcribit ad Demetriadem de virgin. crudelitatem obiicit Petro, quia mortem precatus ſit; impiè tamen ille, vt pleraque alia. Negat Hieronymus ſuprà, & affirmat à Petro Dei iudicium prophetico ſpiritu denūciatum. Auguſt. lib. 3. de mirabilib. Scripturæ cap. vltimo, magnam eſſe dicit Apoſtolicam virtutē in Chriſto. *Sanum*, inquit, *Ananiam dum Petrus arguit, per ſermonis tantùm imperium morte ligauit.* Greg. lib. 1. Regiſtri epiſt. 24. verbo Petri perculſam eſſe vitam dicit, & 2. Dialog. cap. 30. *Petrus qui Thabitam mortuam orando ſuſcitauit, Ananiam, & Sapphiram mentientes morti increpando tradidit; neque enim oraſſe in eorum extinctione legitur, ſed ſolummodo culpam, quam perpetrauerant, increpaſſe.* Et Orig. homil. 18. in Matth. Petro, quod ad Ananiæ interitum pertinet, nihil attribuit præter reprehenſionem. Ex his veriſimile eſt, grauiter obiurgatum Ananiam à Petro audiuiſſe, quid perfidiæ, ac ſacrilegij facinus mereatur; vt tātam audaciam Deus non eſſet relicturus impunitam, & in eam ſententiam alia ſpiritus, atque ardoris plena. Quæ vt Deus confirmaret, aliiſque oſtenderet quantùm authoritatis ineſſet Apoſtolicis verbis, ſubito illum mulctauit interitu. Quod factum eſſe Angeli miniſterio putat Dionyſius Carthuſianus, & Salmeron. Si qua tamen naturalis cauſa tanti caſus adduci poteſt, mihi difficile creditu non eſt, tantum fuiſſe pondus, tantam vim, ac ſpiritum in oratione Petri, vt Ananiam exagitante etiam ſceleris cōſcientia exanimaret. Nam cùm plenus eſſet Spiritu ſancto Petrus, vímque ſermonis hauſiſſet ab eo potentiſſimam, & clarè cognoſceret ſacrilegij turpitudinem, doleretque Spiritui ſancto tam inſignē irrogatam eſſe contumeliam, ſic exarſit dicendo, ſic concuſſit animum peccati conſcium, vt tātam vim orationis, tantum timorem ex ea conceptum, tantum pudorem è vulgato ſcelere ſuſtinere non potuerit. Et ita omnino ſentit Origenes, qui hom. 8. in Matth. ſcribit. *Puto autem, quoniam audiens Ananias hæc verba, ideo cadens expirauit, quoniam non ſuſtinuit argutionem Petri, ſed cruciatus in ſe adeò eſt punitus, vt etiam expiraret, &c. nec Petrum exiſtimare debemus interfeciſſe Ananiam; ſed illum non ſuſtinuiſſe acritudinem verborum.* Et cùm ex hiſtoriis habeamus quoſdam metu, alios dolore, nonnullos pudore exanimatos eſſe, quid mirum ſi hæc collecta ſimul hominem ſcelerum horum repentè proſtrauerint? Quòd ſi diuini verbi præcones & rei Chriſtianæ adminiſtri eundem haberent ſenſum, quem Petrus de peccati fœditate, Deique iniuriis habuit, terrerent ſanè peccatores vehementiùs, & ſi de vitæ minùs, de peccatorum tamen ſtatu depellerent.

Quæ cauſa mortis eſt Ananiæ.

9. An Ananiæ mors æterna. Quæri ad extremum ſolet, an Ananias temporaria tantùm morte mulctatus ſit; an etiam addictus fuerit æternæ? Baſilius ſæpe æternā fuiſſe mortem tradit ſermone 1. de Inſtit. Mon. & in oratione de humilitate, & vana gloria, & oratione 3.

Digitized by Google

de ieiunio, vbi hæc de Anania. *Non eſt* (inquit) *dignus habitus cui facultas cōcederetur cognoſcendi, quanā ratione pœnitentiam ob delictum agere potuiſſet: neque ſpatium dolendi, neque terminum pœnitendi miſer habere potuit.* Auguſtin. de verbis Apoſtoli ſermone 27. perdidiſſe dicit pecuniam & ſalutem. Idem Beda hîc. Et quidem huic ſententiæ plurimùm fauet euulgato priùs ſcelere repentina mors. Adde quòd Bonifacius Germanorum Apoſtolus, cùm à Gregorio II. conſecraretur Epiſcopus, ad finem adiunxit. *Si contra huius promiſſionis meæ ſeriem aliquid facere tentauero, reus inueniar æterno iudicio, vltionem Ananiæ, & Sapphiræ incurram.* Cui teſtimonio plurimùm addit momenti, quòd hæc forma iuramēti ab Epiſcopis in ſua conſecratione ſeruatur.

10. Probabile valdè eſt tēporariā fuiſſe Ananiæ mortem.

Et quidem hæc ſententia ſatis probabilis; verùm aliis illa cenſetur probabilior, quæ temporaria morte damnat Ananiam, ab æterna vindicat. Ita Origenes ſuprà; *Digni erant* (inquit) *in hoc ſæculo recipere peccatum ſuum; vt mundiores exeant ab hac vita mundati caſtigatione ſibi illata per mortem communem, quoniam credentes erant in Chriſtum.* Auguſt. contra Parmen. lib. 3. cap. 1. qui loquens de Paulo ſic ait. *Quid ergo agebat Apoſtolus, niſi vt per interitum carnis ſaluti ſpirituali conſuleret? ſiue aliqua pœna, vel morte temporali, ſicut Ananias, & vxor eius ad pedes Apoſtoli Petri ceciderunt; ſiue per pœnitentiam,* &c. Idem Hieronymus ad Demetriadem, dum dicit Ananiam, & Sapphiram præſentem meruiſſe vindictam, non crudelitate vindictæ, ſed correctionis exemplo. Clariùs Petrus Damianus lib. de contemptu ſæculi cap. 3. *Diſtricto,* inquit, *ſed pio iudicio ſola, vt credimus, ſunt morte mulctati.* Idem Carthuſianus, & Salmeron, & mihi probatur magis. Et ex eo ſumitur aliqua coniectura, quia, vt dicit Petrus Damianus, in ipſo fidei tyrocinio Ananias, & vxor rudes erant, & quodammodo ſimpliciter peccauerunt: neque enim nouerant quantùm eſſet ſceleris in fraudanda pecunia Deo conſecrata. Deinde quia, vt ſuprà dixit Origenes, illa ſeuera reprehenſio, inſtructio quædam fuit; qua vſus fuit amans, & ſollicitus paſtor, ex qua tantus dolor de violato voto concipi potuit, vt ipſius oppreſſi pondere defecerint. Quæ ipſorum non exigua commendatio eſt. Facit ad hæc quod in hiſtoriis legimus contigiſſe, vt & alias ob cauſas nonnunquam dolor, ac pudor, & propter admiſſa peccata contritio aliquos extinxerit. Vt verò alij in Eccleſiæ primordiis violati voti grauitatem agnoſcerent, ſatis eſſe potuit corporali morte ſublatos eſſe mendacij, ac ſacrilegij reos, quod vnum homines ſpectare, & cognoſcere potuerunt: nam de æterna morte quî poſſent? Neque repentina mors æterno ſupplicio damnatos eſſe conuincit: nam Propheta 3. Reg. 13. à leone occiſus eſt, neque tamen culpa grauis fuit, & æterno ſupplicio digna. Et, vt Hieronymus docet in illud Nahum 1. *Non vindicabit Dominus bis in idipſum*, multi ex Ægyptiis, qui in mari demerſi, & qui in Sodomis igne, & qui temporibus Noë diluuio perierunt, temporalem ſubière mortem, non æternā. Idē in traditionibus Hebraicis c. 6. tractās illa verba iuxta lectionē Hebraicā; *nō iudicabit Spiri⁹ meus homi*

homines iſtos in ſempiternum, *quoniam carnes ſunt.* Idem Rupertus libr. 4. Commentar. in Geneſim cap. 16. Sic in Anania veriſimile eſt, ad quem pius, & prudens paſtor Petrus ita reprehẽſionem inſtituit, vt propoſita ſacrilegij fœditate, ad pœnitentiã ſacrilegũ induceret. Neque ſpatium defuit agnoſcendi, & deteſtãdi peccati: fuit enim reprehenſio fortaſſe longior, quàm hîc à Luca refertur. Neque enim, vt cap. 2. vidimus ad illud, *aliis etiam verbis plurimis*, totæ conciones repetuntur ab Euangeliſtis, ſed earum ſumma.

11. Neque illud grauius contra hanc explicationem, quod ſumitur ex hiſtoria Bonifacij: nam inde non apertè colligitur ſupplicium eſſe æternum, quod ſubiit Ananias, duo quippe mala ſibi videtur imprecari Bonifacius, & æternum, & quod Ananias pertulit, vtique temporale. *Reus*, inquit, *inueniar æterno iudicio, vltionem Ananiæ, & Sapphiræ incurram.* Quare licèt hac forma nunc Epiſcopi in ſua vtantur conſecratione, nihil affert noſtræ explicationi contrarium. Sed ego illam in libro Pontificali non inuenio.

Verſ. 9. *Quid vtique conuenit vobis?*] Id eſt, cur conuenit inter vos? communi enim conſilio dimidiam pretij partem interuerterant.

Verſ. 13. *Cæterorum autem nemo audebat ſe coniungere illis.*] De infidelibus loquitur, quia Ananiæ morte deterriti fictè ad illos accedere metuebant. Nihilominùs erãt plurimi, qui verè, & ex animo ſe ad fidelium numerum adiungebant.

Verſ. 15. *Vt veniente Petro ſaltem vmbra illius obumbraret quenquam*

12. *illorum, & ſanarentur omnes.*] Thomas Bozius ex his verbis colligit vno tantùm ex omnibus obumbrato reliquos ægrotos eſſe ſanatos. Sed neque id conuincit litera, cui ſatis omnino fieri videtur, ſi quemlibet ex obumbratis ſanatum eſſe dicas. Neque illud (*omnes*) eſt in textu Græco: neque Arator, & Chryſoſtomus, qui citari ſolent, id aſſerunt.

Verſ. 17. *Exurgens autem Princeps Sacerdotum, & omnes, qui cum illo erant:*] Hîc credo ſignificari eos, 13. qui communiter ſolent aſſectari, vel adeſſe Pontifici, nempe Sacerdotes alios, & magiſtratus templi, quibus Pontifex ad conſulta Pontificia, & ſacra adminiſtris vtebatur; de quibus cap. 4. ſatis multa. Cui ſatis conſonat, quod tradit Ioſephus libr. 20. Antiq. cap. 4. ſolitos eſſe Præſides in feſtiuitatibus Iudæorum ad porticum templi conſtituere cohortem vnam armatam; vt cohiberet tumultum, ſi quis excitaretur. Nam quòd tunc ſeniores non eſſent cum Pontifice, neque adeſſe ſint ſoliti, argumento eſt, quod à Pontifice poſtea, & ab iis qui aderant, Seniores & concilium aduocantur. Sadducæi quoque cum Pontifice tunc erant, non quòd adeſſe illi aut deberint, aut ſoliti ſint; ſed quia eùm ſuam hæreſim conuelli viderent ab Apoſtolis, qui tam liberè de Chriſti Reſurrectione loquebantur, omni ſtudio illorum orationi obſiſtendum putabant. Vt autem cap. 4. à templi magiſtratibus, & à Sacerdotibus ſeorſum numerantur Sadducæi, quia nimirum ex eo ordine non erant; ſic hoc loco ſeorſum nominantur ab iis, qui cum Pontifice erant, aut ex inſtituto, aut certè ex conſuetudine. Vbi verò dicitur, *quæ eſt hæreſis Sadducæorum*, exiſtimo deſiderari coniunctionem *&*, vt in ſacra Scriptura ſæpe ſolet. Ita vt ſit ſenſus:

Exurgens autem princeps, &c. *& quæ eſt hæreſis Sadducæorum*, id eſt, qui erant ex hæreſi Sadducæorum.

Verſ.28. *Vultis inducere ſuper nos ſanguinem hominis iſtius.*] Id eſt, vel nos accuſatis homicidij, vel plebem concitatis, vt à nobis exigat pœnas effuſi ſanguinis.

Verſ.34. *Surgens autem quidam in concilio Phariſæus, nomine Gamaliel*
14. Gamaliel quis. *legis doctor.*]Hic eſt ad cuius pedes inſtitutus eſt Paulus. Act. 26. An verò priùs Diſcipulus Chriſti fuerit, & nunc ex fidelium numero, non omnino certum, probabile tamen. Licèt enim publicè non confiteretur, aut ſequeretur Chriſti nomen, quia fortaſſe tunc non videbatur ex vſu futurum rei Chriſtianæ; occultus tamen Diſcipulus fuit, ſicut Nicodemus & Ioſephus ab Arimathia. Certè Petrus apud Clementem lib. 1. Recognit. ad finem loquens de Gamaliele; *latenter*, inquit, *frater noſter erat in fide: ſed conſilio noſtro inter eos erat.* Quod etiã hîc fatetur Chryſoſtomus. Quantus verò vir fuerit, inuentionis corporis ipſius hiſtoria docet tertio die Auguſti: nam eius in ſomnis admonitu Lucianus Presbyter in honeſtiorem locum corpus illius ſimul cum Stephani reliquiis traduxit. Neque cum Stephano fideles Gamalielem eodem tumulo condidiſſent, niſi in eo præclara virtutum documenta cognoſcerent.

Verſ.36. *Ante hos dies extitit Theu-*
15. Theudas præſtigiator. *das.*] Sententia Gamalielis fuit, non eſſe quicquam ſtatuendum contra Apoſtolorum conſilia, atque conatus, quæ à Deo ſunt, contra diuina conſilia nihil virtutis habet humana calliditas, atque potentia: ſin verò humana tantùm ratione, aut errore nituntur, ſuo ipſa nutu, atque inſtabilitate deficient. Quod probat duorum exemplo, qui inania, & ſupra vires ſtudia meditati, non de ſpe ſolùm, ſed etiam de vita fœdè ceciderunt. Quis autem fuerit iſte Theudas, nihil certi eſt. Ioſephus lib.20. Antiq. cap. 2. meminit cuiuſdam Theudæ, in quem conueniunt aptè, quæ hîc commemorantur à Gamaliele: fuit enim inſignis præſtigiator, qui ſibi Prophetæ ſpiritum arrogabat; hic perſuaſit multitudini, vt ſe ad Iordanem fluuium cum facultatibus ſequeretur. Dicebat enim futurum vt, ſicut olim tempore Ioſue, ſic tunc ſuo verbo diuideretur Iordanis. At Fadus Iudeæ Præfectus miſſo contra deceptam illam turbam equitatu quoſdam occidit, alios cepit, & ipſe imprimis impoſtor oppreſſus eſt. Sed certè Theudas ille, de quo Ioſephus, eſſe non poteſt hic de quo Gamaliel; ille enim fuit Claudij tempore; at quæ hîc commemorantur, ante Claudium Cæſarem geſta ſunt. Adde quòd poſt Theudam Iudas Galilæus excitaſſe dicitur ſeditionem, ſed hic incidit in Auguſti tempora, vt Ioſephus tradit, & probat *profeſſionis* nomen, quæ ſeditionis illius cauſa fuit. Quare alius Theudas fuiſſe credendus eſt, cuius non meminit Ioſephus; & ita ſentit Caietanus hîc, & Salmeron. Origenes ſanè libr.1. contra Celſum longè poſt medium, Theudam ante Chriſti tẽpora fuiſſe tradit, vbi etiam alia exempla commemorat, quibus Gamalielis, & ſententiam confirmat, & rationem amplificat. Cenſet autem Chryſoſtomus de hoc Theuda, & de aliis eiuſdem mentis impoſtoribus locutum eſſe Chriſtum, cùm dixit Ioann. 10. *Omnes quotquot venerunt, fures ſunt, & latrones.*

Dicens ſe eſſe aliquem.] Tam apud 16.
Latinos *aliquid*, quàm apud Græcos τὶ,

Aliquis magnum quiddam ſonat. τὶ, quod idem valet, magnum quid-
dam ſonat. Cicero lib. 3. ad Atticum
epiſt. 52. *fac vt me velis eſſe aliquem*;
& Ouid. 6. Faſtorum:

Eſt aliquid nupſiſſe Ioui, Iouis eſſe
ſororem.

Neque non apud Hiſpanos *Algo*,
vnde *hidalgo*. Eſt filius alicuius, id
eſt, egregij viri, & non è media tur-
ba. Cùm ergo dicit Theudas ſe eſſe
aliquem, tribuit ſibi eximium ali-
quid, quo ſe altiùs eximit à vulgo.

Verſ. 37. *Poſt hunc extitit Iudas*
17. *Galilæus in diebus profeſſionis.*] Iudas
Iudas Galilæus. hic fuit homo ſeditioſus, qui He-
bræorum genti perſuaſit, ne Roma-
nis aut indicta priùs, aut tunc re-
cèns impoſita tributa penderent, de
quo Ioſephus libr. 18. Antiq. cap. 1.
Profeſſionis diebus, id eſt, quando
exiit Edictum à Cæſare Auguſto, vt
deſcriberetur vniuerſus orbis. Dies
enim deſcriptionis hîc à noſtro In-
terprete *profeſſionis* dicitur; & tam
Luc. 2. hîc, quàm Lucæ 2. eadem vox eſt
ἀπογραφὴ. Vis autem nominis ex-
preſſa eſt ibi, dum dicitur; *& ibant ſinguli in ciuitates ſuas, vt profiterentur.* Hic ergo Iudas multis è populo ſuaſit, profeſſionem illam eò ſpectare, vt Iudæis libertatem eriperet: quare enitendum eſſe, ne fœdam illam ignominiam ſubirent. Sed hic cum ſectatoribus à Cyrino Præſide, & Coponio equitum magiſtro oppreſſus eſt. Ab hoc Iuda orta eſt ſecta Galilæorum, qui cenſebant vni Deo pendendum eſſe vectigal, hominum non ſubeundam ſeruitutem, de qua vide Ioſephum ſuprà, & Oecumenium hîc, & ſuper Lucam. Ex hac ſecta, non ex prouincia Galilææ, erant Galilæi illi, quorum ſanguinem miſcuiſſe cum ſacrificiis dicitur Pilatus Lucæ 13. Neque enim Pilatus ius habuit in Galilæos. Ita Oecumenius, & hîc, & in cap. 13. Lucæ. Quia ergo Chriſtus, & Diſcipuli Galilæi erant, in eius ſectæ ſuſpicionem venerunt apud Phariſæos; & ideo ab illo rogant, *vtrùm liceat cenſum dare Cæſari?*

COMMEN

COMMENTARII IN ACTVS APOSTOLORVM.

CAPVT SEXTVM.

1 *IN diebus autem illis creſcente numero diſci-*
pulorum, factum eſt murmur Græcorum ad-
uerſus Hebræos, *eo quòd deſpicerentur in mi-*
2 *niſterio quotidiano viduæ eorum. * Con-*
uocantes autem duodecim multitudinem di-
ſcipulorum dixerunt: Non eſt æquum nos
3 *derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. * Conſide-*
rate ergo fratres, viros ex vobis boni teſtimonij ſeptem, plenos
Spiritu ſancto, & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus.
4 ** Nos verò orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus.*
5 ** Et placuit ſermo coram omni multitudine. Et elegerunt Ste-*
phanum, virum plenum fide, & Spiritu ſancto, & Philippũ, &
Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, &
6 *Nicolaum aduenam Antiochenum. * Hos ſtatuerunt ante*
conſpectum Apoſtolorum: & orantes impoſuerunt eis manus.
7 ** Et verbum Domini creſcebat, & multiplicabatur numerus*
diſcipulorum in Ieruſalem valdè: multa etiam turba ſacerdo-
8 *tum obediebat fidei. * Stephanus autem plenus gratia, & for-*
9 *titudine faciebat prodigia, & ſigna magna in populo. * Sur-*
rexerunt autem quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertino-
rum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant
10 *à Cilicia, & Aſia, diſputantes cum Stephano: * & non pote-*
11 *rant reſiſtere ſapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur. * Tunc*
ſummiſerunt viros, qui dicerent ſe audiuiſſe eum dicentem

verba

verba blaſphemiæ in Moyſen, & in Deum. * *Commouerunt* 12
itaque plebem, & ſeniores, & Scribas: & concurrentes rapue-
runt eum, & adduxerunt in concilium, * *& ſtatuerunt falſos* 13
teſtes, qui dicerent: Homo iſte non ceſſat loqui verba aduerſus
locum ſanctum, & legem. * *Audiuimus enim eum dicentem:* 14
Quoniam Ieſus Nazarenus hic deſtruet locum iſtum, & muta-
bit traditiones, quas tradidit nobis Moyſes. * *Et intuentes* 15
eum omnes, qui ſedebant in concilio, viderunt faciem eius tan-
quam faciem Angeli.

IN CAPVT SEXTVM
ACTVVM APOSTOLORVM.

Verſ.1. F*Actum eſt murmur Græcorum aduerſus Hebræos.*] Quæ multa ſunt, & varia, non facilè colligantur; & multitudo ſæpe ſibi ipſi impedimento eſt. *Roma,* inquit Liuius, *magnitudine laborabat ſua*; & Petri rete multitudine piſcium rumpebatur: ſic nunc creſcente numero Diſcipulorum, factum eſt murmur Græcorum. Externam vim ſuſtinuerat, fregerátque ſtrenuè Apoſtolorum conſtantia: domeſticam nunc mouet, & inteſtinam diabolus; quæ ideo inſidiarum plus habet, & periculi, quo occultiùs graſſatur intra viſcera: ſed huic quoque occurrit diuino planè conſilio Apoſtolorum prudētia. Porrò qui hîc Græci dicuntur, Hebræi etiam ſunt profeſſione, & genere, vocantur tamen Græci, quia poſt Antiochi tempora è ſuis ſedibus excluſi in varias Græci nominis vrbes migrarunt. Sicut noſtra etiam ætate, qui diu Romæ, aut apud Indos vixerunt, à ſuis ciuibus, poſtquam rediêre, Romani appellantur, aut Indi. Nam forſan gentes eo tempore nondum ad fidem aſcitæ, vt infrà latiùs, vbi ſermo inciderit de Cornelio. Quare non ſimpliciter Græci dicuntur ἕλληνες, ſed ἑλληνισταὶ, id eſt, qui Græcorum more, aut habitu viuunt, aut aliquid traxerunt è Græcorum commercio; quemadmodum, vt tradit Cato lib. de re ruſtica capite vltimo, Romanenſis ſal dicitur, non qui fit Romæ, ſed qui aliunde exportatus Romæ venditur. Et eandem ob cauſam vocatos Hebræos puto; contra quos Græcorum ortum eſt murmur, quia regionem illam incolebant, quam olim Deus Hebræorum habitationi deſtinarat. Neque credo hîc Græcos tantùm dici eos, qui è Græcis regionibus venerāt, ſed abſolutè omnes, qui inter gentes morabantur: nam ab Hebræis omnes Gentiles dice-

1. Qui Græci dicuntur, Religione Hebræi ſunt.

bătur Græci. ad Rom. 1. *Iudæo primùm, & Græco.* & cap. 2. *Iudæi primùm, & Græci.* & ad Galat. 3. *non eſt Iudæus, neque Græcus.*

2. *Eo quòd deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum.*] Ipſa narrationis conſecutio ſatis oſtendit, quodnam ſit miniſterium illud, in quo Græcorum viduæ neglectæ videri potuerint. Dum enim Apoſtoli probatæ fidei, ac vitæ Diaconos, id eſt, miniſtros eligunt, qui menſis miniſtrent, id agunt planè, vt collectas in vnum communes iam facultates bona fide pro cuiuſque neceſſitate diſtribuant. Quod antea commodè, dum minor eſſet fidelium numerus, fieri poterat; creſcente verò non poterat non eſſe opus & impeditum, & difficile. *Miniſterium* verò, ac *miniſtrare*, hanc habere vim, frequens Scripturæ vſus ſatis oſtendit: nam & Angeli dicuntur miniſtraſſe Chriſto Matth. 4. & Martha miniſtrabat, & ſatagebat circa frequens miniſterium; & infrà cap. 11. Diſcipuli, prout quiſque habebat, propoſuerunt in miniſterium mittere habitantibus in Iudæa fratribus; vbi omnino de cibo ſermo: nam fames magna futura nunciabatur, quæ accidit Claudij tempore. Vide locum. Fecerunt autem prudenter Apoſtoli, vt Græcorum offenſioni, ac ſeditioni occurrerent, qui Diaconos ex Græcis ipſis elegerunt; vt ſatis docent ipſorum nomina, quæ Græca ſunt: & de Nicolao dubium non eſt, qui Antiochenus eſſe traditur, imò neque ex genere erat Iudæorum; nam aduena dicitur Græcè προσήλυτος. Neque de Stephano leuis eſt coniectura, ſi cognatus erat Pauli, vt communiter exiſtimatur, nam ille fuit è Tharſo Ciliciæ.

Miniſteriũ quid.

3. Verſ. 2. *Et miniſtrare menſis.*] Dubitari hîc poſſet; an hîc tantùm ſermo ſit de communi menſa, id eſt, an hi Diaconi deſignati ſint pauperum œconomi, & communium bonorum diſpenſatores, vel etiam, vt habeant altiorem aliquem gradum, & Sacerdotio proximum, ita vt ſacræ etiam menſæ, id eſt, Euchariſticæ ex officio, inſtitutóque ſeruiant. De ſacra, & communi pariter Patres, & Doctores accipiunt: tum quia ad communem menſam non videbantur eligendi homines boni teſtimonij, pleni Spiritu ſancto, atque ſapiétia, cùm id alij, qui minùs eſſent illis donis inſtructi, præſtare potuerint: tum quia Euchariſtiam miniſtrare illis temporibus ad Diaconos pertinebat, vt docet Ignatius, qui illis vixit temporibus, epiſt. 5. ad Trallianos, & epiſtola ad Heronem Diaconum. *Oportet*, inquit, *Diaconos myſteriorum Chriſti miniſtros per omnia placere, neque enim ciborum, & potuum miniſtri ſunt, ſed Eccleſiæ Dei adminiſtratores.* vbi meminit Stephani. Et plurima ſunt à Patribus dicta in eam ſentétiam, qui cenſent, tunc non ſolùm miniſterio communis, atque profanæ menſæ deſignatos eſſe, ſed etiam ſacrum Diaconatus ordinem recepiſſe ſeptem illos Diſcipulos. Ita apertè Clemens Romanus lib. 8. Conſtitutionum Apoſtolicarum. Dionyſius de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 5. Cyprianus Epiſtola ad Rogatianum, Hieronymus in caput 48. Ezechielis, Ambroſius in cap. 48. ad Epheſ. Arator, Beda lib. Retractationum in Acta, Auguſtinus ſermone 4. de Sanctis; & docet Eccleſiæ conſuetudo, quę in ordinatione Diaconorum per Epiſcopum precatur, vt digni exiſtant gradu, quo in ſeptenario numero Apoſtoli Stephanum cum alijs elegerunt. Idem è iunioribus tenent Salmeron, Baronius anno 34. qui ſatis

Menſa nõ vulgaris, ſed Euchariſtica.

ſatis hoc copioſè, atque eruditè probāt. Ratio verò, aut grauis coniectura eſt, quia viri electi ſunt Spiritus ſancti pleni, quorum ſanctitas explorata eſſet, & probata omnibus; præmiſſa oratio, adhibita manuum impoſitio; quę omnia oſtendunt illos non profanis ſolùm; ſed etiam ſacris muneribus obeundis eſſe deſignatos. Accedit quòd ſtatim datum ſibi euangelizandi munus aggreſſus eſt Stephanus, cuius concionē, atque conatum conſecuta ſunt ſigna, atque prodigia, & idem præſtitit Philippus Act. 8.

4. Quòd verò hîc de menſarū tantùm miniſterio meminit Lucas, ea ratio eſt, quia, vt alibi diximus, communes menſæ primis Eccleſiæ temporibus cum ſacra coniungebantur, bonorum autem Eccleſiæ adminiſtratio cùm ad Diaconos pertineret, vt multis probat Baronius ſuprà, Bellarminus lib. 1. de clericis. cap. 13. cùm iam vſus adeſſet Diaconici muneris, occaſio illa fuit, vt tunc conſtituerentur Diaconi, qui & illa obirent profana munera, & ſacra ſuo tempore peragerēt. Adde quòd cùm à fidelibus oblata bona quodam modo eſſent iam ſublimioris ordinis, &, vt ita dicā, Eccleſiaſtici; à ſacris, & Eccleſiaſticis viris tractari debuerunt.

5. Canones in Trullo. Contrariam ſententiam tenuit Caiet. hîc, & Oecumenius, qui tamen dicit electionem illam aliquid Stephano contuliſſe gratiæ, & vim ad edenda ſigna; qua verò ratione conferri debuerint ad ſolam communium menſarum œconomiam, non video; imò ex Chryſoſtomi ſententia ſexta Synodus Can. 18. negat ſeptem illos Diaconos inſtitutos, vt myſteriis ſeruiant. Sed quantùm authoritatis ſit in hoc Canone docet optimè Salmeron hîc; vbi oſtendit multis annis poſt finitum Concilium conditos eſſe Canones illos in Trullo: quare ab Eccleſia Romana recepti non ſunt. Vide quę de horum Canonū authoritate tractat Bellarminus lib. 2. de authoritate Concil. cap. 8. & Canus lib. 5. de locis cap. vltimo. Adde quòd ibidem Can. 2. confirmantur decreta Concilij Neocæſarienſis, in quorum decimoquarto oſtenditur apertè Diaconos ab Apoſtolis inſtitutos regulam eſſe Diaconorum, qui in Eccleſia ſunt; & clariùs in Concilio Aquiſgranenſi cap. 7. & habetur d. 93. c. Diaconi. 3. neque Chryſoſtomus, ſi attentè legatur, negat ſeptem Diaconos ſacro addictos eſſe miniſterio.

Verſ. 9. *Surrexerũt autem quidā de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum.*] In ciuitate ſacrarum litterarum altrice diuerſarum regionum, in quas diſperſi erant Hebręi, Collegia, ſiue Synagogæ erectę erant; vbi à legis Doctoribus inſtituebantur, qui doctrinę gratiâ Hieroſolymam ex variis prouinciis confluebant; qui cùm genere, ac profeſſione eſſent Hebræi, nomen tamen acceperant à loco, vbi habitarant. Quare Alexandrini, & Cyrenenſes dicebantur, qui ex Alexandria, atque Cyrene in vrbem profecti ſunt; ſicut nuper diximus Gręcos dici, qui in Gręcia vixerunt. Cùm verò plures ſcholę, ſiue Synagogæ Hieroſolymis eſſent, quinque tantùm numerantur, quia ex his doctiſſimi quique contra Stephanum ſurrexerunt. De cęteris nihil dubium; de Libertinorum ſchola, aut gente incertum eſt. Quidam corruptum eſſe putant vocabulum, & Libyes, ſeu Libycos dicendos eſſe contendunt; non Libertinos; ſed omnes codices conſtāter habent *Libertinos.*

6. Hebręorū varia nomina ex locis vbi habitant.

7. Libertini qui.

Eſt mihi valdè veriſimile quod Chryſoſtomo placuit, Libertinos eſſe illos, qui orti ſunt ab eis, quos Romani Duces in ſuam vrbem captos adduxerũt. Idem putat Oecumenius, qui rationem aliam nominis adducit, quam ipſe non probat. Libertini verò vocantur etiam in textu Gręco; vbi verò Latinum nomen in eo reperitur textu, aliquid Romanum indicat, vt pluribus docuimus cap. 4. ad illud, *& magiſtratus templi.* Dicebantur autem Hebręi à Romanis Libertini, quia non aliam ob gratiam Romã venerant, niſi ad triumphi gloriam, vel vt captiui ſeruirent. Quod videtur ex Philone poſſe probari, qui in legatione ad Caium ad medium fie de Auguſto loquitur. *Non paſſus fuiſſet Auguſtus trans Tyberim bonam vrbis partem teneri à Iudæis, quorum plerique erant Libertini, quippe qui belli iure in poteſtatem redacti ab heris ſuis manumiſſi fuerant, permiſſi ritu maiorum viuere; hos ſciebat ſuas habere proſeuchas, in quibus cœtus facerent, præſertim Sabbathis.* Qui ergo Romani dici poterant, ſicut Cyrenenſes alij, atque Alexandrini, Libertini vocãtur, quia id fortaſſe nomen frequẽtiùs à Romanis audiebant. Vel ideo Libertini vocati, non Romani, quia indigni Iudæi viſi ſunt Romanis, quibus Romanum nomen commune eſſet, vt notauit Aug. in illud Pſalm. 58. *diſperge illos in virtute tua.* Vide qui diximus in illud Zachariæ cap. 14. *in æſtate, & hyeme.* Porrò ex eo Collegio, ſiue Synagoga, vbi Cilices erãt, ſine dubio prodiit cum aliis quoque Saulus, vtpote *in lege ſupra coætaneos paternarum traditionũ æmulator abundantiùs exiſtens.* ad Galat. 1. Accedit, quòd ſi Stephanus cognatus erat Sauli, vt communiter exiſtimatur, in eodem cum Saulo Collegio inſtituebatur. Collegij ergo ſanguiniſque communitas inflammauit Saulum legis ſtudioſiſſimum, vt & tunc, ſi poſſet, erroris conuinceret, & poſtea lapidibus opprimeret Stephanum.

Verſ. 13. *Iſte homo non ceſſat loqui verba aduerſus locum ſanctum, & legem.*] Hæc obiiciuntur Stephano, 8.
& quòd loquatur contra Deum, & contra legem, traditionéſque Moyſis, & quòd contra templi ſanctitatem minùs religioſè ſentiat. Intenta Stephano crimina. Atque ideo Stephanus tam altè repetit Iudaicę gentis originem, & quę de illa tradiderit Moyſes, & ad extremum de templi fabrica, & maieſtate loquitur; vt oſtendat quàm non impiè de lege ſentiat, déque traditionibus Moyſis. Traditiones autèm hoc loco vocari exiſtimo, non eas, quę voce tantùm, & non ſcriptura relictę ſunt; quę à Gręcis δευτερώσεις, ab Hebręis dicuntur קבלה *Kabalà*, ſed vniuersè quicquid *legis* nomine continetur: nam conſtat *traditionũ* nomine doctrinam quoque ſignificari. 2. ad Theſſal. 2. *Tenete traditiones, quas accepiſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolas.* (2. ad Theſſal. 2.) Sunt ergo traditiones Moyſis omnia quę ille tradidit ſcriptis, & monumentis. Hæc verò videtur eſſe quędam ſolemnis, & publica profeſſio, qua probat Stephanus falsò ſibi in criminibus dari, quòd aduerſus legem, & templum quicquam ſit molitus, cùm tam piè in eo conſeſſu, ac grauiter loquatur. Ex his apparet quàm non ſit longa, neque minùs ad rem apta tam altè repetita narratio, quod non nemo poſſet exiſtimare; cùm aliter non poſſet Stephanus depellere oppoſitum ſibi crimen. Neque, credo, aberraret ab optima coniectura, qui putaret multa ex his, qui à Stephano commemorãtur, eidem eſſe in cri-

minibus

minibus oblata, quibus aut re-
ſpondendum ſingulatim fuit, aut
violatæ legis, & proditæ Religio-
nis antiquæ ſubeunda ſuſpicio.
Neque huic cogitationi incom-
modo eſſe debet, quòd ſingula hîc
non fuerint à Luca propoſita. Ne-
que enim conciones, aut orationes
totas ſolent Scriptores ſacri expli-
care fuſiùs, ſed earum breuem ſum-
mam complecti, vt diximus c. 2.

Verſ. 15. *Viderunt faciem eius tan-*
9. *quam faciem Angeli.*] Quo Stepha-
num magis blaſphemiæ, atque im-
pietatis nota obſcurare voluerunt
homines inuidi, & contumelioſi,
eo magis Dominus illum Angeli-
co ſplendore, id eſt, cœleſti teſtimo-
nio probat, & commendat. Exiſti-
mo autem Prouerbiali figura dici
aliquem eſſe tanquam Angelum,
quando in eo aliquid auguſtum, at-
que eximium ſplendet. Sic Dauid
ab Achis. 1. Reg. 29. & à Thecuitide.
2. Reg. 4. & à Miphiboſet. 2. Reg. 19.
tanquam Angelus Dei dicitur: &
Aſſuerus ab Eſther cap. 15. Contulit
autem illi Deus ſplendorem, & ſpe-
ciem quandam reſurgentis, tum
ob alias cauſas, tum etiam, vt
reor, quò gloria ſui corporis
Reſurrectionem futuram incre-
dulis oſtenderet; de qua fortaſſe di-
ſputauerat, & quam ægrè admo-
dùm audiebant præcipuè Sadducæi.
Indicat hoc Hilarius Aurel. hom.
de Stephano, & Auguſtinus ſerm.
6. de Sanctis, qui dicunt animi
ſplendorem in corporis pulchritu-
dinem exundaſſe. Propter quam, vt
dicit Chryſoſtomus, hoſtes Reli-
gionis infenſiſſimi tam diu paſſi
ſunt illum liberè concionari. Vbi
obſerua, quàm contra veritatem
pertinaciter obduruerint, qui cùm
diuinæ voluntatis ſignum in Ange-
lica Stephani pulchritudine cogno-
ſcere potuerint, ſicut olim in Moy-
ſe, adeò cœleſti illa ſignificatione
moti non ſunt, vt etiam tantam
lucem obſcurare conuitiis, & tantũ
virũ opprimere lapidibus ſtatuerint.

Digitized by Google

COMMENTARII IN ACTVS APOSTOLORVM.

CAPVT SEPTIMVM.

1 DIxit autem princeps ſacerdotum: Si hæc ita
2 ſe habent? * Qui ait: Viri fratres, & pa-
tres audite: Deus gloriæ apparuit patri no-
ſtro Abrahæ cùm eſſet in Meſopotamia, priùs
3 quàm moraretur in Charran, * & dixit
ad illum: Exi de terra tua, & de cognatio-
4 ne tua, & veni in terram, quam monſtrauero tibi. * Tunc
exiit de terra Chaldæorum, & habitauit in Charran. Et inde,
poſtquam mortuus eſt pater eius, tranſtulit illum in terram
5 iſtam, in qua nunc vos habitatis. * Et non dedit illi hæredi-
tatem in ea, nec paſſum pedis: ſed repromiſit dare illi eam
in poſſeſſionem, & ſemini eius poſt ipſum, cùm non haberet fi-
6 lium. * Locutus eſt autem ei Deus: Quia erit ſemen eius
accola in terra aliena, & ſeruituti eos ſubiicient, & malè
7 tractabunt eos annis quadringentis: * & gentem cui ſeruie-
rint, iudicabo ego, dixit Dominus, & poſt hæc exibunt, &
8 ſeruient mihi in loco iſto. * Et dedit illi teſtamentum cir-
cunciſionis: & ſic genuit Iſaac, & circuncidit eum die octa-
9 uo: & Iſaac, Iacob: & Iacob, duodecim Patriarchas. * Et
Patriarchæ æmulantes, Ioſeph vendiderunt in Ægyptum, &
10 erat Deus cum eo: * & eripuit eum ex omnibus tribulatio-
nibus eius: & dedit ei gratiam, & ſapientiam in conſpectu
Pharaonis regis Ægypti, & conſtituit eum præpoſitum ſuper
11 Ægyptum, & ſuper omnem domum ſuam. * Venit autem
fames

Digitized by Google

ſames in vniuerſam Ægyptum, & Chanaan, & tribulatio
*magna: & non inueniebant cibos patres noſtri. * Cùm au-* 12
diſſet autem Jacob eſſe frumentum in Ægypto; miſit patres
*noſtros primùm: * & in ſecundo cognitus eſt Ioſeph à fra-* 13
*tribus ſuis, & manifeſtatum eſt Pharaoni genus eius. * Mit-* 14
tens autem Ioſeph accerſiuit Iacob patrem ſuum, & omnem
*cognationem ſuam in animabus ſeptuagintaquinque. * Et* 15
deſcendit Iacob in Ægyptum, & defunctus eſt ipſe, & patres
*noſtri. * Et tranſlati ſunt in Sichem, & poſiti ſunt in ſepul-* 16
chro, quod emit Abraham pretio argenti à filiis Hemor filij Si-
*chem. * Cùm autem appropinquaret tempus promiſſionis,* 17
quam confeſſus erat Deus Abrahæ, creuit populus, & mul-
*tiplicatus eſt in Ægypto, * quoadusque ſurrexit alius rex in* 18
*Ægypto, qui non ſciebat Ioſeph. * Hic circumueniens genus* 19
noſtrum, afflixit patres noſtros, vt exponerent infantes ſuos
*ne viuificarentur. * Eodem tempore natus eſt Moyſes, &* 20
fuit gratus Deo, qui nutritus eſt tribus menſibus in domo pa-
*tris ſui. * Expoſito autem illo, ſuſtulit eum filia Pharaonis, &* 21
*nutriuit eum ſibi in filium. * Et eruditus eſt Moyſes omni* 22
ſapientia Ægyptiorum: & erat potens in verbis, & in ope-
*ribus ſuis. * Cùm autem impleretur ei quadraginta annorum* 23
tempus, aſcendit in cor eius vt viſitaret fratres ſuos filios
*Iſraël. * Et cùm vidiſſet quendam iniuriam patientem, vin-* 24
dicauit illum: & fecit vltionem ei, qui iniuriam ſuſtinebat,
*percuſſo Ægyptio. * Exiſtimabat autem intelligere fratres,* 25
quoniam Deus per manum ipſius daret ſalutem illis: at illi
*non intellexerunt, * ſequenti verò die apparuit illis litigan-* 26
tibus: & reconciliabat eos in pace, dicens: Viri, fratres eſtis,
*vt quid nocetis alterutrum? * Qui autem iniuriam faciebat* 27
proximo, repulit eum, dicens: Quis te conſtituit Principem,
*& iudicem ſuper nos? * nunquid interficere me tu vis,* 28
*quemadmodum interfeciſti heri Ægyptium? * Fugit autem* 29
Moyſes in verbo iſto, & factus eſt aduena in terra Ma-
dian,

30 *dian, vbi generauit filios duos.* * *Et expletis annis qua-*
draginta, apparuit illi in deſerto montis Sina Angelus in igne
31 *flammæ rubi.* * *Moyſes autem videns, admiratus eſt vi-*
ſum, & accedente illo vt conſideraret, facta eſt ad eum
32 *vox Domini, dicens:* * *Ego ſum Deus Patrum tuorum,*
Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. Tremefactus
33 *autem Moyſes, non audebat conſiderare.* **Dixit autē illi Do-*
minus: Solue calceamentum pedum tuorum: locus enim in quo
34 *ſtas, terra ſancta eſt.* * *Videns vidi afflictionem populi*
mei, qui eſt in Ægypto, & gemitum eorum audiui, & deſ-
cendi liberare eos. Et nunc veni, & mittam te in Ægyptum.
35 * *Hunc Moyſen, quem negauerunt, dicentes: Quis te con-*
ſtituit principem & iudicem? hunc Deus principem & redem-
ptorem miſit, cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo.
36 * *Hic eduxit illos faciens prodigia, & ſigna in terra Ægy-*
pti, & in rubro mari, & in deſerto annis quadraginta.
37 * *Hic eſt Moyſes, qui dixit filiis Iſraël: Prophetam ſuſci-*
tabit vobis Deus de fratribus veſtris, tanquam me, ipſum
38 *audietis.* * *Hic eſt qui fuit in Eccleſia in ſolitudine cum An-*
gelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus no-
39 *ſtris: qui accepit verba vitæ dare nobis.* * *Cui noluerunt*
obedire patres noſtri: ſed repulerunt, & auerſi ſunt cordibus
40 *ſuis in Ægyptum,* * *dicentes ad Aaron: Fac nobis deos, qui*
præcedant nos: Moyſes enim hic, qui eduxit nos de terra Ægy-
41 *pti, neſcimus quid factum ſit ei.* * *Et vitulum fecerunt in*
diebus illis, & obtulerunt hoſtiam ſimulachro, & lætabantur in
42 *operibus manuum ſuarum.* * *Conuertit autem Deus, & tra-*
didit eos ſeruire militiæ cæli, ſicut ſcriptum eſt in libro Propheta-
rum: Nunquid victimas, & hoſtias obtuliſtis mihi annis qua-
43 *draginta in deſerto, domus Iſraël?* * *Et ſuſcepiſtis taberna-*
culum Moloch, & ſidus Dei veſtri Rempham, figuras, quas fe-
44 *ciſtis, adorare eas. Et transferam vos trans Babylonem.* * *Ta-*
bernaculum teſtimonij fuit cum patribus noſtris in deſerto, ſicut
diſpo

diſpoſuit illis Deus, loquens ad Moyſen, vt faceret illud ſecun-
dùm formam, quam viderat. * *Quod & induxerunt, ſuſcipi-* 45
entes patres noſtri cum Ieſu in poſſeſſionem Gentium, quas expu-
lit Deus à facie patrum noſtrorum, vſque in diebus Dauid,
* *qui inuenit gratiam ante Deum, & petiit vt inueniret ta-* 46
bernaculum Deo Iacob. * *Salomon autem ædificauit illi domū.* 47
* *Sed non excelſus in manufactis habitat, ſicut Propheta di-* 48
cit: * *Cœlum mihi ſedes eſt: terra autem ſcabellum pedum meo-* 49
rum: Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus? aut quis
locus requietionis meæ eſt? * *Nónne manus mea fecit hæc om-* 50
nia? * *Dura ceruice, & incircuncìſis cordibus, & auribus, vos* 51
ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis, ſicut patres veſtri, ita & vos.
* *Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri? Et occi-* 52
derunt eos qui prænunciabant de aduentu Iuſti, cuius vos nunc
proditores, & homicidæ fuiſtis: * *qui accepiſtis legem in diſpoſi-* 53
tione Angelorum, & non cuſtodiſtis. * *Audientes autem hæc diſ-* 54
ſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in eum. * *Cùm* 55
autem eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in cœlum, vidit
gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei. Et ait: Ecce video
cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei. * *Ex-* 56
clamantes autem voce magna continuerunt aures ſuas, & im-
petum fecerunt vnanimiter in eum. * *Et eiicientes eum extra* 57
ciuitatem lapidabant: & teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua ſe-
cus pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus. * *Et lapidabant* 58
Stephanum inuocantem, & dicentem: Domine Ieſu ſuſcipe ſpiri-
tum meum. * *Poſitis autem genibus, clamauit voce magna, di-* 59
cens: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixiſſet,
obdormiuit in Domino. Saulus autem erat conſentiens neci eius.

Digitized by Google

IN CAPVT SEPTIMVM ACTVVM APOSTOLORVM.

1\. CAPVT hoc, ſi vllum, in toto hoc libro obſcuriſſimum eſt; quia multa adducuntur à Stephano ex lege, atque Prophetis, quæ non facilè cum illis, vnde ſumuntur, locis conciliari poſſunt. Quare non defuerunt viri aliqui pij, qui Stephanum, aut incuriæ, aut obliuionis incuſent, quem vt ab hac, ſiue nota, ſiue calumnia vindicem, dabo, ſi non vt cupio, ſatis idoneam, at certè quam potero ſedulam, ac piam operam. Oro autem mihi in ſua cauſa laboranti adſit Stephanus ipſe; obtineatque à Spiritu ſancto gratiam, qua ipſe plenus illa elocutus eſt, propter quæ, aut incogitantiæ, aut obliuionis arguitur.

2\. Verſ. 2. *Deus gloriæ apparuit patri noſtro Abrahæ, cum eſſet in Meſopotamia.*] Meſopotamia prouincia quædam eſt inter duo flumina Tygrim, & Euphratem. In ea pars quædam ad Chaldæam pertinet, illa nempe quæ ſpectat ad Septentrionem: pars alia, quæ Syriæ vicinior eſt, & ad Auſtrum vergit, extra Chaldæam eſt, quæ communiter in Scriptura dicitur Meſopotamia Syriæ. Cùm eſſet ergo Abraham in terra natiuitatis ſuæ, id eſt, in Vr Chaldæorum, vbi in fornacem coniectus eſſe dicitur à Chaldæis Eſdræ 2. cap. 9. inde egredi iuſſus eſt. Cùm verò ſubſiſteret, & aliquot dies cum patre moraretur in Haram, ſeu Charram, quæ in parte Auſtrali Meſopotamiæ eſt, id eſt, extra Chaldæam, non tamen extra Meſopotamiam, vocatus eſt iterum à Deo de Haram in terram Chanaan, poſtquam pater eſt mortuus. Cæterùm dum Stephanus *Deum gloriæ* vocat, oſtendit quàm longè abſit à blaſphemia in Deum; cùm illum glorioſum appellet. Ex quo loco ſi quis putet ſignificari Deum in gloria, & maieſtate apparuiſſe Abrahæ, nihil, credo, diceret abſurdi; nam cùm iuberet Deus Abrahæ, vt patriam, cognationémque relinqueret, obiretque incertus regiones, quarum neque naturam, neque adeò ſedem nouerat; opportunum videbatur, & ex diuino ingenio, ſi animum graui illa denunciatione perculſum oſtenſa ſua maieſtate, & gloria confirmaret. Sicut fecit cum ipſius nepote Iacob Gen. 28. cui cùm dura impenderet, ac diuturna ſeruitus, apparuit Deus in ſumma ſcala, quæ tangebat cœlum, vt propoſita præcipientis gloria alacer propoſitas ſibi difficultates aggrederetur; & vt in parẽtibus diſcerẽt poſteri contra moleſtias omnes obniti, cùm & patronũ Deũ, & muneratorem eſſent habituri. Neque alio fortaſſe conſilio Deus ſeſe oſtẽdit Stephano apertis cœlis, & Chriſtus ſtans à dextris virtutis Dei, nam cùm primus, & odia multorum, & acerbiſſimam mortem eſſet ſubiturus; confirmari debuit illuſtri illa ſpecie, & in Stephano reliqui, quibus poſtea durum Martyrij certamen eſſet ſubeundum.

Quæ Meſopotamia.

Deus in gloria apparuit Abram, & Iacob.

Dicitur hîc *Charram* ciuitas illa, 4.
quæ

Haram, ſeu Charram quæ regio.

quæ in Geneſi ſæpe, atque aliis in locis dicitur *Haram* (quæ mutatio contingere potuit propter literarum ח, & ה ſimilitudinem, & officiũ, quæ vocalem cum ſpiritu proferendam eſſe indicãt, hæc leniùs, illa craſſiùs. Si qua verò in literis mutatio poteſt eſſe, maximè in illis quarum ſonus exilis eſt, & ſimilis. Contingere autẽ potuit vt ח Moyſis tempore leniùs ſonaret, quod cùm noſſet Interpres; vertit in Geneſi *Haram*: tẽpore verò Iudith cap. 5. & Stephani dicebatur *Charram*. Certè quod eo tẽpore ita proferretur, docet Lucanus.

Reg. Cheth Hebraicũ per h. redditur à Latino, interdum nihil ad ditur loco illius.

Aſſyrias (inquit) *Latio maculauit ſanguine Charras.*

Nam ibi Romanorum exercitus cęſus eſt, & Marcus Craſſus captus. Neque hoc ſolùm loco ח leuiter aſpiratur; nam idem accidit vocibus *Heua, Hebron, Hermon, Hemor, Heſſebon, Hazaël*, & ſexcentis aliis: imò ח ſine vllo ſæpe ſpiritu redditur; vt in *Aram, Agar, Anna, Aggæus*. Quid ergo mirum ſi ciuitas, vbi diu vixit Abrahã, modò Haram dicatur, modò Charram? Eſt huic voci in ea varietate ſimilis vox חורי, quã noſter Interpres Geneſ. 4. *Chorrai* vertit; Deut. 2. *Horrai*. Et idem puto eſſe dicendum de (*r*) in altero ſimplici, in altero geminato; id enim in multis aliis facit Antiquitas.

Verſ. 4. *Et inde poſtquam mortuus eſt pater eius, tranſtulit illum in terram iſtã.* Difficile explicatu eſt quomodo ex Haram, ſeu Charram egreſſus eſſe dicatur Abraham mortuo patre Thare: nam vt conſtat Gen. 11. ſeptuaginta erat annorum cùm genuit Abrahã, & ibidẽ vixiſſe traditur 205. annos. Egreſſus eſt autẽ Abraham de Haram annum annũ agens 75. Gen. 12. Ex quo conſtat tũc exiiſſe Abraham, cùm eius pater annum ageret 145. Quare poſt exitum Abraham manſit Thare in Haram 60. annos. Ex quo fit aut nõn exiiſſe Abraham mortuo patre; aut ſi expectare voluit parentis funus, egreſſum eſſe cùm ageret annum centeſimũ trigeſimũ quintum; hic enim annus cum ducenteſimo patris concurrit. Nodus planè difficilis, neque promptum eſt ſtatuere quomodo Moyſis hiſtoria cum Stephani oratione conſentiat. Nos iam tentemus Stephanum cum Moyſe componere: nam alterum illorum aut eſſe deceptum in hiſtoriæ fide, aut eſſe memoria lapſũ, impiũ eſt cogitare. Et de noſtro Stephano peculiaris quædam ratio eſt; nam & plenus dicitur eſſe Spiritu ſancto, & eius ore Spiritus ipſe ſanctus locutus fuiſſe traditur: ſic enim de illo Lucas; *Non poterant reſiſtere ſapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur.* Et cùm ſuæ fidei, profeſſioniſque rationem redderet, contra quam locutus arguebatur, nõ tuliſſet tacitum à legis Doctoribus, ſi quicquam in ea narratione peccaſſet.

5. An Abraham mortuo patre egreſſus de Haram.

Et primùm nullo modo videtur Stephanus à narratione Moyſis eſſe diuerſus; nam licèt expreſſè Moyſes non dicat egreſſum Abraham patre mortuo; atque adeò facilior eſſet explicatio nodi (nam reſpondere quis poſſet per anticipationem, quæ in Scriptura frequens eſt, poſitã eſſe Thare mortem ante Abrahæ exitũ) tamen Moyſes non obſcurè indicat euocatum eſſe Abrahamum ex Harã poſt parentis mortem. Quare idem eſt negotium, & labor in explicando Moyſe in Geneſi; atque Stephano in Actis. Sed nodum in vtroque loco impeditũ extricare aggrediamur. 6.

Dicunt Hebræorũ magiſtri, cùm Abraham defuncto patre primùm venit in terram Chanaan, fuiſſe reuera 130. annorum, ſed Moyſem cõputaſſe 75. annos, non quidem ab 7.

Sententia Hebræorum.

ortu ipſius, ſed ab eo tempore, quo ab igne Chaldæorum ereptus fuit: quia tunc quodam modo natus dici potuit. Hanc ſententiã primùm vt fabuloſam reiicit Hieronymus in traditionibus Hebraicis ſuper Geneſim, ſed paulò poſt eandem probat, & ſequitur, quia commodior difficultatis exitus non apparebat.

8. Sententia Maſſij.

Andreas Maſſius aliã excogitauit rationem ſoluendi nodi, qui Ioſue c. vltim. cenſet non loqui Moyſem de naturali morte Thare, ſed de ſpirituali: nam *cùm ageret* (inquit) *annos* 145. *alienos Deos cœpit colere, eo verò tẽpore ſeptuageſimumquintum annum agebat Abraham. Mortuo itaque ſpiritualiter parte egreſſus eſt.* Sed eſt vtraque ſententia difficilis, quia non ſatis cõgruit cum hiſtoria Moyſis aut oratione Stephani; in qua nihil eſt metaphoricũ. Neque ad hanc annorum ſeriem, quæ natura ſua impedita eſt, & obſcura, ſatis opportunus eſt figuratus ſermo, qui rebus etiam claris tenebras offundit. Impiũ autẽ, & idololatram fuiſſe Thare quo argumẽto adduci potuerit Maſſius vt crederet, non video: imò fuiſſe pium ſatis indicat voluntas illa, atque conatus, quo filium Abraham, & Loth nepotem de impia Chaldæorum regione ſecum eduxit, vt diuino obſequeretur imperio, quo filius Abraham inde vocabatur.

Thare nõ impius.

9. Sententia Auguſt.

Auguſtinus in quæſtionibus in Gen. q. 25. & lib. 16. de ciuit. c. 15. & Abulenſis, quorum ſententiam probat noſter Pereira in c. 11. in Gen. dicunt Abraham bis ex Meſopotamia veniſſe in terrã Chanaan; ſemel tãquam peregrinũ ante mortẽ Thare; iterum, cùm viſendi parentis gratiâ, aut aliã ob cauſam rediiſſet in Charran, parente mortuo reuerſus eſt in Chanaan. Sed ſanè id difficilè extorquetur à textu: neque aliquid fingẽdum eſt, ſi grauior aliqua cauſa non premat. Adhæc Auguſtinus. *Non dixit*, inquit, *Stephanus, poſtquã mortuus eſt pater eius, exiit de Charran, ſed dixit, poſtquam mortuus eſt pater eius, hîc eũ collocauit.* vbi Aug. *collocauit*, legit, vbi vulgatus *trãſtulit. Collocauit* autẽ, id eſt, ſtabile domicilium dedit: nam priùs ibi tanquam peregrinus vixit, & hoſpes. Sed eſt omnino durũ dicere tranſlatum eſſe Abraham, aut collocatum in Regione Chanaan mortuo patre, ſi antequam moreretur pater ſexaginta annos vixit in Chananæo ſolo. An dici potuit tam longa mora, tranſlatio? Fatetur ſanè Rabbi Abraham Leuita rediiſſe è regione Chanaan Abraham, ibíque commoratum quinque annos, addit tamen cùm remigraſſet, annos habuiſſe 75.

Sed neque quòd ſecunda profectio, quam hæc ſententia fingit, *trãſlatio*, aut *collocatio* dici debeat, hinc fit, meo iudicio, certũ: quia in terra Chanaã neque paſſum pedis habuit Abraham, vt dicit hîc Stephanus: imò plus 400. annis tota Abrahami poſteritas peregrinata eſt; donec à Ioſue exturbatis antiquis habitatoribus in terram promiſſionis introducta eſt. Quod docet apertè Paulus ad Hebr. capite 11. vbi cùm ageret de Abraham; *Fide*, inquit, *demoratus eſt in terra repromiſſionis tanquam in aliena, in caſulis habitando cum Iſaac, & Iacob cohæredibus repromiſſionis eiuſdem.*

10. Bis vocatus Abraham.

Exiſtimo quidem, vt in principio dixi, bis eſſe vocatum Abraham; ſemel cùm eſſet in Vr Chaldæorum, de quo hîc Stephanus. *Exi de terra tua, &c. tunc exiit de terra Chaldæorũ, & habitauit in Charrã.* Iterũ de Charrã mortuo patre, de quo Gen. 12. cuius etiã meminit Stephanus, dũ dicit; *& inde poſtquã mortuus eſt pater eius, tranſtulit illum in terram iſtam,*

iſtam, nempe vocatione,& imperio. Bis ergo vocatus eſt Abraham potiùs, quàm bis ingreſſus Chananęorum terram.

11. Sententia probabilior. Tertia ſententia, meo iudicio, minùs difficultatis habet, quam Theodoretus ſequitur, Lyranus, & Caietanus, omnes in cap. 11. & 12. Geneſ. quę docet Abraham genitū à Thare non ſeptuageſimo,ſed centeſimo trigeſimo anno ætatis ſuæ. Quod non videtur eſſe difficile, ſi rem paulo accuratiùs expendamus. Et primùm ex cap. Gen. 11. non conſtat natum eſſe Abraham ſeptuageſimo anno parentis ſui:nam ex textu non potiùs colligitur Abraham, quàm Aram, & Nachor eo anno fuiſſe generatos; dicit enim: *Thare cùm eſſet 70. annorum genuit Abraham, Nachor, & Aram.* Sicut ergo tres ſimul eodem anno genitos ex eo loco non conuincitur; ſic etiam neque illorum certum aliquem. Significat ergo Moyſes ibi Thare ex eo anno cœpiſſe prolem ſuſcipere. Quod Aug. probat tom. 4. lib. 1. quæſt. ſuper Gen. q. 25. vbi etiam tradit poſtremo inter fratres loco videri genitum Abraham.Sed quòd Abraham eo anno natus non fuerit, imò quòd omnium fuerit natu minimus, probat Sarę coniugium, quæ,vt eſt communior Patrum ſententia, filia fuit Aram fratris Abrahæ, & decem tantùm annos Abrahamo minor, vt conſtat Gen. 17. Quòd ſi, vt illa ferebat ætas, non niſi grandiori iam ætate homines liberis operam dabant, vt toto cap. 11. Gen. liquet, non eſt difficile creditu, eo propemodum ætatis ſuæ anno ab Aram ſuſceptam fuiſſe Saram; quo Aram ipſe à Thare generatus eſt; aut fortaſſe ſeriùs: nam quòd Sara omnium filiorū Aram minima fuerit, ex eo fit veriſimile, quia inter ipſius filios poſtremo loco numeratur Gen. 11. nam quę ibi vocatur Ieſcha, Sara eſſe creditur ab Hieronymo lib. de tradit. Heb. in cap. 11. Gen. & ab Auguſtino lib. 16. de ciuitate cap. 12. Incidit ergo propè in centeſimum trigeſimum annum Thare Abrahami natiuitas, cui numero ſi addas 75. quos Abraham habuit quando eſt egreſſus de Haram, implebis omnino 205. annos, quos vixit Thare: ex quo facilè intelligitur, quomodo mortuo patre, Abrahamus annos natus 75. egreſſus fuerit in terram Chanaan.

12. Abraham natu minimus. At erit qui huic expoſitioni obſtrepat, dicatque primò genitum videri Abraham, cùm inter fratres primo loco nominatus ſit. Fateor ita plerumque ſolere contingere, maximè quando nulla intercedit dignitatis ratio, quę ętate minorem grandioribus natu præferendum indicat. Qua ratione nos nuper Saram, quam alio nomine Ieſcham appellari diximus, natu minimam dicebamus: ſed hoc in Scriptura perpetuum non eſt. Vt enim in rebus geſtis commemorandis non ſemper rerum geſtarum ordo ſeruatur, vt pluribus cap. 2. docuimus: ſic etiam multo faciliùs in perſonarum ordine, præſertim vbi maior eſt in iuniore dignitas. Quare 1. Paralip. cap. 4. priùs nominatur Iſaac, quàm Iſmaël; & ad Rom. cap. 9. priùs Iacob, quàm Eſau: & Apoc. 7. inter filios Iacob primo loco ponitur Iudas; & Deut. 33. & Num. 13. non eo numerantur ordine quo nati ſunt filij Iſraël; & hoc ipſo loco illuſtre nobis argumentum eſt. Nam cùm tres filij Thare nati dicuntur, ante Aram nominatur Nachor; qui ſine dubio poſterior natu fuit: nam ſtatim dicitur duxiſſe

Melcham filiam Aram, coæuam fortaſſe ſibi, ſicut eiuſdem Aram filia Sara pene coæua fuit Abraham. Vide ſtatim optimum exemplum filiorum Noë.

13. Obiici ſecundò poteſt. Si Abraham non eſt natus anno ſeptuageſimo Thare, cur annus ille ſignatur? nam quid erat tanti noſſe ætate illa Thare cœpiſſe generare; aut in rerum natura fuiſſe duos alios filios Aram, & Nachor, cùm ex illis petenda non eſſet annorum ſeries; neque ad hiſtoriæ ſacræ ſcopum, qui Chriſtus eſt, admodùm referret? Præſertim cùm perturbata eſſet valdè ratio temporis, ſi quo anno natus fuerit Abraham, in Scriptura non ſit expreſſum; cùm ipſius ortu finem capiat ſecunda mundi ætas, quæ à diluuio ad Abrahæ ortum vſque porrigitur.

14. Reſpondeo primùm, ſatis eſſe cauſæ cur Thare gignere cœpiſſe tradatur anno ſeptuageſimò; nam cùm omnes toto illo cap. 11. genuiſſe dicantur anno trigeſimo, aut non longè ab eo, magnáque videretur in Thare facta mutatio in facultate, aut voluptate gignendi, ſanè non leuis fuit cauſa cur id tam præter naturæ, aut vires, aut conſuetudinem, in eadem proauorum ſerie notari debuerit.

15. Neque defuit cauſa cur Nachor, & Aram Scriptura meminerit. Nachor quidem, quia de ipſius genere fuit Rebecca, quæ nupſit Iſaac, & Lia, & Rachel; vnde propagatum genus Iſraëliticum: Aram verò, quia ex illo ortus Loth, de quo poſtea non pauca; & Sara, quam duxit Abraham, alioqui non parum obſcuritatis ſacra haberet hiſtoria. Neque alio modo Gen. c. 5. Noë anno quingenteſimo ætatis ſuæ genuiſſe commemoratur Sem, Cham, & Iaphet, cùm vnus Sem ad continuandam, pertexendámque narrationem ſufficeret: ſed quia de illorum genere ſæpius agẽdum, ideo cum Sem alij quoque duo commemorati ſunt. Hoc verò exemplum maximè ſimile eſt huic noſtro: nam ſicut anno 500. Noë nati dicuntur eſſe tres filij; ſic totidem anno 70. Thare: quòd ſi, vt volunt Hebræorũ magiſtri, & Ioſephus lib. 1. Antiq. c. 14. Lyranus, & Abulenſis, & Genebrardus in Chronologia, Sem, qui primo nominatur loco, omniũ minimus fuit, cum generatione, & ordine Thare omnino conſentit.

Illud ſupereſt oſtendamus, quomodo perturbata non ſit Chronologiæ ratio; quod, meo iudicio, difficile non eſt. Nam cùm cõſtet Thare vixiſſe 205. annos, & illo iam mortuo Abraham egreſſum è Meſopotamia cùm annum ageret ſeptuageſimumquintum, conſtat etiam facilè ortum eſſe Abraham anno 130. Thare. Quòd verò eodẽ anno, quo pater eſt mortuus, Abraham exierit in terram Chanaan, ita vt paterna mors quaſi nota quædam ſit illius exitus, ſatis probat Abrahæ prompta in arduis quoque negotiis ad parendum voluntas. Nam & iam iter inſtituerat; ſubſtitit enim in medio curſu, quia ſatisfactum putabat vocationi: neque enim, in quem locum vocaretur, audierat (nam, vt dicit Paulus ad Heb. 11. *exiit neſciens quò iret*) & ideo difficile non fuit interruptum iter perſequi. Mortuo verò patre, vt indicare videtur Stephanus, ſtatim eſt iterum admonitus à Deo: neque profectionem diſtulit homo parendi cupidus. Quare non video, quid tantùm obſcuritatis ſit in hoc exponendi genere. 16.

At dices durum videri, vt cùm in generationibus aliis in toto illo c. 11. 17.

quoto

quoto quiſque parentis anno fuerit natus expreſſū ſit apertè, obſcuriùs id in Abrahami ortu notari. Reſpōdeo, non eſſe neceſſarium eodem ſemper modo narrationis ordinem texi: neque eſſe id in Scriptura perpetuū, maximè cùm inſtitutus narrationis curſus aut interrumpitur, aut finitur. Exemplum cape ex Gen. 5. vbi, cùm omnes generationes ab Adamo vſque ad Noë, eodem ordine eſſent deſcriptæ, vbi ventum eſt ad Noë, id eſt, ad poſtremum, narrationis ordo mutatus eſt; tum quia non idem dicendi modus, tum quia non vnus, vt in aliis, ſed tres filij nominatim dicuntur fuiſſe generati. Sic etiam, quia ordo à Noë vſque ductus ceſſat in Thare, mutata eſt in eo deſcribendæ generationis ratio.
18. Neque admodùm vrget ſecundę mundi ætati ſecundùm hanc explicationem aliquot annos eſſe addendos, quia communiter illi 292. anni tribuuntur, quibus ſi 50. adiicias, quod fieri in noſtra ſententia neceſſariò debet, fiunt 342. tum quia Scriptura annos illos nō computat, notátque certam ſummam, ſicut in aliis ſolet; tum quia non omnes eodem modo numerant. Communiter quidem 292. annis à diluuio ad ortum vſque Abraham, id eſt, ad extremum ſecundæ ætatis mundi interiecti exiſtimantur: ſed ſunt qui aliter numerent; omnes ſcilicet qui Lxx. Interpretum verſionem ſecuti ſunt, qui ſanè ſunt quamplurimi, & in his Euſebius in Chronicis, & quod pro mille mihi eſt kalendarium Romanum, quod die 25. Decembris multo plures annos numerat inter diluuium, & ortū Abrahæ. Nam cùm à diluuio mundi anno bis milleſimo nongenteſimo, quinquageſimoſeptimo Chriſtū natum eſſe dicat; & à natiuitate Abrahæ anno bis milleſimo quintodecimo, conſequens eſt, vt ſecūdæ ætati tantùm tribuamus, quātùm de priori annorum ſumma decedit. Sunt autem 942. anni multo ſanè plures, quàm ex noſtra computatione naſcuntur.

Verſ. 5. *Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec paſſum pedis. ſed repromiſit dare illam in poſſeſſionem.*] Dubitare
hîc aliquis poſſet, quomodo Deus Abrahamo tantam poſſeſſionem daturúm ſe promiſerit; hîc verò legamus Abrahamum neque paſſum habuiſſe pedis à Deo? Deinde quomodo poſſit hoc verè dici, cùm cōſtet Gen. 23. non ſolùm habuiſſe ſpeluncam, vbi condita fuit Sara, ſed etiam agrum emptum ab Ephron, qui eſt in Hebron? Reſpondeo primùm, id Scripturæ more dici alicui accidiſſe, ſeu datum eſſe, quod ipſius poſteris datum eſt: ſiue alicui promitti, quod non niſi in eius poſteris impletur. Ita Chryſoſtomus hom. 8. in Mat. & Euthymius in caput ſecundum eiuſdem in illud. *Ex Ægypto vocaui*, &c. quod maximè reperitur in illis, qui Patriarchæ ſunt, id eſt, familiarū capita, vt Gen. 27. de Iacob. *Eſto dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ*; quod in Iacob impletum non eſt; cùm ipſe potiùs incuruatus fuerit ante fratrem Eſau; ſed in poſteris, qui Idumæis, id eſt, filiis Eſau dominati ſunt. Et in benedictionibus Iacob multa de Patriarchis duodecim prædicta, quæ Deus in eorū filiis impleuit. Sic Abrahæ filij regionem illam poſſederunt, quæ parenti ſuo promiſſa fuerat.

19. Abrahæ nihil datū à Deo in terra promiſſionis.

Gen. 27.

Sed eſt aliquid difficilius; nam hoc loco Stephanus vtrumque videtur eſſe cōplexus; dicit enim promiſſam eſſe Abrahamo terram illam, & ſemini ipſius poſt ipſum: quare non ſolùm in poſteris, ſed etiam in parēte videtur impleri debuiſſe promiſſio. Huius difficultatis duplex

20. Regul. Et aliquãdo non iūgit, ſed exponit.

duplex poteſt eſſe ſolutio, vtraque ex vi, naturáque coniunctionis (*&*) quæ non ſemper extrema coniungit, ſed interdum quod dubium eſt exponit, aut eius quod anteceſſit, cauſam reddit. Prioris proprietatis exemplo nobis ſit illud Mat. 13. *& colligent de Regno eius omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem*; pro, id eſt, eos qui faciunt, &c. & ad Col. 2. *Videte ne quis vos ſeducat per Philoſophiam, & inanem fallaciam*, id eſt, per inanem, &c. & Exod. 7. *vocauit Pharao ſapientes, & maleficos*, pro, id eſt, maleficos. Neque enim vlli pręter maleficos vocati ſunt. Ad Heb. 4. *Viuus eſt enim ſermo Dei*, &c. *pertingens vſque ad diuiſionem animæ, ac ſpiritus: compagum quoque ac medullarũ; & diſcretor cogitationum, & intentionũ cordis*; pro, id eſt, diſcretor, &c. Eodem ergo modo hic locus commodiſſimè poteſt exponi. *Repromiſit dare illi in poſſeſſionem, & ſemini eius poſt ipſum*; pro, id eſt, ſemini eius: ita vt quod ſequitur, explicatio ſit promiſſionis, in qua aliquid erat ambiguum.

21. Regul. Et particula cauſalis. Secundò, coniunctio *&*, cauſalis eſt in Scriptura. Gen. 20. *Morieris propter mulierem, quam tuliſti; habet enim virum*. Hebraicè, *& ipſa habet virum*. Iſai. 64. *Ecce tu iratus es, & peccauimus*, id eſt, quia peccauimus. Pſal. 148. *Confeſſio eius ſuper cœlum, & terram: & exaltauit cornu populi ſui*, id eſt, quia exaltauit. Ad hunc ergo modum Deus promiſit Abrahæ poſſeſſioné, & ſemini ſuo, quia ſemini daturus erat.

22. Ad ſecundum reſpondeo, habuiſſe quidem Abraham ſpeluncam, & agrum ſatis amplum, non tamen datum à Domino, eo modo quo ipſius poſteris ſubdidit terram Chanaan; id quod Dominus ipſe promiſerat: ſed habuit emptum ab Ephron quadringétis ſiclis probatæ monetæ. Quare Stephanus neque ſibi ipſi, neque vlli ex ſacris ſcriptoribus contradicit; maximè cùm non dicat non habuiſſe Abraham hęreditatem, ſed non illi datam à Domino; eo modo nempe, quo data eſt poſteris. Quemadmodum verò Abrahã, Iſaac, & Iacob in terra promiſſionis habitauerint, tanquam in aliena in caſulis, docet Paulus ab Heb. cap. 11.

Verſ. 6. *Quia erit ſemen eius accola in terra aliena; & ſeruituti eos ſubiicient, & malè tractabunt eos annis quadringentis.*] Multa hîc video à multis dici de annis, quos in Ægypto commorati ſunt Hebræi. Sanè quæſtio eſt difficilis, & in qua magnorum ingeniorum ſtudia diu laborarunt: quam copioſè, & accuratè tractarunt Franciſcus Suarez to. 1. in 3. p. q. 1. art. 5. diſp. 6. Pereira in Geneſ. cap. 15. diſp. 6. & in Exod. cap. 12. n. 104. & multi alij in cap. 3. ad Galat. Quidam exiſtimant moram filiorum Iſraël in Ægypto fuiſſe 400. annorum. Ita Eugubinus in recognitione Pentateuchi tractãs illud Exod. 12. *quibus manſerunt in Ægypto*. Genebrardus in Chronol. Stapletonus in Antidotis in Acta. Et videtur poſſe colligi ex multis Scripturę locis: ſed præcipuè Exodi cap. 12. vbi dicitur: *Habitatio filiorum Iſraël, qua manſerunt in Ægypto, fuit 430. annorum.* Et expreſsè Achior Iudith cap. 5. *deſcenderunt*, inquit, *in Ægyptum, illicque per quadringentos annos ſic multiplicati ſunt*, &c. Neque minori ſpatio è ſeptuaginta animabus, quæ ex Hebręorũ genere ingreſſę ſunt in Ægyptũ, videtur pullulare potuiſſe tot nepotũ ſylua; vt ad ſexcenta pugnatorũ millia excreuerint, ſine paruulis, mulieribus, & imbelli turba. 23. Quot annis Hebræi in Ægypto.

Nihil

24\. Nihilominùs communis opinio eſt omnium pene Doctorum, morã Hebræorum in Ægypto fuiſſe 215. annorũ. Quod ita videtur poſſe colligi: nam Caath proauus Moyſis vnà cũ Leui parente venit in Ægyptum. Gen. 46. is vixit annos 133. Exod. 6. huius filius Amrã Moyſis pater vixit annos 137. Vt verò ingreſſus fuerit Caath primo ætatis anno, & filiũ Amrã genuerit totius vitæ poſtremo; & rurſus Amram poſtremo itẽ totius vitę anno ſuſceperit Moyſem, qui octogenarius populũ eduxit. Exod. 7. his tribus numeris totũ illud, quo filij Iſraël in Ægypto fuerunt, circunſcribitur ſpatium; quod ſanè 350. annorum non excedit moram. Ex quo conſtat ad 430. annos, de quibus Exod. 12. moram illã non eſſe productam. Adde, quod eſt veriſimile ex Gen. c. 11. vbi omnes pene ad annum trigeſimum dicuntur genuiſſe, vt Caath, & Amrã trigeſimo anno genuerint (neque enim aliter credi poteſt in tam copioſa ſobole) tũc autẽ erũt anni multo pauciores.

25\. *Qui parẽtes Moyſis.* Secundò, quia Moyſes quem habuit proauum ex parte patris Amrã, eundem habuit auum ex parte matris Iochabad, nempe Leui Patriarcham: nã Num. 26. cùm ſermo eſſet de familia Leui, ſic dicitur: *Caath genuit Amrã, qui habuit vxorem Iochabad filiã Leui, quæ nata eſt ei in Ægypto.* Leui verò quãdo ingreſſus eſt in Ægyptum, iam erat ſupra quadragenariũ, cùm Ioſeph ætate minor ageret tunc annum trigeſimumnonum (nam vt conſtat Gen. 41. quãdo ſtetit Ioſeph coram Pharaone 30. erat annorum; cùm verò Iacob ingreſſus eſt in Ægyptũ, iam ſeptẽ anni fertilitatis tranſierant, & duo ſterilitatis. Gen. 45. vbi dicuntur quinque anni ſupereſſe famis.) Faciamus ergo genitam eſſe Iochabad à Leui cẽtenario; & à Iochabad ſimiliter centenaria natum eſſe Moyſem, natus erit Moyſes anno centeſimo, quinquageſimo, aut ſexageſimo poſtquã ingreſſus eſt Iacob in Ægyptum. Quibus adde annos 80. Moyſis (nam octuagenarius eduxit populũ) erunt 240. anni. Quòd ſi dicamus 430. annos in Ægypto fuiſſe Iſraëlitas, ſi ex iis demas 60. ante natam Iochabad, & 80. poſt natum Moyſem, ſequitur Iochabad habuiſſe 290. annos cùm genuit Moyſem. Sed exactis iam tot ſæculis à diluuio fœminæ ea ætate non concipiebant: nam miraculo tribuitur, quòd Sara nonagenaria conceperit; & ipſa id admiratione dignum putabat cùm dixit, *quis auditurus crederet quòd Sara lactaret filium?*

Sed ratio ſumitur multo grauior ex epiſtola ad Galat. c. 3. vbi à promiſſione facta Abrahæ vſque ad datam legem 430. anni interceſſiſſe dicuntur: & Actor. 13. dicit Paulus ab electione ad diuiſam terrã tranſiiſſe quaſi 450. annos, id eſt, ab Iſaac ad ſeptimum annum Ioſue, quia poſt ſeptimũ annum ab ingreſſu in terram promiſſionis diuiſa eſt terra. Nunc videndum quomodo tot anni intercedere potuerint. Et ſanè ſi à promiſſione ad ingreſſum in Ægyptum 215. annos interceſſiſſe probemus, conſequens eſt, vt annos totidem in Ægypto poſitos eſſe fateamur; quod ſanè probatu difficile nõ eſt. Nam promiſſio facta eſt Abrahamo Gen. 12. cùm annum ageret ſeptuageſimumquintum; ex eo ad ortum Iſaac interceſſerunt 25. nam à centenario patre genitus eſt. Gen. 21. Iſaac ſexagenarius genuit Iacob. Geneſ. 25. porrò Iacob annos natus 130. ingreſſus eſt Ægyptum. Gen. 47. ex his ſumma efficitur annorum 215. Reliquum eſt ergo, vt fateamur 26.

totidem annos duraſſe Ægyptiacam moram.

27. Ad loca contra communem hanc ſententiam ſic omnes communiter, & vetè reſpondēt, numerum illum annorum non tantùm impleri ex Ægyptio incolatu,ſed ex peregrinatione Abrahæ, & poſterorum eius in terra Chanaā.Quod indicat Paulus adGalat.3.& Act.13.vbi annorū illorum numerū à promiſſione terræ,& electione Iſaac deducit.Clariùs Stephanus hîc:*Erit*,inquit,*ſemē eius incola in terra aliena, & ſeruituti eos ſubiicient, & malè tractabūt eos annis* 400. Eiſdem pene verbis Deus ad Abraham Gen.15. *Scito praenoſcēs quia peregrinum futurum ſit ſemen tuū in terra non ſua, & ſubiicient eos ſeruituti,& affligent* 400.*annis*. Ex his apparet quid reſpondendum ſit capiti 12. Exodi, quod oppoſitæ ſententiæ magis videtur fauere,nempe eo numero cōtineri non ſolùm Ægyptiam commorationem,& ſeruitutem; ſed etiam peregrinationem in terram Chanaan. Solùm verò ibi Moyſes meminit Ægypti, quia ibi longior,& durior commoratio:ſeu, vt vult Auguſt. de ciuitate lib.16.c. 24. commoratio in Ægypto fuiſſe dicitur 400. annorum, non quia in Ægypto totum illud tempus poſitū ſit, ſed quia ibi completum; & eſt optimum exemplum, quod adducit ex c. 11. Gen. iuxta verſionem LXX. *& fuerūt dies Thare in Charran* 205. *anni*;nō quia in Charran omnes acti fuerint:inquit Aug.ſed quia ſunt ibi completi. Quod ſanè optimè viderunt LXX. qui ita reddiderunt locū illum Exod. 12. *Habitatio, qua filij Iſraël habitauerunt in Ægypto, & in terra Chanaan ipſi, & patres eorū anni* 430. Qui ſenſus conſeruatus eſt vſque ad Stephani tempora; nam & Ioſeph. hoc apertè tradit lib.2.Ant. c.6.*Reliquerūt*, inquit,*Hebræi Ægyptum anno quater centeſimo trigeſimo poſtquam Abraham ſator noſter in Chanaan venit: poſt migrationem verò Iacob in Ægyptum anno ducenteſimo decimoquinto*; qui tamen paulò antè c.5.aliter docuerat,ſed inconſideratè;ſi tamē locus ille vitioſus nō eſt.

Gen.15.

Exod.12.

Quòd 430. anni impleri debeant ex diuerſorum temporum aggregatione, & non tantùm ex incolatu Ægyptiaco, probat modus ipſe loquendi; nam ſeruiturum, & peregrinum, & affligendum dicitur ſemen Abraham 400. annos: quare niſi coniungamus hæc omnia, neceſſariò dicendum eſt 400. annos Iſraëlitas malè fuiſſe vexatos, quod omnino verum non eſt: nam conſtat ſeruitutem cœpiſſe poſt mortem Ioſeph, qui poſt ingreſſum Iacob vixit in Ægypto annos 71. erat enim annorum 39. quando pater ingreſſus eſt, mortuus eſt autem anno ætatis ſuæ 110. Imò adhuc tollendi ſunt anni 22. quibus Ioſepho ſuperſtes fuit frater Leui,qui natus eſt quadriennio ante Ioſephum,vt Hebræi tradunt, & vixit annos 137. Exod. 7. Cœpiſſe verò ſeruitutem poſt mortem Ioſephi, & fratrum eius dicitur Exod.cap.1.Imò ibidem cœpiſſe traditur, poſtquam mortua eſt cognatio Ioſephi, illa nempe, quæ ingreſſa eſt ſimul cum Iacob. Eſt autem communis;& ſatis veriſimilis Hebræorum ſententia,qui putant duraſſe vexationem illam 87. annos, quia cœpiſſe credunt ſeptimo anno ante natum Moyſem; quo anno nata creditur Maria,& eo nomine appellata,à populi amaritudine: *Maria* enim amaritudinē ſonat, & ærumnoſum aliquid. Fuit autem Maria annis 7.grādior Moyſe,Moyſes verò octuagenarius populum eduxit, 28.

Sed

29. Sed cur Stephanus tantùm hîc numerat 400. annos, ſi, vt vidimus, 430. ſunt? Ideò ſanè quia non tam agit de Abrahæ promiſſione, de qua alij, quàm de ipſius ſeminis peregrinatione, & ſeruitute; quare totum illud tempus omiſit, quod Iſaac ortum anteceſſit, quo modo Gen. 15. Deus totidem annos eidem peregrinationi, ac ſeruituti tribuit.

30. Sed ſupereſt adhuc ſcrupulus: nam ſi ab Iſaac incipias annorum numerum, reperies annos quinque ſupra 400. cùm enim ab egreſſu Abrahæ, quando facta eſt promiſſio, 430. anni ſint ad Hebræorum exitum, & vigeſimoquinto poſt promiſſionem anno natus ſit Iſaac, efficitur planè peregrinatum eſſe Abrahæ ſemen annos 405. Reſpondeo, ita omnino eſſe dicẽdum; ſacræ Scripturæ tamen more exigui illi, atque imperfecti numeri interdum omittuntur, quorum exempla obuia; & nos hac de re pluribus cap. 1.

31. *Cur genus Hebræorum in Ægypto tanto pere propagatum.* Supereſt iam tandem explicemus, quomodo breui illo ſpatio adeò propagari potuerit Hebræorũ genus? Aug. lib. 18. de ciuitate cap. 7. ſingulari Dei prouidentiæ tribuit; quod profectò negandum non eſt: nam & ipſe promiſerat Abrahæ Gen. 22. *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli.* & ita Exodi cap. 1. dicitur: *Filij autem Iſraël creuerunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt*, id eſt, quaſi pullulant è trunco rami. Adfuit itaque Deus illi populo, vt iuxta promiſſionem parenti factam numeroſam illam fundetet ſobolem. Accedit ad hoc naturalis quoque ratio: nam & omnes diu viuebant, & omnes generationi vacabant, & pluribus vxoribus vtebantur. Ad quam naturalem populi fœcunditatem, & diuino beneficio vberiorem accedebat quoque Ægyptij ſoli incredibilis vis, & vſque ad miraculum generationi fauens: vt enim Ariſt. lib. 7. de hiſtoria animalium cap. 4. tradit, in terra Ægypti fœminę eodem nixu pariunt tres, & quatuor, idque ſæpe, neque rarò quinque. Vbi refert quandam fœminam quatuor partubus edidiſſe viginti, maioremque partem eorum nutriri, atque adoleſcere potuiſſe.

32. *Conciliatur Stephanus cum Moyſe.* Verſ. 14. *In animabus ſeptuaginta quinque.*] Hîc etiam Stephanus cum Moyſe videtur pugnare: nam cùm de numero eorum, qui cum Iacob ingreſſi ſunt in Ægyptũ, agit Moyſes, longè infra numerum, quem Stephanus adducit, conſiſtit; hic enim ad 75. producit; ille verò Gen. 46. modò ad 66. modò ad 70. contrahit: & Exod. 1. & Deut. 10. tradit item ingreſſos eſſe 70. Sed vt Moyſes ſibi ipſi contrarius non eſt variato continenti pene narratione Hebræorum numero, ſic neque Stephanus Moyſi: nam cap. 46. Geneſ. priori loco Moyſes tantùm agit de his, qui de ſemore Iacob prognati tunc primùm ingreſſi ſunt Ægyptum, quo loco, neque Ioſeph, neque duo filij comprehenſi ſunt, quia ille multò antè ingreſſus; hi verò non ingreſſi, ſed nati ſunt in Ægypto: Iacob autem non de ſuo femore natus eſt. His verò quatuor à ſeptuagenario numero detractis, reliqui 66. ſunt. Secundo loco agit Moyſes de familia Iacob: *omnes*, inquit, *anima de familia Iacob, quæ ingreſſa ſunt in Ægyptum, fuère* 70. Ad hanc autem domum pertinebat Iacob tanquam ipſius caput, & Ioſeph cum filiis, quia ab eo prognati. Ita pene Hieronymus in tradit. Heb. in Gen.

Digitized by Google

33. Nunc videndum cur Stephanus numerum auxerit, poſueritque animas 75. Sanè ſecutus eſt Lxx. Interpretum verſionem, quæ quãtùm authoritatis habeat in ratione numerica, quę in ſacris Bibliis obſcura eſt, vt bene Canus lib. 11. de locis cap. 5. argumento eſt quòd eorum computatione plerumque vtitur Eccleſia, vt conſtat in Kalendario Romano die 25. Decembris, vbi & tempus à creatione mũdi, & ſingularum ætatum ſpatia iuxta Lxx. Interpretum tranſlationem colligit. De computatione temporum dum agit Aug. lib. 15. de ciuitate cap. 11. dicit Septuaginta in celebriorem authoritatem ab Eccleſia ſuſcipi. Idem multo clariùs Iulianus Archiepiſcopus Toletanus contra Iudæos, vbi docet omnes authores Eccleſiaſticos iuxta Lxx. verſionem annos computaſſe. Cuius rei plurima ſunt teſtimonia: Acta Synodica œcumenica ſecundùm Lxx. Interpretes annos numerant. Conſtat ex ſexta Synodo cap. 5. apud Theodo. Balſamonem. Secundùm eadem tempora dinumerant antiqui Patres tam Græci, quàm Latini. Vide Baronium in addit. ad martyr. die 25. Decembris.

Quanta Lxx. authoritas in re numerica.

Sanctus Hieronymus in tradit. Hebraicis in Geneſim, dicit Stephanum oratationem accommodaſſe ad opinionem hominum, quibus Lxx. Interpretum ſcriptura vulgatior. Et in genere ibidem tradit obſeruandum eſſe, vbicumque Apoſtoli ad populum loquuntur, his plerumque teſtimoniis abuti, quæ erant Gentibus diuulgata. Quod ſanè vt verum ſit; neque enim omnibus hæc regula probatur, non tamẽ hic videtur habere locum, cùm non ad populum in concione, ſed in cõcilio ad Sacerdotes, & ſapientes ſermo habitus ſit.

Cur verò Septuaginta Interpretes quinque addiderint ad numerum, quem vulgatus habet, obſcurum eſt. Eugubinus in Recognitione Veteris Teſtamenti ſuper c. 46. Gen. incuriæ librariorum adſcribit; quod ſanè tunc eſſet non improbabile, ſi in eo numero tunc cap. 46. Gen. in tranſlatione Lxx. & cap. 7. Actuum omnes codices non conſentirent. Adde, quòd rationem ipſi Interpretes reddunt: nam ſupra duos filios Ioſeph à vulgato commemoratos ipſi addunt quinque nepotes. *Facti ſunt*, aiunt, *filij Manaſſe, quos peperit ei concubina Syra, Machar*, &c. & infrà, vbi vulgatus habet: *filij autem Ioſeph, qui nati ſunt ei in terra Ægypti, animæ duæ.* Septuaginta habent, *animæ nouem.* Vnde apparet non potuiſſe in tot verbis, tamque aptè conſentientibus aut Interpretum, aut librariorum eſſe aliquam incuriam. 34.

Sed quæres cur, ſi Septuaginta Interpretes nouem filios tradunt eſſe Ioſepho, ingreſſos eſſe dicant 75. & non 77. Reſpõderi poſſet, aut duos obiiſſe ſine liberis, aut fuiſſe ita ignobiles, vt illorum vita parum contulerit ad propagationem, & nobilitatem Hebræorum, atq; ideo Septuaginta illorum non meminiſſe. 35.

Cur verò antequam nati eſſent hi poſteri Ioſeph, dicantur cum Iacob ingreſſi, nõ omnes eodem modo explicant. Hieronymus ſuprà dicit per anticipationem hæc eſſe intelligenda; neque enim ea ætate erãt Ephraim, & Manaſſes, vt generare potuerint: dicuntur tamen ingreſſi, quia in parentum lumbis intrauerunt. Neque id in Scriptura nouum eſt, vt quæ parentes faciunt, id facere dicantur filij antequam in lucem ſuſcepti ſint. Leui decimas ſoluiſſe 36.

Regul. Parentum facta attributa filiis

ſoluiſſe fertur ad Heb. 7. qui tamen multis pòſt ſæculis natus eſt: & Lia Geneſ. 46. genuiſſe dicitur in Meſopotamia nepotes, & pronepotes, qui ibi commemorantur, quia genuit eorum parentes, quorum in lumbis ipſi continebantur; & ibidem ingreſſi dicuntur duo filij Phares, cùm tamen eo tempore Phares eſſet ætate ad gignendum immatura, imò & infantili: nam Thamar illum aſtu concepit à Iuda ſocero, cùm videret Selam tertium filium Iudæ iam maturum coniugio ſibi non dari. Suſcepit autem à Iuda iam, vt apparet, ſupra quadragenarium, quod neceſſe eſt poſt tot filios iã maritos. Cùm autem Iudas ingreſſus Ægyptum fuerit natus annos 43. (quia quadriennio maior Ioſepho, vt conſtat ex Gen. cap. 29. & 30. quia Iudas natus eſt anno vndecimo poſtquam Iacob venit in Meſopotamiam, Ioſeph verò anno 14.) non potuit Phares non eſſe admodùm puer. Idem dicendũ eſt de filiis, nepotibus, & pronepotibus Benjamin, qui etiam dicuntur ingreſſi cùm Iacob iuxta verſionem LXX. qui ex decem poſteris Benjamin quoſdam filios, quoſdam nepotes, ac pronepotes faciunt. Fuiſſe autem aliquos, qui hîc dicuntur filij Benjamin, ipſius nepotes, ſatis liquet ex 1. Paralip. cap. 8. Sed Benjamin non erat ætate ad illum poſterorum gradum matura. Quare nihil dicſit LXX. alienum à Scripturæ conſuetudine, aut à veritate, cùm illi iidem qui ab ipſis commemorãtur, reperiantur in aliis Scripturæ locis, vt in libr. 1. Paralip. cap. 7.

Porrò modus ille loquendi, quo filij feciſſe dicuntur, quod parentes fecerunt, non abhorret ab omnium pene linguarum vſu: nam de Hiſpanis, qui nunquam mare viderunt, aptè dicerent externi; *Vos aperuiſtis Oceanum, domuiſtis Indos.* De Romanis; *Vos olim triumphaſtis de Aſia*, &c. Et nos Arabes, & Gothos, qui in Hiſpania ſunt, dicimus in noſtros fines ingreſſos, cùm tamen eodẽ quo nos modo in Hiſpania nobiſcum nati ſint; quia ex alieno ſolo parentes, & ipſi in parentibus in noſtram regionem irruperunt.

37. Cur ex poſteris quidã omiſſi.

Cur autem hos nondum natos numerauerit Moyſes, cùm alij etiam ex aliis familiis numerari potuerint, qui etiam in parentum lumbis ingreſſi ſunt, obſcura ratio eſt. Illa verò afferri poſſe videtur non inepta; de Phares quidem propter nobilitatem, quia ex illa, & Regium nomen primùm, & deinde Chriſtus profecturus eſſet: & ideo Moyſes voluit illo etiam loco notatam eſſe illuſtrẽ illam familiam. Filij verò Ioſeph, quia iſti Patriarchæ quoque fuerunt, & tribuum parentes, & capita, quos ſibi Iacob Gen. 48. pro filiis eſſe voluit: & quemadmodum aliorum Patriarcharum filij connumerantur, ſic etiam horum. Adde quòd illi præcipuo loco inter Ægyptios habiti, vt qui ab illo orti, qui toti Ægypto quondam ſalutem attuliſſet. Quæ ratio Benjamin Ioſepho germano fratri, eiúſque poſteris magnum honorem, & gratiam conciliauit, quos inter alios Ioſephus credendus eſt & complexus humaniùs, & liberaliùs ornaſſe. Totus ergo ille numerus fuit virorum in Hebræorum genere illuſtrium, ſiue quia à nobiliſſima ſtirpe vno, aut altero gradu remoti, ſiue quia ab Ægyptiis propter Ioſephi merita præcipuo inter cæteros in gradu habiti. Quod nunc ad LXX. Interpretes attinet, ideo videri poſſunt addidiſſe plures ex Ioſephi familia, quò magis Ptolomæo Ægyptiorum Regi Iudæorum genus commenda-

rent, cuius rogatu operam tunc dabant ſacris Bibliis in Græcum conuertẽdis. Videbāt enim Regi, Ægyptiiſque aliis futurum eſſe gratum quicquid de Ioſepho tam vtili quõdam Ægyptiorum rationibus afferri poſſet. Multos ergo numerant ex Ioſephi familia, vt ex ea plures eſſe inter Iudæos ſuſpicaretur Rex; & ideo maiori ſtudio, atque beneuolentia res complecteretur Iudaicas.

Verſ.16. *Et tranſlati ſunt in Sichem, & poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit*
38. *Abraham*, &c.] Hîc multa ſunt, quæ doctorum hominum & torſerunt iamdudum, & nunc etiam grauiter torquent ingenia. Neque enim facilè conciliari poſſunt cum iis quæ variis locis à Moyſe traduntur. Nos hæc ſingulatim excutiamus. Tranſlati dicuntur Patriarchæ in Sichem, & tamen certum eſt Iacob ſepultum eſſe cum patribus ſuis in Hebron, vt ipſe iam moriturus edixit filiis: & factum conſtat Gen. cap. vltimo. Huius nodi diſſoluendi duplex eſt via, & vtraque facilis; prior, ſi iuxta Scripturæ morem Patriarchæ dicantur tranſlati in Sichem, quia omnes pene tranſlati ſunt. Neque enim Scriptura, vt vniuerſale ſignum adhibeat, aut vt perfectum aliquem numerum compleat, curare ſolet an vnus, aut alter ab eo numero deficiat, aut excedat; exempla ſunt obuia. Poſterior mihi facilior eſt, ſi dicamus Stephanum, cùm dicit *Patres noſtros*, agere tantùm de duodecim, quos priùs Patriarchas vocauit, id eſt, familiarum capita; & in eo numero non contineri Iacob: non quòd ipſe Patriarcha non fuerit; ſed quia caput non omnino proximum duodecim tribuum, quę Iſraëliticum populum conſtituunt, & complent. Quod mihi veriſimilius eſt, quia hoc eodem capite à Stephano *Patres noſtri* vocantur. *Cùm audiſſet*, inquit, *Iacob eſſe frumẽtum in Ægypto, miſit Patres noſtros.* & ſtatim: *Defunctus eſt ipſe* (Iacob) *& Patres noſtri.* Ecce vbi à Patribus ſecernitur Iacob, ſeu quia non proximum familiarum caput, ſeu certè quia prior, & maior in eorum numerum cogi non debuit. Ex his cõſtat quàm bene Stephanus Patres dixerit ſepultos in Sichem; quia in Patrum numero non accipiebat Iacob, qui vnus in parentum ſepulchro conditus eſt in Hebron.

Patriarchæ 12. vbi ſepulti.

Non ignoro à Ioſepho tradi lib. 2. Ant. cap. 8. filios Iacob, excepto vno Ioſepho, ſepultos eſſe in Hebron; ſed dubitandum non eſt nactos fuiſſe ſepulturæ locum in Sichem: tum quia ita planè colligitur ex hac Stephani oratione; tum quia non eſt veriſimile cùm ex Ægypto tranſlata fuerint à Moyſe oſſa Ioſeph. Exod. 13. & cum illis aliorum etiam Patriarcharum oſſa, vt ex hoc loco liquet, & Ioſephus conditus ſit in Sichem, vt habes Ioſue cap. vltimo, oſſa aliorum Patriarcharum, quæ longa peregrinatione, & quaſi funebri pompa ſimul efferebantur, confecto iam tanti laboris curriculo loco eſſe diſtracta. Pręſertim quia Ioſephus cùm Geneſ. 50. adiurauit ſuos de aſportandis oſſibus ſuis ex Ægypto, non deſignauit ſepulturæ locum: quare ſi Sichem viſa eſt non importuna ſepeliendo Ioſepho, nõ erat cur minùs opportuna videri potuerit condendis aliorum Patriarcharum oſſibus, vt ideo tranſmitti debuerint in Hebron. Accedit, quòd Hieronymus in Epitaphio Paulæ, & epiſtola ad Pammachium de optimo genere interpretandi, ſcribit duodecim Patriarcharum ſepulchra eſſe in Sichem, & obita fuiſſe à Paula religionis gratiâ. Neque audiendus eſt Rupertus in cap. 13. 39.

Exod.

Exod. qui putat vnius Ioſeph oſſa tranſlata ex Ægypto; aliorum omnibus inibi relictis: neque enim ſi oſſium tantùm Ioſephi meminit eo loco Moyſes, ſtatim fit aliorum oſſa non fuiſſe tranſlata. Neque enim omnia ab hiſtoricis ſacris traduntur, &, quæ ab illis videntur omiſſa, ab aliis commemorantur, vt diximus pluribus in Pſalmum 67. ad illud, *terra mota eſt.* Ioſephi verò meminit Moyſes, vt oſtenderet exoluiſſe poſteros, quod iuriſiurandi religione in ſeipſos receperant.

Et poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit Abraham pretio argenti à filiis Hemor
40. *patris Sichem.*] Locum aggredimur difficilem, tentatum à multis, neque dum ita expeditum, vt non quicunque paulo doctior in eo aliquid requirat. Emit ſanè Abraham Gen. 23. ab Ephron filio Seor agrum, & ſpeluncam in Hebron quadringentis ſiclis argenti. Emit Iacob Gen. 33. partem agri, in qua fixerat tabernacula, à filiis Hemor patris Sichem centum agnis. Videtur autem vtramque emptionem Stephanus in vnam conflaſſe, & hiſtoriam à Moyſe diſtinctè, atque explicatè traditam omnino confudiſſe, cui difficultati variè à multis occurritur. Quidam corruptos eſſe putant codices, & pro *Abraham* reponendum eſſe *Iacob*, & pro *filio Sichem*, *patrem Sichem*. Ita Eugubinus, & Lippomanus in Catena in Gen. Maſſius in caput 24. Ioſue; & Beza, qui è margine putat aliquid irrepſiſſe in textum. Salmeron in epiſt. ad Antonium Caraſam Cardinalem, quæ eſt ad finem poſtremi tomi, non omnino incorruptum putat eſſe textum. Sed quia ita legunt antiquiſſimi Patres, & omnes codices tam Græci, quàm Latini in ea Scriptura conſentiunt, alia nobis ratio ſoluendi nodi inſtituenda eſt.

Quomodo in agro empto à Iacob Stephanus cum Moyſe cõſentiat.

41. Quidam dicunt locutum eſſe Stephanum non tam ex ſua ſententia, aut ex hiſtorica fide, quàm ex opinione vulgi. Fateor Scripturam ſacram accommodare ſe interdum vulgi opinioni: qua ratione B. Virgo Ioſephum patrem appellat Chriſti; & idola vocantur dij. Sed, vt ita vulgus exiſtimet, tamen hîc locum non habet vulgi exiſtimatio: quia non ad promiſcuam multitudinem habebatur concio; ſed ad peritos Religionis, & legis; & vulgo etiam notum erat agrum Sichem, qui non longè aberat, emptum eſſe à Iacob: & vulgò puteus, qui erat in eo agro, dicebatur *fons Iacob*. Ioan. cap. 4. certè muliercula Samaritana, qua nihil poterat eſſe vulgarius, id non ignorabat, cùm dixit puteum illum ſibi datum eſſe à Iacob.

42. Sunt qui putent agrum bis fuiſſe emptum, ſemel ab Abraham, cùm primùm egreſſus fuit ex Charran, ab Hemor filio Sichem, eius nimirum qui Sichimam condidiſſe videri potuit: deinde iterum à Iacob ob memoriam aui ſui, qui eandem viam eſt ingreſſus, cùm etiam ex Meſopotamia rediret in Chanaan. Sed ſanè id Scriptura non tacuiſſet; & eſt cõmunis omnium Patrum opinio, nihil proprium habuiſſe Abraham præter locum ſepulturæ.

43. Alij difficultatem aut exoluunt, aut fugiunt, aſſerentes homines illos, aut agros, de quibus hîc Stephanus, eſſe binomines: ita vt Ephron, à quo agrum, & ſpeluncam emit Abrahã, dicatur etiam Hemor; & Sichem dicatur quoque Hebron. Ita Lyranus; neque Caietano diſplicet, & indicat S. Greg. lib. 7. epiſtolarũ, epiſt. 55. Sed certè nimis id rarum eſt, vixque credibile, omnia quæ in emptione agri Iacob interuenêre, ita

ita conſenſiſſe cum agro, agríque poſſeſſoribus, quem emit Abraham, vt rebus ſingulis commune ſit nomen.

44. Quidā audaciùs affirmant Stephanum, dum tota mentis intentione in cauſam rapitur, memoria lapſum commutaſſe nomina, & res diuinas in vnam cōfudiſſe. Ita Beda, & Rabbanus, ſed obſcuriùs; clariùs Canus lib. 3. de locis cap. vltimo, vbi dicit lapſum quidem Stephanum, non tamen Lucam, qui fideliter ſcripſit, quæ à Stephano dicta ſunt. Placeret quidem iſta Cani ſolutio, ſi tamen de viro ſermo eſſet, in quem aut error caderet, aut incogitantia. Neque tunc quicquam obeſſet canonicæ veritati, ſi monumentis ſacris à ſcriptore canonico traderetur aliquid quod ab aliis dictum eſſet minùs ſapienter, ac verè: neque enim tunc ſcriptor tam probat dicta, quàm refert. Vt quod Iephthe Iudicum 11. 300. annos dicit terram ab Hebræis poſſeſſam, cùm tamen verum nō ſit. Et Achior Iudith cap. 5. qui in narrandis Hebræorum hiſtoriis aliquid dixit, in quo errare viſus eſt, vt quòd 400. annos in Ægypto vixerint filij Iſraël, quam nos ſententiam nuper improbauimus. Neque id mirum, cùm Amonites eſſet, neque Canonicus ſcriptor. Et, ſi Hieronymo credimus, Matthęus cap. 2. verba retulit non vt erant à Michæa ſcripta, ſed vt à Scribis recitata; *& tu Bethlehem terra Iuda*, &c. Sed audacter, vt modeſtiſſimè loquar, hæc tribuuntur Apoſtolis, Apoſtolicíſque viris, dum ſeriò res ſacras aut concionando, aut ſcribēdo docēt; & maximè hoc loco Stephano, qui plenus eſſe dicitur Spiritu ſancto; neque tā ipſe, quā in ipſo Spiritus ſanctus loquebatur; & cui facilè contradixiſſent aduerſarij, qui neque æquis auribus audiebant Stephanum, neque Hebraicæ antiquitatis erant ignari. At hi dicuntur non potuiſſe reſiſtere ſapiētiæ, neque Spiritui, qui loquebatur. Fateor in eum locum, & in eas anguſtias coactum eſſe Stephanum, vt aliis non memoria ſolùm, ſed mens etiam ipſa excidere potuerit; at quis hoc de Stephano ſuſpicetur, quem in eo motu, ac tempeſtate bonus gubernator Spiritus ſanctus & aſflabat, & moderabatur? Quare his ſententiis relictis, aliíſque pluribus, quibus & commemorandis, & refellendis ſuperſedeo, ne longus ſim, alia nobis via ineunda eſt, quæ ſi nō omnino facilis, minùs tamen difficultatis habeat.

Sanctus Hieronymus epiſt. 101. indicat differre Stephanum à Moyſe, non quidem ſenſu, ſed dicendi figura: vbi promittit huius ſe nodi alibi ſolutionem allaturum, quam non habemus, vel quia illam ſcribere non potuit, aut quia cùm ſcripta iam eſſet, forſan interiit. Mihi hoc idem viſum eſt, nihil præter verborum formam inter Moyſem, atque Stephanum eſſe diſcriminis. Cenſeo igitur in Abrahami nomine Iacob intelligi; id ſi aſſequor, non erit quòd in narratione Stephani quicquit aut addam, aut inuertam. 45.

Duæ mihi rationes nunc occurrunt huius difficultatis extricandæ; prior ex parentum cum liberis coniunctione adeò arcta, vt parentes, & filij idem moraliter cenſeātur. Quare quæ filij faciunt, parentibus, & rurſus, quæ faciunt patres, filiis nonnunquam tribuuntur. Poſterioris partis exempla ſunt in hac ipſa materia, quam nunc verſamus accommodata: nam cùm ſepulchrum in Hebron emptum fuerit ab Abrahā, & Iacob Gen. 49. idipſum fateatur, tamen ſtatim cap. 50. Ioſeph dicit 46. Reg. Parentū facta filiis attributa.

emptum

emptum eſſe à Iacob: ſic enim inquit ad Pharaonem. *Pater meus adiurauit me dicens; En morior in ſepulchro meo, quod fodi mihi in terra Chanaan, ſepelies me.* Fodere autem hoc loco emere eſt, eſt enim Heb. כרה quod etiam *emere* ſignificat, vt Oſeæ cap. 5. *& fodi eam mihi quindecim argenteis*, &c. Et filij, & nepotes Ephraim, & Manaſſe; & nepotes, ac pronepotes Benjamin dicuntur ingreſſi in Ægyptum cum Iacob, quia ipſorum parentes ingreſſi ſunt: & Leui ſoluiſſe decimas Melchiſedech ad Heb. 7. quia ſoluit eius proauus Abraham; de quibus paulo antè pluribus. Et 1. Reg. cap. 21. Achimelec conſuluiſſe traditur Deum pro Dauid. & illi panes propoſitionis dediſſe, cuius rei gratiâ occiſus eſt à Saül: ſed illud contigiſſe dicit Marcus cap. 2. Abiathar, qui eius erat filius. Scio huius loci alias eſſe ſolutiones; ſed hæc non videtur omnino figere.

Altera pars, quæ magis ad rem, quæſtionémque propoſitam facit, exemplis abundat, eiſque non infirmis in Scriptura, quæ ſtatim adducemus; vbi alteram explicandæ difficultatis viam oſtenderimus; nam vtriuſque partis eadem propemodũ ſunt exempla.

47. Reg. Nomina maiorum etiam im mutata, patrony mica ſunt

Ego quidem hoc loco *Abraham* patronymicè ſumi puto pro *Abrahamide*, id eſt, pro Iacobo Abrahæ nepote: nam patronymica ab auis quoque ac proauis deduci ſatis notum eſt. Et quidem ſi *Abraham* eſt in genitiuo, vt putat Vatablus, & Cantapetrenſis lib. 6. hypot. cap. 1. res eſt indubitata; ſubauditur enim *filius* aut *nepos*. Et hæc eſt communis ratio apud Hebræos exprimendi patronymica: dicuntur enim Moabitæ, & Ammonitæ, filij Moab, & filij Ammon, Sionides, & Moabitides, filiæ Sion, & filiæ Moab. Et verò apud Græcos notum eſt genitiuum, ſi articulus præcedat, patronymicè ſumi, vt ὁ κλινίου, ὁ σωφρονίσκου, id eſt, *Alcibiades, & Socrates Cliniæ, & Sophroniſci filij*. Quod etiam ſæpe fit apud Hebræos, vbi parentum nomina ponuntur in obliquo, & in illis intelliguntur filij; vt oſtendit ſatis longa illa progenitorum ſeries, quæ eſt apud Lucam cap. 3. *qui fuit Heli, qui fuit Matha*, &c. vbi intelligitur *filius*.

Sed etiamſi in recto ſit *Abrahã*, patronymici tamen vim habere poteſt: nam patrum nomina ſine vlla mutatione pro poſteris vſurpari ſatis eſt in Scriptura frequens: vnde *Iſraël, Edom, Moab, Madian*, pro *Iſraëlitis, Idumæis*, &c. ſæpe legimus. At dices tunc ita reperiri, quando pro Gente ſumitur, non pro ſingulari aliqua perſona. Fateor illud viſitatum eſſe magis: verùm & hoc etiã in vſu frequens apud Hebræos; nã vbi Dan Gen. 41. *ceraſtes* dicitur, *& coluber*, & Benjamin *lupus rapax*, de horum filiis Samſone, & Paulo vaticinium eſſe exiſtimatur. Neque id ſolùm Patriarchis, id eſt, familiarum principibus, & authoribus propriũ: nam aliis etiam, qui in eo numero non ſunt, id commune eſt. Gen. 11. ab Arphaxad dicitur genitus eſſe Salé; ſed Lxx. ibidem, & Lucas cap. 3 dicunt Salem genitum à Cainan, & hunc ab Arphaxad. Quare *Arphaxad* vel patronymicum eſt, vel certè quod filij proprium eſt, parenti adhibetur. Et Gen. 46. Lia dicitur genuiſſe filios 33. in his autem commemorantur nepotes, & pronepotes ipſius. Et Benjamin ibidem genuiſſe dicitur quoſdam, qui 1. Paralip. 7. vocantur nepotes: & Mat. c. 1. Iorã genuiſſe traditur Oziã, qui tamẽ abnepos fuit, & ab illo quartus. 48.

49. Scio ſuprà dicta exempla ita exponi poſſe,& ſolere, vt non admodùm vrgeant pro noſtra ſententia; nam ſicut aui, ac proaui dicuntur patres,quia ab illis mediatè poſteri naſcuntur,ſic etiam dici poſſunt mediatè nepotes ſuos genuiſſe. At quæ iam produco, non video quo alio modo accipi poſſint. Cùm ſermo eſſet 3.Reg. cap.12. de Roboam nepote Dauid,dixit inſenſus populus. *Quæ nobis pars in Dauid, aut quæ hæreditas in filio Iſai? Vide domum tuam Dauid*,&c. & cùm Ieroboā 3. Reg. 15. bellum gereret cum Abia filio Roboam , bellum dicitur geſſiſſe cum Roboam; quòd verò is Roboam eſſe non potuerit , ſed eius filius, certum eſt ex cap. 14. antecedenti,vbi mortuus eſſe traditur Roboam. Et explicatur magis 2. Paralip. cap. 13. vbi qui illic dicebatur Roboam, hîc vocatur Abias. Sanè Chriſtus dicitur Iacob,& Iſraël Iſa. cap.49.v.3. *Seruus meus es tu Iſraël, quia in te gloriabor*:& capite 42. iuxta verſionem Lxx. *Iacob puer meus, aſſumam eum; Iſraël electus meus*.Quē locum videtur B. Virgo reſpexiſſe in ſuo cãtico,cùm dixit;*ſuſcepit Iſraël puerum ſuum*.Luc.cap.1.vbi in *Iſraël* Chriſtū intelligit, vt pluribus oſtēdimus in cap.42.Iſai.num. 23.Certè Dauid ſine vlla controuerſia pro Chriſto ponitur, vt docet Auguſt. tom.4.lib.de octo Dulcitij quæſtionibus quæſt.5. & vltim. & latè Galatinus lib.3.cap. 23. & ſunt aperta teſtimonia.Ierem. cap. 30. *Seruient Dauid Regi ſuo, quem ſuſcitabo eis*. Ezech.34.*Suſcitabo ſuper eum ſeruum meum Dauid. Ego autem ero eis in Deum , & ſeruus meus Dauid Princeps in medio eorum*. Et Salomon itē pro Chriſto ponitur; quia Salomonides fuit,vt tradit Genebrardus in titulo Pſalmi 71. vbi docet paſſim apud Hebræos vſurpari nomina propria pro patronymicis,& gentilibus.Neque hoc proprium eſt Hebræis;ſed commune cum aliis etiam nationibus , apud quas parentum nomina ſine vlla mutatione,ac flexu pro patronymicis adhibentur. Vnum nobis Troianorum genus plura ſuppeditabit exempla. A Troë Tros vocatur Troianus Æneid. 6.

Tros Anchiſiade , facilis deſcenſus Auerni.

Et lib.1.idem:

Tros, Tyriuſq; mihi nullo diſcrimine agetur.

A Dardano,qui Troianæ gentis parer,& author fuit, iuxta illud lib. 8. Æneid.

Dardanus Iliacæ primus pater vrbis, & author.

Troiani dicuntur frequenter Dardanidæ ; ſed iidem ſine vllo flexu appellantur Dardani. Æneid. 4. ſic Dido de Ænea Dardanide.

Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus , & noſtræ ſecum ferat omina mortis.

A Teucro item parente, quàm ſæpe Troiani dicantur Teucri,nemo non videt. Neque minùs ſæpe à Danao Argiuorum Rege Argiui,& per ſynecdochem Græci omnes appellantur Danai. Hyperionis filius à poëtis dicitur Sol:ſed idem eodem omnino, quo pater , nomine vocatur Hyperion.Cicerò in Prognoſt.

Vt cùm Luna means Hyperionis officit orbi.

Et Ouid.lib.1.Faſt.

Placat equo Perſi radiis Hyperiona cinctum.

Facit ad hoc non parum , quòd à Romulo gens Romana dicitur *Romula* ab Horat.4.lib.Carm. Ode 5.& in Car.ſæculari,& *tellus Romula* à Virgilio lib. 6. Æneid. Quod parum

rum abeſt à patronymicis. Ex his credo, aliſſque, quæ ne longus ſim, libens omitto, ſatis ſit probabile in patrum nominibus intelligi poſteros. Quare, neque mirum, neque rarum videri cuiquam debet, ſi in hoc loco, & obſcuro maximè, & à multis vexato, in Abraham, vſitato Scripturæ more, Iacob nepotem intelligamus. Quo ſemel conſtituto, cætera facilè, & ſine offenſione currũt.

50. *Pretio argenti.*] De hoc agro varia traduntur. Gen. 33. Emptus eſſe dicitur à Iacob centum agnis maſculis, vt oſtendit in textu Græco forma maſculina. Ioſue vltimo, cẽtum nouellis ouibus. Hîc à Stephano emptus eſſe traditur pretio argẽti. Gen. 48. acquiſitus arcu, & gladio. Hæc à nobis ſingulatim excutienda ſunt. Et primùm, quocũque legas modo, nihil afferes incommodi explicationi Stephani; nam ipſe tantùm dicit emptum eſſe agrum pretio argenti; id eſt, eo quod argẽti valorẽ habet, vel argento æſtimatur. Sed quia res eſt obſcura, illi nos aliquid lucis afferre tentemus. Pro *agnis*, ſiue *nouellis ouibus*. i. *agnabus*, Heb. eſt קשיטה *Keſitah*, quæ vox *nummum* etiam ſignificat. Quare quidam vertendum eſſe putant *centum nummis*: & in his Eugubinus, qui ſatis audacter reprehendit Hieronymum, qui pro *nũmis* reddiderit *agnas*. Et putat pro *μνῶν*, id eſt, *mnis*, *ἀμνῶν*, id eſt, *agnos* apud Lxx. legiſſe Hieronymum. Sed ſanè neque *ἀμνῶν* habent Lxx. ſed *ἀμνάδων* Ioſue vltimo, vbi eſt eadẽ vox קשיטה *Keſitah*. Quam vocem Iob. c. vltim. *oues* etiam interpretatur Paraphraſis Chaldaica, & Lxx. Quare nõ eſt cur Eugubinus rantopere Hieronymum reprehendat; etiamſi ſuæ ſententiæ patronos habeat Rabbinorum aliquos, quos in radice קשט *Keſet* adducit Pagninus.

51. Ego ſic exiſtimo vocem קשיטה *Keſitah* propriè ſignificare *pecudes*, quibus in rebus contrahendis pro nummis olim vtebantur antiqui. Et quemadmodum à Latinis pecunia à pecu dicta eſt, quia in cõmerciis pecudũ loco ſuffecta, ſic etiam Hebraica vox *nũmum*, ſignificat, non propriè, & ex inſtitutione prima; ſed quia pecudibus in contrahendo ſucceſſit. Facit ad hoc valdè quod apud nationes alias pecudes pecuniarũm loco ſæpe adhibẽtur. Obſeruat Gellius lib. 11. c. 1. apud Romanos olim cũ mulcta imponeretur pecuniaria, pro pecuniis tamen oues nominari; in maſculino tamen genere, quia ibi nummus intelligitur. Et Decabæus mulcta erat pecuniaria in Draconis legibus; cùm tamen *decem boues* ſonet. Similiter apud nationes alias pecuniæ earum rerũ nominibus appellantur, quarũ notãtur effigie. Atticæ pecuniæ dicuntur *noctuæ*: Corinthiæ *chelonæ*, quia ille noctuarũ, hæ teſtudinum imprimebãtur charactere. Apud Hiſpanos qui domus ſibi mancipium retinuit, relicto aliis vſu, gallinarũ penſionẽ imponit inquilino, qui tamẽ plerũque penſitat tantùm argenti, quãtum gallinarum pretiũ eſt; & tamen dicitur gallinas penſitare. Huic affine eſt, quòd cùm olim annua ſeruorũ merces ſal eſſet, aut cõgius; iam mutata materia, illa merces dicatur congiariũ, aut ſalariũ, licèt pecunia cõpenſetur ſeruilis opera, nõ ſale. Cùm ergo Iacob pecuniam exoluit, pecudes ſoluiſſe dicitur; quia pecudibus olim res æſtimabantur.

Oues olim pro pecunia.

Decabæus

52. Neque eſt quòd nos conturbet, quòd modò *agnas*, ſeu *nouellas oues* interpretetur Hieronymus, modò *agnos*, quia vſitatũ eſt in Scriptura, vt in genere maſculino fœmineus etiam ſexus intelligatur, vt docuimus in illud Pſal. 67. *congregatio taurorum in vaccis populorum.*

Digitized by Google

Ager emptus cur dicatur acquiſitus gladio.

53. Supereſt iã videamus cur Iacob Gen.48. dicat non emptũ agrũ, aut agnis, aut argento; ſed ſublatum ab Amorrhæo in gladio, & arcu. *Do tibi* (inquit) *partem vnã extra fratres tuos, quã tuli de manu Amorrhæi, in gladio, & arcu meo.* Quidam exiſtimant prædium illud emptũ eſſe priùs à Iacob; deinde verò, cùm Sichimitæ viderẽt tantam ſtragẽ editam in Sichem à filiis Iacob per fraudẽ, cùm grauiſſimus eſſet ex circũciſione dolor; vellẽtque tãtæ cædis authores ex ſuis finibus pellere, atque adeò de agro pecunia priùs cõparato deturbare, arcu, & gladio veterem poſſeſſionẽ contra Sichimitarũ vim, & iniuriam ab eo conſeruatam. Eſt fortaſſe id verum, & facilè conciliat minùs inter ſe cohærentia Scripturę loca; ſed non videtur veriſimile, hæc omiſſurum fuiſſe Moyſem, qui ibidem alia multo minora prodiderit. Plures explicationes huius dubij attulit copiosè, & eruditè Pereira in caput 48. Geneſ. Ego hîc paucis aperiam quod ſentio.

Cur omnes populi ab Hebræis debellandi dicti Amorrhæi.

54. Primò, mihi certũ eſt eſſe eundẽ agrũ, quẽ Iacob centũ agnis emit, & quẽ idem dicit in arcu, & gladio ab Amorrhæis eſſe ſublatũ. Nã quòd ager ille fuerit iuxta Sichem, quæ & Sichar dicitur, ſatis cõſtat Gen.37. & Ioſue vlt. quòd ille à parente datus fuerit Ioſepho, docet Ioan. c. 4. his verbis. *Venit Ieſus in ciuitatẽ Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxta prædiũ, quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo.* Neque vlla apparet ratio, cur in eo agro potiùs, quàm alio in loco honeſtiori oſſa Ioſephi condi debuerint, niſi quòd illa propria eſſet Ioſephi poſſeſſio, quam à tanto viro in eo temporis articulo donatam plurimi, vt par eſt, faciebat Ioſephus. Neque ratio illa valdè in oppoſitum premit, quòd Hemor à quo ablatus eſt ager ille, Heuæus fuerit, non Amorrhæus, quia cùm in terra Chanaan Amorrhæi eſſent potentiſſimi omnium, atque fortiſſimi, aliis etiam populis nomen indidêre. Sicut contigit Aphricanis, imò & Mahometanis omnibus; qui ab Hiſpanis vulgò Mauri dicuntur, quia Mauritania Hiſpanicis rebus maximè olim, hodiéque infenſa fuit. Quare cùm de habitatoribus terræ promiſſionis ſermo eſt, quæ à multis gentibus tenebatur, omnes illæ ſæpiſſimè in Scriptura Amorrhæorum nomine ſignificantur. Geneſ. 15. *Nondum impletæ ſunt iniquitates Amorrhæorum.* Amos capite 2. *Ego ante te exterminaui Amorrhæum.* & infrà. *Eduxi vos in deſerto quadraginta annis, vt poſſideretis terram Amorrhæi.* vbi omnino ſermo eſt de tota terra promiſſionis; quam tamen alij præter Amorrhæos occupauerant. Quid ergo mirum ſi Hemor, qui Heuæus erat, à Iacob dicatur Amorrhæus?

Arcus & gladius Prouerbialiter.

Secundò, mihi valdè probabile eſt, arcu, & gladio comparatum eſſe agrum, idem eſſe atque pecunia emptum; quod indicat Hieronymus in traditionibus Hebraicis, cùm hunc exponens locum ait: *Do tibi Sichimam, quam emi in fortitudine mea, hoc eſt, in pecunia quam multo labore, ac ſudore quæſiui.* Et eſt, meo iudicio, explicatio ſatis Hebræorum phraſi accõmodata, apud quos cùm laborioſa, atque ærumnoſa vita *militia* vocetur, & *certamen* & viuere, quoddam *militare* ſit, attemperatiſſimè labor, & ſudor, gladius, atque arcus nominantur: ſudorem verò, atque laborem pro eorum mercede ſumi ſatis notum eſt. Quod vt magis confirmem, addo *arcum*, & *gladium* videri Prouerbialiter ſumi pro labore, potẽtia, atque induſtria; quod 55. Gen.48.

quod ex eo fit mihi veriſimile, quia ſæpe Scritura his nominibus vtitur vbi de bello ſermo non eſt. 1. Reg. cap. 2. Anna mater Samuelis iam à ſterilitatis infamia liberata, ſic canit. *Arcus fortium ſuperatus eſt, & infirmi accincti ſunt robore*, id eſt, humiliati ſunt potentes; & ærumnoſi excitati. Et Iob. cap. 20. *arcus æreus* pro maxima calamitate ponitur; *irruet in arcum æreum*. & cap. 29. *Arcus meus in manu mea inſtaurabitur*. Sic etiam puto Gen. 48. Iacob ſignificare voluiſſe magni ſtetiſſe ſibi agrum illũ, cùm emptus ſit ea pecunia, quam longa, ac dura viginti annorum ſeruitute ſibi parauerat. Hiſpani cùm magno ſtudio, ac ſumptu aliquid conſecuti ſunt, ſic fere loquuntur; *Ganelo a fuerca de armas, o de bracos, eſſa quelo por punta de lanca*. Hæc mihi præter cæteras explicationes maximè placet, quia cum aliis Scripturæ locis conſentit. Neque ratio deeſt cur eo genere loquendi vſus fuerit eo temporis veſtigio Iacob: nam cùm Ioſeph potentiſſimus eſſet in terra Ægypti, quid illi legare extra fratres ſuos poſſet Iacob, tãto Principe non indignum? Ideo neque agnorum meminit, neque argenti, quia hæc vilia videri poterant homini, qui in ampliſſimo Imperio, ſolóque pinguiſſimo ſecundus eſſet à Rege. Idcirco meminit laboris longi, ſudoris diuturni, qui, vt dixi, in arcu, & gladio ſignificantur. Quî enim fieri poterat, vt ſapiens filius, & ingenio non illiberali, parentis ſudores, & ærumnas gratus, & lubens non admitteret? imò mihi valdè fit probabile, Ioſephum memorem, & parentis ſui laborum, & paternæ indulgentię edixiſſe fratribus, ſe vt in Sichem agro ſibi in teſtamento legato ſepelirent. Id certè fecerunt poſteri, Ioſue capite vltimo.

Aliæ ſe mihi ſolutiones offerebãt huius loci, quas, quia ad plauſum magis, quem, proh dolor, & pudor! plerique auidiſſimè captant, quàm ad veritatem ſunt, libens omitto. Illud verò, quod etſi minùs probem, quia tamen ad mores vtile, & à Iacobi ingenio non alienum, non omittam; videri arcum, & gladium, quo agrum, aut acquiſiuit, aut conſeruauit Iacob, eſſe orationem, & preces. Ita exponit Chaldæus Paraphraſtes; *quam tuli*, inquit, *de manu Amorrhæi oratione mea, & obſecratione*. Neque nouum eſt in Scriptura, vt oratio vocetur *arma*. Ad Epheſ. 6. vbi Apoſtolus ſpirituali panoplia Chriſtianum militem armauit, concludit; *per omnem orationem, & obſecrationem orantes omni tempore*. Apriſſimè autem Iacob orationem appellat arcum, & gladium ſuum: quia paulo antequam agrum emeret, retinerétque, cùm tamen ageret inter offenſos Sichimitas, luctatus fuerat cum Angelo, audierátque ab eo prę-ualiturum ſe cõtra homines, quandoquidem potens fuiſſet contra Deum: præualiturum, inquam, illis armis, quibus potens fuerat contra Deum; ſed fuerat omnino potens non arcu, aut gladio, ſiue lacertis; ſed oratione, & gemitu; hæc enim contra Deum maximam vim habent. Luctatum Iacob lacrymis, & precibus dicit Oſeas cap. 12. *Inualuit ad Angelum, & confortatus eſt; fleuit, & rogauit eum*. Expertus ergo vim orationis Iacob recenti victoria, eadem ſe ſtatim contra vim, & arma Sichimorum armauit. 56. Oratio telum fortiſſimum.

Ab Hemor filio Sichem.] Moyſes patrem Sichem vocat: ſed Stephanus nihil dicit contra Moyſem; tantùm enim dicit τοῦ Συχὲμ in genitiuo. Quare ſubaudiri poteſt tam filius, quàm pater. Noſter Interpres 57.

Digitized by Google

filium poſuit, quia id magis, ad conſuetudinem Hebræorum, qui communiter patrem in genitiuo ponunt, vt, *qui fuit Heli, qui fuit Matthat*, nempe *filius*. Lucæ cap. 3. & cap. 6. *Iacobus Alphæi* dicitur, & *Iudas Iacobi, filij* ſine dubio. Neque tamen malè vertit Interpres; neque quicquam contra Moyſem, licèt aliquid dixerit, quod Moyſes non explicuit: nam verba à vulgato reddita duplicem poſſunt habere sẽſum, & vtrũque verum. Alter, vt *Sichem* non ſit proprium viri nomen, ſed vrbis: & tunc filius Sichem, erit idem qui Sichimita; ſicut filius Moab, Moabita. Alter, qui mihi magis probatur, eſt; ſi duos dicamus vocatos eſſe Sichem, alterum patrem, aut alio gradu progenitorem Hemor; alterum eius filium. Quòd verò aliquis Sichem maior fuerit Hemor, conſtat ex ipſo ciuitatis nomine, quæ, vt liquet ex cap. 12. Gen. tempore Abraham Sichem appellabatur, quæ ab vrbis conditore veriſimiliter nomẽ accepit; ſicut Roma à Romulo; Niniue à Nino. Neque Sichem filius Hemor à ciuitate nomen accepit; id enim inſolens: ſed à parẽtibus, quod vſitatum maximè. Fuit itaque Hemor, & pater, & filius Sichem, ſicut Nachor pater, & filius fuit Thare. Ait ergo Stephanus Hemor eſſe filium Sichem, eius nempe qui ciuitatis, & familiæ princeps fuit, idque magis ſecundùm Hebræorum conſuetudinem. Moyſes verò patrem appellauit Sichem, vt clarior eſſet, & magis expedita narratio, quia ſtatim acturus erat de illius Sichem iunioris intemperantia, & cæde; & ideo de illius genere priùs actum oportuit.

Verſ. 17. *Cùm autem appropinquaret tempus promiſſionis, quam confeſſus erat Deus Abrahæ, creuit populus,* &c.] Appropinquationem vocat 87. annorum ſpatium, quod egreſſum Hebræorum anteceſſit. Promiſſio autem erat, quòd quarta generatione in terram Chanaan Abrahæ genus reuerteretur. Gen. c. 15. Pro, *confeſſus*, Græcè, ὤμοσεν, id eſt, *iuramento promiſit*. Sed bene reddidit Interpres: nam *confeſſio* aliquid publicum indicat, ac ſolemne, in quo plerumque interuenire ſolet iuriſiurandi religio. Porrò illud *creuit*, pro pluſquam perfecto ſumitur: neque enim appropinquante promiſſionis tempore augeri incepit ille populus; ſed iam inde ab ingreſſu in illam in incredibilem multitudinẽ cœpit ſoboleſcere. Vide Salmeron. Proleg. 15. Reg. 4. vbi plurima exempla producit, vbi præteritum tempus adhibetur pro pluſquam perfecto. 58.

Verſ. 18. *Quò vſque ſurrexit alius Rex in Ægypto, qui non ſciebat Ioſeph.*] Id eſt, qui non curabat merita Ioſeph, neque gratus erat eius officiis. Eſt enim interdum *cognoſco* idem quod *probo, faueo, curo*. Pſal. 36. *Nouit Dominus viam immaculatorum.* Amos 3. *tantùm cognoui vos ex omnibus gentibus terræ.* 59. Regul. *Cognoſcere* fauorem indicat.

Verſ. 22. *Eruditus eſt Moyſes omni ſapientia Ægyptiorum.*] Antiquiſſimam, & variam eſſe Ægyptiorum ſapiẽtiam docet Iuſtinus Martyr q. 25. ad orthodoxos. Clemens Alex. lib. 1. Strom. non longè à fine. Philo de Vita Moyſis lib. 1. quam hauſerunt primùm ab Iſide, quæ, vt docet Aug. lib. 18. de ciuitate cap. 40. ex Varrone, Ægyptiis literas, & diſciplinas tradidit. Sed acceperunt Ægyptij plura, longéque meliora documenta à Iacob, qui apud eos 17. annos commoratus eſt; 60. Moyſes ſapientiſſimus.

eſt; qui ſine dubio maximus fuit Philoſophus,vt oſtendit ratio excogitata multiplicandi gregis; & à Ioſeph, cuius ſapientia erat omnibus nota; & ideo ſapientibus Ægyptiorum à Pharaone magiſter datus eſt,vt indicat Pſal.104.*Vt erudiret Principes eius,ſicut ſemetipſum,& ſenes eius prudentiam doceret.* Eſt autẽ veriſimile à Iacob,& Ioſeph tradita eſſe quãplurima Ægyptiis,quæ nos habemus in Scriptura,vt de formatione hominis, de diluuio, de turre Babylonis,de Paradiſo,de lapſu Angelorũ: & ab iis rurſus accepiſſe Græcos, inuoluiſſeque obſcurè, & magna ex parte mendosè in ſuis fabulis. Vide Clementem Alexandrinum lib 6.Strom.non longè à principio; & Eugubinum lib.8. & 9.de perenni Philoſophia. Qua de re nonnihil Martinus Roa libro 5.ſingul. capite 6.

Ægyptij docti à Iacob,& à Ioſeph.

61. Has ergo diſciplinas didicit Moyſes, non ſolùm humanas, & quaſi vernaculas Æygptiorum; ſed etiam ſacras,quas Ioſeph, & Iacob tradiderunt:tum vt maiorem haberet opinionem ad externos; tum vt faciliùs à falſa depelleret,& in vera Religione contineret ſuos. Quemadmodum multis pòſt ſæculis Daniel Chaldæorum didicit diſciplinas. Dan. 1. Quanto verò vſui eſſe poſſint prophanę diſciplinæ,docuit Pereira in allegatum cap. Daniel. & re ipſa oſtenderunt Auguſt. & Clemens Alex. dum agunt contra Gentes; alter in libris de ciuitate Dei, alter in Stromatis. Quam ob cauſam ſapientes noſtri non ſolùm ſana, atque vtilia; ſed etiam vana, ac noxia doceri, commodum putarunt conſiliis ſuis. Noſtræ Societatis viri,qui apud Sinas, & Iaponios agunt, illorum errores ſtudioſiſſimè ediſcunt, idque non prudenter ſolùm;ſed etiam ſanctè,ac neceſſariò:quo enim modo aliter dedoceri poſſent, & euerti? Salomon ſanè bonam ſapientiæ ſuæ partem eſſe duxit noſſe hominum ſtultitiam. Eccleſ. 1. *Dedi cor meum, vt ſcirem prudentiam, atque doctrinam, erroréſque ac ſtultitiam*; & Eccleſiaſtic. cap. 39. in ſapientis laude, atque officio ponit, vt hæc etiam ſectetur & diſcat. *In terram* (inquit) *alienarum gentium pertranſiet; bona enim, & mala in omnibus tentabit.* Neque ſymbolica, atque hieroglyphica Ægyptiorum doctrina inutilis fuit, aut otioſa Moyſi: vt enim ait Clemens Alexandrinus lib. ſexto Stromatum,ſalutaria moralium virtutum, & Religionis documenta per ſymbola quædam, & hieroglyphicas notas adumbrauit:& Deus Hebræorum ſe moribus accommodauit, qui cùm ſcientiæ hieroglyphicæ Ægyptiorum eſſent aſſueti, hieroglyphicis ſignis documenta tradidit quamplurima. Ideo prohibuit ne boui trituranti bos alligetur; ne diuerſo ſemine ſeratur ager;ne veſtis ex lana,linóque texatur; ne in cibum adhibeatur auis, quæ volat ſimul,& natat. Vide Clementem Alexandrinum lib.4.Stromat.Ariſteas lib.de LXX. Interpretibus,qui eſt in 2. tom. Bibliothecæ, tradit ſummum Pontificem Hebręorum Eleazarum percontãtibus legatis Ptolomæi cur Moyſes à multis, quæ eſculenta eſſent, & lautorum menſis expetita, abſtinendum eſſe præcepiſſet; reſpondit, præcepta à Moyſe tradita, quæ de quorundam animalium eſu cauent, eſſe ſymbolica, & hieroglyphica, qualia Ægyptiorum. Eiuſmodi ſunt ſymbola Pythagoræ, quorum multa

Cognitio externarũ diſciplinarũ, atque etiam errorũ vtilis.

Multa documenta in ſymbolis à Moyſe data.

multa Hieronymus explicuit lib. 3. Apologiæ contra Ruffinum.

63. *Moyſes eloquens.* *Erat potens in verbis, & operibus ſuis.*] Id eſt, cuius oratio grauis erat, & plena dignitatis. Quòd enim eloquens fuerit ipſe de ſe videtur indicare Moyſes Exod. cap. 4. vbi ex diuino colloquio ereptam ſibi eſſe dicit eloquendi facultatem. *Non ſum eloquens*, inquit, *ab heri, & nudius tertius, & ex quo locutus es ad ſeruum tuum.* Ac ſi dicat: eam eloquentiam, quæ videbatur eſſe mihi non vulgaris, tuus mihi conſpectus, & ſermo eripuerunt. Ita putant Doctores multi. Orig. hom. 3. in Exod. Greg. hom. 8. in Ezech. Philo lib. 1. de Vita Moyſis, & hîc apertè Stephanus, qui antequam ex Ægypto decederet, in verbis potentem eſſe dicit, id eſt, in perſuadendi facultate. Theodoretus q. 11. in Exodum rationem reddit cur Deus exilis, atque impeditæ vocis fecerit Moyſem, quem cum tam grauibus mādaris ad Pharaonem legabat. *Hoc*, inquit, *diuinam potentiam magis illuſtrabat: quemadmodum enim piſcatores, publicanos, & coriarios veritatis prædicatores, & Doctores pietatis creauit, ſic per vocem infirmam, & linguam tardam confundit ſapientes Ægypti.* Aug. q. 7. in Exod. putat ab initio impeditioris linguæ fuiſſe Moyſem; illud verò *& ex quo cœpiſti loqui famulo tuo*, ſignificare, neque ex diuino colloquio ſolutum ſibi eſſe linguæ impedimentum. Sed non video quomodo hæc conciliari poſſint cum verbis Stephani. Quàm verò fuerit Moyſes in operibus potens, prodit Ioſephus lib. 2. Ant. cap. 3. vbi res bello ab eo præclarè geſtas deſcribit. Eodem orationis genere laudatur Chriſtus Lucæ 24. *Fuit*, ait, *potens in opere, & ſermone coram Deo.*

Verſ. 23. *Aſcendit in cor eius, vt vi-*
ſitaret fratres ſuos.] Licèt in Scriptu- 64. *Moyſes non peccauit occidens Ægyptium.*
ra, *aſcendere in cor*, plerumque ſignificet, *in mētem venire*; hoc tamen loco exiſtimo eſſe *diuina inſpiratione afflari.* Eſt enim ſatis veriſimile afflatu diuino adductum eſſe Moyſem, vt fratres videret, qui diuerſo ab Ægyptiis loco morabantur; & eodem afflatu inductū, vt Ægyptium iuſtiſſima morte, vtpote crudeliter vexantem Hebræos, & tunc, vt tradit Philo in Vita Moyſis, ad mortem vſque cædentem quendam ex eo genere occideret. Et ita tradit S. Thomas 2. 2. q. 61. ar. 5. quod videtur omnino colligi ex hoc loco, vbi ſic Stephanus. *Exiſtimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manus ipſius daret ſalutem illis*; id eſt, exiſtimabat ſcire alios, quod ipſe Deo reuelante cognouerat, natum ſe ad futuram Hebræorum libertatem: vel certè id à parente didicerat, cui Deus, vt author eſt Ioſephus lib. 2. Ant. cap. 5. prædixerat futurum, vt populus tunc afflictus, & miſer ab eius filio in libertatem, & honorem educeretur. Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum cap. 70. putat Moyſem peccaſſe, quia priuata authoritate interfecit Ægyptium: idem tamen q. 2. ſuper Exod. conuictus Stephani teſtimonio eundem ab omni culpa liberat: quia putat diuinam interceſſiſſe monitionem. Neque deeſt in Scriptura aliquod huius inſpirationis veſtigium, vt ſtatim dicemus; neque ſi nullum haberemus, eſſet omnino negandum. Nam & Phinees, & Samſon diuino acti inſtinctu moliti ſunt impiis hominibus cædem, hic Philiſtæis, ille fœdè luxuriantibus: neque tamen conſtat de inſpiratione diuina.

Quod Ioſephus tradit de reuela- 65.
tione facta Amram parenti Moyſis, quòd filius eſſet à ſeruitute liberaturus

turus Hebræos, videtur confirmari
ad Heb. 11. ex eo ad Heb. cap. 11. *fide Moyſes na-
tus occultatus eſt menſibus tribus. At
quę poterat fides eſſe, qualem hîc
Paulus commendat, niſi de Moyſe
aliquid Deus parenti reuelaſſet? Ne-
que contrà facit, quod Paulus hîc,
& Moyſes ipſe de ſe narrat Exod. c.
2. occultatum eſſe, eo quòd viſus eſ-
ſet eleganti forma: nam fieri po-
tuit, vt, cùm videret Amram tan-
to ſtudio ab Ægyptiis Hebræorum
infantes ad necem quæri, dubitaue-
rit an recèns natus puer illam quaſi
necis neceſſitatem effugeret: con-
firmatus verò formæ venuſtate, &
iam de oraculi fide certus contra
Regij Edicti ſeueritatem animum
ſumpſerit, puerúmque tribus men-
ſibus occultauerit. Fuit ergo Amræ
parenti pueri elegans, & liberalis
forma, quod Gedeoni vellus rore
madens; quod Ezechiæ in horolo-
gio vmbra retrò conuerſa, quod
Moyſi transformata in ſerpentem
virga; quibus confirmati, quod au-
dierant antè diuinitùs crediderunt.
Id autem veriſimile eſt, notum eſſe
Hebræorum multis; certè ita puta-
bat Moyſes, vt, hîc apertè Ste-
phanus.

66. Cæterùm quòd hîc Srephanus
dicit: *aſcendit in cor, vt viſitaret fra-
tres*; idem eſſe exiſtimo, atque id
quod Paulus ſcribit ad Heb. 11. *Fide
Moyſes grandior factus negauit ſe eſſe
filium filiæ Pharaonis, magis eligens
affligi cum populo Dei, quàm tempora-
lis peccati habere iucunditatem.* Ex quo
fit illud, *viſitaret*, non ſignificare
inane quoddam ſtudium, aut offi-
cium vrbanitatis, quale præſtari cō-
muniter inter cognatos ſolet; ſed vt
cum illis maneret, eadem pateretur,
communes haberet rationes, & cō-
ſilia cum illis de libertate confer-
ret. Quod re ipſa eſt negare Regium
genus, neq; enim cum alienis à Re-
gio cultu, & loco hominibus agere,
& eandem cum ipſis velle ſubire
ignominiam, eius eſt, qui Regias
opes, aut delicias amet.

Verſ. 29 *Fugit autem Moyſes in ver-
bo iſto.*] Exod. 2. Moyſes de ſe ipſo 67.
affirmat timuiſſe, & propterea ſe fu-
ga Regio furori ſubduxiſſe. Neq; de
hoc vllo modo videtur eſſe dubitā-
dum; præſertim cùm c. 4. cùm Deus
iubet, vt ſe rurſus in Ægyptum refe-
rat, dixerit. *Vade, & reuertere in Æ-
gyptum; mortui ſunt omnes, qui quære-
bat animam tuam.* Eſt tamen diffici-
le Paulum ad Heb. 11. cum Moyſe de
ſe ipſo loquente componere; dicit
enim Paulus de Moyſe. *Fide reliquit* ad Heb. 11.
*Ægyptum non veritus Regis animoſi-
tatem.* Græcè θυμὸν, id eſt, *iram, & fe-
rocitatem* Multi hîc conātur à Moy-
ſe metum omnem eripere. Alij ita
metum fuiſſe dicunt in Moyſe, vt in
eo nihil ſit ignobile, nihil infirmum,
quia ſe prudenter abſtulit inſtanti
periculo, vt ſe in meliora tempora
reſeruaret; neque tam illum metu
ex Ægypto, quàm fraternæ ſalutis
deſiderio ſubmotū. Sed placet ma-
gis Lyrani, atque Abulenſis ſenten-
tia, quam etiam ſequitur Ribera in
dictum locum Pauli, & Pereira in c.
2. Exod. qui dicunt Paulum agere nō
de priori Moyſis fuga, ſicut hîc Ste-
phanus, ſed de poſteriori, quando
cum tota Hebræorum gente egreſ-
ſus eſt. Et ideo fortaſſe Moyſes non
dicitur fugiſſe, ſed reliquiſſe Ægy-
ptum. Cùm verò Regem, & impiū,
& durum timere potuerit, cùm fe-
rocem eius animum, & inconſtan-
tiam in fide ſæpiùs data eſſet exper-
tus, non tamen timuit, quia magis
diuina fides animi ac virium, quàm
Regis perfidia, atque exagitata cru-
delitas deſperationis afferebat.

Verſ. 30. *Et expletis annis 40. appa-*

68. *Vita paſtoritia ſymbolũ, & præludium vitæ Imperatoriæ.*

ruit illi in deſerto mõtis Sina.] Octuagenarius erat Moyſes, quando illi in rubo Dominus apparuit. Nam cùm 40. eſſet annorũ ex Ægypto fugit, vt dicit hîc Stephanus: & viſio cõtigit totidem annis expletis in terra Madian. Quare Exod. 7. octoginta annorum eſſe traditur, quãdo locutus eſt ad Pharaonem. Totidem annis gubernauit populum; vniuerſus verò vitæ curſus cẽtum viginti annorum ſpatio circũſcriptus eſt. Hîc ex Philone in Vita Moyſis obſeruandũ paſtoritiam vitam quaſi præludium quoddam eſſe, & progymnaſma ad Regni, aut populorum gubernacula tractanda; neque laborandum eſſe aliter, aut ſegniùs in regendis hominibus, quàm in paſcendo grege. Sicut, inquit, bellicoſi homines ingenio præexercent ſe in venationibus, experiẽtes in feris, quod poſtea in militia, & bello perfecturi ſunt. Quare tot annos Moyſes moleſtum laborem paſcendi gregis in deſerto ſubiit, quod in regendo, paſcendóq; populo poſtea poſuit; ibi perferendis quotidianis tẽporis iniuriis obduruit contra difficultates alias, atque incommoda, quę propoſita ſunt illi, cui præeſſe hominum multitudini datum eſt.

Apparuit illi in deſerto montis Sina Angelus.]

69. *Angeli Deum repræſentabant in teſtamento veteri.*

Qui hoc loco à Stephano vocatur *Angelus*, Exod. 3. vocatur *Dominus*, & ſtatim *Deus Abraham*; & paulo pòſt eius nomẽ exprimitur, *qui eſt*. Quæ ſanè Angelo conuenire non poſſunt: imò & ipſe Stephanus, quem priùs appellauit *Angelum*, ſtatim vocauit *Deum Abraham*. Quæſtio difficilis eſt inter Theologos, an apparitiones quæ in Scriptura Dei eſſe dicũtur, ab ipſo Deo immediatè fiant, vel per Angelos? Theodoretus q. 5. in Exodum, Iuſtinus contra Tryphonem, Tertullianus lib. 2. cõtra Marcionem, Hilarius lib. 4. & 12. de Trinitate, Chryſoſtomus hîc eũ, qui in rubo apparuit, vnigenitũ Dei Filiũ eſſe putant. Sed Theologis iam illa ſententia placet, quæ ſtatuit Angelorũ miniſterio antiquis hominibus oblatam eſſe diuinam ſpeciem; quæ eſt Dionyſij c. 4. de cœleſti hierar. & colligitur apertè ex hoc loco Stephani, vbi Angelus dicitur apparuiſſe in rubo; & poſtea ab Angelo datam eſſe legem Moyſi. Sed de his latiùs Scholaſtici. Quod ad hũc locum ſpectat, Stephanus *Angelũ* dixit conſentaneè ad tranſlationem LXX. quæ *Angelum* habet; & ad textũ Hebraicum, qui habet מלאך *malach*. Exod. 3. Hieronymus ideo fortaſſe vertit *Dominus*, quia ille idẽ qui viſus eſt in rubo, eodem capite, & *Dominus* vocatur, & *Deus*.

Sinai, vt docet Hieronymus ad Fabiolam in octaua manſione, rubũ 70. *Cur Deus in rubo.*
ſignificat: quare mons Sinai dictus, vel quia ſenticoſus eſt, vel ab illius rubi nobilitate, in quo viſus eſt Dominus. Cur autem Deus liberaturus populũ in ſpinoſo frutice, eóq; ardẽti viſus ſit, variæ adducuntur cauſæ. Theodoretus q. 6. in Exod. ideo putat Deum in rubo apparuiſſe, ne Iudæi poſſent ex illo ſimulacra fingere, quod videbantur facturi, ſi materia eſſet ſatis ad fingendum idonea. Philo lib. 1. de Vita Moyſis in rubo expreſſam eſſe putat, & præſentem Hebræorum ærumnam; & promptã iam, & paratam felicitatem. Rubus erat populus Dei humilis quidem, & ſpinoſa planta: ignis Ægyptia Tyrannis, & crudelitas, quæ affligebat quidem, non tamẽ conſumebat, aut vrebat. Erat autem ſpinoſus rubus in ſua illa tenuitate, quia ab illo pungendi, atque lacerandi erant Ægyptij. Vt autem rubus in Sinai nobilitatus eſt igne, & Dei conſpectu; ſic Iſraëlitæ

Iſraëlitæ nobilitati, atque purgati
ſunt igne tribulationis. Ita pene Phi-
lo, & idē ferme Theodoretus ſuprà.

71. *In igne flamma rubi.*] Ex his verbis
conſtat Angelum apparuiſſe nō in-
ter ipſos frutieis ramos; ſed in flam-
ma, quæ ex ardēti rubo ſurſum emi-
cabat. Et idem innuit c. 3. Exod. *inflā-
ma de medio rubi*, ſupple, *erumpente.*
Marc. 12. *ſuper rubo.* Luc. c. 20. *ſecus
rubum.* Cùm verò Deut. 33. in rubo
apparuiſſe dicitur; id ſecūdùm Scri-
ptutæ conſuetudinem fit; quæ id in
aliquo loco fieri dicit, quod iuxta lo-
cum fit. Vide quæ ſuprà obſeruaui-
mus cap. 1. ad illud, *tunc reuerſi ſunt
Hieroſolymam.*

Verſ. 33. *Solue calceamēta pedum tuo-*
72. *rum.*]Multi multa tradūt de calcea- Calceum deponit, qui nuptias renuit.
mentis à Moyſe deponi iuſſis; ſed è
multis cauſis nos duas tātùm addu-
cemus; quæ ad veritatem magis vi-
dentur accedere. Prior eſt Cypriani
lib. 2. aduerſus Iudæos, & Ambroſij
lib. de benedictionibus Patriarcha-
rum c. 4. qui exiſtimant calceamen-
torum depoſitione ſignificari nō fu-
turum Moyſem ſponſum illius po-
puli, ad cuius gubernacula vocaba-
tur: ſed Dominum ipſum, qui voca-
bat. Erat enim conſuetudo in Iſraël,
vt cōſtat ex lib. Ruth c. 4. vt qui nu-
ptias recuſaret, calceamenta ſibi de-
tracta illi traderet, qui futurus eſſet
ſponſus. *Ideo,* inquit Ambroſius ſu-
prà, *Moyſes iubetur calceos relinquere;
ne ipſe ſponſus Eccleſiæ crederetur, qui
Dux populi eligebatur. Ideo ſoluit cal-
ceamētum ſuum Ieſus Naue, vt ventu-
ro* (Ieſu) *tanti muneris gratiam & ipſe
ſeruaret. Ideo dicit Ioannes: poſt me venit
vir, cuius non ſum dignus ſoluere corri-
giam calceamentorum eius, & quia ille
ſponſus eſt, ego amicus ſponſi.* Sic Am-
broſius; & in eundem ferme mo-
dum Cyprianus ſuprà. Quæ expli-
catio ſatis eſt ad mores accommo-
data, & propter authoritatem Am-
broſij & Cypriani non contemnen-
da; ſed non ſatis ad literam.

Poſterior ſententia communior 73. Ad ingreſſum loci ſacri calcei depoſiti.
eſt, & quam ipſe indicat Dominus;
nempe ſanctum eſſe locum, atque
adeò calceatis pedibus obiri non
oportere. Quare obſeruandum eſt
in pedibus olim oſtendi ſolitum
humilis animi, ſeque ipſum ad alte-
rius voluntatem demittentis obſe-
quium: vnde nuditas pedum ſer-
uilis erat conditionis ſignum. Iſaias Nuditas pedum, ſeruilis, ac miſeræ conditionis ſignū.
cap. 20. cùm Ægypto, & Æthiopiæ
captiuitatem minatur, nudas & diſ-
calceatas futuras eſſe dicit. Et cùm
Ieremias Thren. cap. 1. populi capti-
uitatem deplorat, diſcalceatum
oſtendit. *Sordes,* inquit, *eius in pedibus
eius.* Iuxta hanc conſuetudinem 2.
Reg. 19. Miphiboſeth occurrit Regi
Dauid illotis pedibus, quaſi con-
ſcius peccati ſui ſe ipſum ſeruum
fateretur. In adoratione autem, &
ſacrificiis nudari pedes etiam inter
externos docet Giraldus dum ex-
plicat illud Pythagoræ ſymbolum;
Nudis pedibus ſacrificandum. Quod
veriſimile eſt Pythagoram à Iudæis
ſumpſiſſe, ſicut alia plurima. Certè
frequens eſſe apud Hebræos nudis
pedibus ſupplices ad Deum accede-
re, probant illa facta, quæ vocantur
nudipedalia; quæ exercuiſſe Pau-
lum, vt Iudæos lucrifaceret, tradit
Hieron. in c. 4. epiſt. ad Galat. & in-
dicat Iuuenal. Satyr. 6. vbi ita de
Iudæis.

Obſeruant vbi feſta mero (id eſt,
nudo) *pede Sabbatha Reges;*
*Et vetus indulget ſenibus clementia
porcis.*

Hinc conſtat cur Moyſes hîc, & Io-
ſue c. 5. pedes nudauerint; quia nimi-
rum id exigebat & loci religio, &
futura cum Deo collocutio. Quod
etiā hodie in ſuis Synagogis ſeruāt

Iudæi, vt à Rabbino quodã accepi.

74. Sinai ante Moyſen locus religioſus. Ante tempus etiam Moſaïcum religioſum fuiſſe locum illum ſcribit Ioſephus lib.2.Ant.c.12.adeò vt paſtores religione quadam prohiberentur, quominùs ad illum mõtem gregem appellerent; quia ibi diuinũ eſſe aliquid ſuſpicabãtur. Nimirum iam Deus locum illum tot edendis miraculis, quaſi quoddam ſuæ prouidentiæ monumentum deſtinarat. Quemadmodum (ſilicet cum ſacris, & magnis prophana, & fabuloſa conferre) locus ille, vbi caput Orbis Roma condita eſt, multo antè habitatus à Diis, & religionis plenus habebatur. Sic Virgilius Æneid.8.

Iam tunc relligio pauidos terrebat agreſtes
Dira loci, iam tunc ſyluam, ſaxũque tremebant.
Hoc nemus, hunc, inquit, frondoſo vertice collem
Quis Deus incertum eſt, habitat Deus: Arcades ipſum
Credunt ſe vidiſſe Iouem, &c.—

Et ex hiſtoriis ſacris conſtat aliqua loca eſſe in tutela Sanctorum, vt de Gargano in Appulia docet ipſius memoria quotannis ad finem Septembris repetita.

Verſ.35. *Hunc Moyſem, quem negauerunt dicentes, quis te conſtituit*, &c.]

75. Ita Stephanus probat nihil ſe dixiſſe cõtra Moyſem, dum de illo tam loquitur magnificè, vt etiã viam quãdam aperit, vt oſtendat Ieſum verũ eſſe Meſſiam. Nam cùm ſtatim adducturus ſit teſtimonium Moyſis, qui venturum magnum Prophetam ſibi ſimilem prædixit; iam incipit oſtendere quibus in rebus ſpectãda ſit illa ſimilitudo: nam quemadmodum Moyſes, cui liberandi populi negotium à Deo datũ eſt, quaſi aliena curaret, ab iis, quorum ſaluti ſtudebat, repulſus fuit; ſic Chriſtus à Iudæis, quorum Seruator venerat. Plurima fuerunt Moyſi, Chriſtóque cõmunia, aut certè antiſtropha, quæ optimè perſequitur Oecumenius in illud c.4. ſuprà, *tanquam me*; & Euſebius de Demõſtr. Euang. c.2. Sed hęc videtur omnium ſumma: Alieno in ſolo, & quaſi peregrinus natus eſt Moyſes in Ægypto: ſic Chriſtus in Bethlehem. Moyſes in fiſcella incluſus, Chriſtus in pręſepio. Illum Pharao, hunc Herodes expetiuit ad cædẽ. Vterque à matre ſeruatus, & nutritus eſt. Vterque Tyrannus in innocentium infantium vitam crudeliter bacchatus. Neuter id quod maximè deſiderabat, & cuius gratiã cędem moliebatur, conſecutus eſt. Tã Moyſes, quàm Chriſtus 40. diebus ieiunarunt. Vtrique facies ſplẽduit; vterque legiſlator; vterque Regnum contempſit, & ignominiam præpoſuit. Vterq; ab eo populo, cuius ſtudebat cõmodis, durè exagitatus eſt.

Inter Chriſtũ, & Moyſen quãta ſimilitudo.

Hunc Deus Principem, & redemptorem miſit cum manu Angeli, qui apparuit ei in rubo.] Iterum vocat *Angelum* eum, qui viſus eſt in rubo; quẽ dicit datum eſſe Moyſi à Deo ſociũ, & duræ dimicationis cum Pharaone, & longæ, atque impeditę viæ per deſertum. *Manus* autem auxilium ſignificat, & ductũ. Fuit itaq; Moyſes cum manu Angeli; quia illũ patronum, & ducem habuit; ille nubis in die, in nocte verò columnæ ſpeciem obiiciebat euntibus. De huius Angeli miniſterio, ac tutela vide Exod. cap. 23. Cùm verò Dominus Exod. c.33. ait, ſe non aſcenſurũ cum Moyſe, quia populus duræ ceruicis eſt, ſed miſſurum præcurſorem Angelũ, qui eiectis Chananæis populũ in promiſſam antea regionem deducat, non negat datum eſſe Angelum; ſed ſignificat, aut additurum ſe alterum Angelũ, vt collata cum altero, 76.

76. Quid Moyſes accepit ab Angelo.

qui

qui à principio aderat, manu, atque ſtudio facilior eſſet Chananææ regionis oppugnatio; vel certè non ablaturum priorem illam cuſtodiã, quam ab initio præpoſuerat. Se verò nõ futurum eum ipſis, ea nempe ratione, qua Deus, qui nullibi abeſt, aliquo in loco eſſe dicatur; quia ibi extant ſuæ benignitatis, ac potentię plura, & magis illuſtria documenta. Ait ergo Dominus ſe nolle iam eſſe cum populo, aut edẽdo ſigna, atque prodigia, aut reddẽdo ex tabernaculo oracula, aut faciendo talia deinceps, qualia non fecit omni nationi, & manifeſtando iudicia aliis ignota gentibus. Id verò nõ ex odio naſcebatur, ſed ex ſingulari Dei benignitate. *Quia*, inquit, *populus duræ ceruicis es, ne fortè diſperdã te in via.* Optimum ſanè documẽtum pro iis, quos Deus quotidie beneficiis onerat; qui ſi Deo minùs in obſequio reſpondeant, aut quod indignius eſt, iniuriam, aut contumeliam referant, id agunt maximè, vt diuinum in ſe furorem duriùs exacuant. Quare præſtat Deum non habere beneficum, quàm beneficiorum eius immemorem eſſe. Vide Bernardum in Serm. quodam de ingratitudine; & Chryſoſtomum homil. 44. in Matth.

Quid mali immineat ingratis, & qui beneficiis non vtuntur.

Verſ. 37. *Hic eſt Moyſes, qui dixit*
78. *filiis Iſraël; Prophetã ſuſcitabit Deus.*] Rhetorum præceptum eſt, vt eius vitam, & fidem commendemus, cuius teſtimonio vti volumus. Id præſtat non tam ab arte oratoria inſtitutus, quàm à diuino Spiritu doctus Stephanus. Ex quo conſtat quàm non ſit otioſa tam longa de Moyſe narratio. Cæterùm hoc teſtimoniũ de Propheta, qui futurus erat Moyſi perſimilis, grauiſſimum eſſe contra Iudæos, quibus nihil erat Moyſe aut charum, aut venerandum magis, ex eo conſtat, quòd illo omnes penè ſunt vſi, qui Iudæorum perfidiam expugnare aggreſſi ſunt. Hac vſus eſt Chriſtus Ioann. 5. *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi: de me enim ille ſcripſit*; & Petrus ſuprà c. 3. & hîc Stephanus.

Verſ. 38. *Hic eſt, qui fuit in Eccleſia in ſolitudine.*] Id eſt, cum cœtu filiorum Iſraël. Præpoſitio *in* ſignificat ex vſu Scripturæ aliquando (*cum*) vt, *venit in virtute*; id eſt, cum virtute. *Non egredieris in virtutibus noſtris*, id eſt, cum exercitibus.

In idem, quod cum.

Et cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina.] Hinc conſtat Angelum etiam fuiſſe illum, qui legem Moyſi dedit: nam de legis tempore eſſe ſermonem docent, quæ mox ſequuntur.

Et cum Patribus noſtris.] Non ob- 79.
ſcurè indicat Stephanus his verbis Angelum quoque fuiſſe, qui locutus eſt cum Abraham, & Iacob, quod eſſe certum ex aliis locis Scripturæ conſtat. De Abraham Gen. 22. *Et ecce Angelus Domini de cœlo clamauit, Abraham, Abraham.* Et ſtatim addit verba quæ ſine dubio ad Deum pertinent: *Non pepercíſti vnigenito filio tuo propter me.* Neque minùs expreſſum de Agar, & Iſmaël eſt teſtimonium: nam Gen. 21. Angelus dicitur apparuiſſe Agar in ſolitudine, qui tamen verbis vſus eſt, quæ vni Deo conuenire poſſunt. *Tolle*, inquit, *puerum, & tene manum illius, quia in gentem magnam faciam eum.* De Iacob multo clariùs: nam Gen. 31. narrauit Iacob vxoribus ſuis ſomniũ his verbis. *Dixitque Angelus Dei ad me in ſomnis; Iacob, & ego reſpondi; Adſum; & dixit. Ego ſum Deus Bethel*, &c. Patres quoque dici poſſunt, qui fuerunt in deſerto cum Moyſe, de quibus Dominus Exod. 19. *Veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te.* & cap. 20. *Cunctus*

Angelus apparuit patribus, cùm Deus illis apparuiſſe dicitur.

Digitized by Google

autem populus videbat voces, &c. *& perterriti, & pauore concuſſi ſteterunt procul dicentes Moyſi; Loquere tu nobis, & audiemus, ne loquatur Dominus, ne fortè moriamur.*

80. *Accepit verba vitæ dare nobis.*] Græcè, λόγια ζῶντα, id eſt, *viuentia*, ſeu, *viuificantia*. Iuxta illud Leuit. 18. *Cuſtodite leges meas, atque iudicia, quæ faciens homo viuet in eis.* Quæ verba repetit Ezechiel cap. 20. & Paulus ad Rom. cap. 10. Ex his liquet quàm magnificè Stephanus & ſentiat, & loquatur de lege, & Moyſe. Sanè longè aliter quàm iactabant, calumniabantúrque Iudæi.

Verſ. 41. *Et vitulum fecerunt.*] Septuaginta quoties de hac re incidit ſermo, *vitulas* vertunt in genere fœmineo; eius rei cauſã oſtendimus ad illud Pſal. 67. *in vaccis populorum.*

Verſ. 42. *Conuertit autem Deus, &*
81. *tradidit eos ſeruire militiæ cœli.*] Græcè, ἔστρεψε δὲ ὁ θεός. Non addit Stephanus hîc accuſatiuum; quare incertum eſt an Deus ſe ipſum conuerterit, id eſt, auerterit ſe à populo: vel certè populum ipſum. Syrus magis explicitè dixit; *conuertit ſe Deus*. Quæ lectio clariùs oſtendit, quod communiter Theologi docent, non Deum afficiendo homines, ſiue efficiendo, in errorem, aut peccatum impellere, ſed permittendo, id eſt auertendo ſe, ne ſpeciali auxilio, ipſiſque indebito, à lapſu, vel ab errore cohibeat, hoc eſt, labi, vel errare permittat. Coluerunt autem Hebræi Solem, & Lunam, & duodecim ſigna Zodiaci; vt habes 3. Reg. cap. 23.

82. Quæ *militia cœli* dicitur hoc lo-
Cur cœli ornatus dicatur militia. co, hæc Heb. dicitur צבא *Saba*, & Geneſ. 2. vertitur *ornatus*. Eſt autem aſtrorum ordo in cœlo ſimilis aciei ex arte inſtructæ; nam vt ipſa pulchra eſt, & in ipſo inceſſu apprimè elegans; ſic aſtra in cœlo, & ſuis ordinibus eleganter diſpoſita, & tota ſpecie admodùm illuſtria, aciem inſtruunt, qualem intuebatur Balaam Num. 24. *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob*, &c. Hanc igitur cœli militiam, id eſt, Solem, Lunam, & aſtra colebant Gentes, quarum errores ſecutus Iſraël, eiſdem honores exhibuit diuinos. Id obiicit nunc Stephanus concilio, producitque teſtimonium Prophetarum, præcipuè Amos cap. 5. vbi verba ſunt paululùm mutata; ſed ſenſus idem.

Nunquid victimas, & hoſtias obtuli-
ſtis mihi ãnis 40. in deſerto?] Dubitare 83. In deſerto quomodo victimæ non oblatæ.
hîc meritò aliquis poſſet quomodo hîc, & Amos cap. 5. dicantur ſacrificia, & victimæ oblata non eſſe 40. annis, toto nempe tempore ante aditam terram promiſſionis: nam Leuit. 8. in conſecratione Aaron, & filiorum oblatum ſacrificium eſt. Item aliud cap. 9. & Num. 7. in dedicatione tabernaculi per duodecim dies. Reſpondet Hieronymus ea ſacrificia non tam ex animo oblata eſſe, quàm metu ex illorũ eæde cõcepto, qui idola coluerunt. Quapropter Deus illa, vtpote non ex amore profecta, contẽpſit. Eſt ſanè hęc Hieronymi ſentẽtia probabilis, ſed quia non eſt adeò certum illa Iſraëlitarum obſequia ex metu prodiiſſe, aliter expediri poteſt hic nodus ex regula à nobis tradita; iuxta quam ratio haberi non ſolet exigui numeri, qui plenum aliquem, & perfectum, aut modicè ſuperat, aut ab eo deficit. Cùm verò hæc ſacrificia oblata fuerint non longè poſt egreſſum ab Ægypto, vno ſcilicet, aut altero anno; non eſt alienum à Scriptura ſi dicas 40. annos intermiſſa ſacrificia fuiſſe, quæ tantùm 39. aut 38. annos obita non ſunt. Quemadmodũ 40. annos offenſus Deus eſſe dicitur populo, cùm tamen offendi

cœpe

Digitized by Google

cœperit non ſtatim ab egreſſu; ſed vbi exacerbatus eſt ad aquas contradictionis.

84. *Quædam ſacrificia ante aditum terrā promiſſionis non obligabāt*

Sed quæres adhuc quomodo præſide, ac duce Moyſe, qui tam erat religioſus, & diuinæ legis obſeruator, tandiu omiſſum fuerit illud ſacrificiorum obſequium? Reſpódeo, Hebræos ad illa ſacrificia præſtāda lege non cogi, donec ventū eſſet ad terram promiſſionis. Hoc liquet ſatis ex Deut. cap. 12. Quare toto peregrinationis tempore non eſt circuncisus populus, neque à ſecundo anno poſt relictam Ægyptum celebratum Phaſe. Vtrumque verò præſtitum eſt Ioſue c. 5. poſt tranſmiſsū Iordanem, id eſt, in ipſo ingreſſu terræ promiſſionis: quia lex eò vſque ſuſpenſa cogebat. Cauſa verò cur Deus ab ea lege populū in deſerto liberum eſſe voluit, ea eſt; quia benigniſſimus Deus noluit edicere peregrinanti populo, vt pararet victimas loco, & alieno, & ſterili, vbi facilè inueniri non poterant. Atque ideo per Ieremiam cap. 7. ſuam benignitatem in antiquos Hebræorum patres oſtēdit. *Non ſum locutus*, inquit, *cum patribus veſtris; & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocauſtomatum, & victimarum; ſed hoc verbum præcepi eis dicens: Audite vocem meam, & ero vobis Deus.*

85. *Plura homo impēdit diabolo, quàm ſibi ab eo Deus poſtulet.*

Quid ergo dices, ſi ab his ſacrificiis obeūdis liberi Hebræi toto peregrinationis tēpore, cur Amos, & Stephanus, & Ieremias ſuprà de his ſacrificiis omiſſis querūtur? Sanè nō quia hæc omiſſa ſunt; ſed quia illa quibus Deus Hebræam gentem onerare noluit, vltrò ipſi, atque auidè diis alienis, & multo duriora impendetunt. Quare tres hi ſuprà dicti iiſdem locis meminerūt militiæ cœli. Ieremias quidem miram ſedulitatem, atque ſtudium deſcribit, quo parentes, ac filij placentas pararāt Reginæ cœli, id eſt, Lunæ. Omnes meminêre Moloch, vel Tophet, cui non iam victimas alias, ſed de ſuo ſemine quotidie miſerandum holocauſtum offerebant Iudæi; quod propoſito capitali ſupplicio prohibitū fuerat Leuit. 18. & 20. cap.

Verſ. 43. *Suſcepiſtis tabernaculum Moloch.*] Quis ſit iſte Moloch nihil inter authores certum; ſed videtur idem eſſe qui alio in loco dicitur Melchom. Amos cap. 1. Ita docent Beda, & Oecumenius in hunc locū. Et ſanè 3. Reg. cap. 11. vbi vulgatus habet *Moloch*, Heb. eſt מלכם *Melchō*, quod honoris gratiā videtur affixum ſumpſiſſe, ſicut *Adon*, & *Baal* eandem ob cauſam aduocato affixo dicuntur *Adonai*, *Baali*. Eſt autem idolum quod præcipua religione ab Ammonitis colebatur, vt habes 3. Reg. ſuprà, quod eſſe apud illos ſummo in loco nomen ipſum indicat, quod Regium aliquid ſonat; מלך *Malach* enim *regnare eſt*: & Lxx. Amos cap. 1. pro *Melchom*, verterunt *Rex eorum*. Ex nominis notatione, & quia ſtatim ſubditur, *ſydus Dei veſtri*, quidam non temerè putant Melchom ab Ammonitis dici illū, qui à Latinis vocatur Iupiter: nam & hic *diuūm pater* ſalutatur, *atque hominum Rex.* Oecumenius Mercurium, alij Saturnum eſſe volunt: ſed nihil certum. Addit Oecumenis habuiſſe in fronte pretióſum, & pellucidum lapidē, qui inſtar ſyderis fulgeret: & fortaſſe eſt, qui ſtatim dicitur *Rempham*. Sanè ex 1. Paralip. cap. 20. conſtat habuiſſe coronam ex auri talento diſtinctam, & radiatam lapidibus pretioſis, ex qua Dauid Regium ſibi conflauit diadema. In illa verò corona veriſimile eſt Ammonitas coluiſſe cœli militiam, quia non aliter erat diſtincta gemmis, quàm ſyderibus cœlum. Quan-

86. *Melchom quid.*

to verò ſtudio Gētes coluerint Moloch,& quàm illi dura obierint ſiue ſeruitia, ſiue ſacrificia oblatis per ſummam impietatem,atque acerbitatem filiis,colligitur ex cap. 18. & 20.Leuit.vbi ſeuera propoſita pœna à tanto ſcelere deterrentur Hebræi.

87. Quando ſacrificatum Moloch. Quæres hîc quo tempore antiqui Patres ſacrificauerint Moloch. Oecumenius cōtigiſſe putat cùm Moyſes in montem aſcenderat,& à conuentu aberat filiorum Iſraël.Sed ſanè id tacitum non reliquiſſet Moyſes, cùm hoc non eſſet minùs impium,quàm adoraſſe vitulum. Neque credo ſermonem hîc eſſe de Salomonis tempore,qui 3.Reg.11. fanum conſtruxit Moloch Ammonitarum idolo, neque de Manaſſe capit.23.quia hi non dicuntur Patres, quemadmodum illi qui maximè aberant à Patriarcharum tempore. Præſertim quia contextus ipſe tam Amos,quàm Stephani ſatis oſtendit iſta de illis tradi,qui in deſerto morati ſunt. Neque refert quòd illæ minæ de relegatione trans Babylonem non videantur opportunæ,niſi poſt terræ poſſeſſionem,vt Caietan. & alij cenſent; quia hîc ab Amos obiiciuntur præſentiū ſcelera, propter quæ pœna proponebatur; & remouentur parentum merita, quæ retardare potuerunt diuinam vindictam. Nam propter parentes interdum cum filiis agi mitiùs probāt Abrahæ,& Dauidis merita. Eſt autem veriſimile, vt placet Riberæ in caput 5. Amos, id contigiſſe cùm populus appulit ad terram Moab. Num,25.ibi enim dicitur: *Fornicatus eſt populus cum filiabus Moab,quæ vocauerunt eos ad ſacrificia ſua; at illi comederunt,& adorauerunt Deos earum.* Neque refert quòd Moloch Deus dicatur Ammonitarum, non Moabitarum:nam fieri plerumque ſolet, vt qui aliquarum nationum proprij ſunt dij,in aliarum etiam religionē aduocentur;qui tamen nomen ſeruant earum prouinciarum, vbi primùm culti, & vnde ad alias deinde tranſlati, ſicut in corporis ornamētis,& arborum fructibus vſu venit, quæ cùm noſtra iam ſint, & apud nos nata, antiquum tamen nomen ſeruant. De ornamentis exemplum ſit apud Hiſpanos, Tudeſco, Bolemo,quæ pallij quædā genera ſunt;& eadē figura dicūtur veſtes Phrygiæ, & Babylonicæ. De arboribus, malus Punica,Medica,Perſica,quæ ita vocantur, quia inde ad alia loca tranſlatæ ſunt. Neque in materia præſenti de Religione pauciora ſūt exempla.Colebatur à Romanis Iſis, & Cybele; illa tamen dicebatur Ægyptia, vel Pharia; hæc Phrygia, vel Idæa.Sic Moloch proprius Ammonitarum Deus facilè ad Moabitas propter generis, locíque propinquitatem migrare potuit. Imò puto hunc Deum priùs eſſe cultum à Chaldæis,& ab iis,vt dixi, tranſlatūm ad Perſas. Nam quòd ignis Chaldæis eſſet pro Deo,ſatis eſt cōpertum, vel ex hiſtoria Abraham, qui ideo exiſtimatur in ignē à Chaldæis eſſe coniectus, quòd ignem ipſorum Deum adorare noluerit;in igne verò coli Moloch argumento eſt, quòd qui Moloch pro Deo obſeruant, in eius cultum, & honorem filios ſuos per ignem traducunt.

Et ſydus Dei veſtri Rempham.]Hęc vox non eſt in Amos,ſed poſuerunt Lxx.ſenſus tamen eſt idem. Ponitur hîc, vt puto, proprietas aliqua eius ſyderis,de quo Amos ſuprà. Quidā illud ſydus Saturnum eſſe credunt, coniectura ſatis infirma; quia Arabes *Chium* vocant Saturni ſtellam: 88. Remphā quid.

&

& in Amos, vbi vulgatus habet, *imaginem idolorum*, Heb. eſt כיון *Kiyon*; eodem quo vox Arabica ſono. Alia mihi occurrebat grauior coniectura, vt Rempham Saturnus videri potuerit; quia non ſecus filios oblatos vorabat Moloch, quàm Saturnus, vt eſt in fabulis, voraſſe traditur. Poëtas verò in ſuis fabulis incluſiſſe multa ex ſacris Bibliis petita, ſatis notum eſt. Sed neque hoc mihi perſuadet Rempham eſſe Saturnum: nam primùm illud כיון *Kijon*, nomen cenſeo eſſe commune, non proprium; & *aliquid firmo iam, & ſtabili modo, locóve conſtitutũ* ſignificare: qualis ſtatua eſt, aut ſtata Religionis forma; à radice כון *Kun*, quod *firmare*, aut *ſtabilire* ſignificat. Deinde quia Mythologi alias cauſas afferunt ex ipſa Philoſophia altè petitas, cur illa voracitas data ſit Saturno.

89. Res ſanè obſcura, & in qua ſi quid afferatur veriſimile, nõ faſtidiendũ ſit. Ego hîc duo afferã, tu lector, quod magis placuerit, ſi tamen quid placebit, eligito. Exiſtimo igitur Rempham nomen eſſe commune, & ſignificare *obſcuritatem*, & *tenebras*, vt putat Oecumenius, & vertit Theodotio, vt dicit Hieronymus ſuper Amos. Per irriſionem ergo Stephanus dicit lapidem illum pretioſum, & ſplendentem, qui erat in frõnte Melchõ, vt dicit Oecumenius, aut in eius corona, vt ſit veriſimile ex lib. 1. Paralip. cap. 20. qui Iudæis inſtar ſyderis fuit, fuiſſe illis cæcitati, obſcuritati, & offenſioni, adeò vt ab illo excæcati, atque deluſi in longum exilium, & ſeruitutem, & tanquam in lapidem impegerint, aut in barathrum profundum demerſi ſint. Neque obſtat quod ſtatim addit Stephanus in numero plurali, *figuras, quas feciſtis*: nam & figura erat propria Moloch, & gemma quæ erat ſiue in fronte, ſiue in corona, figura erat ſyderis.

Altera explicatio eſt, quæ ideo iure optimo minùs placebit, quia noua, verùm coniecturæ non infirmæ. Dixerat paulo antè Stephanus Iudæos olim coluiſſe militiam cœli, id eſt, Solem, Lunam, & aſtra: nũc verò ſpeciatim agit de Moloch, ſeu Melchom, id eſt, vt ego interpretor, de aſtrorum Rege, id eſt, Sole. Nam *Moloch* Regem ſonat, & inter aſtra ſine dubio Sol, & magnitudine, & ſplendore Princeps eſt, cui eſſe delatum diuinum honorẽ ſatis ex Scriptura compertum eſt. Et fauet huic expoſitioni quòd Ierem. cap. 7. Luna vocatur Regina cœli Heb. מלכה *Melachah*, ſicut Sol *Moloch*, ſeu *Melchom*: antiquitas autem Gentilium maſculinum ſexum Soli, fœmineum verò Lunæ dedit. Quod etiam indicat corona ipſius, quæ 1. Paralip. 20. gemmis exculta traditur, id eſt, ſyderibus diſtincta, non aliter atque Sol ſyderibus circundatur, licèt in ipſius conſpectu parum fulgentibus. Illam autem coronam inſtructam radiis eſſe puto, vt nunc Regiæ coronæ ſunt, quæ ad Solarium radiorum ſimilitudinem efformantur. Vt autem Solem antegreditur Lucifer, ſic Rempham, qui, vt putat Beda, Lyranus, & Gloſſa interlinearis; Lucifer eſt, aut Veneris ſtella, poſitus in fronte Moloch, ſeu in anteriori parte coronæ, ſatis exprimit Luciferi munus. Huic ſententiæ plurimùm fauet Amos cap. 5. à quo Stephanus teſtimonium hoc ſumpſit, qui poſtquã meminit Melchom, ſtatim ſubdidit; *& ſydus deorum veſtrorum*, vtique planetarum. Quare bene explicatur, quæ ſit cœli militia, de qua ſuprà. Et hæc iuxta veritatẽ Hebraicam. Neque aliam ob cauſam reor

90. *Molech* Sol. i. Rem-ſ... ent Luna *Melcha*. i. Regina cœli.

Ierem. c. 7

Iudæos, cùm Moloch filios conſecrant ſuos, illos per ignem traduxiſſe, niſi quia Solis igneam eſſe naturam exiſtimabant.

91. *Solem colunt Perſæ, & ipſorum Rex Sol vocatur.*

Hinc credo Perſarum Reges, qui reliqua Deorum turba reiecta, vnũ Solem, vt dicit Strabo lib. 15. colendum eſſe cenſuerunt, aut certè præcipuum, quíque, qua erant arrogantia, Deorum ſimiles eſſe volebant, Solis ſibi nomen aut imaginem tribuerunt, hac forma in ſe ipſis, quàm poterant inſolentiſſimè, Solis imaginem expreſſiſſe. Videri ipſi volebant quaſi quidam Sol, & ideo Sol Aſiæ ſalutabantur, vt indicat Horatius lib. 1. Satyra 7. qui Brutum Aſiæ Prætorem, Solem appellat Aſiæ, vulgara, vt reor, cõpellatione. Et Sapor Perſarum Rex, vt tradit Marcellinus lib. 7. ſic ſcripſit ad Conſtantiũ Imperatorem. *Rex Regum Sapor particeps ſyderum, & frater Solis, & Lunæ Conſtantio fratri meo ſalutem.* Hi ergo, vt effigiem aliquam præſe ferrent Solis, corona vtebantur radiata, id eſt, radiis quibuſdam ad Solis ſimilitudinem inſtructa. Quam multis pòſt annis Imperatorum inſania in Romanos faſtus induxit, vt tradit Aurelius Victor in Vita Aureliani Cæſaris, & Eutropius in eius item Vita, qui Perſarum non ſolùm inſaniam, ſed etiam religionem imitatus tẽplum Solis ædificauit Romæ, vt tradit Eutropius ſuprà.

92. *Reges Perſarũ antecedit ignis.*

Præterea, ne quid deeſſet ad expreſſam Solis imaginem, addiderũt quoque imaginem quandam Luciferi: nã, vt author eſt Xenophon lib. 8. pædiæ Cyri, Curtius lib. 3. Procopius lib. 2. belli Perſici; Ammianus Marcel. lib. 23. Tertullianus in Apologetico cap. 16. Reges Perſarũ quocunque procederent, antecedebat ignis: cuius etiam rei aliquod habemus in Scriptura veſtigium. Nam Iudith c. 10. iuxta verſionẽ Lxx. lãpades antecedebant Holophernem, quod non eſſe ad exigẽdas tenebras, ſed ad Aſſyrium faſtũ, ex eo conſtat, quia quo tempore egreſſus eſſe dicitur, non erant tenebræ: quia Iudith ad ortũ diei exiit è Bethulia, ad quã excipiendam proceſſit prælucente lampade; quod obſeruabant Perſarum Reges, in quibus etiam Aſſyrij, & Chaldæi intelliguntur: nã à Chaldæis, & Aſſyriis hanc videntur accepiſſe Perſæ conſuetudinem ſimul cũ Imperio, maximè in acie. Ex quo intelligi poteſt illud Ioëlis cap. 2. vbi agit de exercitu Chaldæorum. *Ante faciem eius ignis vorans*; & illud Ieremiæ cap. 1. cùm ſermo eſſet de eodẽ exercitu; *ollam ſuccenſam ego video*: antecedebat enim ignis Regem radiata corona ad Solis ſimilitudinem ſplendentem, quomodo Lucifer Solẽ prægreditur. Iuuat maximè quod tradit Quintus Curtius lib. 3. & Rodiginus lib. 8. c. 2. vbi dicit in caſtris Regum Perſarum ſuper tabernaculum Regis conſpicuam omnibus promicare Solis imaginem cryſtallino incluſam globo, & illi ignem prælucere Quia Solẽ Perſę, & Chaldæi colebant, ideo credo ignẽ quoque pro Deo coluiſſe, quæ, ſi vſpiam vlla, hæc viua Solis imago eſt. De igne verò Chaldæorum Deo multa tradunt non ſolùm prophani, ſed etiam Eccleſiaſtici authores. Ex his mihi fit veriſimile Moloch, ſeu Melchom ſimulacrum eſſe Solis; Rempham verò Luciferi, qui *ſydus* dicitur *Dei veſtri*, id eſt, Moloch. Sol autem aptè dicitur Moloch, quia Rex eſt inter aſtra, & quia, vt diximus, vel ſolus apud Perſas, vel præcipuè colitur. Quare Perſarum Rex, qui Sol eſſe vult, aut Solis frater, Rex Regum vocatur, vt nuper de Sapore dixit Marcellinus; & fortaſſe

taſſe Moloch ab Hebræis dicebatur Perſarum Rex, ſeu Melchom, qui idem valet quod *Rex eorum*, ſeu *Rex Regum.* Certè communi vocabulo antonomaſticè *Rex* dicitur, imò *Rex vltor*, quaſi Rex potentiſſimus Regum, id eſt, Rex Regum, Oſeæ cap. 5. & 10. Hæc mihi viſa ſunt habere aliquid lucis ad illuſtrandum locum maximè obſcurum, quæ ſi alicui minùs probantur, probabitur, credo, conatus, atque ſtudium inueſtigandæ veritatis.

93. Quid verò ſit, *ſuſcepiſtis tabernaculum Moloch*, non omnino facile. Amos dixit *portaſtis*; ſenſus duplex eſſe poteſt: alter, qui de tabernaculo Dei loquatur, quaſi Deus per Amos dixerit: Portaſtis quidem tabernaculum meum per deſertum, ſed non tam mihi portare videbamini, quàm Moloch (& tunc Moloch eſt in datiuo) in quem tota cogitatione ferebamini. Nam peracto curriculo, ad quod feliciter obeundum ego vobiſcum aderam in tabernaculo dux, & præcurſor, quaſi à Moloch, & non à me tot illa beneficia ſuſcepiſſetis, illum coluiſtis in terra promiſſa.

94. Gentiles viæ comites Deos portabãt. Secundus ſenſus, qui mihi probatur magis, eſt de tabernaculo ipſius Moloch, quod ædificauerunt Iſraëlitæ, & cui filios ſuos conſecrarunt per ignem 3. Regum 23. Tabernaculum autem erat pheretrum quoddam, in quo ſolemni pompa circunferebatur Moloch, quem Iudæi Gentium ritu ſecum quocumque pergerent, protectionis & Religionis ergo portabant inſtitutæ viæ comitem, & ducem; ſicut per deſertum Arcam, & in ipſa diuinum oraculum olim portauerant Hebræi. Vſitatum autem eſſe, vt Gentes tutelares Deos viæ comites ſecum adducerent, docet Seruius in id Æneid. 6.

Errantéſque Deos, agitatáq; numina Troiæ.

Neque aliam ob cauſam exiſtimo Rachel furatam eſſe Deos patris ſui, & ſeruos Iacob, cùm egreſſi ſunt ex Meſopotamia, à quibus Iacob abſtulit idola, & infodit ea ſuper terebinthum. Geneſ. 35. Hac puto de cauſa Laban tam facilè deprehendiſſe ſublatos eſſe Deos, quia cùm viæ comites ex more habere vellet, non inuenit. Videtur autem Iacob ibi oſtendiſſe quam ob cauſam à ſeruis geſtarentur idola, dum dicit Deum ſibi fuiſſe ſocium itineris ſui, quaſi diceret; non eſſe circunferendos Deos illos, qui potiùs offenſioni erunt, quàm viæ duces; vnum eſſe verum, & fidelem ducem, quem ipſe habuit in toto illo longo, atque inſidiarum pleno curriculo.

Et transferam vos trans Babylonem.] Amos, *trans Damaſcum*; ſed vtrumque verum eſt. Neque, vt alibi dictum à nobis eſt ex ſententia Hieronymi, Apoſtoli, Apoſtolicíque viri in citandis Scripturis tam ſpectare ſolent verba, quàm ſenſum. Fuêre quidem decem tribus, de quibus Amos, vltra Damaſcum, Babylonem vſque tranſlatæ; imò vltra Babylonem, nempe in Boſphorum, de quo Abdias, & libro 4. Reg. cap. 6. tranſlatæ dicuntur in ciuitates Medorum, qui vltra Babylonios ſunt. Et Ioſephus libro 9. Ant. cap. vltimo tradit non in Mediam ſolùm, ſed in Perſidẽ quoque tranſlatum eſſe Iſraël. Sed neque ſi omnino in Babylonia conſtitiſſent, aliquid à Scripturæ cõſuetudine alienũ dixiſſet Stephanus, cùm dicit vltra Babylonios fines tranſlatũ Iſraël. Cùm enim aliquid amplificare vult Scriptura, aliquid addere ſolet 95. Quò trãſlatę decẽ tribus.

vltra ſummum; vt Exod. 15. *Dominus regnabit in æternum, & vltrà.* Et idem loquendi modus eſt, quando dicitur *in ſæculum ſæculi.* Heb. vtrobique לעולם ועד, id eſt, *in ſæculum*, ſeu *in æternum*, & *adhuc.* Hebraicam phraſim exprimit Hiſpanus, cùm dicit, *para ſiempre iamas:* nam illud *iamas*, idem eſt quod *y aun mas.* Sed ſine dubio in priori ſenſu ſumpſit Stephanus, quia & veriſſimus eſt, & non figuratus. Exiſtimo autem hæc à Iudæis dici ſolita Prouerbiali forma, quaſi longiùs abfuturi ſint Hebræi ab vrbe, quàm antea ſoliti. Cùm enim priùs à Syris Hebræi agerentur captiui, quia prædandi gratiâ ſæpe Syrorum latrunculi Iſraëliticos fines inuaderent, vt docet puella capta, quæ Naaman Syrum quærendæ valetudinis gratiâ, vt in terrâ Iſraël proficiſceretur, hortata eſt; tamen non iam Damaſcum vſque abducendi dicuntur: ſed trans Damaſcum, vt dixit Amos; quod idem eſt, atque trans Babylonem, vt dicit hîc Stephanus.

Verſ. 42. *Tabernaculum teſtimonij fuit patribus noſtris in deſerto, ſicut di-*
96. *ſpoſuit Deus.*] Obiectum Stephano fuerat in criminibus, quòd in Moyſem, & templum contumelioſus fuerit. Obiecta de Moyſe ſatis depulit, dum de illo magnificè multa locutus eſt. De templo iam dicere aggreditur; & tabernaculo, quod à multis commendat; primùm, quia ſecundùm datum à Deo exemplar conſtructũ eſt à Moyſe; quod à Patribus in terram promiſſionis inuectum, ibíque magno in honore habitum vſque ad tempora Dauidis, & Salomonis, qui ad imperium Domini parentis cogitata compleuit.

Verſ. 48. *Sed non excelſus in manu-*
97. *factis templis habitat.*] Ita commendat Stephanus tabernaculum, & templum Salomonis, vt ſi diſſoluatur, non magna admodùm iactura Religionis fieri cenſenda ſit; cùm adeſſe nobis Deus, audire preces, illiſque annuere, & poſſit, & ſoleat extra templi ſepta. Neque enim eius immenſitas ſpatiis circunſcribi, aut potentia certis locis illigari poteſt. Ex hoc loco Hæretici euellere contendunt ex Catholicorum animis cultum illum, qui exhiberi ſolet locis religioni, ac pietati conſecratis. Contra hos Bellarminus tractatu integro de hac re, & alij, qui contra Hæreticos huius ætatis diſputant. Summa verò eorum, quæ in hac materia dicuntur, hæc eſt; Deum non contineri in templo tanquam in loco, quia complet omnia; in templis verò præcipuè coli Deum, atque ibi aptiùs, & religioſiùs offerri ſacrificia, ac preces, quia & magis munda, & à forenſi ſtrepitu, publiciſque tumultibus aliena. Quòd verò de templo Stephanus ita videtur egiſſe liberè, ea ratio eſt, quia qui tunc aderant Iudæi; ſicut etiam eorum parentes, tantùm Hieroſolymitano templo tribuebant, vt ab illo omnia ſibi, & ſancta, & deſiderata promitterent. Quare magni ſceleris agebantur rei, qui aliquid contra templi ſanctitatem, non ſolùm moliri, ſed cogitare auderent. Eo nomine accuſatus eſt Chriſtus à corruptis teſtibus, eodem Stephanus tanquam blaſphemus extra ciuitatem lapidatus. Tam denique Iudæi in ſuo ſibi templo placebant, vt multum eſſet illis in ore, *templum Domini.* Iere. c. 7. *Nolite confidere in verbis mẽdacij dicentes, templum Domini, templũ Domini, templum Domini.* Et Hieronymus in illud Iſai. vltim. *Cœlum mihi ſedes eſt*, dicit Stephanum hîc agere contra Iudæorum contentionem, & errorem, qui putant inuiſibilem,

Quomodo Deus in templo ſit.

Templũ apud Iudæos maximè religioſum.

bilem, & incomprehenſibilẽ Deũ templo Ieruſalem poſſe concludi, vbi plurima, atque optima adducit Scripturæ loca, quæ contrarium probant.

Verſ.49. *Cœlum mihi ſedes eſt, terra*
98. Cor Deus in cœlo eſſe dicatur.
autem ſcabellum pedum meorum.] Locus eſt apud Iſai. capite vltimo, quo Propheta ſignificat Deum nullo loco claudi, ita in cœlo eſſe, vt tamen non ideo abſit à terra; quæ ſcabellum pedum dicitur hîc, & Matth.c.5. quia ſicut in Regio throno Maieſtas Principis ſplendet magis, & ibi eum ſpectamus, & veneramur præcipuè, licèt ille etiam in ſcabello ſit: ſic quia diuina Maieſtas, & virtus maximè ſpectatur in cœlo, ibi ſedes eius eſſe traditur. Item quia thronus ornari ſolet eximio cultu, vt de throno Salomonis conſtat 3.Reg. cap.10. & de aureo reclinatorio Cant.3. ſcabellum non item: ſic cœlum collucet maximè ſyderibus varium, & tota ſpecie gratiſſimum eſt; terra verò, licèt ornata pulchrè, vt tanti Regis ſcabellum decebat, nihil tamẽ ad cœlorum venuſtatem, & formam.

Verſ.51. *Dura ceruice, & incircun-*
99. Ceruix dura.
ciſis cordibus.] Vbi ſeipſum ab intẽtis criminibus purgauit Stephanus, collectis ex innocentia probata, optimáque conſciẽtia viribus, duriùs iam, & audaciùs in aduerſarios inuehitur; non ſanè odio, alioqui non tam ardenter in ipſo mortis articulo precatus eſſet illis veniam iniuſtę necis, ſed ſtudio ſalutis ipſorum; didicerat nimirum à magiſtro ſic agendum eſſe cum iis, qui contra pietatem, verámque doctrinam iampridem obdurueruut. Duræ ceruicis eſſe, ac ferrei colli non nũc primùm de ſe audierũt Iudęi. Exod. 32. *Cerno quòd populus iſte dura ceruicis ſit.* Idem cap.34. & Deut.9. Iſai. 32. *neruus ferreus ceruix tua.* Quæ metaphora à bobus ſumitur, qui iugũ aut non admittunt, aut impoſitum excutiunt; cùm enim, vt ſubeant iugum, ceruicem debeant aut inflectere, aut demittere, ea verò quæ ferrea ſunt, ac dura, non flectantur, facilè, fit, vt qui imperij iugum difficilè ſubeunt, habere dicantur ceruicem duram. Hinc etiam fit, vt *curuare collum* ſit aliquem obſequentẽ reddere. Eccl.30. *curua ceruicem eius in iuuentute.* In hunc ferme ſenſum explicat Hieronymus, & tres Patres apud Theodoretum illud Cant.1. *Collum tuum ſicut monilia. Sicut aurum,* ait Hieronymus, *lenteſcẽs flectitur in circulum, ſequiturq́, quocunque torqueas, ſic ſponſa collum,* &c.

Incircuncisis cordibus, & auribus.]
Placebāt ſibi maximè Hebręi, quòd 100. Circunciſio cordis, & auriũ.
in carne ſua ſignum haberent & nobilitatis Abrahamicæ, & familiæ præcipuo quodam amore à Domino electæ. Quemadmodum autem ex illa ſpe, quam de templi ſanctitate conceperant, illos deiecit Stephanus, dum dicit Deum non eſſe illigatum anguſti Hieroſolymitani templi ſeptis, ſed vbique inueniri, atque orari poſſe; ſic nunc circunciſionem carnis oſtendit illis nihil afferre ſanctitatis, aut gloriæ, ſi corda habeant prorſus incircunciſa. Porrò cor incircunciſum, & ceruix dura idem propè ſignificant: quia ſicut hæc detrectat iugũ, quia aliorum imperia ſubire non vult, ſic illud; quia ſibi indulget intemperāter, & omnino poſt concupiſcẽtias rapitur ſuas, non facilè ſibi ipſi imperat quod amarum eſt, etiamſi id fuerit à legum ſanctitate, vel honeſta conſuetudine præſcriptum. Cor incircunciſum dicitur immortificatum, quod nihil in ſe ſuſtulit, aut domuit, quod à natura expreſſit in

Digitized by Google

malum prona, quia ſuis omnino ſeruit cupiditatibus. Aures eodem modo dicuntur incircunciſæ, quia audire nihil volũt, niſi ad voluptatem. Itaque hi non ſolùm non admittunt ad animum, ſed neq; ad aures quod ſtudio ſuo, ac voluptati contrarium eſt. Videtur autem Stephanus hîc expreſſiſſe, quod ad horum parentes dixit Moyſes Deut. 10. *Circuncidite præputium cordis veſtri; & ceruicem veſtram ne induretis amplius.* Quàm parui faciat Deus carnis circunciſionem, vbi animus circunciſus nõ eſt, docuit idem per Ieremiam cap. 9. *Omnes gentes habent præputium, omnis, autem domus Iſraël incircunciſi ſunt corde*; quaſi dicat, eodem loco vtrumque populum habendum eſſe.

101. *Vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis, ſicut & patres veſtri*, &c.]Sciebat Stephanus, ſanctũ in ſe loqui Spiritũ, quo plenus erat: videbat Iudæorum cor incircunciſum, ne amplecteretur, & incircunciſas aures, ne audirent, quod per ipſius os diuinus loquebatur Spiritus. Videbat propoſitam ſibi mortem, armatas iam ad exitium manus: ideo vtrumque coniunxit, & ab illis, ſicut olim à parentibus Spiritus ſancti non admitti doctrinam, & Prophetas ad mortẽ depoſci; ſe videlicet, qui prophetico afflatus Spiritu verba fundebat. Cęterùm à Iudæis Prophetas occiſos aut omnes, aut pleroſque, licèt de ſingulis obſcurè, vniuerſim tamen clarè ex S. Scriptura didicimus. Matth. 23. *Ieruſalem, quæ occidis Prophetas; & filij eſtis eorum, qui Prophetas occiderunt.* Et Luc. capite. 13. *non capit Prophetam perire extra Ieruſalem.*

Verſ. 53. *Qui accepiſtis legem in di-*
102. *ſpoſitione Angelorũ.*]Difficile ſtatuere quo ſenſu hîc accipi debeat *Angelorum diſpoſitio.* Græcè εἰς διαταγὰς, id eſt, *in diſpoſitiones*, vel, *ſecundùm diſpoſitionem.* Poſſunt verò diſpoſitiones hæ, inquit Caietanus, referri ad varias apparitiones Angelorum, ſeu ad diuerſitatem ſignorum, quæ apparuerunt, cùm data eſt lex; ſeu ad diuerſitatem ſtatutorum, ſeu ordinationum in lege. Illud imprimis certum eſt, legem à Deo conditam eſſe, neque alium omnino authorem habuiſſe; indictam tamen eſſe, & vulgatam per Angelum, vt ex dictis antea non obſcurè conſtat: in eo verò laborandum cur Angelorum dicatur interceſſiſſe diſpoſitio. Quidam dicunt *diſpoſitiones Angelorum* vocari, quia ita diſponuntur, qui legem hanc obſeruant, vt vitam agant Angelicæ quàm ſimillimam: cuius ſententiæ citatur Oecumenius; ſed apud illum non inuenio, neque propriam exiſtimo huius eſſe loci. Alij communiter, & verè hîc, & in illud ad Galat. 3. *ordinata per Angelos in manu mediatoris*, latam eſſe dicunt legem, atque diſpoſitam à Deo, Angelis tamen adminiſtris. Cùm tamen lex hoc loco dicatur non vna, ſed magna legum multitudo, ordinata, & diſpoſita per Angelos dicitur; quia ab illis certo quodam tempore, atque ordine pro rerum dignitate, & præſtantia, atque etiam opportunitate propoſita eſt. Quare alia lex ante egreſſum ex Ægypto, alia non multo pòſt; alia aliquot pòſt annis tradita eſt.

Quomodo lex per Angelos diſpoſita.

Cur *Angelorum diſpoſitio* in plu- 103.
rali dicatur, non omnes eodem modo explicant. Quidam *Angelorum* nomine in cap. 3. ad Galat. Sacerdotes intelligunt, id eſt, Moyſem, & Aaron, vt Euthymius. Theophylactus, S. Thom. Ambroſ. Chryſoſt. & alij.

alij. Sed omnes iſti, vno excepto Ambroſio, magis probant eſſe Angelos. Dicuntur ergo Angeli multi, ſiue quia multi interfuerunt, qui excitarent ignem, & fumum in Sina; cierent tonitrua, montem concuterent, &c. ſiue quia tot dierum ſpatio, alio, atque alio diuerſorum Angelorum miniſterio Deus vſus eſt, pro natura mandatorum, quæ ferebantur, ſicut etiam pro natura rerum gerendarum alios, atque alios Angelos mandat Deus.

Et non cuſtodiſtis.] Sicut laudato templo ſuprà reprehendit acriter Iudæos, qui cùm illud magni facerent, ſacrificauerunt tamē Moloch: circuncisione laudata ſeuerè eoſdem exagitat, quòd cordibus eſſent incircuncisis, ſic nunc laudata lege, eoſdem incuſat, quòd legem eiuſmodi, dum ſuo nimiùm indulgent animo, violauerint.

104. Blaſphemiæ deteſtatio. Verſ. 56. *Continuerunt aures ſuas.*] Mos erat inter Hebræos, vt cùm quid impiè de Deo, rebúſque ſacris audirent, aures obſtruerent. Et ſanè durum eſt, quódque impij etiam animi deteſtantur, & horrent, audire quod Deo quoquo modo futurum iniurium ſit. Eccleſ. cap. 27. *Loquela multùm iurans horripilationem capiti ſtatuet; & irreuerentia ipſius obturatio aurium.* Blaſphemiam ergo in Deum ſic accipiebāt, qui inter Hebræos videri volebant pij, vt ſignificarent excruciari ſe vehementer, neque ferre iam poſſe tanti doloris pōdus. Obturabant aures, & clamabāt; vt ex his appareret, &, quod in ſummo dolore fit, ſcindebant veſtimenta ſua. Quod fecit Caiphas, cùm Chriſtum voluit accuſare blaſphemiæ Mat. cap. 26. Sic etiam hi, quia blaſphemię nota ab impio concilio inuritur Stephano, aures obturant, clamant; & licèt id non exprimat Lucas, credibile eſt à lacerandis veſtibus non continuiſſe manus ſuas.

Verſ. 58. *Eiicientes extra ciuitatem lapidabant.*] Blaſphemi ſupplicium lapidationem eſſe conſtat ex Leuit. cap. 24. vbi etiam præcipitur, vt extra caſtra lapidatio fiat. Caſtra verò vocantur, quod ad rem præſentem attinet, hominum conuentus: & teſtes depoſitis veſtibus, quo magis ad opus expediti, lapidibus appetunt Stephanum, ſine dubio primi, quia id ex lege; deinde ſecura reliquæ multitudinis manus. Neque de fuiſſe credendum eſt id, quod lex etiam iubet, vt teſtes ſupra caput rei manus ponant, quaſi morti deſtinent. 105. Lapidatio extra ciuitatem.

Et teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua.] Veſtimenta depoſita, Sauliſque cuſtodiæ credita quidam Stephani eſſe putant, vt Bernardus, Petrus Damianus, vterque in ſermone de S. Stephano, qui dicunt ſacrarum veſtium tactum magno ad conuerſionem Sauli adiumento fuiſſe. Certè nudum Stephanum eſſe lapidatum indicat Auguſt. ſermone 6. de Sanctis, vbi illum ſpoliatum inducit, vtique veſtibus: & Abul. in cap. 20. Leuit. q. 21. lapidandis detractas eſſe veſtes docet. Quod in ſua quoque Republica ſtatuebat Plato lib. 11. de legibus. An nudus lapidatus ſit Stephanus, nil certi habeo, tametſi hoc mihi fit veriſimile. Sed non puto veſtimenta, quæ ſeruabat Paulus, eſſe Stephani, ſed teſtium: nam vbi vulgatus habet *ſua*, Græcè eſt *αὐτῶν* in numero plurali, quod nullo modo conuenire Stephano poteſt. 106. Veriſimile eſt Stephanum lapidatū eſſe nudū.

poteſt. Accedit prætetea Pauli ipſius teſtimonium infrà c. 22. *Cùm funderetur*, inquit, *ſanguis Stephani teſtis tui, ego aſtabam, & conſentiebam, & cuſtodiebam veſtimenta interficientium illum.*

Adoleſcentis, qui vocabatur Saulus.]
107. Dubium eſt qua ætate Saulus neci interfuerit protomartyris; quam quæſtionem obſcuram facit, quòd non multo pòſt, qui modò dicitur adoleſcẽs, vir appellatur Act. 9. vno nimirum anno ab interfecto Stephano. Neque adoleſcenti data eſſet poteſtas tanta, eáque publica à Pontifice, & Senioribus, vt ipſe fatetur Act. c. 22. in Chriſtianos, quorum nomen tantopere extinctum vellẽt. Adde quòd epiſtola ad Philemonem ſenem ſe vocat. De hac quæſtione vide Baronium 1. to. Annal. anno 36. & Salmeron. hîc. Obſeruandum eſt primùm vocem νεανίας, quæ eſt in textu Græco, non ſolùm ſignificare *adoleſcentem*, ſed etiã indicare id quod adoleſcentium proprium eſt; nempe *ardorem, audaciam*, & *effrenatam quandam vim in rebus agendis*. Quare iuueniles ſpiritus appellant Latini inſolentes, & acres, & quos ardor potiùs, & temeritas rapit, quàm regit prudẽtia. Et apud Latinos, qui ſtrenui ſunt, & acres, ſeu ad mala perferẽda robuſti, in ætate etiam grandi iuuenes vocãtur. Apud Virgil. 1. Æneid. Venus Æneam, & Achaten iuuenes vocat.

——*Heu, inquit, iuuenes, monſtrate mearum, &c.*

Et lib. 3. de Achimenide.

Ipſe pater dextram Anchiſes haud multa moratus
Dat iuueni.——

De Vlyſſe Propertius lib. 2. Eleg. 22.

Sic in Dulichio iuuene eſt eluſa Calypſo.

Paulus adoleſcens non tam ætate, quã ardore & audacia.

Sed hos omnes ætate grandi fuiſſe oportet, cùm ante illum articulum quo iuuenes dicuntur, decem annos, & eo amplius militiæ operam dederint ad Troiam. Quo ſenſu Xenophon vocat ἄνδρα νεανίαν, *virũ adoleſcentem*; id eſt, feruidi ac iuuenilis ingenij virum; & νεανιεύεσθαι, *efferri, & iactari iuueniliter*. Erat ſanè Saulus adoleſcẽs non quidem ætate, ſed ſpiritu, atque audacia, vt c. 9. dicitur, *erat ſpirãs minarũ & cædis*: qua verò ætate, incertæ cõiecturæ ſunt.

Sanctus Chryſoſtomus hom. de Principibus Apoſtolorum to. 5. tradit Paulum occiſum eſſe anno ætatis ſuæ 68. Sed obiit trigeſimotertio anno poſt conuerſionem ſuam, anno nimirum 13. Imperij Neronis, qui incidit in annum Chriſti 68. cùm conuerſus fuerit anno Chriſti 36. altero anno poſt occiſum Stephanum, vt latè, & optimè probat Baronius 1. to. Annal. Ex quo fit, eodem propè tempore natum fuiſſe Paulum, quo Chriſtus, & egiſſe annos 35. quo tempore lapidatus eſt Stephanus. Cùm verò epiſtola ad Philemonem ſcripta ſit quarto Neronis anno, quo tempore Paulus erat in ſuo conductu, iure ſe in illa ſenem vocat, cùm non longè abeſſet à ſexagenario. Sed de Paulo plura ſuis locis. 108.

Quoto ætatis anno Paulus mortuus.

Verſ. 60. *Ne ſtatuas illis hoc peccatum.*] Ne illos huius ſceleris conſtitue reos, vel, ne ab illis huius peccati pœnas exige. Græcè, μὴ στήσῃς, id eſt, *ne ſtare facias*: ſtant nimirum contra nos peccata noſtra in die belli, id eſt, mortis, ac Iudicij. Nam quæ nos impiè contra Deum molimur, illa iuſtè Deus contra nos in aciem producit; ſicut qui ex terra ſurſum aſcendunt halitus, & vapores, illi iam in grandinem, fulmináque coacti terrã, vnde orti, ſternũt, & 109.

Peccata ſua ſtant in Iudicio contra reum.

& obuerrunt.Iob cap.38. *Numquid ingreſſus es theſauros niuis, aut theſauros grandinis aſpexiſti; quæ præparauit in tempus hoſtis, in diem pugnæ, & belli?* Et hoc ipſum explicat Pſalmus 49. *arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam,* (nempe peccata tua) vt legit Theodoretus: & quidem Hebraicus textus habet אערכה, id eſt, *ordinabo*, nõ aliter, atque ordinari ſolent hoſtium acies, & machinæ, & contra aduerſarios obuerti. Orat ergo hîc Stephanus ne peccatum hoc contra iniuſtæ necis authores in die belli, id eſt, Iudicij, in acie conſiſtat.

110. *Mori in Domino.* *Obdormiuit in Domino.*] In codicibus Grecis non eſt *in Domino*, neque in quibuſdam Latinis; ſed tantùm *obdormiuit*; quæ vox ſatis aptè explicat iuſtorum mortem, quæ inſtar placidi cuiuſdam ſomni eſt. Illud verò *in Domino*, idẽ eſt quod Apoc. cap.14. *Beati mortui, qui in Domino moriũtur.* Communis explicatio eſt, quòd illi moriantur, vel obdormiant in Domino, qui tãquam viua membra illi tanquam capiti adhærent; vel tanquam nobiles, & fructiferi rami generoſo ſtipiti inſiti radicis, & pinguedinis eius participes fiunt; iuxta illud Ioan.15. *manete in me, & ego in vobis.* Alius poſſet eſſe ſenſus non alienus aut ab vſu Scripturæ, aut à veritate, ita vt illud *(in)* ſignificet *(propter)* quod in Scriptura frequentiſſimum eſt. Gen.3. *Maledicta terra in opere tuo*, id eſt, propter opus tuum, ſcilicet peccatum. Thren.cap. 3. *Diuiſiones aquarum deduxit oculus meus in contritione filiæ populi mei*, id eſt, propter contritionem. Paulus ſæpe; *Ego vinctus in Domino*, id eſt, propter Dominum: & hoc ipſo in capite; *Fugit autem Moyſes in verbo iſto*, id eſt, propter verbum. Ad hunc ergo modum obdormiuit Stephanus in Domino, quia propter Dominum interfectus eſt.

Regul. In valet propter.

COMMENTARII IN ACTVS APOSTOLORVM.

CAPVT OCTAVVM.

1 *FActa eſt autem in illa die perſecutio magna*
in Eccleſia, quæ erat Ieroſolymis, & omnes
diſperſi ſunt per regiones Iudææ, & Samariæ
2 *præter Apoſtolos. * Curauerunt autem Ste-*
phanum viri timorati, & fecerunt planctum
3 *magnum ſuper eum. * **Saulus autem deua-***
ſtabat Eccleſiam per domos intrans, & trahens viros, ac mu-
4 ***lieres, tradebat in cuſtodiam. * Igitur qui diſperſi erant per-***
5 ***tranſibant, euangelizantes verbum Dei. * Philippus autem***
deſcendens in ciuitatem Samariæ, prædicabat illis Chriſtum.
6 **** Intendebant autem turbæ his, quæ à Philippo dicebãtur vna-***
7 ***nimiter audientes, & videntes ſigna quæ faciebat. * Multi***
enim eorum, qui habebant ſpiritus immundos, clamantes voce
8 ***magna exibant. * Multi autẽ paralytici, & claudi curati ſunt.***
9 **** Factum eſt ergo gaudium magnum in illa ciuitate. Vir autem***
quidam nomine Simon, qui antè fuerat in ciuitate Magus, ſedu-
10 ***cens gentem Samariæ, dicens ſe eſſe aliquem magnum: * cui***
auſcultabãt omnes à minimo vſque ad maximum, dicentes: Hic
11 ***eſt virtus Dei, quæ vocatur magna. * Attendebant autem***
eum: propter quod multo tempore magiis ſuis dementaſſet
12 ***eos. * Cùm verò credidiſſent Philippo euangelizanti de re-***
gno Dei, in nomine Ieſu Chriſti baptizabantur viri, ac mulieres.
13 **** Tunc Simon & ipſe credidit: & cùm baptizatus eſſet, ad-***
hærebat Philippo. Videns etiam ſigna, & virtutes maximas
fieri,

fieri, ſtupens admirabatur. * Cùm autem audiſſent Apoſtoli, 14
qui erant Ieroſolymis, quòd recepiſſet Samaria verbum Dei,
miſerunt ad eos Petrum, & Ioannem. * Qui cùm veniſſent, 15
orauerunt pro ipſis vt acciperent Spiritum ſanctum: * Non- 16
dum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantùm
erant in nomine Domini Ieſu. * Tunc imponebant manus ſu- 17
per illos, & accipiebant Spiritum ſanctum. * Cùm vidiſſet au- 18
tem Simon quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur
Spiritus ſanctus, obtulit eis pecuniam, * dicens: Date & mihi 19
hanc poteſtatem, vt cuicumque impoſuero manus, accipiat Spi-
ritum ſanctum. Petrus autem dixit ad eum: * Pecunia tua 20
tecum ſit in perditionem: quoniam donum Dei exiſtimaſti pe-
cunia poſſideri. * Non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto: 21
cor enim tuum non eſt rectum coram Deo. * Pœnitentiam 22
itaque age ab hac nequitia tua: & roga Deum, ſi fortè remit-
tatur tibi hæc cogitatio cordis tui. * In felle enim amaritudi- 23
nis, & obligatione iniquitatis video te eſſe. * Reſpondens 24
autem Simon, dixit: Precamini vos pro me ad Dominum, vt
nihil veniat ſuper me horum, quæ dixiſtis. * Et illi quidem 25
teſtificati, & locuti verbum Domini, redibant Ieroſolymam, &
multis regionibus Samaritanorum euangelizabant. * Ange- 26
lus autem Domini locutus eſt ad Philippum, dicens: Surge, &
vade contra meridianum ad viam, quæ deſcendit ab Ieruſalem
in Gazam: hæc eſt deſerta. * Et ſurgens abiit. Et ecce vir Æ- 27
thiops, Eunuchus, potens Candacis reginæ Æthiopum, qui erat
ſuper omnes gazas eius: venerat adorare in Ieruſalem: * & 28
reuertebatur ſedens ſuper currum ſuum, legénſque Iſaiam Pro-
phetam. * Dixit autem Spiritus Philippo: Accede, & ad- 29
iunge te ad currum iſtum. * Accurrens autem Philippus, au- 30
diuit eum legentem Iſaiam Prophetam, & dixit: Putáſne in-
telligis quæ legis? * Qui ait: Et quomodo poſſum, ſi non ali- 31
quis oſtenderit mihi? Rogauítque Philippum vt aſcenderet, &
ſederet ſecum. * Locus autem Scripturæ, quam legebat, erat 32

hic: Tamquam ouis ad occiſionem ductus eſt: & ſicut agnus
33 *coram tondente ſe, ſine voce, ſic non aperuit os ſuum.* * *In hu-*
militate iudicium eius ſublatum eſt. Generationem eius quis
34 *enarrabit, quoniam tolletur de terra vita eius?* * *Reſpondens*
autem Eunuchus Philippo, dixit: Obſecro te, de quo Propheta di-
35 *cit hoc, de ſe, an de alio aliquo?* * *Aperiens autem Philippus*
os ſuum, & incipiens à Scriptura iſta, euangelizauit illi Ieſum.
36 * *Et dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam: &*
37 *ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* * *Dixit*
autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et reſpondens
38 *ait: Credo Filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum.* * *Et iuſſit ſtare*
currum: & deſcenderunt vterque in aquam, Philippus, &
39 *Eunuchus, & baptizauit eum.* * *Cùm autem aſcendiſſent de*
aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit
40 *eum Eunuchus. Ibat autem per viam ſuam gaudens.* * *Philip-*
pus autem inuentus eſt in Azoto, & pertranſiens euangelizabat
ciuitatibus cunctis, donec veniret Cæſaream.

IN CAPVT OCTAVVM
ACTVVM APOSTOLORVM.

Verſ.1. *Facta eſt autem in illa die perſecutio magna.*] Non in Stephanum
1. ſolùm, ſed in alios etiam omnes crudeliter ſæuitum eſt. Eodem tempore extinctum eſſe Nicanorem Diaconum, & duo Chriſtianorum millia tradit Dorotheus in ſynopſi. Certè multorum cædem eſſe factã probari poteſt ex eo quod ſtatim de Saulo ſubditur. *Saulus autem deuaſtabat Eccleſiam per domos intrans, & trahens viros, ac mulieres, tradebat in cuſtodiam.* Hos verò fuiſſe occiſos oſtendit idem Paulus Act.26. *Multos Sanctorum ego in carceribus incluſi à Principibus Sacerdotum poteſtate accepta, & cùm occiderẽtur, detuli ſententiam.* Non tam autem fugauit hæc perſecutio alios præter Apoſtolos, quàm diſperſit; vt commodiùs ſe, ac citiùs per varias regiones cœleſtis doctrinæ ſemina diffunderent. Neq; abiiſſe credo perculſos metu viros, quos & recèns mortui Chriſti cõfirmabat memoria, & inflãmabat amor, & Spiritus sãctus repleuerat; ſed Apoſtolorũ imperio; qui rationibus tunc naſcentis Eccleſiæ expedire arbitrati ſtatuerunt illos cædi ſubtrahere. Certè Athanaſius hom. de ſemente hoc nõ tribuit imbecillitati Diſcipulorum, ſed prouidẽtiæ Dei, qui ea diſperſione conſultum eſſe voluit aliorũ ſaluti. Idem pene Nyſſen. in oratione de S.Stephano.

Athana

Athanaſium audi. *Audis in Actis Apoſtolorum poſt lapidatum Stephanum, Diſcipulos diſperſos, & quaſi ſeminatos: non quod imbecillitate diſiecti, ſed fidei gratia ita diuiſi eſſent. Sed enim ita diſperſi ſunt, quaſi ſeminantes frumenta effecti ſint, ad panem ſupercœleſtem conficiendum, vniuerſumq; orbem peragrãtes viuifica doctrina virtutes, efficaciaſque diſſeminarunt.* Hæc Athanaſius. Sic autem Nyſſenus. *Hinc in orbem terrarum Diſcipuli currere cœperunt: hoc omnes in partes ſermonis diuulgationis initium eſt. Nam niſi ab illius cæde populus Iudæorum in Diſcipulos ſæuiiſſet, forſitan ſolummodò Hieroſolymis Euangelij gratia incluſa eſſet. Nũc verò agitati à Iudæis, alius aliò gentiũ per orbem diſperſi ſunt, vndique per myſteriorum doctrinam diabolum exturbantes.*

2. *Qui diſperſi, & quot.* Quinam iſti fuerint qui diſperſi ſunt, aut quo numero, nihil certum definiri poſſe puto. Euſeb. lib. 2. hiſt. c. 1. Diſcipulos nominat, antiquos credo à Chriſto deſignatos Lucæ c. 10. Caietanus eos, ſuper quos Spiritus ſanctus cecidit, quique variis loquebantur linguis in die Pentecoſtes. Baronius tom. 1. Annal. quia cenſet neminem in vrbe manſiſſe præter Apoſtolos, non minùs quindecim millibus exceſſiſſe putat. Sed ſanè non exceſſiſſe omnes ex eo fit probabile, quia Saulus è fidelibus multos extrahebat domo, trahebátque in cuſtodiam. & viri timorati ſepelierunt Stephanum, haud dubiè Chriſtiani, fecerúntque ſuper illum planctum magnum, id eſt, longas exequias, nempe dierum 70. Quod Luciano Presbytero reuelauit Gamaliel, vt conſtat ex epiſtola ipſius Luciani, quæ ab omnibus recipitur, de inuentione S. Stephani, quæ eſt apud Nicephorum lib. 14. cap. 9. Diſperſos tamen eſſe multos non obſcura coniectura eſt, quoniam Act. 11. qui exceſſerant Hieroſolymis, non tantùm Iudeæ, atque Samariæ regiones luſtrauêre, ſed etiam ex earum finibus egreſſi, perambularunt vſque ad Phœnicem, Cyprum, & Antiochiam: imò eſt valdè veriſimile ad Aſiam vſque penetraſſe, quia etiam veriſimile valdè eſt Petri epiſtolam primam ad eos eſſe datam, quos illa diſſeminauit perſecutio, quos aduenas diſperſionis appellat. *Petrus*, inquit, *Apoſtolus Ieſu Chriſti electis aduenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bythiniæ*, &c. Quid autẽ fecerint hi, quos diſperſit Stephani perſecutio, nihil dicit Lucas vſque ad cap. 11. num. 19. ne confundat, quæ de Philippo, Paulo, atque Cornelio dicuntur: quibus iã expoſitis ſtatim ad illos redit hiſtoria; cùm tamen veriſimile ſit eodem tempore facta, quæ eo numero 19. dicuntur, quo Samaritanorum, & Cornelij conuerſio.

Verſ. 2. *Curauerunt autem Stephanum viri timorati; & fecerunt planctũ magnum ſuper eum.*] Curare mortuos nihil aliud eſt, quàm aptè ad hono- 3.
rem ſepulturæ, ſeu officium componere. Quod apud externos Lybithinariorum opus erat; & huic miniſterio Lybithina quædam Dea præficiebatur. In Eccleſia verò inter varios ordines, qui diuerſa munera primis illis temporibus obibant, fuit etiam eorum, qui fidelium corpora curabãt, aptabátque ſepulturæ; *Laborãtes, qui mortuos curaunt.* hi verò dicebantur *Laborantes.* Horum meminit Ignatius in epiſtola ad Antiochenos. *Saluta*, inquit, *Diaconos, &c. Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Ianitores, Laborantes, Exorciſtas*, &c. Qui verò ſint iſti Laborantes, docet Epiphanius in compendiaria doctrina ad finem, vbi agit de ordinibus Eccleſiæ. *Laborantes*, inquit,

Planctus funeris honor.

ſunt, qui corpora eorum, qui dormieriñt, obuoluunt, & cooperiunt. Planctus verò non ſignificat *fletum* id eſt, lacrymarum effuſionem, ſeu gemitum, vt dicit Hieronymus epiſt. 25. ad Paulam, ſed *magnificentiam*, & *ſplendorem funeris. Planctus*, inquit, *magnus non in plangentium exanimatione, vt tu putas, ſed in pompa funeris, & exequiarum frequentia intelligendus eſt.* Et epiſtola 53. ad Riparium ait, Apoſtolos magna funeris ambitione parentaſſe Stephano. De tempore, quo inſepultus protomartyr iacuit, & quot dies à fidelibus impenſi honeſtando funeri & quo in loco ſepultus, vide epiſtolam Luciani, qui id ſe per reuelationem à Gamaliele accepiſſe dicit; quæ epiſtola magnam habet authoritatem; quam è Patribus multi citant, & probant. Illa verò ſic habet. *Lapidatus eſt à Iudæis, & Principibus Sacerdotũ in Ieruſalē pro Chriſti fide extra portam, quæ eſt ad Aquilonem, quæ ducit ad Cedar. Ibi die, ac nocte iacuit proiectus, vt ſepultura non daretur ſecundùm mandatum impiorũ Principum: vt à feris conſumeretur corpus eius. Ex Domini autem voluntate non tetigit eum vnum ex his, non fera, non auis, non canis. Ego Gamaliel compatiens Chriſti miniſtro, & feſtinans habere mercedem à Domino, & partem cum ſancto viro fidei, miſi per noctem quantos poterã, religioſos Chriſtianos, & in Chriſto Ieſu fideliter credẽtes, habitãtes Ieruſalem in medio Iudæorum, & hortatus ſum eos, & neceſſariam ſubſtantiam miniſtraui: ac perſuaſi illis ire occultè, vt portarent corpus eius meo in vehiculo ad villam meam, hoc eſt, in Caphar Gamamalã (quod interpretatur, villa Gamalielis) viginti millia habens à ciuitate. Et ibi feci illi planctum fieri diebus ſeptuaginta, & poſui eum in meo monumento nouo in Orientali theca, & præcepi meis, vt quacunque neceſſaria erant pro eius planctu, de meo darent.* Hæc Lucianus ex Gamalielis reuelatione.

Verſ. 5. *Philippus autem deſcendens in ciuitatem Samariæ.*] Philip- 4.
pus hic Apoſtolus non erat, ſed Diaconus, licèt quidam aliter exiſtimẽt. Nam & Apoſtoli in vrbe remanſerunt; & vt baptizatis à Philippo manus imponerent, id eſt, Confirmationis Sacramentum conferrent, miſſi ſunt Apoſtoli. Quod ſanè neceſſarium non eſſet, ſi ex Apoſtolorum numero fuiſſet Philippus.

Verſ. 7. *Multi enim eorum, qui habebant ſpiritus immundos, exibant.*]
Obſcurus locus propter verſionem 5.
nõnihil impeditam. Senſus eſt, non quidem exiiſſe eos, quos immundi vexabant ſpiritus; ſed ſpiritus potiùs immundos ab iis, qui vexabantur. Id planum eſt ex Græco textu, neque à vulgata tranſlatione alienus eſt ſenſus, maximè ſi pro, *multi*, legas *multis*. Si verò nihil de vulgata mutes, ſic aptè, licèt paulo duriùs, textus diſponi poteſt. *Multi* (ſpiritus immundi) *exibant eorum hominũ, qui ſpiritus immundos habebant.* vbi antecedens, *ſpiritus* ponitur pro nomine relatiuo, *eos*: quod in Scriptura frequentiſſimum eſt. Vide plurima, atque optima exempla apud Salmeronem Prolegomen. 14. formula 13.

Quæret hîc aliquis quomodo 6.
verum eſſe poſſit, quod tradit Lucas cap. 11. ab iis, qui diſperſi ſunt, quo tempore lapidatus eſt Stephanus, ſolis Iudæis annunciatum eſſe Euangelium, cùm hîc dicatur egiſſe cum Samaritanis Philippus, & ex eis baptizaſſe quamplurimos? De hac quæſtione agemus poſtea pluribus in tractatu primo de aduentu Iacobi in Hiſpaniam, quem ad calcem

Digitized by Google

cem operis addidimus. Interim ſatisfiet aliquo modo quæſtioni, vbi de Samaritanorum origine, atque inſtituto conſtiterit; qua de re alij pluribus, nos ſtrictim, quæ ad noſtrum inſtitutum faciunt, pauca colligemus. Vt conſtat 4. Reg. cap. 17. cùm decem tribus ab Aſſyriorum Rege captiuæ ducerentur, ne regio, quæ Iſraëlitici Imperij caput erat, cultoribus vacaret, miſſi ſunt eò alienæ Religionis non pauci, qui cũ peregrinis Diis ibi conſtituiſſent altaria, diuino ſupplicio dutè mulctati Iudæorum legem, & ſacra ſuſcipere coacti ſunt; ita tamen, vt alienam Religionem complexi, propriam nihilominùs retinerent. Quare ex Hebræorum lege quinque tãtùm libros recepêre, vt tradit Origenes tom. 4. in Ioannem, & Epiphanius in Anacephalæoſi. Ideo Abraham, & Iacob patres ſuos eſſe dicebant, vt docet Samaritana mulier Ioan. cap. 4. Meſſiam expectabant, circuncisionem ſubibant, contemnebant pleraque alia. Quare hi odioſi erant Iudæis, & eo loco habiti, vt cùm aliquem execrandum, & omni turpitudine dignum cenſerẽt, illi in grauiſſimo maledicto *Samaritani* nomen obiicerent. Ex his intelligitur quomodo neque inter Gentes omnino, neque inter Iudæos numerari debeant Samaritani: quia vtriuſque legis participes ſunt; ſiue, vt magis propriè loquamur, expertes: ſed abſolutè inter Gentes non numerantur. Quare Chriſtus Mat. 10. à Gentibus apertè diſtinxit. *In viam*, inquit, *Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis*. Ex quo apparet quomodo Philippus diuini verbi nuncius abſtinuiſſe à Gentibus cenſendus ſit. Hæc iuxta aliorum ſententiam, qui putant non licuiſſe Diſcipulis agere cum Gentibus ante Cornelij cõuerſionem: de quo nobis poſtea pluribus, vbi contrarium veriſimilius putabamus. Illa tu vide.

Samaritanorũ origo, & Religio.

7\. Verſ. 9. *Vir autem quidam nomine Simon, qui antè fuerat in ciuitate Magus, ſeducens gentem Samariæ, dicens ſe eſſe aliquem magnum.*] De hoc Simone multa Clemens Rom. lib. 2. Recognit. Iuſtinus Martyr. in Apolog. ad Antoninum; Epiphanius hæreſi 21. & omes pene qui de primis Eccleſiæ temporibus ſcripſerunt. Hic præſtigiis quibuſdam, quas Simonis ipſius voce numerat Clemens ſuprà, ſic illuſit Samaritis, vt apud eos Dei magna quædã virtus haberetur. Qui non potentiæ ſolùm, ſed diuinitatis ſibi tantùm arrogabat, vt ſcripta ſua, vt tradit Hieronymus in cap. 24. Matth. his conſignaret titulis. *Ego ſum ſermo Dei, ego ſpecioſus, ego paracletus, ego omnipotens, ego omnia Dei.* Populus autem rerum admirabilium imagine deluſus inanes illos titulos Simoni, & eximia nominã tribuebat; dicebat enim: *Hæc eſt virtus Dei, quæ vocatur magna.* vbi pro, *quæ vocatur*, quod in Græco textu non eſt, articulus tantùm ponitur; eodem tamen ſenſu, nimirum, *hæc eſt virtus Dei, illa inquam magna virtus.* De Meſſia, credo, intelligebant Samaritæ; nam cùm libros admiſiſſent Moyſis, non dubium quin ipſi quoque Meſſiam expectarent. Certè mulier Samaritana ex imperita, atque obſcura plebe hoc nouerat, cùm Ioan. cap. 4. dixit. *Scio quia Meſſias venit*, id eſt, venturus eſt, vel veniens eſt. quia nimirum, *qui venit*, aut, *veniens*, nomen erat Meſſiæ.

Simõ Magus ſuperbus.

8\. Tranſlatio hæc vulgata difficilis eſt; & licèt eundem ſenſum reddat, atque textus Græcus, habet tamen illum, vt apparet, obſcurum,

rum, & ſuſpenſum: in Græco non eſt relatiuum, *qui*, & pro hoc nomine *Magus*, eſt participium μαγεύων, id eſt, *vtens magia*, ſiue *præſtigiis*. Illud verò *antè fuerat*, non ſignificat ita priùs artem exercuiſſe magicam, vt tunc abiiceret, ſed fuiſſe, antequam ad ciuitatem accederet Philippus, Magiæ deditum. Ita planè ex textu Græco conſtat. Eſt ergo ſenſus, & ordo huius loci: Vir autem quidam nomine Simon fuerat antè in ciuitate artem exercens magicam; ſiue magicem exercuerat. Illud verò *aliquem*, ſignificat eximium quid, vt docuimus ſuprà cap. 5. ad illud, *extitit Theudas*.

9. An ex animo crediderit Simon.

Verſ. 13. *Tunc Simon & ipſe credidit.*] Communis eſt omnium pene Sanctorum ſententia, Simonem exteriùs tantùm profeſſum eſſe fidem, interiùs verò antiquam ſeruaſſe mentem. Simulauit autem Chriſtianam fidem, vt eiuſdem Religionis opinione retineret, quos videbat quotidie ad Philippum dilabi. Quare, vt dicit Cyrillus in procemio Catecheſeon, *baptizatus eſt, ſed non illuminatus, & corpus quidem lauit aqua; cor autem non illuſtrauit Spiritu.* In hæc pene verba Aug. tract. 6. in Ioannem, & in Pſal. 130. Niſi tot Sanctorum acceſſiſſet authoritas, non videbatur difficile ex hoc loco colligi, tunc primùm Simonem verè, atque ex animo credidiſſe, licèt paulo pòſt propter animi leuitatem, atque ambitionis æſtum illam prorſus exuerit: nam coniunctio (*&*) ante pronomen (*ipſe*) ſatis videbatur indicare non aliter credidiſſe tunc Simonem, quàm fideles alij crediderant. Ita putat hîc Caietanus, & Stapletonus hîc in Antidotis; quia aliter otioſæ videntur coniunctio (*&*) atque particula (*ipſe*) quæ vox eſt emphatica; & quæ hanc ſententiam habet. *Qui alios ſtupefecerat, ipſe iam ſtupens ad maiora prodigia, credidit.* Et hoc mihi apparebat ſatis probabile: ſentiendum tamen eſt cum tot támque egregiis authoribus. Neq; deeſt quod oppoſitæ rationi reſpondeã; nam in Scriptura ea interdum facta eſſe dicuntur, quæ videntur fieri, neque res ſemper ex earum veritate, ſed aliquando ex vulgi opinione, atque exiſtimatione metimur, vt alibi à nobis probatum eſt. Quo ſenſu B. Virgo Lucæ cap. 2. Ioſephum patrem vocat Chriſti, quia ea erat opinio vulgi.

Verſ. 14. *Cùm audiſſent Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quòd recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Ioannem.*] Hinc conantur Hæretici principem locum Petro, & ſummam authoritatem eripere, quia cum Ioanne ſimul ab aliis Apoſtolis ad Samaritanos miſſus eſt: ſed nihil locus iſte fauet Hæreticorum impietati; neque enim ſemper mitti dicuntur hi, qui aliorum poteſtati ſubſunt, licèt hoc frequentius: mittuntur enim ſæpiſſime, qui pari ſunt authoritate, & fortuna; ſed hi non tam imperio, quàm ſuaſu. Qua ratione amici ab amicis ad expedienda negotia propter beneuolentiam mittuntur; neque qui ea ratione miſſi ſunt, tam poteſtati ſeruiunt, quàm amicorum, aut ſuo potiùs ſtudio. Exempla ſunt inter prophanos obuia. Sed & ſuperiores ab inferioribus interdum mittuntur, non quidem authoritate ſua, atque imperio; ſed rogatu. In quo laus interdum eſſe ſolet ſuperiorum non vulgaris, quia aliorum iudicio digni viſi ſunt, quibus in rebus arduis illa prouincia mandari debuerit. Exempla quædam afferunt Baronius 1. tom. Annal. & Bellarminus ſatis ad inſtitutum accommodata. Primum

10. Non derogat dignitati Petri, quòd ab Apoſtolis miſſus ſit.

Ioſue

Ioſue c.22. vbi filij Iſraël ſummum Sacerdotem Phinees, aliarúmque tribuum principes viros miſerunt, qui exquirerent de altari, quod vltra Iordanem excitarant filij Gad, & Ruben. Et Act. 15. fideles qui erant Antiochiæ, Paulum, & Barnabam miſerunt Hieroſolymam, vt magnis de rebus Apoſtolos conſulerent. Et, vt Ioſephus tradit lib. 20. Antiq. cap. 7. Iudæi aduerſus Agrippam, & Feſtum cum aliis Principibus eius gentis Pontificem ſummum Iſmaëlem ad Neronem legarunt. Et nunc etiã ſæpe fit, vt Epiſcopi in rebus grauioribus ad Pontificem, ſeu Regem à ſuo capitulo mittantur, quod non tam poteſtate fit, atque imperio, quàm ſuaſu, ac precibus; quia ipſius authoritati, atque prudentiæ plus tribuitur, quàm aliorum. Sic ergo quia res erat magna, conuerſam eſſe ciuitatem Iſraëlitici quondam Regni, & nunc multarum ciuitatum caput, res viſa eſt digna, quam ſummus Paſtor Petrus cognoſceret, rémque Chriſtianam apud Samaritas ita conſtitueret, vt diuturnus eſſet fructus, qui tunc primùm ex agro Samaritano oſtendebatur. Accommodauit autem ſe tunc Petrus & rei opportunitati, & ſubditorum ſtudio; quod optimi parentis, ſuorúmque amantis proprium eſt. De hac Petri modeſtia diximus ſuprà c. 1. in electione Matthiæ.

Verſ. 16. *Nondum enim in quenquã illorum venerat: ſed baptizati tantùm*
11. *erant.*] Agitur hîc de Spiritus ſancti aduentu ſecundùm externam aliquam, & aſpectabilem formam; quæque ſplendenti illuſtraret igne, & donum conferret linguarum: nã ſecundùm internum effectum datũ eſſe in Baptiſmo dubitari non poteſt. Quod Simonem mouit hominẽ vaniſſimum, & humanæ laudis ſitientiſſimum, vt oblata pecunia impertiri ſibi talẽ ab Apoſtolis facultatem cuperet. Id verò per manus impoſitionem præſtari, ſatis ex hoc libro conſtat: deſignari autem hîc Sacramentum Confirmationis tenent communiter Theologi.

Orauerũt pro ipſis, vt acciperẽt Spiritũ ſanctum] Nõ ſatis cõſtat an oratio hæc ſit illa, quæ à viris ſanctis in rebus quibuſque arduis præmitti ſolet: qualis præceſſit c. 1. in electione Matthiæ, & c. 13. quando Paulus, & Barnabas ab Antiochena Eccleſia ſegregati ſunt; an verò forma fuerit Confirmationis. Nam hanc deprecatoriè conceptam primis illis temporibus indicat Edictũ Cõſtãtini, vbi Syluester dicitur hac vſus forma. *Signet te Deus ſigillo fidei ſuæ.* Et Amb. lib. 2. de Sacramentis c. vlt. adducit aliã formã parum ab hac diuerſam, qua ipſe vſus eſſe credendus eſt, Epiſcopus tùm eſſet. Neque eſt cur hoc durũ videri debeat, cùm in ipſis Eccleſiæ incunabulis ex diuina diſpenſatione aliter ab Apoſtolis collatum ſit Confirmationis Sacramentum, quàm nũc à nobis: nam eo tempore, quo externo ſigno, & viſibili forma dabatur S. Spiritus Apoſtoli non vtebãtur chriſmate, vt docet S. Tho. 3. p. q. 72. ar. 2. ad 1. quia Spiritus sãctus viſibiliter lapſus ſatis ſupplebat ſignificationẽ olei. Quia nimirũ ſicut oleum athletas cõparat ad luctã, redditque ad omnia diſcrimina expeditos; ſic ignis confirmat, & roborat, & ſi quid molle eſt in nobis, atque fluxum, exurit. Quare vbi Spiritus ſanctus externa ſpecie illabi deſiit, vt dicit S. Thomas ſuprà, chriſmate, ſicut nos, Apoſtoli vti cœperũt. Quod docet ex Dionyſio de Eccleſ. Hierar. c. 4. & tradit Fabianus in epiſtol. ad Oriẽtales, to. 1. p. 1. epiſtol. 2. Quare mirum non eſt, ſi Apo-

12. Quæ forma Confirmationis.

13. An in exordio Eccleſiæ oleũ adhibitũ in Cõfirmatione.

ſtolis ſine vnctione, aut chriſmate Confirmationis Sacramentum cōferre licuit, licuerit etiam vti forma nō admodùm à noſtra diuerſa, præſertim quia rudes tunc homines, & opinionibus, ac religionibus aliis occupatos doceri maximè oportuit, donum illud cœleſte ab hominibus omnino non eſſe, ſed authore Deo; quod ſatis indicabat, quæ ab Apoſtolis præmittebatur oratio; vt & mentem ad Deum ſurſum eleuarent, & Chriſti amorem, per quem tanto ornabantur dono, conciperent; cuius nominis in oratione illa vſurpatio, atque implоratio frequens.

14. Sunt ſanè hæc ſatis probabilia, licèt non deſint plurimi, iidémque non ignobiles authores, qui dicant eodem omnino modo, quo à nobis, ſemper ab Apoſtolis collatum Sacramentum Confirmationis; & in his Bellarminus lib.2.cap.9.de Cōfirmatione, vbi multis docet Apoſtolos ſemper vſos eſſe chriſmate. Nihilominùs exiſtimo orationem, de qua hîc Lucas, non eſſe formam Sacramenti, ſed quaſi quoddam ſacramentale: & ita hunc locum explicat Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap.26. & ſatis videtur colligi poſſe ex ipſo textu; nam oratio illa præceſſiſſe dicitur manus impoſitionē, neque ſpecialis eſſe indicatur, aut accommodata ſeparatim ad ſingulos, ſed vniuerſim pro omnibus: formam verò cum impoſitione ipſa ſimul eſſe oportebat.

Verſ. 17. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.*]

15. Quia frequens eſt in toto hoc libro manus impoſitio, neque ſemper illa eodem modo ſumitur, videtur ex noſtro inſtituto, atque vſu futurum, ſi hæc primùm expediamus, ne ſæpius in eadem ſalebra hærendum ſit. Manus impoſitio à ſuperiori plerumque fit, atque à poteſtate, quæ inferiorem hominem alicui muneri aut initiat, aut deſignat, aut illi aliquod beneficium aut optat, aut impertit.

Manuum impoſitio ad varios vſus.

Confert aliquod beneficiū

Per *manum* poteſtatem ſignificari indicant aliquot loquendi formæ; nam ſub manu alicuius eſſe, idem eſt, atque ſub poteſtate. In manum venire de vxore dicitur, quæ in viri poteſtatem venit; & ſeruus manu mitti ideo videtur, quia à manu, id eſt, à poteſtate domini abſoluitur, cui erat alligatus. Quòd in beneficiis, maximè vbi preces adiunctæ ſunt, manus imponantur, probant in multis Euangelij locis exempla Chriſti, qui ægrotos per manuum impoſitionem ſanabat. Matth. 9. *Veni, & impone manum tuam ſuper eam, & viuet.* & Lucæ cap. 4. *At ille* (Ieſus) *ſingulis manus imponens curabat eos.* Et Marci vltim. de fidelibus dicitur: *ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt.* Quod à ſanctis viris etiam in Teſtamento Veteri fieri ſolitum argumento eſt, quòd homo externus à Religione Iudæorum id nouerat: dixit enim Naaman Syrus de Eliſæo 4.Reg.c.5. *Putabam quòd egrederetur ad me, & ſtans inuocaret nomen Domini Dei ſui, & tangeret manu ſua locum lepræ, & curaret me.* Quod etiam in precationibus, & benedictionibus à ſuperiori item fieri docuit primùm Iacob Geneſ. 49. qui cùm benedicturus eſſet filiis Ioſeph, tranſuerſas eorum capitibus manus impoſuit.

Impoſitione præterea manus homo alicui muneri, ſiue etiā morti, deſtinabatur. De priori, id eſt, munere, ſiue miniſterio, cui aliquis præficitur, aut veriùs illigatur; quia poſt illam manus impoſitionem, aliorum commodis ſeruire cogitur, 16.

Deſtinat hominem alicui rei, nēpe miniſterio, aut morti

&

& quodam modo amplius ſui iuris non eſt;iudicio eſt,quia Leuitis populus Iſtaël manus imponit. Num. c.8.Qua cæremonia,& illos Domino mãcipio dat,& vt populo potiùs, quàm ſibi ſeruiant, edicit.Eodem modo Ioſue impoſitis manibus Numer.cap.27.non tam præponit dominum eius multitudinis, quam moderaturus erat,quàm ſeruũ conſtituit.Diſcãt hinc iam qui præſunt, non tam ſibi viuendum eſſe, quàm aliis; vitæ rationem attemperandã eſſe non ad ſuam, ſed ad eorum, quibus præſunt, commoditatem. De poſteriori,id eſt, de deſtinatione ad aram,& mortem, oſtendunt illa præcepta toties repetita, quæ iubẽt ſuper victimarum capita manus imponi.Leuit.cap.1.Exod. 19. Num. 8. Et ſimili cæremonia,& ſignificatione teſtes imponebant manus ſuper illum, quem ſuo teſtimonio morti deſtinabant; quare ſenes impoſuerunt manus ſuper caput Suſannæ. Dan.cap.13.Et eam fortaſſe ob cauſam 2.Reg.13. Thamar à fratre recèns violata egreſſa eſt impoſitis manibus ſuper caput,quaſi ſe profiteretur mortis ream.

17. Cõfirmatio dicitur manuum impoſitio.

Hæc duo,quæ manuum impoſitionem conſequuntur, mirè conueniunt in eos,qui per Sacramẽta alicui vel præficiuntur, vel alligantur miniſterio. Accipiunt enim aliquod donum,atque ideo cum impoſitione manuum admiſcetur quoque aliqua benedictio,ſiue diuinæ largitatis imploratio: ſed & ſerui conſtituuntur;certè domino in ſpecialem quandam hæreditaris poſſeſſionem veniunt. Sed cùm Sacramentorum aliqua conferri etiam ſoleant per manuũ impoſitionem, vt de ordine ſatis conſtat ex Paulo, qui Timotheum monet,ne cuiquam citò manus imponat. 1.ad Thimoth.5.adeò vt Clericorum ordinatio dicatur *χειροτονία*, vt tradit Hieronymus in cap.58.Iſai.& pœnitentium reconciliatio per manuum item impoſitionẽ fiat,vt conſtat ex Clem. lib 2. Conſt.cap.45.quia ſe rurſus ſubdũt Deo,à quo peccando receſſerãt, aut iterum ſubire volunt iugũ, quod à ſuis ceruicibus excuſſerant: nihilominùs cõmune aliis vocabulũ Confirmationis Sacramentum ſibi vendicauit,vocatur enim manuum impoſitio. Neque rarò contingit, vt 18.

Reg. Species generis nomẽ aliquando ſumit.

ſpecies aliqua, aut propter dignitatem,aut alias ob cauſas generis ſibi nomen attribuat,vt patet in iuglande,& braſſica, quarum altera *nucis*, altera *caulis* nomina ſumpſerunt. Dicitur verò Confirmatio, *manus impoſitio*, vel quia olim per ſolam impoſitionem conferebatur, vel quia hæc erat in eo Sacramento cæremonia, quæ magis à vulgo ſpectari poterat. Nam in Sacramentis aliis plus ponitur temporis; in quo plura ſunt ſpectatu non indigna; at quod in Confirmatione conſumitur temporis, breue eſt: neque quicquam eſt magis propoſitum ſpectantibus, quàm manuum impoſitio.

His adde, etiamſi probabile ſit, 19.
vt diximus, ſine chriſmate ab Apoſtolis Sacramentum Confirmationis impendi, quando aſpectabili forma Spiritus ſanctus illabebatur confirmatis; non tamen ex his verbis colligi, omnino primis illis temporibus vnctionem non interceſſiſſe, vt optimè probat Bellarminus tomo 2. libro 2.cap. 9. nam qui iniungit, manus imponit. Lucas autem ſignificauit vtrumque, licèt alterum tantùm expreſſerit: nam fieri in Scriptura

non rarò ſolet, vt in aliqua re, ad quam concurrere multa ſolent, exprimatur vnum, intelligantur alia. Nam Paulus ordinationem vocat *manus impoſitionem*; in ordinatione tamen non tantùm eſt manus impoſitio. Et hoc ipſo capite Eunuchus à Philippo baptizatus dixiſſe traditur; *Credo filium Dei eſſe Ieſum*. Sed, vt notauit Auguſtinus libro de fide, & opere, capite 8. & 9. Lucas rem illam per compendium attigit; & de multis aliis rebus interrogatus eſt, & inſtructus Eunuchus.

20. Verbi ampla ſignificatio.

Verſ. 21. *Non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto.*] *Verbum*, aut *ſermo* in Scriptura tam latè patet, quàm apud Latinos nomẽ hoc *res*. Iſai. 39. *Non fuit verbum, quod non oſtenderem eis in theſauris meis*, id eſt, nihil fuit. Et Luc. capite 1. *non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*; & libri Paralipomenon inſcribuntur *verba dierum*. Nunc videamus quid hîc *ſermo* ſignificet. Caietanus indicare videtur, *ſermonem* hîc eſſe, & quod deſiderabat Simon, nempe vt manuum impoſitione Spiritum ſanctum euocaret ad eos, quos tetigiſſet; & quod ipſi Simoni, vt qui iam eſſet in cœtu fideliũ, debebatur: dicit enim *partem* ſumi pro re debita, *ſortem* verò pro eo, quod deſuper cõtingit: neque id diſplicet. Et iuxta hanc *ſermonis* ſignificationem; & acceptionem *partis*, & *ſortis*, ſenſus eſt huius loci: non erit tibi pars, neque communitas nobiſcum; neque, id eſt, nec dum ſors; quaſi dicat: adeò ſortem diuinitùs datam, quam venalem eſſe exiſtimaſti, non conſequeris, vt etiam amittas id, quod tibi cum fidelibus debuit eſſe commune.

21. Aliter *ſermo* eſſe poterit cœtus, & inſtitutum Chriſtianorum, cuius particeps, & conſors negatur futurus eſſe Simon. Et ita ſanè videtur eſſe dicendum, ſi his verbis intelligamus Simonem à Petro fuiſſe excommunicatum. Quod valdè probabile putat Turrianus lib. 1. cap. 11. Conſt. Apoſt. Et ita hunc locum videtur expoſuiſſe Petrus ipſe in Apoſtolicis canonibus can. 28. *Si quis* (inquit) *Epiſcopus, aut Preſbyter aut Diaconus per pecuniam hanc obtinuerit dignitatem*, &c. *à communione modis omnibus abſcindatur, ſicut Simon Magus à me Petro abſciſſus eſt*. Et ſi ita eſt, dici, meo iudicio, conſequenter debet, idem eſſe *partem*, & *ſortem*. Et quidem duæ iſtæ voces in Scriptura ſæpe coniunguntur. Ad Col. 1. *qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine*. & Pſal. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ*; Græcè κλήρου, id eſt, *ſortis*. Imò & in recto ſimul inueniuntur Sap. 2. *Hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors noſtra*. Cùm autem negatur Simoni pars, & ſors in eo ſermone, eo ſenſu dici puto, vt nihil ad Simonem pertineat, quod Chriſti fidelibus commune ſit; quia per excommunicationem iam alienus eſt ab eo cœtu. Solere autem his vocibus eiuſmodi abciſſionẽ, & alienationem ſignificari forma, vt videtur, Prouerbiali, docuit Elias in proœmio Tiſbi, vbi pictor inducitur reprehẽdens furorẽ, quòd in examinãda cuiuſdã imaginis arte à calceis ad alia notanda, præter artem ſuam aſcendiſſet. Dixit enim; *non eſt tibi pars, neque ſors, neque hæreditas in hoc*, id eſt, ad te nullo modo pertinet iudicare vltra crepidam.

Probabile eſt hic excõmunicatum eſſe Simonem.

Si verò quiſpiam illud, *in ſermone iſto*, pertinere putet, non ad cœtum, communionémque fidelium, ſed ad verba Simonis impia; nõ admodùm 22.

pugna

pugnauerim, imò hoc mihi videtur maximè ad rē. Si tamen illud *in ſermone*, interpretēre *propter ſermonem*, quod vſitatum eſſe in Scriptura docuimus ad illud cap. 7. *obdormiuit in Domino*; hoc ſenſu: propter ſermonem iſtum, id eſt, propter hoc facinus, quo venale propoſitum voluiſti Spiritus ſancti donum, nō erit pars, &c. An verò verba, quibus anathemate Petrus Simonem percuſſit, ſint illa. *Pecunia tua tecum ſit in perditionem*; an hæc, *Non eſt tibi pars*, &c. dubium eſt. Turrianus ſuprà, omnia putat, & mihi ita videtur, & de poſterioribus verbis eſt magis certum; quia illis magis excommunicationis natura declaratur, quæ exortem, & expertem reddit eius iudicij reū à ſocietate, communitatéque aliorum. Neque illud, *Pecunia tua tecum ſit in perditionem*; tam eſt execratio, quàm expreſſio eius damni, quod attulit Simoni tam impia cogitatio. Neque illa ſeuera denunciatio orta eſt ex aliqua offenſione, vel odio, ſed ex charitate ac Religionis ſtudio, vt in cauſa Simonis in Eccleſiæ ortu diſcerent Chriſtiani, quantum eſſet Simonis flagitium, & oblatis minis territus Simon mutaret animum, dolénſque & ſupplex peccati ſui veniam obtineret. Quare addidit Petrus; *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua.*

Verſ. 23. *In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te*
23. Peccatoris ſtatus. *eſſe.*] Deſcribitur optimè in Simone peccatoris ſtatus. *Habere* autem *fel amaritudinis*, id eſt, fel amarum, iuxta phraſim Hebraicam, nihil aliud eſt, quàm ab antiquo ſerpente venenum hauſiſſe, quod ille in eorum præcordia euomit, quos per tentationem deluſit. Sicut Prouerbiali figura ille dicitur eſſe in fermento, qui iram concepit, quia fermentum illud intus operatur, tumeréque facit ſtudio vindictæ furentis animum. *Fel* autem pro veneno ſumi ſatis notum eſt. Quo ſenſu Deut. 32. venenum dicitur *fel draconum*. Fel venenum.

Pro *obligatione*, Græcè eſt σύνδεσμος, id eſt, *colligatio*, quare *eſſe in obligatione iniquitatis*, nihil eſt aliud, quàm eſſe multis ſceleribus implicatum. Et reuerà non difficile eſt iudicare in illa cogitatione Simonis quot eſſent ſcelera. Græcè eſt εἰς χολὴν πικρίας, καὶ σύνδεσμον, id eſt, *in fel amaritudinis, & obligationem*: quæ lectio videtur locum hunc in aliam trahere ſententiam; ſcilicet vt Petrus Simonem admoneat, vt pœnitentia obſtructum ſibi aditum ad ſalutem aperiat: nam propter tam impium facinus videt illum tendere ad fel amarum, & ad vincula iniquitatis, id eſt, ad rudentes inferni, quibus iniqui conſtricti ſunt. Sed neque ſi in ablatiuo ſit *fel*, & *obligatio*, vt habet vulgata, diuerſa ſententia eſt, ſed eadem multo ſignificantiùs expreſſa: nam quod proximè abeſt vt fiat, id in Scriptura fieri dicitur, imò & factū eſſe; vt docuimus in illud Cant. 1. *Introduxit me Rex*. Qui ergo proximus erat Simon æterno felli, & vinculis, in felle iam, & vinculis eſſe dicebatur à Petro.

Quidam hîc putant dici Simonem in amaro felle eſſe, quia non eſt 24.
aptus Spiritus ſancti gratiæ, qui per columbam adumbratur, quæ felle caret, neque ipſius conuerſatio habet amaritudinem: colligationem autem iniquitatis appellari ſimoniam, quia illi alligari ſolent quamplurima alia vitia; ſed credo alium ſenſum magis eſſe proprium.

Verſ. 26. *Vade contra Meridianum ad viam, quæ deſcendit contra Ie-*

25. *ruſalem in Gazam.*] Cùm Samaria, ex qua Philippus euocatur, ad Septentrionem pertineat, neceſſe eſt, vt Meridiem verſùs viam inſtituat, qui incurrere in illam velit viam, quæ à Ieruſalem deducit in Gazam. Ea verò via eſt, per quam ex Ægypto venitur in Ieruſalem, & ex ea Æthiopia, quæ ad Ægyptum pertinet, ex qua profectus eſt Eunuchus ille, de quo præſens ſermo. Porrò Gaza deſerta dicitur, quia ita vaſtata fuerat ab Alexandro, vt ſcribit Q. Curtius lib. 4. vt tantùm pene relicta fuerint antiquæ molis nuda veſtigia; iuxta illud Sophoniæ cap. 2. *Quia Gaza deſtructa erit.* Ad Gazam autem deſertam viam eſſe nihil eſt aliud, quàm ad Gazæ ruinas. Deſerta verò dicitur, vt diſtinguatur ab alia Gaza, quæ eſt in Perſide, ſic vocata, quia in eam Cambyſes tanquam in munitiſſimam arcem omnes opes, pecuniáſque coniecerat, vt tradit Curtius lib. 3.

Gaza duplex.

Verſ. 27. *Et ecce vir Æthiops, Eunuchus potens Candacis Reginæ.*]
26. Æthiopes quoſdam pertinere ad Ægyptum docuimus pluribus in Pſal. 67. contra quos multa bella ſecunda geſſiſſe Moyſem pro Pharaone docet Ioſephus lib. 2. Ant. cap. 10. Inter hos regnare fœminas tradit hîc Oecumenius, & Euſebius lib. 2. cap. 1. & Plinius lib. 6. cap. 29. Strabo lib. 17. Reginarum verò commune nomen eſt *Candace*, ſicut Ægypti Regum olim *Pharao*, deinde *Ptolomæus*, Romanorum *Cæſar*. Ita Oecumenius, & Plinius ſuprà, qui etiam docet eius nominis Reginas Imperium tenere in Inſula, quæ Meroë dicitur, quam efficit Nilus. Cæterùm non deſunt, qui *Candace* nomen eſſe putent non Reginæ, ſed Eunuchi, in quibus eſt Gregorius Nazianzenus Oratione in ſanctum Baptiſma. Anaſtaſius Sinaita lib. 6. & Euthymius in Pſal. 67. ſed contra hos ſentiunt communiter alij: neque ſi Eunuchi nomen illud ſit, expeditè fluit orationis curſus.

Fœminæ in Æthiopia regnãt, quarum commune nomen Candace.

Venerat adorare in Ieruſalem.] Ea 27.
erat Solymitani templi amplitudo, & ſanctitas, vt externos etiam, & aliis addictos Religionibus, & magni nominis viros ad ſeſe traxerit; iuxta illud Pſ. 67. *à templo tuo, quod eſt in Ieruſalem, tibi offerent Reges munera*; quod eo tempore, in quo nunc verſamur, fieri ſolitum probant Gentiles illi, qui Ioann. cap. 12. ad templum Religionis gratiâ conuenerant.

Sunt qui dicant Eunuchum iſtum eſſe omnino Gentilem, & in his S. Thom. in Ioan. cap. 12. lect. 4. & Euſebius lib. 2. cap. 1. Alij putant Gentilem non eſſe, quia Iudaicæ Religionis gratiâ tam longam peregrinationem non ſuſcepiſſet; neque legiſſet Iſaiam, qui liber Gentibus, & maximè Æthiopibus, qui non tam erant eruditionis auidi, non erat adeò familiaris. Sed præcipuè, quia Petrus omnium primus dicitur ad fidẽ inſtituiſſe Gentes, & ex eis primum Cornelio ad Eccleſiam aperuiſſe aditum. De hoc latè Baronius 1. to. Annal. anno 35. & Bellarminus lib. 1. de Rom. Pont. cap. 22. De quo nos pluribus tractatu primo de aduentu Iacobi in Hiſpaniam, quem ad huius libri calcem adiecimus. Porrò hunc Eunuchum factum eſſe ſuæ gentis Apoſtolum docet Irenæus lib. 3. cap. 12. Euſebius ſuprà. Cyril. Catecheſi 17. Hieron. in cap. 53. Iſai. De huius prædicatione, quã conſecutũ eſt nobile martyrium, & ſignorum gloria, vide Dorotheum in ſynopſi,

An Eunuchus iſte Gentilis.

Verſ. 32. *Locus autem antem Scripturæ, quam legebat, erat hic.* Non cita- 28.
tur

tur caput Iſaiæ, quia eo tempore Scriptura ſacra non erat in capita diſtributa; immò neque clauſulas, vt tradit Elias in Præfatione ad Maſoreth. Vide Sixtum Senenſem to.3. Bibliothecæ, & Salmeronem Proleg. 4. Quia verò locus hic illuſtriſſimus eſt, quem huic Æthiopum Principi Spiritus ſanctus obtulit, & per Philippum Diaconum explicauit, conabor ego quoque, vtinam eodem inſpirante, atque docente Spiritu, illum paulo accuratiùs explicare. Incipiam autem ab eo, quod anteceſſit proximè, quia eodem ſpectat, & viã ad ea, quę hîc habemus, munit, & expedit. Cùm verò hæc in noſtris ſuper Iſaiam Commentariis expoſita ſint, & illuſtrata, eodem propè modo huc transferentur, quo à nobis ibi elaborata ſunt. Sumo igitur ex Iſaia verbum hoc, quod non habemus in Actis.

Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non
19. *aperuit os ſuum.*] Metaphoram plerique Interpretum ab agno petitam eſſe exiſtimant, qui ad aram ducitur immolandus; tum quia optimè hæc ſimilitudo declarat, quid Chriſtus hominum generi præſtiterit, & eius mitiſſimum ingenium, & patiẽtiam admirabilem: tum etiam, quia hæc ſimilitudo alibi ſæpe, & hoc capite non ſemel ad explicandum Redemtionis noſtræ beneficium adducitur. Quod ſanè neque mihi diſplicet, eo præſertim nomine, quòd pluribus placet. Tunc verò notandum maximè illud *voluit*, quod in victimis maximè obſeruabant antiqui. Si qua enim victima aliquo modo (Victima nõ inuita.) ſignificaret inuitã ſe ad aram, & cultrum trahi; vt ſi ab ara profugiſſet, aut nimis eſſet reluctata, aut percuſſa ederet mugitus, triſte exiſtimabant portentum, neque admouebatur aris, quia putabatur eiuſmodi victima ingrata eſſe Deo. Ita Macrobius lib.3. Satur. cap. 5. *Obſeruatum eſt à ſacrificantibus, vt ſi hoſtia quæ ad aras duceretur, fuiſſet vehementiùs reluctata, oſtendiſſétque ſe inuitam altaribus admoueri, amoueretur; quia inuito Deo offerri eam putabant; quæ verò ſtetiſſet oblata, hãc volẽti numini dari exiſtimabãt.* Plin. itẽ lib.8.c.45. *Hoc quoque notatum, vitulos ad aras hominum humeris allatos non fere litare, ſicut nec claudicante, nec aliena hoſtia deos placari, nec trahente ſe ab aris.* Idem Plutarchus lib.6. Sympoſ. cap. 8. obſeruatum fuiſſe dicit ab antiquis, ne victimam vllam cædant, niſi priùs indicet ſe ad aram admoueri non inuitam. De mugitu, aut clamore victimarum ſunt etiam non obſcura teſtimonia, maximè apud Poëtas. Tu pauca hæc accipe, plura inuenies apud Briſſonium lib. 1. formularum, & apud Tiraquellum in lib. 3. cap. 12. Alexandri ab Alexandro. Ouid. lib. 7. Metamorph.

——mugitus victima diros
Edidit.——

Silius Italicus lib. 5.

Nec rauco taurus ceſſauit flebile ad aras
Immugire ſono, preſſámque ad colla bipennem
Incerta ceruice ferens altaria liquit.

Hæc officiorum genera, quæ tardè, 30.
dubitanter, & dolenter veniunt, quantumuis ſplendida ſint, & grandia, nullo in loco numerantur ab his, qui rectè ſentiunt, cognoſcúntque, quid in munere probari, ac placere debeat. Ita Senec. libr. de Benef. cap. 7. qui ideo non probat magnum munus, quãdo qui dedit, dubitauit, diſtulit, & cùm daret, ingemuit. (Chriſtus victima.) Hęc itaque bellè conueniunt in Chriſtum, ſi hoc loco agnum, ſeu victimam appelles; quia non inuitus

tus ad aras ductus eſt; ſed quia ipſe voluit, & ſe ipſum vltrò obtulit ſacrificantium cultris. Neque aperuit os ſuum agnus iſte mitiſſimus in tanto miniſtrorũ fremitu, aut cùm gladium paratum vidit, aut cùm illum iugulo recepit. Hęc, vt dixi, probabilia, ſed addam expoſitionem aliam, neque minùs ſignificantem, vt cõſtabit; neque minùs ad textum, vt reor, & tute, vt ſpero, iudicabis.

31. Puto ergo ſermonem non eſſe de Chriſto ſub agni metaphora ſubiecto cultris, aut ad aram oblato; ſed de Chriſto quaſi de fideiuſſore, qui ſeuerè iubetur pro debitore ſoluere, eóque nomine iudicio ſiſtitur. Id omnino conuincit verbum נגש *nigas*, pro quo vulgatus reddidit, *oblatus eſt*, quod ſignificat *exigere, repetere, idque cum afflictione, & moleſtia*: quia verbum illud etiam valet *affligere*. Et ſanè non aliter à fideiuſſore Chriſto aut creditor Pater, aut eius exactores, & miniſtri debitum exegerunt. Hanc ſententiam indicant Septuaginta, qui ſic conuertunt hũc locum. *Et ipſe propter afflictionem non aperuit os ſuum.* Paulo aliter Pagninus: *Oppreſſus eſt, & afflictus eſt, & non aperuit os ſuum.* Tigurina: *Mulctatus eſt, & afflictus, nec tamen aperuit os ſuum.* Neque aliquid contra hanc explicationem obtendi poteſt à trãſlatione vulgati: nam illud, *oblatus*, non minùs debitori conuenit, cùm ante Iudicem ſiſtitur, quàm agno, cùm ante aram ſiſtitur. Quo verbo vſus
Matt. 18. eſt Chriſtus Mat. cap. 18. cùm ageret de Rege, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis, id eſt, ab illis ſeueram exigere rationem debitorum. Cùm enim quidam ad illud iudicium adduceretur, actio illa, qua debitor ſubire cogitur creditoris, & Iudicis aſpectum, hoc eodem ſignificatur verbo: *Et oblatus eſt ei vnus, qui debebat ei decẽ millia talẽta.* Quàm verò ſeuerè ſtatutum fuerit de eo, qui oblatus dicitur, declarat, quod ſtatim ſubiicitur. *Cum autem non haberet vnde redderet, iuſſit eum Dominus venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia, que habebat, & reddi.* Vide quomodo vox eadem, *oblatus*, ſeueram hanc, & iudicialem actionem ſignificet. Hæc explicatio probatur Cyrillo, neque diſplicet Procopio, dum dicit, oblatũ eſſe Chriſtum Iudici Pilato,

Quia ipſe voluit.] Quodcumque illud ſit, ad quod oblatus eſſe dicitur Chriſtus, id lubens ſuſcepit; ſiue vt tanquam agnus immolaretur, ſiue vt fideiuſſor aliorum exolueret debita. Quod quia maximè compertum eſſe oportuit, vt omnes quid Chriſti amori debeamus, intelligeremus, ideo à ſacris Scriptoribus, dum de Cruce Chriſti, & morte agunt, de amore quoque ipſius ibidem loquuntur. Paulus ad Galat. 2. *Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* ad Epheſ. 5. *Sicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea.* Apoc. 1. *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Pro, *voluit*, Hebr. eſt נענה *naaneh*, quod inter alia ſignificat *exaudire*, ad quã ſignificationem reſpexit Hieronymus, cùm reddit, *voluit.* Exaudire autem, &, quod idem eſt, *obedire*, idẽ eſt, quod *velle*, quia vera obedientia non tantùm exequitur, ſed etiam amat imperata: cuius ſignum optimum eſt, ſi os non aperiat, id eſt, ſi is, qui ab alio mandatum accipit, non obganniat, aut contra aliud, atque aliud cauſetur, aut imperium detrectet, quod quaſi onus deputat. Cùm ergo Chriſtus fidelis pro peccatore fideiuſſor ad ſoluendum adigeretur; & creditoris miniſtri, Pontifex, Pilatus, & furioſa, ac veſana

32. Chriſtus volens & lubens ad paſſionẽ.

Obedientia hilaris.

Chriſtus patientia, & ſilentium.

Iudæ

Iudæorum turba vrgerét non ſolùm
inſtanter,& amarè,ſed etiam contu-
melioſè, & crudeliter, ipſe tamen,
qui debitum non abiuraſſet,& illud
ſibi omnino exoluendum ſtatuiſſet;
neque contra creditorem vocâtem,
neque contra miniſtros exigentes
verbum locutus eſt. Porrò quòd
oblatus ſit Chriſtus,quocunque ca-
pias modo, quia ipſe voluit, idem
Ioan.10. docet Chriſtus Ioan.c.10. *Ego pono
animam meam, & iterum ſumam eam;
nemo tollit eam à me: ſed ego pono eam
à me ipſo, & poteſtatem habeo ponendi
eam,*&c.

*Tanquam ouis ad occiſionem ductus
eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe ſine
voce,ſic non aperuit os ſuum,*&c.] Su-
33. Chriſtus agnus ſol ait pro ouibus et ſantibus. periori clauſula,vt vidimus, nõ tam
Chriſtus adductus videbatur ad arã
tamquam agnus, quàm adactus ad
creditorem tanquam fideiuſſor, vt
pto debitore ſolueret. Nunc oſten-
dit qualiter debitum illud tam grã-
de reddiderit, quàm non grauatè,
quàm larga,ac liberali manu.Et per-
ſtat in eadem metaphora Prophe-
ta; qui cùm deuias oues prius eſſe
dixiſſet, hoc eſt, totum hominum
genus eſſe contaminatum, ac perdi-
tum;ipſum tamen Chriſtum agnum
immaculatum electum dicit,qui vt
legitima hoſtia, atque altari idonea
immolaretur,quia præter illum ne-
mo legitimè poterat: quia nemo ſi-
ne macula, quam ab agno lex omni-
no remouet.Eſt autem oblatus non
inuitus,ſicut aliæ victimæ, quæ vin-
ctæ funibus, & diu interdum elu-
ctatæ ad aram trahuntur,& cultrum
excipiunt repugnantes; ſed vltrò,
quia ipſe voluit. Et ſi vis, aut cona-
tus defuiſſet externus, ipſe propter
naturæ benignitatem, & ſalutis no-
ſtræ deſiderium,ſponte ad aras ſe ſi-
ſteret, & cultro iugulum ſuppone-
ret.Et cùm durum eſſet ſacrificij ge-
nus, & inaudita obitæ mortis acer-
bitas, non modò balatum non edi-
dit ſui doloris indicem; ſed neque
os aperuit; quod in dolore non ad-
modùm graui ratum, & ſingularis
tolerantiæ argumentum eſt.

Eſt autem optimum ſymbolum 34.
eius, qui in dolore, ac iniuriis ani-
mum habet infractum,& longè ſu-
periorem aduerſis;quem nobis pro-
ponit Iſaias in agno, quem dum cru-
delis tonſor non ſolùm nudat natu-
ralis velleris tegumento, ſed etiam
interdum deglubit, & lacerat, ſilet
tamen,neque ſibi iniuriam aliquam
inferri aut queritur, aut dolet. Tu
hîc expende,& meditare,quàm mã-
ſuetus ille agnus,qui abſtulit pecca-
ta mundi,crudeliter detonſus ſit, &
ſpoliatus non tãtùm artificiali cor-
poris veſtitu,ſed etiam naturali pel-
lis integumento: in quo apparent
crudeliſſimæ illius tonſionis mille
veſtigia; & mirare ſilentium illud
admirabile, quo pertulit, & ſpolia-
tionis tam inſignem iniuriam, &
doloris tam duram carnificinam.

Verſ. 33. *In humilitate iudicium
eius ſublatum eſt.*] Vulgatus paulo 35.
aliter legit, *de anguſtia, & de iudicio
ſublatus eſt*; ſenſus tamen videtur
idem: qualis tamen ſit, non eſt ex-
pedire promptum. Hieronymus hîc
duas affert explicationes. Altera eſt,
quòd de tribulatione, atque iudicio
ad Patrem victor aſcendit; quam
probat Beda,Lyra,Interlinearis,Sal-
meron, Gregorius. Altera eſt, quòd
Iudex omnium, iudicij non reperit
veritatem, ſed abſque culpa per
ſeditionem Iudæorum, & Pilati
vocem damnatus ſit.Et hæc eſt ſen-
tentia communior,quę nõ de Chri-
ſti victoria loquitur, ſed de morte.
Non longè ab hac expoſitione abit

Foreirus, qui dicit Chriſtū ſublatū eſſe ab anguſtia, id eſt, à turba, quæ multitudine, ſtudio, atque feſtinatione ſe comprimebat, & à iudicio, id eſt, ab iis, qui in illum ſententiam capitis tulerunt, nempe à Pontificum conſilio, & à Pilato.

36. Senſus idem eſt ſecundùm lectionem Septuaginta: ſignificatur enim Chriſti mors; ſed indicatur iniquitas iudicij. Cùm enim ſicut agnus coram tōdente non aperuerit os ſuū, neque difficilem ſe, aut minùs obſequentem præberet impiorū conſiliis, ex illa tanta humilitate, atque ſilentio animos ſumpſerunt, vt manus iniicerent non repugnanti, & iudicium omne peruerterent; vt iniquus Iudex, pupillorum & viduarū iudicia prodit, quia non repugnant: ſic Chriſti cauſa iniquiſſimè prodita eſt, quia cùm pateretur, nō comminabatur. Tunc verò *in humilitate*, idem eſt quod *propter humilitatem*: id enim non rarò ſignificat (*in*) vt diximus ſuprà cap. 7. in fine. Sublatum eſt ergo iudicium ipſius, id eſt, cōtra ius, & fas damnatus eſt Chriſtus, & inimicorum poteſtati traditus. Id verò magis admirabile oſtendit Chriſti ſilentium, quia cùm tot vrgerent cauſæ, illæque grauiſſimæ ad illud rumpendum, in tanta accuſentium improbitate, atque calumnia non magis locutus eſt, quàm agnus coram tonſore ligatus, & mutus.

37. Porrò vbi Septuaginta habent, *in humilitate iudicium*, vulgatus habet, *de anguſtia, & de iudicio*. Huius diuerſitatis reddenda eſt nobis ratio. Hebr. eſt עצר *oſer*, quæ vox *anguſtiā*, *clauſuram*, ſiue *oppreſſionem* ſignificat. Hieronymus *anguſtiam* reddidit optimè, neque malè Septuaginta *humilitatem*; quia hæc vox apud Hebræos latè patet, & ſumitur pro qualibet oppreſſione, iniuria, & ignominia. Vnde potentes humiliari dicuntur armis, & virgo vim paſſa, quia dedecus, & ignominiam ſubiit. Cur autem Hieronymus *de iudicio*, Septuaginta verò *iudicium* legerint, ea videtur eſſe ratio, quia ille ממשפט *mimiſpat* legit, vt nunc eſt in textu Hebraico; hi verò משפט *miſpat*, ſine præpoſitione. Fieri autē aliquando ſolet, quando duæ literæ eiuſdem, aut ſimilis figuræ concurrunt, vt altera à feſtinante, & parum attēto ſcriptore prætereatur. Exempla habes plura; nunc pauca accipe. Ad Hebræos 12. cōmuniter legitur, *propoſito ſibi gaudio*, cùm tamen, vt ex Græcis codicibus conſtat, legendum ſit; *propoſito ſibi gaudio*, & cap. 5. ad Hebręos. *De quo nobis grandis ſermo, & interpretabilis*, pro, *ininterpretabilis*. ad Epheſ. 3. *euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti*, pro, *ininueſtigabiles*. Pſ. 118. v. 147. *Praeueni in maturitate*, pro, *in immaturitate*. Græcè ἐν ἀωρίᾳ, id eſt, *longè ante tempus ſurgendi, intempeſtiuè*. Vt ergo his locis præpoſitiones, *in*, & *pro*, omiſſæ ſunt propter occurſum ſimilium literarum, ſic etiam præpoſitio מ propter alterum מ, quod proximè ſuccedit in משפט omiſſum eſt.

Regul. Quando duæ literæ eiuſdē aut ſimilis figuræ concurrunt, altera nonnunquā omittitur

ad Heb. 12.

ad Heb. 5

ad Epheſ. 3.

Pſ. 118.

38. Hæc quæ hactenus, neque improbabiliter, neque ſine authoribus dicta ſunt: & eo nomine magis accepta legentibus. Addam ego tamē aliquid nouū, & ideo timidè, quod non tam lectori perſuadeo; quàm examinandum propono. Occurrēbat mihi hoc loco, *ſublatum ab anguſtia, & iudicio*, ſiue, *in humilitate iudicium ſublatum*, ſignificare occiſum eſſe Chriſtum, non tamen vtcumq; damnatum, & extinctum, ſed ſpeciali quodam ſupplicij genere, nempe actum in crucem. Id verò probari poſſe exiſtimabam imprimis, quia

vox

vox *ſublatus*,&quæ ei reſpondent,tã
in Græco ,quàm in Hebraico textu,
illam ſignificationem non reſpuunt.
Hebr. לקח *lacach* , quod *aſſumptum*
valet , ſæpiſſimè ſignificat ex loco
humili ad excelſum , aut ex ſordido
ad ſplendidum attolli , vt , *aſſumi de*
terra, aſſumi ad Regnum : & *in altum*
eleuari, vt oſtendunt illa verba Eliæ
ad Eliſæum 4.Reg.cap. 2. *Si videris*
me,quando tollar à te ; nimirum in al-
tum.Vbi pro *tollar*, verbum eſt לקח
lacach , & hoc ipſum ſignificat ver-
bum *aſſumo*. Act. 1. cùm de Chriſti
agitur aſcenſu, aſſumptus dicitur in
in cœlum : item B.Virgo.De Græca
voce ἤρθη , qua vſi ſunt Septuaginta,
nihil eſt quod probemus;Latina ve-
rò,*ſublatus* , id propriè ſolùm, aut
præcipuè ſignificat.

39. Deinde , quia ſi quod anteceſſit
in hoc capite , cum conſequenti-
bus componas , nihil videtur dici
poſſe commodius;quia quæ præce-
dunt in textu,non obſcurè indicant,
quæ in Chriſti Paſſione crucem an-
teceſſêre;quę verò ſuccedunt,ſigni-
ficãt,quã cumulatus fructus Chriſti
mortem conſequuturus ſit , nempe
numeroſa filiorum ſoboles ; quod
Chriſtus ipſe, meo iudicio , confir-
mauit Ioan. cap. 21. ad hunc reſpe-
Ioan. 12. ctans locum. *Et ego ſi exaltatus fuero*
à terra,omnia traha ad me ipſum. Hoc
autem dicebat,inquit Euangeliſta, *ſi-*
gnificans qua morte eſſet moriturus.

40. Neque hanc explicationem re-
ſpuit tranſlatio Septuaginta : *Iudi-*
cium eius ſublatum eſt;eſt enim maxi-
mè vſitatum in Scriptura,vt abſtra-
ctum ponatur pro concreto;qua ra-
tione Chriſtus dicitur *deſiderium*
collium æternorum Geneſ. 49. & alibi
iuſtificatio,redemptio,reconciliatio; pro
deſiderato,iuſtificatore redemptο-
re,reconciliatore, &c.Sic etiam *iu-*
dicium pro iudicato ſumi poteſt : ſi-
cut cauſæ damnatæ dicuntur pro his
qui in eiuſmodi cauſis damnati ſunt.
Iudicium ergo Chriſti ſublatum
eſt,nempe in crucem,quia Chriſtus
iudicatus eſt dignus,qui crucis igno-
miniam ſubiret.

Generationem eius quis enarrabit?] 41.
Multi de generatione humana lo-
cum hunc accipiunt. Tertul. aduer-
ſus Iudęos c.13.Iuſtin.Martyr quęſt.
67. ad Orthodoxos. Chryſoſtomus
homil.de Ioanne Baptiſta,neque di-
ſplicet Hieronymo. Alij plures de
diuina.Clemens Papa in epiſt.1.Cy-
rillus lib.2.de Trinitate. Baſilius lib.
1.contra Eunomium. Iuſtinus in
Dialogo cum Thryphone.Chryſo-
ſtomus homil.1.de incomprehenſi-
bili natura Dei. Auguſt. tract. 31.in
Ioannem,&lib.1.de Symbolo ad ca-
techumenos cap.3.Ambroſius lib.1.
de fide cap. 6.Sunt qui putent vtri-
que generationi conuenire poſſe
præſentem locum , quia nomen *ge-*
nerationis vtrique eſt commune , &
vtraque generatio planè admirabi-
lis.Ita Procopius in hunc locum, &
Cyrillus in Ioannem cap.12.in il-
lud , *Chriſtus cùm venerit*. Idem Ga-
gneius in cap. 8. Actor. & Gabriel
Vaſquez 1.to.in 1.p.S.Thom.diſput.
18.cap.6.Quare ignominioſę morti,
quam intuebatur Propheta, optimè
ſubiicitur. Nam ille cùm mentem à
ſupplicio,quod per ſummum dolo-
rem,atque ludibrium ad genus illu-
ſtriſſimum , quo Deus à Patre geni-
tus, & homo ſine virili congreſſu à
Spiritu ſancto conceptus eſt , con-
uerteret,quaſi extaſim paſſus,neque
verba plura contexere valens admi-
rans dixit , *Generationem eius quis*
enarrabit? Quòd ſi de alterutra, aut
de vtraque generatione accipias,
credo verba illa includenda paren-
theſi Prophetarum more,qui inter-
dum ex vnius rei magnitudine , ab-

ſurditate, aut paradoxo ad alterius & admirationem, & compellationem rapiuntur; deinde ſeſe ad interrupta referunt. Sic Iſaias ex ea ſiue extaſi, ſiue parentheſi ad ſe, atque ad interciſam narrationem rediens perſequitur, & mortis Chriſti acerbitatem, & cauſam.

42. Hęc mihi probabiliſſima ſunt, eo vel maximè quòd in ea incubuit plurimorum, atque grauiſſimorum Patrum conſenſus. Aliæ ſunt explicationes, quas, quia parum aliis probari video, connumerare, ac refellere ſuperſedeo. Addam tamen aliam, quæ mihi & veritati, & textui maximè conſentanea viſa eſt; ita vt generatio ſit numeroſa fidelium ſoboles, quam Chriſto, & Eccleſiæ, atque adeò cœlo peperit tã acerba mors. Ita ſentit Lyra, Carthuſianus, & Salmeron in cap.8. Act. Adamus verò, & Hugo Card. ita ſententias alias admittunt, vt iſtam non excludant. Huic explicationi fauent maximè verba, quæ à Propheta ſubiiciuntur. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum*; & alia in eãdem ſententiam. Neque facile eſt ſtatuere, quid ſibi velit aliud, quod proximè ſequitur. *Quia abſciſſus eſt de terra viuentium*; ſiue vt Actor. cap. 6. Lucas. *Quoniam tolletur de terra vita eius.* Reddit enim Propheta cauſam numeroſæ prolis, quia nimirum moriturus eſſet: & eadem ſæpe repetit Scriptura. Paulus ad Philip. 2. *Factus obediens vſque ad mortem, mortem autẽ crucis, propter quod & Deus exaltauit illum.* & Chriſtus ipſe Ioannis 12. *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Et ibidem paulo antè cùm dixiſſet; *Venit hora, vt clarificetur filius hominis*, id eſt, vt moriatur, addidit. *Amen, amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Et huic explicationi fauet illorum ſententia, qui ideo ſublatum è iudicio, atque anguſtia Chriſtum eſſe dicunt, quia propter anguſtiam, & iudicium iniquum eleuatus fuit ad glorioſum nomẽ, id eſt, ad gloriam maximam, ad quam maximè refert plurimos ſpirituales filios genuiſſe.

ad Philip.2.

Ioan.12.

43. Neque ab hoc ſenſu abeſt vſus, aut notatio nominis: *generatio* enim pro gente ſumitur, familia, aut populo ex eadem ſtirpe propagato. Vnde ſępe audimus in Scriptura. *Hæ ſunt generationes Adam, Noë,* &c. &, *vſque ad tertiam, & quartam generationem*, & ſimilia. Et in Euangelio ſæpe audiunt de ſuo populo, & genere Iudæi. *Generatio mala, adultera, & incredula.* Quòd verò *generatio* pro filiis vſurpetur, docuit apertè Moyſes Deut. 32. v. 20. vbi quod in *filiis, & filiabus*, id quoque per epexegeſim exprimit *generationis* nomine. *Prouocauerunt eum filij ſui, & filiæ; & ait; abſcondam faciem meam ab eis, & conſiderabo nouiſſima illorum: generatio enim peruerſa eſt, & infideles filij.* Huc facit quod ſuper Iſaiam notauimus cap.3.num.15. *actionem* ſumi in Scriptura ſæpe pro termino, ſeu obiecto actionis, qua ratione *laus* pro re laudabili, & *viſio* pro ſpectro ſumitur. Sic etiam *generatio* pro filiis generatis, ſicut etiam *plantatio* pro plãtis: vt in Scriptura ſępe. Iſa.cap.17.v.10. *Plantabis plantationem fidelem, & germen alienum ſeminabis.* Neque ſanè דור *dor* Hebraica vox tam *natiuitatem* ſignificat *alicuius*, qualis Chriſti hoc loco ab aliquibus eſſe dicitur, qua ab æterno à Patre, & in tempore à matre genitus eſt, quàm *durationem aliquam*, ſeu, *ætatem in qua quis viuit.* Hanc verò in prole ſua longam producit pater, qui

Deut.32.

Regul. *Actio pro termino, ſeu obiecto.*

qui in prole viuit, iuxta illud Eccli. 30.v.4. *Mortuus eſt pater eius, & quaſi non eſt mortuus: ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe.* Quòd ſi in hunc ſenſum *generationis* nomen accipias; ſententia difficilis non eſt: qui vitam egit breuem, quia in anguſtia, & in ipſo ætatis flore ſublatus eſt, ille quàm diutiſſimè viuet in ea ſobole, quam moriens numeroſam, & ingenuam ſuſcipiet, & ideo commodè ſubiungitur.

44. *Quoniam tolletur de terra viuentium.*] Vulgatus paulo aliter, *quia abciſſus eſt de terra viuentium* Homo ſæpe cum arbore confertur, vt diximus in Iſai. cap. 40. n. 74. quæ tunc mori exiſtimatur, quando à terra euellitur, vnde trahebat ſuccum, & alimentum: & tunc omnino moritur, quia prorſus à vita deſeritur, neque quicquam ex illa generatur amplius. Quod, credo, vocatur lignum aridum, cui comparatur eunuchus Iſaiæ cap. 56. quia ſterilis eſt, & ad prolem inutilis; de qua arbore eſt illud Iob. cap. 19. v. 10. *Deſtruxit me vndique, & pereo; & quaſi euulſæ arbori abſtulit ſpem meam.* Aut ita abſcinditur, vt decuſſo cum ramis, frõdibúſque trunco, marceſcat, & pereat tota ſpecies, quæ in illis viſebatur, ſtirps tamen maneat in terræ ſinu; ex qua deinde pullulat nouellarum plantarum numeroſa ſylua: atque ita fit, vt ex vna ſtirpe, quæ mortua videri poterat, quia ſub terra latens, plurimæ ſuccreſcant arbores. Ad hanc igitur naturam non auulſæ, ſed abciſſæ arboris reſpiciens Iſaias ait, *quia abciſſus eſt de terra viuentium,* id eſt, quia Chriſtus vitam illam viuere deſiit, qualem homines in terra degunt, qui corpore, atque ſpiritu conſtant. Ideo generationem, & ſobolem germinabit ita copioſam, vt nemo enarrare illam, ſeu numerare poſſit. Subauditur autem hîc Hebræorum more nota ſimilitudinis in hunc ſenſum: Sicut abſciſſa arbor plurimas ex ſe parturit, & fundit nouellas plãtas, & vario germine circumfunditur; ſic Chriſtus de terra viuentium filios innumeros, & quaſi nouella germina producet. Eadem, aut certè non admodùm diſſimili metaphora vſus eſt Chriſtus Ioann. cap. 12. cùm de ſe dixit. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multũ fructum affert.* Chriſtus itaque aut tanquam ſtirps abſciſſa plantas multas extulit, aut tanquam mortuum, atque ſepultum frumenti granum horreum impleuit tam militantis, quàm triumphantis Eccleſiæ.

Spiritus Domini rapuit Philippũ.] 45. Philippus raptus ab Angelo.
Angelum hunc Spiritum putat Salmeró, & idem indicat Hieronymus in cap. 63. Iſaiæ. Et eſt valdè probabile ab Angelo Philippum eſſe trãſlatum in Azotum: qua ratione Abacuch tranſlatus eſt in Babylonem ex Iudæa. Dan. c. 14. & Ezechiel cap. 8. in Babylonem è capitis cincinno ductus eſt in Ieruſalem. Id porrò factum eſt, ſicut dicit Chryſoſtomus, vt maior Philippo eſſet authoritas apud Eunuchum: vel, vt putat Lyra, vt cognoſceret Eunuchus, quantùm deberet Deo, cuius gratiâ miſſus eſſet Philippus; & ita eſſet in ſuſcepta fide conſtantior.

COMMENTARII IN ACTVS APOSTOLORVM.

CAPVT NONVM.

1 SAulus autem adhuc ſpirans minarum, &
cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad prin-
2 cipem Sacerdotum, * & petiit ab eo epi-
ſtolas in Damaſcum ad ſynagogas: vt ſi quos
inueniſſet huius viæ viros, ac mulieres, vin-
3 ctos perduceret in Ieruſalem. * Et cùm iter faceret, conti-
git vt appropinquaret Damaſco: & ſubitò circumfulſit eum
4 lux de cælo. * Et cadens in terram audiuit vocem dicen-
5 tem ſibi: Saule, Saule, quid me perſequeris? * Qui dixit:
Quis es Domine? Et ille: Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris:
6 durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. * Et tremens, ac
7 ſtupens dixit, Domine, quid me vis facere? * Et Dominus
ad eum: Surge, & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi quid
te oporteat facere. Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, ſta-
bant ſtupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem
8 videntes. * Surrexit autem Saulus de terra, apertiſque
oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, intro-
9 duxerunt Damaſcum. * Et erat ibi tribus diebus non vi-
10 dens, & non manducauit, neque bibit. * Erat autem quidam
diſcipulus Damaſci, nomine Ananias, & dixit ad illum in vi-
11 ſu Dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego, Domine. * Et Do-
minus ad eum: Surge, & vade in vicum, qui vocatur rectus: &
quære in domo Iudæ Saulum nomine Tarſenſem: ecce enim orat.
12 * (Et vidit virum Ananiam nomine, introeuntem, & impo-
nentem

Digitized by Google

nentem ſibi manus, vt viſum recipiat.)* Reſpondit autem 13
Ananias: Dñe, audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit
ſanctis tuis in Ieruſalem: * & hic habet poteſtatem à prin- 14
cipibus ſacerdotum alligandi omnes, qui inuocant nomen tuum.
* Dixit autem ad eum Dominus: Vade, quoniam vas electionis 15
eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram Gentibus, & regibus,
& filiis Iſraël. * Ego enim oſtendam illi quanta oporteat eum 16
pro nomine meo pati. * Et abiit Ananias, & introiuit in do- 17
mum: & imponens ei manus, dixit: Salue frater, Dominus miſit
me Ieſus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, vt videas, &
implearis Spiritu ſancto. * Et confeſtim ceciderunt ab oculis 18
eius tanquam ſquamæ, & viſum recepit: & ſurgens baptizatus
eſt. * Et cùm accepiſſet cibum, confortatus eſt. Fuit autem cum 19
diſcipulis, qui erant Damaſci, per dies aliquot. * Et continuò 20
in ſynagogis prædicabat Ieſum, quoniã hic eſt Filius Dei. * Stu- 21
pebant autem omnes, qui audiebant, & dicebant: Nónne hic eſt,
qui expugnabat in Ieruſalem eos, qui inuocabant nomen iſtud:
& huc ad hoc venit, vt vinctos illos duceret ad principes ſa-
cerdotum? * Saulus autem multo magis conualeſcebat, & 22
confundebat Iudæos, qui habitabant Damaſci, affirmans quoniã
hic eſt Chriſtus. * Cùm autem implerentur dies multi, conſilium 23
fecerunt in vnum Iudæi vt eum interficerent. * Nota autem 24
facta ſunt Saulo inſidiæ eorum. Cuſtodiebant autem & portas
die ac nocte, vt eum interficerent. * Accipientes autem eum 25
diſcipuli nocte, per murum demiſerunt eum, ſubmittentes in ſpor-
ta. * Cùm autem veniſſet in Ieruſalem, tentabat ſe iungere 26
diſcipulis, & omnes timebant eum, non credentes quòd eſſet diſ-
cipulus. * Barnabas autem apprehenſum illum duxit ad Apo- 27
ſtolos: & narrauit illis quomodo in via vidiſſet Dominum, &
quia locutus eſt ei, & quomodo in Damaſco fiducialiter egerit in
nomine Ieſu. * Et erat cum illis intrans, & exiens in Ieruſa- 28
lem, & fiducialiter agens in nomine Domini. * Loquebatur 29
quoque Gentibus, & diſputabat cum Græcis: illi autem quære-
bant

Digitized by Google

30 *bant occidere eum. * Quod cùm cognouiſſent fratres, dedu-*
31 *xerunt eum Cæſaream, & dimiſerunt Tarſum. * Eccleſia*
quidem per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam habe-
bat pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini, &
32 *conſolatione ſancti Spiritus replebatur. * Factum eſt autem,*
vt Petrus dum pertranſiret vniuerſos, deueniret ad ſanctos,
33 *qui habitabant Lyddæ. * Inuenit autem ibi hominem quen-*
dam nomine Æneam, ab annis octo iacentem in grabbato, qui
34 *erat paralyticus. * Et ait illi Petrus: Ænea, ſanat te Domi-*
35 *nus Ieſus Chriſtus: ſurge, & ſterne tibi Et continuò ſurrexit. * Et*
viderunt eum omnes, qui habitabant Lyddæ, & Saronæ: qui
36 *conuerſi ſunt ad Dominum. * In Ioppe autem fuit quædam*
diſcipula, nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc
37 *erat plena operibus bonis, & eleemoſynis, quas faciebat. * Fa-*
ctum eſt autem in diebus illis, vt infirmata moreretur. Quam
38 *cùm lauiſſent, poſuerunt eam in cœnaculo. * Cùm autem pro-*
pe eſſet Lydda ad Ioppen, diſcipuli audientes quia Petrus eſſet in
ea, miſerunt duos viros ad eum, rogantes: Ne pigriteris venire
39 *vſque ad nos. * Exurgens autem Petrus venit cum illis. Et*
cùm aduenïſſet, duxerunt illum in cœnaculum: & circumſtete-
runt illum omnes viduæ flentes, & oſtendentes ei tunicas, &
40 *veſtes, quas faciebat illis Dorcas. * Eiectis autem omnibus fo-*
ras, Petrus ponens genua orauit: & conuerſus ad corpus, dixit:
Tabitha, ſurge. At illa aperuit oculos ſuos: & viſo Petro, reſedit.
41 ** Dans autem illi manum erexit eam. Et cùm vocaſſet ſan-*
42 *ctos, & viduas, aſſignauit eam viuam. * Notum autem fa-*
ctum eſt per vniuerſam Ioppen: & crediderunt multi in Domi-
43 *no. * Factum eſt autem vt dies multos moraretur in Ioppe,*
apud Simonem quendam coriarium.

IN

IN CAPVT NONVM ACTVVM APOSTOLORVM.

Verſ.1. *Saulus autẽ adhuc ſpirans minarum,*
1. *& cædis*] Nondū ſitim Chriſtiani ſanguinis expleuerat Saulus extincto Stephano, & multis in illa prima perſecutione, aut vi, aut iniquo iudicio ſublatis, adhuc anhelabat cędem, omníque ratione in aliis etiam locis, vbi latè propagabatur Euangelij fides, iacta tunc recens ſemina extinguere conabatur. Quare acceptis à Principe Sacerdotum literis, & à toto concilio, vt ipſe refert Paulus Act. c. 22. & publica authoritate munitus, inſuper inſtructus militibus, id ardentiſſimè moliebatur, vt ſi quos deprehenderet Chriſtiani nominis ſectatores, vinctos perduceret in Ieruſalem. Ex quo cōſtat concilium illud Hieroſolymitanum aliis Iudæorum conuentibus eſſe præpoſitum, ad quod cauſæ de Religione, ac lege referebantur.

Verſ. 3. *Contigit vt appropinquaret*
2. *Damaſco.*] Antequam cogitata perficeret, in ipſo iam aditu ciuitatis, in ipſo ardore æſtuantis animi, & ipſo etiam feruore diei: nā dies erat media, vt Paulus ipſe dicit Act. 26. circundatus eſt cœleſti luce, tanta vt meridianum Solis ſplendorem vinceret; quam viderunt alij Pauli comites, quos ſimul cū Paulo eximius ille ſplendor in terram deiecit; non autem vox, cùm ab illis audita non
Saulus cæcus, non ſocij. ſit. Luce illa Paulo inducta cæcitas eſt, eodem Paulo teſte Act. 26. *Cum non viderem,* inquit, *à claritate luminis illius, ad manus deductus à comitibus veni Damaſcū.* Nō mãſerunt tamen comites cæci, vel quia lux in illorū oculos, neque tam plenè, neque tam violenter incurrit, vel quia Deus in Pauli cæcitate aliquid ſpectabat altius. Quòd autem hîc Lucas ſcribit vocem audiuiſſe ſocios, ſed neminem vidiſſe; de voce intelligit Pauli reſpondentis, quem videre non potuerunt ſplendore circunfuſum, non de voce Chriſti, quia apertè cap. 22. Paulus ait, à comitibus vocem non fuiſſe auditam. Simile aliquid contigit Dan. cap. 10. *Vidi,* inquit, *ego Daniel ſolus viſionem: porrò viri, qui erant mecum, non viderunt, ſed terror nimius irruit ſuper eos.*

Hæc Pauli conuerſio contingere 3. Quo anno Sauli conuerſio.
non potuit eo anno, quo Stephanus lapidatus eſt, vt tradit Euſebius in Chronico. Nam quæ hîc commemorantur, fieri non potuiſſe certum eſt breuiſſimo illo ſpatio, quod interceſſit inter Stephani mortem, quæ in extremum Decembrem incidit, & inter proximum Ianuarium, in quo, ſicut celebratur ab Eccleſia, ſic etiam facta conuerſio eſt. Nam & in perſecutione nō paucos dies Saulus Hieroſolymis poſuit in Chriſtianorum accuſationem, & exitium intentus. Conuerſi ſunt Samaritani, & Ananias, ad quem Paulus eſt miſſus, diſperſorum fidelium Damaſci collegerat Eccleſiam. Atque ideo annum vnum, & eo amplius inter Stephanum cæſum, & Saulum conuerſum interiectū opor-

Digitized by Google

tuit: & ita tradit Martyrologium Romanum. Neque verius eſt quod ex Hippolyto Thebano Michaël Glycas in 3. parte Annal. & Nicephorus lib.2.cap.3.ex Euodij authoritate confirmari putant, Paulum ſeptennio poſt Chriſti Aſcenſionem conuerſum fuiſſe; quia iidem eodē ſeptennio lapidatum eſſe Stephanū putant. Sed vt Romanum Martyrologium, & alia Paulum ad Eccleſiam acceſſiſſe tradunt ſecundo anno ab Aſcenſione Domini: ſic eadem Stephanum non longè ab Aſcenſione lapidatum eſſe dicunt.

Verſ.4. *Saule, Saule, quid me perſequeris?*] Qui Saulus appellatur ſæpe in hoc libro, hoc loco primùm à Chriſto, & deinde ab Anania appellatur Saul; quia tā hîc Chriſtus, quàm Ananias locuti ſunt Hebraicè. Alibi à Luca Græca forma Saulus vocatur: quia iam non repetit aliena verba; ſed Apoſtolica geſta verbis explicat ſuis.

4. Saulus idem qui Saül.

Verſ.5. *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.*] Hinc apparet, quod alio loco pluribus dictum eſt, Apoſtolos neque omnia vbique, neque quo geſta ſunt ordine commemorare. Nam infrà cap. 26. ita Paulus texit hanc hiſtoriam. *Saule, Saule, quid me perſequeris? durum eſt tibi,* &c. deinde: *Ego autem dixi; Quis es Domine?* &c. Hîc autem Lucas, *Saule, Saule,* deinde: *Quis es Domine?* &c. extremum; *durum eſt tibi,* &c. Ex hoc fit veriſimile, ante hoc temporis veſtigium vocatum eſſe Paulum; & vocanti non reſpondiſſe: iam enim contra ſtimulum calcitraſſe arguitur. Nunc verò audit durum eſſe contra illos ſtimulos, qui iam adigebantur, duros ſanè, & acutos amplius obluctari; à quibus ex equo, vt communiter omnes (licèt quidam negent, qui iter illud cum ſociis pedibus confeciſſe putant) de ſtatu certè deiectus eſt, & priuatus videndi facultate. Metaphora ſumpta eſt à bobus, qui vbi ſtimulo ab aratoribus exagitantur, quo fortiùs calces tentant illidere, duriùs ſeſe ſtimulis compungunt: quare fruſtra, & cum ſuo magno damno repugnant. Eſt autem hoc Prouerbium, cuius vſus eſt, quando quis contra maiorem potentiam obnititur.

5. Prouerbium.

Videtur Saulus ante hoc etiam tempus fuiſſe vocatus.

6. Verſ.8. *Apertiſq; oculis nihil videbat.*] Vt primùm Paulo cœleſte lumen infuſum eſt, ſurrexit diuinum præceptum expleturus; ſed cæcus, & aliorum manibus in vrbem deductus, quò magis conſtaret diuini cōſilij, atque benignitatis opus illud eſſe. Ingreditur vrbem iam alius à ſe ipſo, longè mutatus ab illo Saulo, qui literis inſtructus Pontificiis, extrema omnia Chriſtiano populo minabatur. Cæterùm cùm cæcitas ex nimio ſplendore, qui Sauli perſtrinxit oculos, prouenire potuerit, vt docet Philoſophia, & nos quotidie ipſi experimur, & ita Paulus ipſe fatetur infrà cap.22. aliquid tamen ſplendori illi diuinitùs additū eſſe puto: neque enim fruſtra dicuntur cùm primùm impoſitæ ſunt ab Anania manus, cecidiſſe ſquamæ; quas ſanè ſplendor ille maximus naturali facultate inducere potuiſſe non videtur.

Verſ.9. *Et erat ibi tribus diebus non videns, & non māducauit, neque bibit.*] Sunt qui putent hoc triduo contigiſſe illum raptum in tertium cœlū, 7. de quo Paulus ipſe 2. Corinth. 12. Ita Lyra. Sed obſtat quòd hoc triduo orabat Paulus, vt Chriſtus dixit Ananiæ, *Ecce enim orat*; oratio verò cum extaſi non ſatis congruit. Habuit ſanè viſionem Paulus eo tempore, non tamen de arcanis verbis, quæ non licet homini loqui, ſed de

7. Probabile eſt hoc triduo Paulū accepiſſe Euangelium.

Ana

Anania,quem ad ſe venire intuebatur,& cæcitatem manuum impoſitione depellere. Longè probabilius eſt hoc triduo didiciſſe diuinitùs Euangelium : quòd enim à Chriſto acceperit, ipſe fatetur ad Galat. 1. *Neque ego ab homine accepi illud, nec didici,ſed per reuelationem Ieſu Chriſti*: atque ſtatim à conuerſione illud annunciare cœpit. Et ita ſentit Beda, Hugo,hiſtoria Scholaſtica,Carthuſianus hîc,& in epiſt.ad Galat.

Verſ.13. *Quanta mala fecerit ſanctis*
8. Chriſtiani olim vocati ſancti. *tuis.*] *Sanctorum* nomen commune olim fidelibus; quare Petrus appellat *gentem ſanctam*, & Paulus ſe vocat *ſanctorum minimum*,id eſt,Chriſtianorum. Sancti verò ideo dicuntur, quia per Baptiſmum illa depoſuerunt, propter quæ dici poterant prophani;iam ſacrati Deo, ſicut & templa. Quare ſicut hæc ſancta, ſic illi ſancti meritò vocantur, quia iam prophani eſſe deſierunt. Hinc Tobias, quia filius erat ſanctorum, dixit vxori Saræ, abſtinendum eſſe à concubitu,ne more gentium non ſanctarum aliquid admitterent prophanum.Sancti præterea vocantur, quia non tam à carnis affectu,quàm à Spiritu ducuntur, qui ſanctitatis author eſt. Quomodo Cicero dixit Oratione pro Archia,*ab Ennio ſanctos dici Poëtas, quòd quaſi Deorum aliquo dono ac munere commendati no-*
Papa cur vocatus ſanctiſſimus. *bis eſſe videantur.* Et ſicut candidati *boni* dicuntur,vt inquit Seneca lib.1. epiſtol.3. quia non decet, vt quiſquam dignitatem ambiat, qui bonus non ſit:qui verò iam obtinuit, *optimus* vocatur, quia conſentaneum eſt illorum præſtantiſſimum ex omnibus electum eſſe : ſic quia eos, qui Baptiſmo luſtrati ſunt, & ſanctis instituti legibus,ſanctos eſſe oporteat, *ſancti* dicuntur : & qui omnibus præeſt Pontifex,*ſanctiſſimus* vocatur. Quæ non tam perſonæ, quàm tituli compellatio eſt.

Verſ. 15. *Vas electionis eſt mihi*
iſte.] Notum eſt quàm apud He- 9.
bræos latè pateat nomen *vaſis*; ſi- Vas multa ſignificat.
gnificat enim inſtrumentum omne:vnde vaſa bellica pro armis, vaſa Pſalmi pro inſtrumentis muſicis; vaſa mortis pro ſagittis; vaſa denique miniſterij pro rebus ad miniſterium obeundum idoneis. Hinc *vas electionis*,id eſt, electũ vocatur Paulus, quia inſtrumentum eximum fuit, per quod Chriſtus latè in omnes Gentes,& Euangelij lucem, & ſui nominis gloriam diffunderet. Porrò nomen pro re, quæ ſubeſt nomini vſurpari, iam à nobis ſuprà pluribus oſtenſum eſt; & eodem ſenſu ſumitur id, quod paulo pòſt ſubiicitur. *Quanta oporteat pati pro*
nomine meo, id eſt, pro me. Quare Pauli laus
ſicut Sol Eccl. 43. dicitur *vas admirabile,opus Excelſi*, id eſt, inſtrumentum, quo Deus per totum orbem circunfert, & diffundit illam, quæ dicitur lux mundi : ſic Paulus *vas admirabile*,& nunc ſpeciali quadam ratione *opus Excelſi*, Chriſti nomen, & Euangelij lucem Gentibus ignotam longè,latéque diſperſit. Hinc diſce quanta facta ſit in Paulo mutatio : priùs vas erat iniquitatis bellans;& ideo dignus, qui audiret à Domino id quod Gen. 49. audierunt à Iacob *Simeon*, *&* *Leui vaſa iniquitatis bellantia. In conſilium eorum non veniat anima mea:& in cœtu illorum non ſit gloria mea.*Iam verò Paulus vas eſt electum pro æquitate bellãs,& pietate; & in eius conſiliũ venit anima Chriſti, quia Chriſtus in eo viuit, in eo loquitur, & in
eo gloriatur. Eſt autem Euangelici Qualis vir Euangelicus.
viri apta deſcriptio,*vas portãs nomen Dei*:quia ſecum circunfert Deum,

& quamcumque ſe in partem dat, eodem infert:neque quicquam olet, niſi Deum:ſicut vas, quod ab eo exhalat odorem,quod in ſe continet. *Chriſti*,inquit hoc cœleſte vas,*bonus odor ſumus*. Neque fractum vas iſtud à Nerone odorem reliquit, quem imbiberat, nam abſciſſum à ceruice caput ſonabat tamen Ieſum, qui à viuentis ore nunquam abfuerat. Sicut fracti vaſis minuta fruſta odorem ſeruant, quo vas imbutum antè fuerat.

12. *Coram Gentibus,& Regibus, & filiis Iſraël.*] Quæri ſolet à multis,an Paulo id tantùm negotij datum fuerit,vt Gentes doceret, an etiam aut mandatum, aut permiſſum, vt annunciaret Iudæis Euangelium? Id verò nunc expeditum oportet, quia eius poſtea ſæpe occurret vſus. Dubitandi cauſam dedit Paulus ipſe 1. ad Timoth. 2. *In quo*, inquit,*poſitus ſum ego prædicator,& Apoſtolus (veritatem dico, non mentior) Doctor Gentium in fide.* & ad Rom. 11. *quandiu quidem ego ſum Gentium Apoſtolus.*& ad Galat.cap.2.*creditum eſt mihi Euãgelium præputij,ſicut & Petro circunciſionis.*Dicendum breuiter,& in Gẽtes Petro creditum eſſe Euangelium, & Paulo in Iudæos, imò omnibus Apoſtolis in vtrumque genus. Nam & omnibus Apoſtolis dictum eſt Marci vlt. *prædicate Euangelium omni creaturæ*;& Petro cap.ſequenti, vt Gentes inſtitueret,demiſſo è cœlo linteo. Paulus verò, vt ex hoc libro ſæpius conſtat,cum Iudæis egit,Synagogas eſt ingreſſus, & eã ob cauſam acerbiſſima paſſus. Neque verbis ſolùm coràm cũ illis, ſed etiam abſens per epiſtolas egit, vt probat ea,quæ eſt ad Hebræos. Dicitur verò Petrus circuncifionis; Paulus autẽ præputij Doctor, & prædicator, quia illius inter Iudæos, huius inter Gẽtes,& diutiùs opera verſata eſt,& ex ea mirificus relatus fructus. Quod videtur ſignificaſſe Paulus ad Rom. 15. *propter gratiam, quæ data eſt mihi à Deo,vt ſim miniſter Chriſti Ieſu in Gẽtibus*;& clariùs ad Gal.2.*qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatu circũciſionis, operatus eſt mihi inter Gentes.* ad Galat. 2. Cuius hic videtur eſſe ſẽſus:adfuiſſe ſibi Dominum liberaliter,& præcipuè cùm inter Gentes ageret, ſicut & Petro, cùm inter Iudæos. Quod indicat Græca vox ἐνεργεῖν, quæ ſignificat non tã *deferre munus*,quàm *ſimul operari, & vim addere aliquam ad illud facilè,atque vtiliter obeundum.*

Paulus nõ ſolùm Gẽtium, ſed etiam Iudæorum Apoſtolus

Vt ergo Deus adfuiſſe videtur præcipuè Petro in circunciſione, cùm vna, aut altera concione multa Iudæorum millia ad Eccleſiam adiũxerit:ſic Paulo in præputio,cùm facilè caperet illorum animos beneuolentia,vt ſermo plerumque accideret grauis, & dulcis: ab Hebræis verò ob Chriſti cauſã iactatus fuerit variè, neque adeò copioſus fructus ex ea opera relatus ſit. Ex hoc verò loco apertè liquet Paulũ non ſolùm vocatum eſſe ad Gentes, & Reges, ſed etiam ad filios Iſraël. Vbi obſerua gradationem quandam fieri,& in illa oſtendi non ſolùm quantùm operæ in his ponendum ſit,ſed quãtùm laboris, atque periculorũ ſubeundum. Laborandum ſanè multùm fuit in Gentibus, ſed cum magno ſtudij,atque operæ pretio:laborandum cum Regibus ſtudio quidem maiori, ſed cum minori fructu:quia horum potentia, ac luxus non benè cum Euangelij humilitate,& Chriſti cruce conciliant: ſed omniũ moleſtiſſimo,atque inaniſſimo conatu certandum cum filiis Iſraël; quia reuerà, vt experimur quotidie, illi ſegniùs ad ſanctitatem inducuntur,qui ſanctorum inſti 13.

Cur Paulus dictus Gentium Doctor.

inſtitutum profeſſi, aut ſanctitatem ipſam prodiderunt, aut illi minùs ſtudent.

Verſ. 17. *Imponens ei manus.*]

14. Hæc manuum impoſitio, non eſt collatio Sacramenti Confirmationis, ſed potiùs depulſio cæcitatis: nam ad pellendos morbos manus imponi ſolitas ſuprà ſatis oſtendimus. Neque Ananiæ poteſtas erat illud conferendi, cùm non eſſet Epiſcopus, neque hanc impoſitionem Baptiſmus anteceſſit; qui tunc eſt adhibitus, cùm videndi facultas Paulo reſtituta fuit. Neque obſtat, quod Caluinus obtendit, illud, *vt implearis Spiritu ſancto*, quod videtur opus eſſe propriũ Confirmationis: nam illam Spiritus ſancti plenitudinem non dixit Ananias ſtatim futuram; neque ſecuta dicitur illam manuum impoſitionem, ſicut cæcitatis depulſio; & ſequi deinceps potuit, vel cùm Baptiſmo luſtratus eſt, vel cùm poſtea Sacramento confirmatus eſt Paulus. Promiſſione verò Spiritus excitare, & corroborare voluit Ananias animum Pauli, qui iam in aliis fidelibus eius doni ſplendorem admiratus fuerat. Quare non eſt cur Caluinus argumentum hinc arripiat, vt Confirmationis conferendæ poteſtatem neget ad ſolos Epiſcopos pertinere. Quòd ſi demus plenum eſſe Spiritu ſancto Paulum per impoſitionem manuum Ananiæ, nihil damus quod à Caluino ſit: nam etiam per Baptiſmum dari potuit ab Anania collatum, ad quem manus ſolitas eſſe imponi conſtat ex Concilio Carthaginenſi 4. can. 85. Neque ex Paulo licet ad alios argumenta ſumere, ad quos inſtituta cõmunis, atque ordinaria ſanctificationis lex; nam vt in Paulo multa fuerunt extraordinaria; vt quòd Apoſtolus conſtitutus ſit Chriſto iam ad cœlos aſſumpto; quòd Euangelium neque ab homine, neque per hominem receperit, ſic etiam hoc in Paulo extraordinarium eſſe potuit, vt extraordinario modo Spiritu ſancto repleretur.

Non accepit hic Paulus Sacramentũ Confirmationis.

Caluini calũnia.

In Paulo multa extraordinaria.

Verſ. 19. *Fuit autem cum Diſcipulis, qui erant Damaſci dies aliquot, & continuò ingreſſus Synagogas prædicabat.*] *Tres dies* legit Chryſoſto- 15.
mus, nactus fortaſſe codices, vbi pro τινῶν, eſſet τριῶν. Illud autem *continuò ingreſſus eſt*, non refertur ad *aliquot illos dies*: nam poſt illos non eſt ingreſſus Synagogam, ſed potiùs fidelium opera à Iudæorum inſidiis liberatus aliò profectus eſt; ſed ad tempus curationis, & Baptiſmi: vbi enim primùm curatus eſt, & confirmatus ex eo languore, quem ex ſubito caſu, perturbatione, inediáque contraxerat, nihil cunctatus datum ſibi munus aggreditur: vrgebat enim diuina vis, cui ſe ille obſequentem præbuit. Neque verò erat cur expectaret; nam & ſumpto cibo corroboratus eſt à morbo, & cùm diuinitùs Euangelium eſſet edoctus; quod illo triduo acceperat, vt ex hoc loco ſatis ſit probabile, non erat quòd expectaret, vt doceretur ab Apoſtolis.

Verſ. 23. *Cùm autem implerentur dies multi, conſilium fecerunt.*] Ob- 16.
ſcurum eſt quo tempore à Iudæis de Pauli nece deliberatum ſit; an eo quo primùm Chriſti cauſam egit Damaſci, vel cùm exacto apud Arabas aliquo tempore, Damaſcum iterum rediit; qua in re varias ſententias eſſe video. Sed breuiter dico, primùm Paulum prædicaſſe Damaſci aliquot dies, vt ipſi indicant Damaſceni, qui admirati ſubitam Pauli mutationem dicebant; *Nõnne hic eſt, qui expugnabat, &c. & hûc ad hoc venit, vt vinctos illos duceret?* Quòd

autem ibi diu moratus non fuerit, ipſe Paulus ad Galat. 1. videtur indicare: cùm dicit ſtatim poſt vocationem non acquieuiſſe carni, & ſanguini, id eſt, non abiiſſe in Ieruſalem, ſed in Arabiam. Quãtùm verò temporis in Arabia fuerit, quidve inde retulerit in Chriſti horrea, nihil habemus certi; quia hoc tempus prætermiſſum eſt à Luca, ſicut alia plurima, quæ tamen locis aliis de ſe tradit Apoſtolus. Neque de re Arabica quicquam habemus, niſi quòd eò profectus ſit. Eſt tamen certum ex eodem cap. 1. ad Galat. triennij ſpatium in Arabia, & ſecundo apud Damaſcenos reditu à Paulo conſumptum. Neque præterea dubium de hoc ſecundo aduentu hîc à Luca tractari, quando poſt Iudæorum inſidias exceſſiſſe Damaſco, & abiiſſe Hieroſolymam tradit; cùm à primo aduentu eò rediiſſe Paulus neget. Facit ad hoc quòd Præpoſitus Aretæ Regis (Aretas Rex erat Arabiæ: nam Arabum Rex *Aretas* dicitur, ſicut Ægyptiorum *Pharao*. 2. Machab. cap. 5.) voluit Paulum comprehendere, cuius effugit manus per murum in ſporta demiſſus. Eſt autem veriſimile à Iudæis, qui erant in Arabia data fuiſſe literas ad Aretæ Præpoſitum, vt accuſatum falsò Paulum, quòd res Arabicas conturbaſſet, aut aliquid contra commune bonum eſſet molitus, omnino tolleret. Cur verò Aretas Damaſcum præſidio teneret, vide Ioſephum lib. 14. Ant. à cap. 4. & lib. 1. de bello cap. 4.

Aretas cōmune Regum Arabiæ nomē

17. Verſ. 17. *Duxit ad Apoſtolos.*] Nempe Petrum, & Iacobum; nam hoc tempore tantùm hi duo erant Hieroſolymis. Paulus enim ad Galat. 1. vbi de his temporibus agit, vidiſſe ſe dicit ex Apoſtolis tantùm Petrum, & Iacobum.

Verſ. 18. *Et erat cum illis intrans, & exiens in Ieruſalem.*] *Ieruſalem* in ablatiuo caſu eſt; vt oſtendit Græca præpoſitio ἐν. Quid ſit autem *intrare*, & *exire*, diximus ſuprà cap. 1. Hîc verò ſignificat familiariter egiſſe Paulum cum Apoſtolis, dum eſſet in Ieruſalem.

Fiducialiter agens in nomine Domini.] Quid ſit agere in nomine alicuius, ſuprà dictum eſt. Hîc ſignificat vel Paulum audacter agere cauſam Chriſti, vel eius virtute animatum quiduis audere.

Verſ. 29. *Loquebatur quoque Gentibus, & diſputabat cum Græcis.*] Hæc accidiſſe in ipſa vrbe, ſatis, credo, textus ipſe probat; licèt hiſtoria Scholaſtica, & Gloſſa ordinaria, & alij putent in via contigiſſe, cùm egreſſus eſt Paulus è Ieruſalem. Rogabis hîc, quomodo Paulus Græcis, & Gentibus dicatur annunciaſſe Euangelium, cùm à Petro primùm apertus eſſet tradatur aditus Gentibus ad fidem? De hoc nos latiùs in tractatu de aduentu S. Iacobi in Hiſpaniam: vbi pluribus docebimus aut non eſſe prohibitum hoc tempore fidelibus doctrinæ gratiâ agere cum Gentibus; aut certè hæc contigiſſe poſt Cornelij conuerſionem. Nunc verò iuxta ſententiam illorum, qui aliter putant; reſpondeo primùm, de Græcis non eſſe admodùm laborandum, ſunt enim genere, & profeſſione Iudæi, dicti tamen Græci, quia ex Græcia doctrinæ causâ Hieroſolymam venerant; vt alibi oſtenſum. Quare non ἕλληνες hîc, ſed ἑλληνισταὶ vocantur. De Gentibus idem etiam non grauatè admiſerim, nempe vt Gentes dicantur Iudæi illi, qui inter Gentes viuunt; ſicut Cretes,

18. Quomodo Paulus egerit cū Gentibus

tes, Arabes, Parthi, & Medi vocantur cap. 2. quia inter hos vixerant; & hi Hebræorum vulgo Gentes appellantur. Quare qui Cretes dicuntur, & Arabes, Gentes etiam appellari poſſent. Quòd verò Gentes hîc ſeparatim à Græcis nominentur, ea cauſa videtur non incongrua, quia qui ex genere Iudæorum dicuntur Gentes, non erant alicui Collegio addicti; neque doctrinæ gratiâ ad vrbem conuenerant: ſed negotiorum, aut Religionis, aut certè viſendi templi, ac ciuitatis ſtudio. Quare cum his Paulus dicitur non diſputaſſe, ſed locutus. At verò, qui Græci dicuntur, Collegia habebant, & Synagogas, vbi legem à Scribarum ſapientiſſimis docebantur, vt diximus ſuprà cap. 6. Contra hos diſputauit Stephanus, & contra hos non locutus vtcumque, ſed diſputaſſe dicitur Paulus; quia nimirum docti erant; meliúſque poterant & rationum momenta, & Scripturæ teſtimonia examinare. Sicut ergo Paulus Damaſci in Synagogis prędicauerat, ſic faciendum ſibi duxit in Ieruſalem; quæ res, vt ibi antea, ſic nunc odium vehemens excitauit in Paulum. Ex quo fit veriſimile alios Apoſtolos, cùm in templo, aliíſque locis ſæpe docuerint, nunquam tamen locutos in Synagogis; quod ideo fecerint Stephanus, & Paulus, quia in eis ſæpe verſati fuerant ſub Gamaliele Doctore, earúmque leges, & conſuetudinem norant.

19. Sed ſi mauis hîc *Gentes* accipere homines, qui ab Hebræorum genere, & profeſſione prorſus erant alieni, quales Romani; tunc dicendus eſt Paulus cum Gentibus locutus, non tam vt illis euangelizaret Chriſtum; quàm vt maledicta, conuitiáque repelleret: nam cùm Chriſtiana Religio ſtultitia Gentibus iudicaretur, vt ipſe docet Paulus 1. Corinth. 1. veriſimile eſt Gentes neque à maledicto linguam, neque ab iniuria manus continuiſſe; quæ acri vir animo, atque imperterrito, & diuinæ gloriæ zelo inflammatus Paulus perferre non potuit. In hunc ferme ſenſum accepit Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice cap. 21. Hæc dicta ſunt iuxta ſententiam illorum, qui hæc accidiſſe putant ante Cornelij conuerſionem. Sed quia mihi veriſimillimum eſt ante hoc tempus cõuerſum fuiſſe Cornelium, puto Paulum etiam Gentilibus euangelizaſſe: imò neque neceſſarium fuiſſe Cornelium expectare, vt cum Gentibus doctrinæ gratiâ agere liceret: quia poſt aduentum Spiritus ſancti aperta fuit ad Gentes Euangelij ianua, vt nos pluribus in opuſculo, quod ad calcem addidimus.

Verſ. 31. *Eccleſia quidem per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam habebat pacem.*] Hîc connectit 20
Lucas, quę interpoſitis Samaritanorum, Eunuchi, & Pauli conuerſionibus interruperat; docétque quid boni Deus ex Stephani morte, fideliúmque diſperſione retulerit. Vt enim cap. 8. in principio diximus, eo conſilio fideles Deus diſperſit, vt Euangelij in omnem partem ſemina per illos diffunderet; quod adeò feliciter effectum eſt, vt Eccleſia in Iudæa, Galilæa, & Samaria mirificos habuerit progreſſus; id enim eſſe puto *pacem habere*, iuxta Hebraicam phraſim, quæ *pacis* nomine ſignificat vbertatem, felicitatem, & quicquid eſt in rebus optabile; quod ex verbis mox ſequentibus intelligitur. *Eccleſia per totam Iudæam*, &c. *habebat pacem, &*

ædifi

adificabatur ambulans in timore Domini,& conſolatione ſancti Spiritus replebatur. Deſcripſerat Lucas quid Samariæ factum primùm à Philippo, deinde à Petro, & Ioanne; quid eodem, vt puto, tempore, Paulo ſpiranti minarum, & cædis in Diſcipulos contigerit, qui diſperſos non aliter extra ciuitatem perſequebatur, quàm intra ciuitatem priùs inſectatus fuerat. Dixerat quemadmodum re Samaritana optimè conſtituta Petrus, & alij qui cum ipſo erant, ſtatuerint Hieroſolymam reuerti, & quemadmodũ in ipſo curſu multis ciuitatibus Samaritanorum euãgelizauerint: nunc generatim quid omnium opera factum ſit proponitur; deinde verò ſeparatim de ſingulis. De Petro quidem quemadmodum, vt optimum Paſtorem decebat, luſtrauerit loca omnia, in quibus fidelium, qui diſperſi fuerant, laborabat ſollicitudo: neque tum ipſe tempus illud, & curſum traduxit otioſè, aut inutiliter; nam inter alios Cornelium virum nobilem, & Gentilem ad Eccleſiam adiunxit: deinde, vt inſtituerat, quando digreſſus eſt à Samaria, Hieroſolymã rediit, vbi offenſis Iudæis, qui erant è circuncisione, factum ſuum probauit. In hoc ergo temporis articulo adhuc Petrus in curſu eſt, neque dum, ex quo in Samariam profectus eſt, Hieroſolymam vidit. Poſtquam verò actum eſt de Petri ſtudio, ac fructu in re Euangelica, eiúſque in Hieroſolymam reditu, agit vt optimus Hiſtoricus, quíque claritati ſtudet, ſeparatim de aliis, qui diſperſi fuerant, cap. 11. & præcipuè de Cypriis, & Cyrenæis, qui in Antiochiã primi Euangelij lucem inuexerunt. Hæc verò omnia, quæ à me dicta ſunt, licèt iuncta temporibus, quia tamen locis, perſoníſque diſtincta, ſeparatim à Luca tractari debuerunt. Quæ maximè obſeruare oportet pro iis, quæ à nobis ſtatim dicenda ſunt.

Verſ. 32. *Factum eſt autem, vt Petrus dum pertranſiret vniuerſos, deueniret ad ſanctos, qui habitabant Lyddæ.*] Hæc poſt longam quaſi paren- 21.
theſim, id eſt, poſt Eunuchi, Paulíq; conuerſionem, coniungenda ſunt cum illis verbis cap. 8. *Et illi quidem teſtificati, & locuti verbum Domini redibant Hieroſolymam, & multis Regionibus Samaritanorum euangelizabant.* His aptè cohæret quod nobis modò præ manibus eſt. *Factum eſt autem, vt Petrus, &c.*

Verſ. 36. *Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas.*] Quod Syriacè *Tabi-* 22.
tha, id Græcè valet *Dorcas*; vtraque vox *capram* ſignificat. Eſt autem vſitatum vt idem aliter à Græcis, aliter ab Hebræis appelletur, diuerſo quidem idiomate, eadem tamen ſignificatione. (Multi à variis linguis nomina habent varia.) Quare qui ab Hebræis Thomas, à Græcis Didymus, & Simon ab illis Chananæus, ab his Zelotes, & alter Simon ab Hebræis Cephas, à Græcis Petrus dicitur. Vt autem oſtendatur, qua facilitate diuina potentia mortuos ſuſcitet, iiſdem verbis vtitur, quibus excitari ſolent dormientes. Rurſus plena operibus bonis dicitur Tabitha, quia bona opera comitantur illos, qui bene vixerunt: & ideo quidam in Scriptura ſancti obiiſſe dicuntur *pleni bonorum dierum.*

Verſ. 37. *Quam cùm lauiſſent, poſuerunt eam in cœnaculo.*] Conſueue- 23.
runt omnes ferme gentes mortuorum hominum cadauera lauare. De Græcis probat apud Homerum Patrocli funus. De Latinis Miſſeni funus apud Virgilium, & Tarquinij apud Enniũ. De Hebręis ſatis probat hic locus: & Chriſtum Dominum

non

non ſolùm vnctum, ſed etiam lotum eſſe tradit Chryſoſt. hom. 84. in Ioannem; & videtur colligi poſſe ex Ioanne cap. 19. vbi dicit Chriſtum ſepultum eſſe; ſicut mos eſt Iudæis ſepelire. At Iudæi mortuos non ſolùm vngebant, ſed etiam lauabant.

24. *Apud Simonem quendam coriarium.*] Hinc Petri paupertas, atque humilitas apparet, cui neque pudori, neque moleſtiæ fuit apud coriarium diuerſari, cùm tamen hoc hominum genus ſic eſſet ſordidum, ac vile, vt illi in ciuitatibus non eſſet locus: ea opinor ex cauſa, ne quid eſſet intra ciuitatem, id eſt, in frequẽti hominum cœtu immundum, & ne quid olidæ illæ officinæ exhalarent tetri, quod publicum aërem, & ab omnibus aſpirabilem corrumperet. De coriariis ſic Artemidorus lib. 1. c. 53. *Coriariam exercere malum omnibus: corpora enim mortua tractat coriarius; ideòque ab vrbe ſecluditur.* Hinc factum credo, vt Simon iſte coriarius ad mare dicatur habere domum, extra ciuitatem videlicet, vnde nihil hauriret tetrum ex officina ſordida; ſic enim ſtatim cap. 10. de Petro. *Hic hoſpitatur apud Simonem quendam coriarium, cuius eſt domus iuxta mare,* id eſt, à ciuitatis mœnibus excluſa. Hæc de cap. 9.

Digitized by Google

COMMENTARII IN ACTVS APOSTOLORVM.

CAPVT DECIMVM.

1 VIr autem quidam erat in Cæſarea, nomine
Cornelius, centurio cohortis, quæ dicitur Ita-
2 lica, * religioſus ac timens Deum cum om-
ni domo ſua, faciens eleemoſynas multas ple-
3 bi, & deprecans Deum ſemper: * is vidit
in viſu manifeſtè, quaſi hora diei nona, An-
4 gelum Dei introëuntem ad ſe, & dicentem ſibi, Corneli. * At
ille intuens eum, timore correptus, dixit: Quid eſt Domine? Dixit
autem illi: Orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in me-
5 moriam in conſpectu Dei. * Et nunc mitte viros in Ioppen, &
6 accerſe Simonen quendam, qui cognominatur Petrus: * hic
hoſpitatur apud Simonem quendam coriarium, cuius eſt domus
7 iuxta mare: hic dicet tibi quid te oporteat facere. * Et cùm
diſceſſiſſet Angelus qui loquebatur illi, vocauit duos domeſticos
ſuos, & militem metuentem Dominum ex his, qui illi parebant.
8 * Quibus cùm narraſſet omnia, miſit illos in Ioppen. * Po-
9 ſtera autem die iter illis facientibus, & appropinquantibus ciui-
tati, aſcendit Petrus in ſuperiora, vt oraret circa horam ſextã.
10 * Et cùm eſuriret, voluit guſtare. Parantibus autem illis, ceci-
11 dit ſuper eum mentis exceſſus: * & vidit cælum apertum, &
deſcendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor ini-
12 tiis ſubmitti de cælo in terram, * in quo erant omnia quadru-
13 pedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cæli. * E facta eſt vox
14 ad eum: Surge Petre, occide, & manduca. * Ait autem Pe-

trus:

*trus: Abſit Domine, quia nunquam manducaui omne commune,
& immundum. * Et vox iterum ſecundò ad eum: Quod* 15
*Deus purificauit, tu commune ne dixeris. * Hoc autem factũ* 16
*eſt per ter: & ſtatim receptum eſt vas in cælum. * Et dum* 17
*intra ſe hæſitaret Petrus quidnam eſſet viſio, quam vidiſſet:
ecce viri, qui miſſi erant à Cornelio, inquirentes domum Simo-
nis, aſtiterunt ad ianuam. * Et cùm vocaſſent, interrogabãt,* 18
*ſi Simon, qui cognominatur Petrus, illic haberet hoſpitium. * Pe-* 19
*tro autem cogitante de viſione, dixit Spiritus ei. Ecce viri tres
quærunt te. * Surge itaque, deſcende, & vade cum eis nihil* 20
*dubitans: quia ego miſi illos. * Deſcendens autem Petrus ad* 21
*viros, dixit: Ecce ego ſum, quem quæritis: quæ cauſa eſt, propter
quam veniſtis? * Qui dixerunt: Cornelius centurio, vir iuſtus,* 22
*& timens Deum, & teſtimonium habens ab vniuerſa gente Iu-
dæorum, reſponſum accepit ab Angelo ſancto accerſire te in do-
mum ſuam, & audire verba abs te. * Introducens ergo eos,* 23
*recepit hoſpitio. Sequenti autem die ſurgens profectus eſt cum il-
lis: & quidam ex fratribus ab Ioppe comitati ſunt eum. * Al-* 24
*tera autem die introiuit Cæſaream. Cornelius verò expectabat
illos, conuocatis cognatis ſuis, & neceſſariis amicis. * Et factũ* 25
*eſt cùm introiiſſet Petrus, obuius venit ei Cornelius, & procidẽs
ad pedes eius adorauit. * Petrus verò eleuauit eum, dicens:* 26
*Surge, & ego ipſe homo ſum. * Et loquens cum illo intra-* 27
*uit, & inuenit multos, qui conuenerant: * dixitque ad illos: Vos* 28
*ſcitis quomodo abominatum ſit viro Iudæo coniungi, aut accede-
re ad alienigenam: ſed mihi oſtendit Deus, neminem communem,
aut immundum dicere hominem. * Propter quod ſine dubita-* 29
*tione veni accerſitus. Interrogo ergo, quam ob cauſam accerſiſtis
me? * Et Cornelius ait: A nudius quarta die vſque ad hanc* 30
*horam, orans eram hora nona in domo mea, & ecce vir ſtetit
ante me in veſte candida, & ait: * Corneli, exaudita eſt ora-* 31
*tio tua, & eleemoſynæ tuæ commemoratæ ſunt in conſpectu Dei.
* Mitte ergo in Ioppen, & accerſe Simonem, qui cognominatur* 32

Digitized by Google

Petrus: hic hoſpitatur in domo Simonis coriarij iuxta mare.
33 ** Confeſtim ergo miſi ad te: & tu bene feciſti veniendo. Nunc*
ergo omnes nos in conſpectu tuo adſumus audire omnia quacũ-
34 *que tibi præcepta ſunt à Domino. * Aperiens autem Petrus*
os ſuum, dixit: In veritate comperi, quia non eſt perſonarum ac-
35 *ceptor Deus, * ſed in omni gente qui timet eum, & operatur*
36 *iuſtitiam, acceptus eſt illi. * Verbum miſit Deus filiis Iſraël,*
annuncians pacem per Ieſum Chriſtum: (hic eſt omnium Do-
37 *minus.) * Vos ſcitis quod factum eſt verbum per vniuerſam*
Iudæam: incipiens enim à Galilæa poſt baptiſmum, quod prædi-
38 *cauit Ioannes, * Ieſum à Nazareth: quomodo vnxit eum Deus*
Spiritu ſancto, & virtute, qui pertranſiit benefaciendo, & ſa-
nando omnes oppreſſos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo.
39 ** Et nos teſtes ſumus omnium, quæ fecit in regione Iudæorum,*
40 *& Ieruſalem, quem occiderunt ſuſpendentes in ligno. * Hunc*
41 *Deus ſuſcitauit tertia die, & dedit eum manifeſtum fieri * non*
omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo: nobis, qui mandu-
cauimus, & bibimus cum illo poſtquam reſurrexit à mortuis.
42 ** Et præcepit nobis prædicare populo, & teſtificari quia ipſe*
eſt, qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum, & mortuorum.
43 ** Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent remiſſionem*
peccatorum accipere per nomen eius: omnes, qui credunt in eum.
44 ** Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus ſanctus*
45 *ſuper omnes, qui audiebant verbum. * Et obſtupuerunt ex cir-*
cumciſione fideles, qui venerāt cum Petro: quia & in nationes
46 *gratia Spiritus ſancti effuſa eſt. * Audiebant enim illos lo-*
47 *quentes linguis, & magnificantes Deum. * Tunc reſpondit*
Petrus: Numquid aquam quis prohibere poteſt vt non baptizen-
48 *tur hi, qui Spiritum ſanctum acceperunt ſicut & nos? * Et iuſ-*
ſit eos baptizari in nomine Domini Ieſu Chriſti. Tunc rogauerunt
eum, vt maneret apud eos aliquot diebus.

IN CAPVT DECIMVM ACTVVM APOSTOLORVM.

DISPVTAVIMVS plurimis de Cornelij conuerſione in eo tractatu, quem in fine horum Commentariorũ appendimus, de aduentu prædicationéque Iacobi in Hiſpania: vbi ſatis, credo, ſupérque oſtendimus, aut reſeratum eſſe Gentibus ante Cornelij vocationem, ad Euangelicam doctrinam oſtium, quod magis putabamus veriſimile; aut eo tempore Cornelij conuerſionem contigiſſe; vt nullo modo Iacobo foret impedimento, quominùs cum Gentibus in Hiſpania doctrinæ gratiâ conuerſari potuerit. Hæc tu ex illo tractatu ſume. Cùm autem quod priori loco dixi, nempe expectatam non fuiſſe Cornelij cõuerſionem, vt explicari, atque extendi ad Gentes poſſet Chriſti doctrina, viſum mihi fuerit plus quàm veriſimile; neque videam quid alicuius momenti cõtra obiici poſſit; quia tamen video illud placere multis, quorum nomen, & authoritatem ſuſpicio; neque quidquam incommodare Hiſpaniæ cauſæ, modò initio Eccleſiæ Cornelium conuerſum eſſe concedatur, ideo ad poſteriorem hunc ſenſum commentationem ſequentium capitum, quantùm textus ipſe permiſerit, accommodabo.

1. Verſ. 1. *Vir autem quidam erat in Cæſarea, nomine Cornelius.*] Prædicta ſæpe fuerat in Scriptura Gentium conuerſio; hæc nunc primùm apparet in Cornelio magni nominis cẽturione. In quo contigêre plurima, quæ & Cornelij fidem, conuerſionémque eximiam eſſe oſtendunt, & Gentibus bene ſperare iubent, & gaudere de reſerato iam ipſis ad Eccleſiam aditu. Hæc verò res tanta vni Petro omnium Paſtori, & capiti ſeruabatur: quare cùm Cæſareæ Euangelium annũciaſſet Philippus; & alij etiam in vicinis locis Euangelij præcones morarentur, non tamen ad hos Cornelius mittitur, magnos alioqui viros, & rei Chriſtianæ curatores ſtrenuos, ſed ad Petrũ; vt qui primus omnium Iudæos adduxerat ad fidem, primus etiam omnium Gentes ad Domini ſepta, fideliúmque cœtum aggregaret. Quod non accidiſſe ſine magno Dei conſilio hinc fit omnino certum; quia Petro per viſionem dictum eſt, vt hunc admittat; & Cornelio, vt vnum Petrum ex omnibus adeat.

Hic Cornelius centurio erat nõ totius Italicæ cohortis, ſed cẽturiæ vnius ex ea cohorte; nam qui cohorti præeſt χιλιάρχης dicitur à numero militum, quo conſtat cohors; nam hæc plerũque aut mille complebatur militibus; aut ſi ab hoc numero aliquando recederet, nomen tamen retinebat à mille. Huius verò cohortis centuriæ vni præfectus erat Cornelius, qui ideo Latinè *centurio* dicitur, Græcè ἑκατοντάρχης: neque Græcè dicitur σπείρας, ſed *ἐκ σπείρας: id eſt, centurio de cohorte.* Nihilominùs magnum eſt præeſſe centuriæ de cohorte omniũ nobiliſſima; 2.

Cæſarea triplex. quæ ideo vocatur *Italica*, quia Romano milite conſtabat. Porrò cùm tres ſint ciuitates eiuſdem nominis in Cæſaris honorem ſiue conſtructæ, ſiue inſtauratæ, aut nobilitatæ; hîc de ea Cæſarea ſermo eſt, quæ Palæſtinæ dicitur; quæque in littore maris ſita eſt, non procul ab Ioppe, quam in Auguſti honorem illuſtriorem, & auguſtiorem reddidit Herodes.

Verſ. 3. *Is vidit in viſu manifeſtè, quaſi hora diei nona.*] Illud *(manifeſtè)* quidam exiſtimant innuere viſionem accidiſſe Cornelio non dormienti: ſed non ſatis id ex ea voce colligitur; quæ id ſibi tantùm videtur velle, iis ſignis oblata eſſe Cornelio diuina conſilia, vt omnis de inani ſpectro, aut fallaci ſpecie ſublata fuerit dubitatio. Fortaſſe idem Cornelio contigit, quod ſtatim Petro, ſuper quem cecidit mentis exceſſus; cui idem probabiliter Angelus paulo pòſt apparuit, oſtendítque linteum reptilibus plenum, qui Cornelio priùs apparuerat. Vacabat autem orationi Cornelius Iudæorum conſuetudinem imitatus, ſicut Petrus; & vt ipſe poſtea refert Cornelius, *ieiunus erat, ſicut Petrus*; vt eſt in textu Græco. Huic ergo in oratione, ſiue vigilanti, ſiue à ſenſibus omnino abalienato ſpecies illa fuit oblata, de qua hîc Lucas. Veruntamen, quæ ſequuntur ſtatim, eò ducunt nos, vt credamus eo tempore vigilaſſe Cornelium: nam vocatus ab Angelo traditur illum aſpexiſſe, & correptum metu de eius voluntate interrogaſſe. Hæc verò propiora ſunt vigiliæ, quàm extaſi.

3. Non eſt oblata viſio dormienti Cornelio.

Verſ. 4. *Orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei.*] Optima commendatio bonorum operum; quæ ſcribuntur in memoria Dei: alia in terra ſcribûtur, aut in aqua, quæ citò obliterantur, aut euaneſcunt. Quòd ſi in ſaxis incidi contingat, id eſt, materia magis ad diuturnitatem firma; illa tamen aliquando ignis abſumit, aut vetuſtas conficit, aut delet obliuio. Quod de quibuſdam inſanis Ægyptiorum molibus tradit Plinius lib. 36. cap. 12. quæ cùm à multis hominum millibus, multis annis, & incredibili ſumptu ad ſempiternam vaniſſimorum hominum memoriã conſtructæ fuerint; *non conſtat*, inquit Plinius, *à quibus facta ſint, iuſtiſſimo caſu obliteratis tantæ vanitatis authoribus.*

4. Bona opera ſcripta in memoria Dei.

Opera vana.

Verſ. 9. *Aſcendit Petrus in ſuperiora, vt oraret.*] Græcè ἐπὶ τὸ δῶμα. Eſt autem doma tectum quoddam non faſtigiatum, ſed planum, Hiſpanè, *terrados*, cuius vſum eſſe in Palæſtina, atque Ægypto docet Hieronymus epiſt. 135. ad Suniam, & Fretellam. *In Palæſtina*, inquit, *& Ægypto, & vbi ſcripti ſunt diuini libri, vel interpretati ſunt, non habent in tectis culmina, ſed domata, quæ Romæ, vel ſolaria, vel maniana vocant*. i. *plana tecta, quæ tranſuerſis trabibus ſuſtentantur. Et in Actibus Apoſtolorum cap. 10. quando Petrus aſcendit in doma, in tectum ædificij aſcendiſſe credendus eſt.* Hîc obſerua, vſitatum fuiſſe apud Hebræos excelſa loca ad orationem aſcendere. Sic faciebat populus antequam haberet templum. 3. Reg. 3. *Populus immolabat in excelſis, nondum enim ædificatum erat templum.* & ibidem. *Salomon abiit in Gabaon, vt immolaret ibi; illud quippe erat excelſum maximum.* Iudith, vt ex eius libro conſtat cap. 8. & Sara filia Raguelis Tobiæ 3. cubiculum habuerunt orationi deſtinatum in ſuperiori parte domus. Et Chriſtus ſæpius aſcendit in montem orare. Et ſuprà cap. 1. de prima Eccleſia dicitur: *Cùm introiiſſent*

5. Oratio olim in locis excelſis.

ſent in cœnaculum, aſcenderunt, vbi manebant Petrus, & Ioannes, & cæteri Apoſtoli orantes. Horum ergo morem ſecutus Petrus, aſcendit ad ſuperiora domus. Cur autem olim aut domus ſupremam partem, aut montium faſtigia ad orationem eligerent antiqui Patres, hanc adducit rationem Ambroſius. *Non omnis*, inquir, *qui orat, aſcendit in montem (eſt enim oratio qua peccatum facit) ſed qui bene orat, à terrenis ad ſuperiora progrediens verticem cura ſublimis aſcendit. At ille non aſcendit in montem, qui de ſæculi diuitiis, aut de honore ſollicitus eſt; non aſcendit in montem, qui fundi ius optat alieni: aſcendit ille qui Deum quærit*, &c. Hæc Ambroſius in illud Lucæ 6. *Exiit in montem orare.* Idem pene Bernardus ſermone de Paſſione eap. 4. explicans illud Cant. 3. *Egredimini filiæ Sion.*

6. Verſ. 10. *Voluit guſtare.*] Hinc diſce quàm parcè cibum ſumeret Petrus, cùm eius prandium etiam in eſurie appelletur *guſtatio*: niſi mauis *guſtare* hic eſſe guſtationem ſumere, id eſt, id quod cœnam, aut prandiũ ſolet antecedere; Romanorum præſertim more, quod cœnæ etiã procemium appellatur. Cùm ergo iam à domeſticis pararetur, & offerretur quæ *guſtatio* dicitur, Petrus à ſe ipſo abiens non modò, dum orationi vacat, à guſtandi ſenſu; ſed ab aliis etiam omnibus abſtractus eſt.

Verſ. 11. *Vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initiis demitti de cœlo.*] *Vaſis* ſignificatio latiſſimè

7. Linteum cuius rei ſymbolũ. patet; ſumitur enim pro quolibet inſtrumento. *Initia* verò anguli ſunt, à quibus apprehenſum, aut diſtentum è cœlo demittitur linteum. Optimè verò linteum à quatuor angulis expanſum omnium generũ animalia recipit; quia nulla mundi pars ab Euangelij communione excluditur, qui quatuor habet angulos, ſiue latera, ex quibus in Eccleſiã magno numero omnium ordinum, atque ingeniorũ multitudo cõfluit. Ita Gloſſa, Beda, & Oecumenius. Alij quatuor initia, quatuor Euangelia interpretantur, quæ in Eccleſiam & colligunt, & continent tot hominum genera. Ita Aug. ſerm. 26. de diuerſis. Orig. hom. 2. in cap. 6. Geneſ. Caſſian. lib. 5. de inſtitut. renunc. cap. 3. Per *linteum* Eccleſiam ſignificari docent Amb. & Auguſt. alter ſerm. 2. in Natali Apoſtolorũ; alter ſerm. 26. ſuprà. Rationem reddit Aug. *Nouimus* (inquit) *quòd linteum tinea non conſumit, quæ veſtes alias corrumpit. Excludat vnuſquiſque de corde ſuo corruptiones malarum concupiſcentiarum, atque ita incorruptibiliter formetur in fide, vt prauis cogitationibus tanquam tineis non penetretur, ſi vult ad Sacramentum illius lintei pertinere, quo figuratur Eccleſia.*

Verſ. 13. *Surge Petre, occide, & manduca.*] Non ſine cauſa præmiſit 8. Zelus animarum.
Lucas Petri famem, qua quidẽ cùm vrgeretur grauiter, quia lõgum fortaſſe tempus ieiunus exegerat; longè tamen vrgebatur grauiùs animarum fame, & diuinæ gloriæ deſiderio, quibus ſuum ante magiſtrum vri ſæpe viderat. Huic ergo fami opportunum cibum apparat Deus, ipſum nempe, quàm latè patet, vniuerſum orbem, dum Gentibus aperit ad Eccleſiam aditum; inſulſum ſanè pabulum, ſi externam tantùm ſpeciem conſideres; at ſuauiſſimum, ſi Dominus condiat, & ſtomachus, qui priùs horrere, atque moleſta nauſea auerſari cœperat, concoquere incipiat. Pro illo *occide*, Græcè eſt θῦσον, hoc eſt, *macta, ſacrifica, immola.* Quo verbo ſignificat Deus ſibi placere iam victimas illas; quare non

Digitized by Google

non eſſet cur Petro deinceps diſplicere debeant.

Verſ. 14. *Quia nunquam manducaui omne quod commune, aut immun-*
9. *dum eſt.*] Duo animalium genera oblata ſunt Petro in linteo, à quibus & ſtomachus abhorrebat, & Religio. Stomachus quidem ab immundis, id eſt, reptilibus, ſerpentibus, &c. quæ non ſolùm guſtatu, ſed etiam viſu horrida ſunt, quæque lex mēſis adhiberi vetabat. Religio verò à communibus, ab illis nēpe cibis, qui cùm non eſſent inepti menſæ, neque inſuaues, erant tamen lege prohibiti. Quare dicebantur communes, quia cōmuniter, & vniuerſè illis cibis Gentes vtebantur. Religione ergo ſignificat Petrus impediti ſe à communium ciborum vſu, ab immundorum verò ipſo horrore naturæ, adiuncta etiam legis religione. Quamuis hæc diſtinctio inter *commune*, & *immundum* non incongruè aſſignari potuerit; frequē-

Commune idē quod immundū.

ter tamen *commune* idem eſt quod *immundum*. Vnde Marci 7. communes manus dicuntur immundæ, & illotæ. *Cùm vidiſſent* (ſcilicet Phariſæi) *quoſdam ex Diſcipulis eius communibus manibus* (.i. non lotis) *manducare panem*. & paulo inferiùs. *Quæ de homine procedunt, hæc ſunt, quæ communicant hominem*, id eſt, communē, & immundum reddunt: & Matth. cap. 15. ſæpe *κοινόω*, id eſt, *communico*, pro *contaminare* ſumitur, & ita reddit Interpres; quod omnino docet vox illa lapſa: *quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris*. vbi niſi *commune* pro *immundo* ſumeretur, quid opus erat dici *purificatum*, id eſt, mūdatum eſſe? Seruabat autem Petrus adhuc in his legem; & licèt iam fortaſſe crederet, quoad illam partem de ciborum delectu, illam obſoleuiſſe; nihilominùs propter longam deſuetudinem, & quia illa animalia dudum immūda cenſuerat, horrorem quendam, & nauſeam afferebant. Vel ſanè quia prudenter verebatur optimus Paſtor, ne ſi immundum, atque communem ſumeret cibum, offenſioni eſſet Iudæis adhuc rudibus, apud quos tunc agebat, & quorum ſaluti maximè vacabat. Eodem conſilio Paulus, cùm noſſet legem antiquā, quod ad cibos attinet, vim habere nullam, quod docuit ad Rom. 14. ad Coloſſ. 2. & 1. Cor. 10. tamen ſi cibus fratribus futurus eſſet offenſioni, abſtinendum ab eo ſibi dicit in æternum. 1. Corinth. 8. Ideo Petrus nauſeare ſe dicit ad eiuſmodi eſcā, & à ſe quàm longiſſimè repellit. Idem pene contigit Ezechieli cap. 4. qui cibum immundum, humano ſcilicet ſtercore coopertum, non minùs faſtidiebat, quàm hic Petrus. Sed Deus ſymbolis, & ſignis vtrūque futurorum admonebat.

Mar. 7.

Non manducaui omne commune, &
10. *immundum.*] *Non omne*, phraſis eſt Hebraica, & maximè notanda, quæ contra Latinorum vſum aliquid omnino negat. Pſal. 48. *cùm interierit, non ſumet omnia*, id eſt, nihil ſumet. & Pſal. 118. *non dominetur mei omnis iniuſtitia*, id eſt, nulla. Exempla ſunt obuia. Ex hac Petri reſponſione infert Iuſtinus Martyr quæſtione 89. ad Orthodoxos, in linteo fuiſſe tantùm animalia communia, & immunda. Et ſanè ita videtur eſſe dicendum: nam eò ſpectabat viſio, vt Petrus cognoſceret apertam ianuam eſſe Gentibus, quas animalia immunda, & lege prohibita ſignificabant. Neque Petrus adeò præciſè negarat, ſibi non licere ex illis quicquam occidere; nā relictis immundis, & communibus, in promptu erat, quæ lex permitteret, ad.

Reg. Non omne, idē quod nihil.

ad cibum adhibere. Contra quam explicationem non facit, quod generatim, & vniuerſè dicitur, *in quo erant omnia quadrupedia*, &c. quia Scriptura ſæpe cùm de omnibus agere videatur, de ea tantùm prouincia, aut materia loquitur, de qua ſermo eſt, vt Hieronymus docuit in cap. 13. Iſai. & nos ea de re pluribus ad illud cap. 1. *ab omni natione, quæ ſub cœlo eſt*. De animalibus autem immundis tantùm hîc videtur inducta viſio.

Verſ. 16. *Hoc autem factum eſt per ter.*] Difficilem ſe ad impetata præbebat Petrus: quare vrgebat Deus, & omnem cunctationem abiiciendam monebat. Atque ideo tertiò fortaſſe recuſante, tertiò item hortatur, & inſtimulat. Vas autem illud inſtar lintei de cœlo demiſſum, in cœlum rurſus receptum eſt; neque, vt in aliis viſionibus contingere plerumque ſolet, ab oculis euanuit. Quæ res vehementer commendabat Petro Gentium ſalutem, quas in cœlo ſuam iam habere ſedem, Deóque eſſe magnæ curæ, & deſcenſus è cœlo, & iterum in cœlum reditus oſtendebat. Diſcant hinc Chriſtianæ rei ſtudioſi non contemnere, ac faſtidire eos, qui ſordidi videntur, & ignobiles; quãdo hos tam amanter, ac ſtudioſè curat Deus, quos in oculis, in ſinu, atque adeò in viſceribus & habet, & fouet: neque horreat tractare manu, & offerre Deo, quæ Deus offerri ſibi & cupit, & iubet.

11. Quanti faciendæ animæ etiam inopum.

Verſ. 19. *Petro autem cogitante de viſione, dixit Spiritus ei.*] De Spiritu ſancto intelligunt Ambroſ. lib. 2. de Spiritu ſancto cap. 11. & Gregor. 28. Moral. cap. 2. Cui ſententiæ fauet quod ſubditur ſtatim: *Ego miſi illos.* Sed non videtur difficile ſi dicamus Angelum eſſe, eundem ſcilicet, qui

12.

apparuit Cornelio, quíque eius cauſam tunc etiam agebat. Angeli verò, vt capite 7. diximus, Dei ipſius ſæpe perſonam agunt, & eius nomine, & voce loquuntur. Tum etiam quia optimè Angelus ille affirmare potuit viros à ſe miſſos, quia vt illi mitterentur, admonuit. Verè autem nos id facere dicimur, quod vt fiat authores ſumus.

Verſ. 24. *Et quidam ex fratribus ab Ioppe comitati ſunt illos.*] Bene conſultum eſt & Petro, & rei Gentilicæ; quòd & multi ex Ioppe illum proſecuti ſunt, & è Gentilibus plurimi, iidémque imprimis nobiles, vtpote cognati, atque amici Cornelij; qui quid è cœlo prædictum, quid omnino, & quibus auſpiciis factum, & audire ipſi coràm, & præſentes videre potuerũt. Futurum enim erat, vt grauiter acciperent Iudæi ad Eccleſiam aduocari Gentiles, inirique cum illis, quos alienos, & immundos putabant, talem ſocietatem, qualis tunc inter fideles erat eximia. Quare Gentilium cauſa non leuem Petro apud fratres & conflaret inuidiam, & afferret moleſtiam. Vbi verò & Petri narratione, & eorum, qui aderant teſtimonio res comperta fuit, omnes illæ turbæ, quæ cõmoueri iam cœperant, omnino conſederunt.

13. Petri prudentia.

Verſ. 28. *Vos ſcitis quomodo abominatũ eſt*, &c.] Munit ſe iam Petrus contra multorum cogitationes, atque odia: quare antequam quicquã moliatur in cauſa Cornelij, id agit vt ab ipſo Cornelio cæteri diſcant cõpulſum ſe veniſſe cœleſti imperio; neque potuiſſe recuſare quod tot ſigna tam acriter, ac conſtanter mãdauiſſent. Videntur autem hæc à Petro propoſita non tãtùm Iudęis, 14.

Digitized by Google

ſed etiam Gentilibus, qui Cornelio aderant: neque enim Iudæis tantùm erat notum nefas eſſe cum Gentibus quicquam eſſe commercij, ſed etiam Gentilibus; quia multorum dierum experientia didicerant abhorrere Iudæos à ſuo congreſſu. Oportuit autem vtriſque conſtare diuino fieri conſilio quod Petrus, Corneliúſque tentabant: tum vt ille Iudæorum; hic verò Gentilium declinaret inuidiã: tum vt tot prodigiis inducti cœleſtibus pluris facerent fideles, quam ſuſcepiſſent Religionem; infideles verò auidiùs illã expeterent, atque amplecterentur.

15. Verſ. 30. *A nudius quarta die vſque ad hanc horam orans eram hora nona.*] In Græco textu additur νηστεύων. i. *ieiunans*. Senſus eſt, non quòd quatriduum orans, & ieiunus exegerit Cornelius, ſed quartum agi diem, ex quo hora nona intentus orationi vidit virum, &c. Tot autem dies poni debuerunt in comparanda profectione à Cæſarea in Ioppen, & adornando rurſus à Petro itinere ab Ioppe in Cæſaream, & conficiendo bis eodem ſpatio.

16. Verſ. 31. *Eleemoſynæ tuæ commemoratæ ſunt.*] Suprà dictum eſt, *aſcenderunt in memoriam*. Ex quo patet quid ſit *commemorari* hîc, id eſt, inſculpi memoriæ. Aliàs *commemorare* eſt, memoriam excitare rei alicuius, aut renouare, aut quouis modo aliquid verſare memoria. Syrus; *De eleemoſynis tuis commemoratio fuit coram Deo*. Quaſi aliquis Cornelij merita recitaret ex codice coram Deo; ſicut olim Mardochæi merita Aſſuero Regi recitata ſunt.

17. Verſ. 33. *Bene feciſti veniendo.*] Hiſpanè. *Hiciſte me merced en tomar eſte trauajo en venir.* Sic puto locum hunc exponendum; non tam vt laudet Cornelius Petri factum, quanquam hoc ad gratiarum actionem quoque pertineat, quàm vt gratias agat, quòd eo ſuſcepto labore tam bellè de ſe meritus fuerit. *Feciſti*, inquit, καλῶς, id eſt, *vt ingenuum, atque liberalem hominem decet.*

Verſ. 34. *In veritate comperi, quia non eſt perſonarũ acceptor Deus.*] Perſonarum acceptio, vt tradit S. Tho. 2. 2. q. 63. art. 1. ad 3. in iuſtitia ſolùm diſtribuente reperitur, quando in diſtribuendis debitis bonis non tam meritorum momenta conſiderantur, quàm in perſona aliæ rationes alieniores; putà, quòd amicus ſit, qui maius accipit bonum, quòd cognatus, aut quia de nobis aliqua ratione meritus. Et hæc acceptio perſonarũ non eſt apud Deum. Quod docet Petrus, cùm videt alienum hominem ab Hebræorum gente ad fidelium ſocietatem vocari. Perſuaſerant ſibi Iudæi (propter quod exiſtimo huiuſmodi acceptionis perſonarum Petrum meminiſſe) ſe maximè ex omnibus electos eſſe, vt ſicut olim ad Synagogam, ſic nunc ad Eccleſiam ſoli aſciſcerentur: aut ſi quis alius, non niſi proſelytus, cum onere nempe circunciſionis, & legis; quod capite 15. quidam Iudæi obiiciebant quibuſdam fidelibus, qui ex Gentibus fuerant ad Eccleſiam tranſlati. Qua de re initum fuit primum Apoſtolorum Concilium. Audierant Iudæi, atque altè illorum mentibus inſederat illud. *Ego ero vobis in Deum: & vos eritis mihi in populum*; & hinc ſibi perſuaſerant à Dei populo, & Sanctorum cœtu alios omnes excludi. Opinionem ergo hanc iam pridem inſitam, & quaſi inuſtam exurere nunc aggreditur Petrus: quia non minori ſtudio, atque labo 18. Perſonarũ acceptio quid.

labo

labore deinceps cum Gentibus, quàm cum Iudæis laborandum erat.

19. An Cornelius ante hoc temporis veſtigium iuſtus fuerit, & an ante Petri aduentum, atque doctrinam, ſeu catecheſim, fidem habuerit, diſputant Scholaſtici pluribus. Vide Gregorium homil. 9. & homil. 19. in Ezechielem, & Auguſtinum lib. de prædeſtinatione Sanctorum capite 7. qui fidem habuiſſe putant. Nos hîc ea diſputatione ſuperſedebimus, quia noſtri inſtituti non eſt.

20. Illud, *in veritate comperi*, aliquid difficultatis habet, quia iam antè nouerat Petrus Deum non eſſe acceptorem perſonarum, cùm audiiſſet priùs à Chriſto, *docete omnes gentes*, & nuper in oblato de cœlo linteo didiciſſet: hîc verò compeiſſe ſe affirmat. Solutio difficilis non eſt ex Scripturæ more, quæ tunc dicit aliquid à Deo cognoſci, vel fieri, cùm externo aliquo ſigno notum ſit, aut notum eſſe potuit hominibus. Vide S. Thomam 1. parte, quæſtione 14. articulo 3. & 3. parte quæſtione 13 articulo 2. ad 1. Quo ſenſu accipiendum eſt illud Geneſ. 22. de Abraham. *Nunc cognoui quòd timeas Deum*. & Deut. 13. *Tentat vos Dominus Deus veſter, vt palàm fiat, vtrùm diligatis Deum, an non.* Hanc regulam tradidit Auguſtinus libro 83. quæſtionum quæſtione 69. quam optimis confirmat exemplis. Sic Petrus ſe tunc comperiſſe ait acceptionem perſonarum non eſſe apud Deum, quando, quod antea norat à Chriſti doctrina, iam re ipſa in vocatione Gentium expertus eſt.

Reg. Aliquid tunc ſciri dicitur, cùm externo ſigno declaratur.

21. Aliter poteſt nodus hic expediri, fortaſſe non ineptè, ex alio Scripturæ vſu, quæ cùm nouam aliquam actionem ipſo dicendi genere exprimere videatur, illa noua nô eſt, ſed veteris continuatio, aut incrementum. Exemplis hanc regulam confirmat Salmeron Proleg. 15. Regula 30. Sed nos vnum, aut alterum adducamus. Geneſ. 15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam.* Iam antè crediderat Abraham, teſte Apoſtolo ad Heb. 11. *Fide*, inquit, *qui vocatur Abraham obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem, & exiit neſciens quò iret* Credidiſſe igitur dicitur, quia eius fides continuata, & magis confirmata fuit. Et Ioan. 2. poſt ſignum factum in Cana Galilææ, dicuntur Diſcipuli credidiſſe in Chriſtum, cùm tamen iam antè credidiſſent; neque ſi fides abeſſet, relictis retibus illum eſſent ſecuti. Confirmata itaque fides ibi eſt magis, quàm inchoata. Iuxta hanc dicendi formam eſt illud Eccl. 18. *Non verearis vſque ad mortem iuſtificari.* & Apocal. vlt. *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc.* Sic Petrus nunc comperit, quia antiquam cognitionem continuat, & in ea maiorem in modum confirmatur.

Reg. Videtur aliquãdo indicari actio noua, cùm ſit veteris côtinuatio, vel incrementũ.

Eccli. 18. Apoc. vlt.

Porrò illud, *in veritate*, ſignificare poteſt compertum eſſe Petro in Cornelij cauſa verum eſſe quod de Deo ſæpe traditum eſt. Deuteron. 10. 2. Paral. 19. Iob. 34. Deum non eſſe acceptorem perſonarum, aut perſonam reſpicere. Sed fortaſſe illud, *in veritate*, forma quædam iuramenti eſt, aut particula conſtanter affirmandi aliquo modo ſe rem habere; ſicut eſt vox *Amen*, quæ idem omnino valet. Et ſanè aliis locis pondus habere iuramenti mihi certum eſt; vt Pſal. 88. *Sicut iuraſti Dauid in veritate tua.* & Chriſtus Lucæ 4. & Ioan. 13. *In veritate dico vobis.* 22.

Verſ. 35. *Et operatur iuſtitiam.*] *Iuſtitia* hic ſumitur latiori forma pro his virtutibus à quibus homo dici- 23.

Iuſtitia pro omni virtute.

Ee 2

tur iuſtus;nam *iuſtitia* nomine cõti-
neri virtutes omnes tradit Ariſtot.5.
Ethic cap.5.& in hoc ſenſu *iuſtitiam*
hoc loco ſumi putat Chryſ. & Oe-
Iuſtitia pro miſericordia.
cumenius.Fortaſſe hîc *iuſtitia* miſe-
ricordiam ſignificat,& eleemoſynã;
nam eius eſſe Cornelium cultorem
eximium ſuprà vidimus : & *iuſtitiæ*
nomẽ ſæpe in Scriptura liberalitati,
ac miſericordiæ tribuitur. Matth.6.
*Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis
coram hominibus.* Pſal. 111. *Diſperſit,
dedit pauperibus , iuſtitia eius manet.*
Eccleſ.14 . *Ante obitũ tuũ operare iu-
ſtitiam: quia non eſt apud inferos inue-
nire cibum.* Et vox חסיד *chaſid* , quæ
apud Hebræos ſignificat *miſericordẽ*,
à noſtro Interprete ſæpe redditur
ſanctus. Pſal.4. *Mirificauit Dominus
ſanctum ſuum* .& Pſal.17 *Cum ſancto
ſanctus eris.* Vtroque loco eſt חסיד
chaſid,id eſt,*miſericors.*

Verſ.36.*Verbũ miſit Deus filiis Iſraël,
annuncians pacem per Ieſum Chriſtum,*
24. *hic eſt omnium Dominus.*] Locus hic
impeditus eſt,neque omnes eodem
modo,aut legunt, aut interpretãtur.
Græcè eſt , τὸν λόγον,ὃν ἀπέστειλε τοῖς
υἱοῖς ἰσραὴλ εὐαγγελιζόμενος εἰρήνην διὰ
ἰησοῦ χριστοῦ (οὗτος ἐστὶ πάντων κύριος)
ὑμεῖς οἴδατε. Vulgatus omiſit relati-
uum τὸν,quia fortaſſe redundare pu-
tabat; ſicut apud Hebræos multæ
ſunt particulæ,quæ in Latinum cõ-
uerſæ omnino redundarent. Et vbi
eſt in Græco textu ὃν, in vulgato eſt
Deus. Ex quo mihi fit veriſimile in
codice,quem vulgatus habuit , non
fuiſſe ὃν,ſed ὃς: & referre non λόγον,
quod proximè,ſed θεὸν, quod lõgiùs
anteceſſit;& tunc ſenſus eſt.Qui ti-
met Deum,& operatur iuſtitiam,ac-
ceptus eſt illi, nempe Deo,qui filiis
Iſraël verbum locutus eſt annunciãs
pacem per Ieſum Chriſtum confe-
rendam.Hic verò cùm ſit omnium
Dominus (ſiue Deum , ſiue Chriſtũ
intelligas) omnibus conſulere , at-
que pacem communicare debuit;
atque adeò ab eo beneficio exclu-
ſos eſſe Gentiles non oportuit Neq;
verò malè noſter Interpres vbi rela-
tiuũ ὃς eſſe debuit, poſuit eius ãtece-
dens , *Deus.* Eſt enim hoc valdè in
Reg. Antecedens loco relatiui.
Scriptura frequẽs;& in hoc ipſo no-
mine frequentiſſimũ.Gen.c.1. *Crea-
uit Deus hominẽ*, &c.*ad imaginẽ Dei
creauit illum*.i.ſuam.Gen.5.*in die,qua
creauit Deus hominẽ,ad ſimilitudinẽ Dei
fecit illũ.* Deut.9.*Dedit mihi Dominus
duas tabulas lapideas , ſcriptas digito
Dei*,id eſt.ipſius.Num.12 *Dixit Do-
minus ad Aaron:Si quis fuerit inter vos
Propheta Domini*.i.meus. Zachar.7.
*Hæc ſunt verba mea , quæ locutus eſt
Dominus*.i. ego. Ad hanc igitur for-
mam noſter Interpres pro relatiuo
poſuit eius antecedens, *Deus.*
Alij illud,*vos ſcitis*,cũ ſuprà dicta 25.
oratione coniungũt;ita vt Petrus lo-
quatur cũ Iudæis,qui tũc aderãt,le-
gémq; nouerant.hoc ſenſu:Vos ſci-
tis à Deo filiis Iſraël promiſſam eſſe
pacẽ per Chriſtũ;hic verò omnium
Dominus eſt.Ita Caiet. & eſt valdè
probabile; quia ad verbum *ſcitis* , vt
plures orationes,quę ſequuntur per
Zeugma referendæ neceſſariò ſunt;
ſic etiam non minùs aptè hæc , quæ
anteceſſit, referri poteſt.
Aliter fortaſſe exponi poſſet, ita vt 26.
λόγον pro nominatiuo ſumatur;quod
inuſitatũ nõ eſt, ſicut illud Virgilij.
Vrbem quam ſtatuo, veſtra eſt.—
Quod in Scriptura frequens.Ioan.c.
14.*Sermonẽ quẽ audiſtis ,non eſt meus.*
Pſal. 117. *Lapidẽ quẽ reprobauerunt
ædificãtes,hic factus eſt in caput anguli.*
& 1.Ioan.2. *& vos vnctionem quã ac-
cepiſtis ab eo,maneat in vobis.* Tũc au-
tem illud,*hic verò omniũ Dominus eſt*,
refertur nõ ad Deũ,neq;ad Chriſtũ;
ſed ad *verbum*.Κύριος autem, pro quo
Interpres reddidit *Dominus*, etiã ſi-
gnifi

gnificat *propriũ*.Et eſt ſenſus:Sermo,
quẽ locutus eſt Deus filiis Iſraël,an-
nũcians pacẽ per Chriſtũ, proprius
eſt omnium, non Iſraëlitarum ſo-
lùm. Neque hoc loco *proprium* ſic
accipitur,vt diſtinguatur à commu-
ni; nam reuerà ſermo ille commu-
nis eſt omnibus; & non proprius
Iſraëlitarum:ſed ad omnes pertinet;
neque vllum expertem facit.

Sed placet magis ſententia prima,
quæ magis cum vulgato conſentit.
Neque durum,aut inuſitatum eſt, ſi
dicamus relatiuum redundare,quod
apud Hebræos obuium,aut pro ὃν, ὃς
eſſe ſubſtituendum.vt ſine dubio le-
giſſe videtur noſter Interpres.

Verſ. 37. *Vos ſcitis quod factum eſt*
27. *verbum*] Ita cum Gentibus Petrus
agit,vt Iudęorum quoque rationem
habeat. Cùm verò agere iam inſti-
tuat de Chriſto, per quem Euange-
lium pacis à Deo annunciatum di-
xerat,iiſdem vtitur teſtibus, qui no-
uerant, vel quia ipſi præſentes ſpe-
ctarunt, vel quia ab aliis acceperũt,
qualiter datum ſibi munus à Patre
Chriſtus obierit ſtatim atque in Ba-
ptiſmo voce de cœlo lapſa, & filius
à Patre declaratus, & omnium Do-
ctor ab eodem propoſitus eſt. Cæte-
rùm hîc *verbum* Scripturæ more
pro *re* ſumitur, id eſt, pro omnibus
quæ Chriſtus dixit, fecítque, quæ
ſtatim pluribus explicat. Illud au-
tem quod ſtatim ſequitur, inchoa-
tam habere ſententiam, atque ſu-
ſpenſam videtur:ſic enim habet. *In-
cipiens enim à Galilæa poſt Baptiſmum,
quod prædicauit Ioannes, Ieſum à Na-
zareth*, &c. Quidam particulam
(*enim*) otioſam eſſe putant, & re-
dundantem; certè in Græco textu
non eſt: nihilominùs in antiquis
codicibus fuiſſe puto, quos noſter
Interpres magis correctos habuit;
neque debere tolli, aut otioſam pu-
tari in noſtra verſione. Quod vt
oſtendam, obſeruo ſolere Scriptu-
ram participium maximè præſentis
temporis pro temporibus indicati-
ui vſurpare.1.Cor.12. *Scitis quoniam
cùm Gentes eſſetis ad ſimulacra muta
prout ducebamini euntes*, id eſt, ibatis.
1. Petr. 3. *Viri ſimiliter cohabitantes*,
id eſt,cohabitate: nam toto illo ca-
pite nullum verbum eſt viris ac-
commodatum.& ad Rom.9.ex Iſaia
cap. 10. *Si fuerit numerus filiorum
Iſraël tanquam arena maris, reliquiæ
ſaluæ fient: verbum enim conſummans,
& abbreuians in æquitate*,id eſt, con-
ſummabit, & abbreuiabit. *Verbum*
autem, vt ex Græcis liquet, in accu-
ſatiuo eſt. Sic ergo illud, *incipiens
enim*, commodè exponi poteſt, *ince-
pit enim*; neque tunc quicquam eſt
improprium,aut redundans.

Illud verò, *incipiens*, ad *verbum* re- 28.
ferendum eſt,non ad *Chriſtum*, cùm
in Græco ſit generis neutrius ἀρξά-
μενον. Sed eſt omnino idem ſenſus;
nempe, opus Chriſti cœpiſſe à Ba-
ptiſmo Ioannis. Cæterùm cùm di-
citur, *poſt Baptiſmũ quod prædicauit*;
illud *quod* non refert *Baptiſmum* ma-
ſculinum; ſed *Baptiſma* neutrum,
quod eſt in Græco;quod noſtro In-
terpreti familiare eſt.

Verſ. 38. *Ieſum à Nazareth, quo-
modo vnxit eum Deus Spiritu ſancto,
& virtute.*] Hoc referendum vide- 29.
tur ad prædicationem Ioannis, de
qua proximè,ita vt non ſolùm Ioan-
nes prædicaſſe dicatur Baptiſmum,
ſed etiam Ieſum vnctum eſſe à Deo
Spiritu ſancto, & virtute. Neque
enim qui tunc aderant Iudæi, id
noſſe poterant,niſi ex prædicatione
Ioannis,qui teſtimonium perhibuit,
quòd Spiritus ſanctus ſuper illum
deſcenderet,& quòd in Spiritu ſan-
cto baptizaret. Ioan. cap. 1. At tan-
quam de re antè comperta loquitur

Petrus. Et quidem hic videtur expeditus ſenſus: neque aliter apud homines, qui tunc primùm inſtituebantur in fide, authoritatem habere poterat, quod de Chriſti vnctione proponebatur. Teſtimonium enim Chriſti Lucæ 4. quia de ſe ipſo apud alienos tunc auditores; & Apoſtolorum, quia Diſcipulorum, & amicorum fides in dubium vocari ſolet, parum videbatur habere momenti. Ioannis verò, cuius ſanctitas erat explorata, & celebris, plurimùm. Et contextus ipſe non durus, ſi interponas coniunctionem, quæ paſſim deſiderari ſolet, hoc modo. *Poſt Baptiſmum quod prædicauit Ioannes, & Ieſum à Nazareth, quomodo vnxit eum Deus*, &c. Erit autem magis aperta duarum clauſularum connexio, ſi tollas pronomen *eum*, quod Hebræorum more paſſim in ſacra Scriptura redundat, vt Pſalm. 67. *mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo*; & ita legas; *Ieſum à Nazareth quomodo vnxit Deus.*

Hæc explicatio videtur mihi non difficilis, niſi dicamus id cognouiſſe, qui aderant ex iis, quæ à Petro ſtatim ſubiiciūtur; *quia pertrāſiit benefaciendo, & ſanando*, &c. Sed iſta ideo videntur adduci à Petro, vt alij cognoſcant quàm promptè, atque vndè Chriſtus illud obierit muneris ad quod vnctus eſt; non vt ex illis vnctum eſſe Spiritu ſancto cognoſcerent.

30. *Quomodò vnxit eum Deus Spiritu ſanctō, & virtute.*] Alluſum hic videtur ad locum Iſai. cap. 61. *Spiritus Domini ſuper me; propter quem vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captiuis remiſſionem, & cæcis viſum*, &c. quæ de ſe ipſo interpretatus eſt Chriſtus Lucæ cap. 4. Nam ſtatim poſt commemoratam vnctionem adduntur, quę illam conſequi neceſſarium erat, ſanatos homines oppreſſos à diabolo, &c. quibus ſignis probauit Chriſtus ſe eſſe Meſſiam, id eſt, eum qui venturus eſſet: nam ea de re rogatus à Ioanne reſpondit; *cæci vident*, &c. Vnctus verò dicitur Spiritu ſancto, & virtute in Baptiſmo, nō quòd aliquid gratiæ, ac virtutis Chriſti acceſſerit humanitati, vel ex viſibili Spiritus ſancti deſcenſu, vel à paterna voce, cùm in ipſa prima conceptione ab vnione Verbi, quæ diuiniſſima quædam vnctio eſt, totum habuerit; ſed quia ibi ſingularis illa gratia, ac virtus euidenti ſigno, & publico teſtimonio declarari cœpit. Vt enim ait S.Th. 1. p. q. 24. art. 3. & 3. p. q. 13. ar. 2. ad 1. & q. 24. ar. 1. ad 3. aliquid tunc fieri dicitur, quando quod factum antè fuerat, primùm innoteſcit.

31. Vngi verò Chriſtum Spiritu ſancto, vel vnione, dicitur ſumpta metaphora ab iis, qui vnctione inter Hebræos ad aliquam dignitatem, vel miniſterium initiabantur; quales erant Reges, qui alios & authoritate regerent, & virtute defenderent, & potentia in officio continerent, & Sacerdotes, qui & offerrent hoſtias, & ad Deum pro aliis interpellarent: nec non Prophetæ, qui diuina conſilia prodant, minis deterreant, ſpe alliciant; cauſam denique Dei apud homines in terris agant. Solitos autem eſſe Prophetas vngi, ſaltem vt publicè, & quaſi legitimè munus obeāt Propheticum, indicatur 3. Reg. 19. vbi Elias Dei iuſſu vnxit Eliſæum, vt eſſet Propheta. Quod ergo in his præſtat materialis, ac viſibilis vnctio, vt Regio, Sacerdotali, ac Prophetico munere ritè fungi poſſint, præſtat, exceſſu tamen infinito, humanitati Chriſti diuinitatis vnctio; quæ ſic infuſa eſt

Chriſtus vnctus vt Rex, Propheta, & Sacerdos.

ſuper

ſupereffluenter, vt ab ea traxerit compellationem vnĉti; id enim ſonat & Hebraicè *Meſſias*, & Græcè *Chriſtus*. Ab hac Rex eſt tanta vnctus virtute, vt liberare poſſit eos, qui à morbo, à morte, à diabolo oppreſſi tenebantur. Ab hac prædicauit captiuis remiſſionem, cæcis viſum, quod Prophetici negotij eſt. Ab hac habet, quo interpellare pro nobis ad Deum poſſit, vt Sacerdos ſit.

Verſ. 41. *Non omni populo, ſed te-*
32. *ſtibus præordinatis à Deo nobis.*] Citarat Petrus eos, qui venerant ab Ioppe Iudæos, teſtes eorum, quæ Chriſtus ediderat tranſiens, & benefaciens, &c. quos quia Reſurrectionis teſtes adducere non poterat, quia illis à Reſurrectione glorioſus Chriſtus non apparuit, ideo Petrus oſtendit non omni populo datum eſſe, vt Reſurrectionis gloriam ſpectaret, ſicut datum eſt, vt miraculorum virtutem, & crucis ignominiã videret; ſed quibuſdã, qui cum ipſo iã excitato manducauerunt, & biberunt. Quot, quibúſque Chriſtus ſuſcitatus apparuerit, nõ ſatis conſtat: fuiſſe verò non paucos certum eſt; nam & viſum eſſe pluſquam quingentis fratribus tradit Apoſtolus 1. Cor. 15. Hos verò aliquando comediſſe, & bibiſſe cum Chriſto ex hoc Petri ſermone fit veriſimile; niſi fortè dicas comediſſe Chriſtũ cum Apoſtolis, quos voluit teſtes Reſurrectionis fieri; & de his ita loqui Petrum, vt tamen cæteros à teſtimonio non excludat, quibus etiam rediuiuus apparuit. Qua ratione Scriptura ſolet connumerare in aliquo ordine eos, qui præcipui ſunt; quæ tamen ideo nõ excludit alios. Gen. 8. Deus recordatus dicitur Noë, & cunctorum animantium; neque tamẽ ideo excluditur eius familia: & Ruth 4.

Regul. In aliquo ordine numerãtur præcipui, neque tamen alij excluduntur.

duodecim tribus deſcendiſſe traduntur à Lia, & Rachel, non commemoratis Bala, & Zelpha, quia illæ in eo ordine vxorio principes erant. Sic hoc loco connumerantur tantùm Apoſtoli, quibuſcum Chriſtus comedit, & bibit, quia præcipui teſtes; alij verò non propterea eximi cenſendi ſunt. Loquitur autem de eſu, ac potu poſt Reſurrectionem, quia hoc vnum fuit ex multis argumentis, quæ per 40. dies Chriſtus exhibuit Reſurrectionis ſuæ. S. Auguſt. tractatu 76. in Ioannem putat à nemine, qui pius non eſſet, viſum eſſe Chriſtum: neque fortaſſe plures erant pij, quàm quos Paulus ſuprà commemorat. Quòd verò Apoſtoli futuri fuerint Reſurrectionis teſtes, dictum eſt ad illud c. 1. *Oportet ex his viris, qui nobiſcum ſunt.* vbi diximus optimam videri Apoſtoli deſcriptionem; *Teſtis Reſurrectionis Ieſu Chriſti.* Et hoc fortaſſe ſignificat Petrus hîc, dum dicit ſibi, id eſt, Apoſtolis præordinatis à Deo teſtibus, viſum eſſe Chriſtum, eo ſc. modo, atque ea familiaritate, vt teſtes eſſe poſſent. Quare cum illis comedit, &c. non cum aliis omnibus, quibus etiam apparuit: quia illi teſtes futuri non erant ſicut Apoſtoli.

Verſ. 43. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent remiſſionem pecca-*
torum accipere per nomen eius.] Plena 33.
eſt Scriptura Prophetarum vocibus, quę nos à Chriſto remiſſionem peccatorum, & libertatem ſperare iubẽt. In nomine autem Chriſti Chriſtum ipſum intelligi conſtat ex his, quæ ſuprà adduximus c. 2. vbi multis oſtendimus nomen ſæpe ſumi pro re ſubiecta nomini.

Qui credunt in eum.] Ex hoc loco 34.
putant Hæretici otioſis ſibi, & non ſolùm à bono opere torpentibus; ſed etiam in omne flagitium intẽtis

Non ſufficit ſola fides ad ſalutem.

à fide

à fide in Chriſti nomen ſalutem adfuturam. Quorum inſaniæ, vt omittam alia, quæ pluribus tractãt Scholaſtici, ſatis occurrit Paulus ad Heb. 5. *Chriſtus per Paſſionem conſummatus, factus eſt cauſa ſalutis omnibus obtemperantibus ſibi.* Cæterùm quod noſtrarum eſt partium, hîc obſeruandum, ſolere Scripturam cùm effectum videatur ſignificare, oſtendere tantùm eam eſſe rei naturam, de qua ſermo eſt, vt ex ea vel prouenire poſſit talis effectus, vel digna ſit, quę talem effectum conſequatur: qui tamen oblatis extrinſecùs impedimentis obuenire non ſolet aliquando. Quare plerumque intelligenda eſt aliqua conditio, quæ ſi ibi non exprimitur, alio tamen ex loco petenda eſt. Ioann. 6. *Qui manducat meam carnem*, &c. *habet vitam æternam.* vbi intelligendum, niſi quid aliud obſtiterit: vel ſi conditio adſit, quam expreſſit Paulus 1. Cor. 11. *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat*, &c. & Mat. 7. *Omnis qui petit, accipit*; ſubaudienda conditio, ſi recta, & rectè poſtulentur; quam expreſſit Iacobus cap. 4. *Petitis, & non accipitis, eo quòd malè petatis.* Quę loquendi forma vſitatiſſima eſt non ſolùm in Scriptura, iuxta quam fideles, & Chriſtiani vocantur ſancti, quia tales eſſe debent (vt nuper diximus cap. 9. ad illud, *quanta mala fecerit ſanctis tuis*; vbi alia exempla adduximus) ſed etiam apud externos, apud quos frequens hic dicendi modus, *Medicina ſanat*, quia vim habet ſanandi. *Ego hac comedo*, id eſt, ſtomachum habeo ad hæc non difficilem. *Faba habet inflationem*, id eſt, vim inflandi; & mille alia: cùm tamen horum vis; & effectus multis modis impediri poſſit. Sic fides ſaluare dicitur non ſolùm hoc loco; ſed etiam Marci vlt. Ioann. 3. quia ad ſalutem adducit. Fieri tamen poteſt; imò & contingit ſæpius, quàm vellemus, vt conditio abſit, atque adeò effectum non obtineat. Conditio verò multis locis exprimitur. ad Galat. 5. *Fides quæ per charitatem operatur.* ad Tit. cap. 1. *confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* & cap. 3. *Curent bonis operibus præeſſe, qui credunt Deo.* Iacob. 2. *Quid proderit, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat; numquid poterit fides ſaluare eum?*

Regul. In promiſſis ſub intelligitur interdum aliqua conditio, quæ alibi explicatur.

COMMEN

COMMENTARII IN ACTVS APOSTOLORVM.

CAPVT VNDECIMVM.

AVdierunt autem Apoſtoli, & fratres, qui 1
erant in Iudæa, quoniam & Gentes recepe-
*runt verbum Dei. * Cùm autem aſcendiſ-* 2
ſet Petrus Ieroſolymam, diſceptabant aduer-
*ſus illum,qui erant ex circumciſione, * di-* 3
centes: Quare introiſti ad viros præputium
*habentes, & manducaſti cum illis? * Incipiens autem Petrus* 4
*exponebat illis ordinem, dicens: * Ego eram in ciuitate Ioppe* 5
orans,& vidi in exceſſu mentis viſionem,deſcendens vas quod-
dam velut linteum magnum quatuor initiis ſummitti de cælo,
*& venit vſque ad me. * In quod intuens conſiderabam, &* 6
vidi quadrupedia terræ,& beſtias,& reptilia,& volatilia cæ-
*li. * Audiui autem & vocem dicentem mihi: Surge Petre,* 7
*occide, & manduca. * Dixi autem: Nequaquam Domine:* 8
quia cõmune, aut immundum numquam introiuit in os meum.
** Reſpondit autem vox ſecundò de cælo: Quæ Deus munda-* 9
*uit, tu ne commune dixeris. * Hoc autem factum eſt per ter:* 10
*& recepta ſunt omnia rurſum in cælum. * Et ecce viri tres* 11
confeſtim aſtiterũt in domo,in qua eram, miſſi à Cæſarea ad me.
** Dixit autem Spiritus mihi, vt irem cum illis,nihil hæſitans.* 12
Venerunt autem mecum & ſex fratres iſti, & ingreſſi ſumus in
*domum viri. * Narrauit autem nobis,quomodo vidiſſet An-* 13
gelum in domo ſua,ſtantem & dicentem ſibi.Mitte in Ioppen,&
*accerſe Simonem, qui cognominatur Petrus, * qui loquetur* 14

tibi verba, in quibus ſaluus eris tu, & vniuerſa domus tua.
15 ** Cùm autem cœpiſſem loqui, cecidit Spiritus ſanctus ſuper eos,*
16 *ſicut & in nos in initio. * Recordatus ſum autem verbi Do-*
mini, ſicut dicebat: Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem
17 *baptizabimini Spiritu ſancto. * Si ergo eandem gratiam de-*
dit illis Deus, ſicut & nobis, qui credidimus in Dominum Ieſum
18 *Chriſtum: ego quis eram, qui poſſem prohibere Deum? * His*
auditis, tacuerunt, & glorificauerunt Deum, dicentes: Ergo &
19 *Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam. * Et illi quidem,*
qui diſperſi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat ſub Stepha-
no, perambulauerunt vſque Phœnicem, & Cyprum, & Antio-
20 *chiam, nemini loquentes verbum, niſi ſolis Iudæis. * Erant*
autem quidam ex eis viri Cyprij, & Cyrenæi, qui cùm introiſ-
ſent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos annunciantes Do-
22 *minum Ieſum. * Et erat manus Domini cum eis: multúſque*
21 *numerus credentiũ conuerſus eſt ad Dominũ. * Peruenit au-*
tem ſermo ad aures Eccleſiæ, quæ erat Ieroſolymis ſuper iſtis: &
23 *miſerunt Barnabam vſque ad Antiochiam. * Qui cùm*
perueniſſet, & vidiſſet gratiam Dei, gauiſus eſt: & hortabatur
24 *omnes in propoſito cordis permanere in Domino: * quia erat*
vir bonus, & plenus Spiritu ſancto, & fide. Et appoſita eſt mul-
25 *ta turba Domino. * Profectus eſt autem Barnabas Tarſum,*
vt quæreret Saulum: quem cùm inueniſſet, perduxit Antiochiã.
26 ** Et annum totum conuerſati ſunt ibi in Eccleſia: & docue-*
runt turbam multam, ita vt cognominarentur primùm Antio-
27 *chiæ diſcipuli, Chriſtiani. * In his autem diebus ſuperuenerunt*
28 *ab Ieroſolymis Prophetæ Antiochiã: * & ſurgens vnus ex eis,*
nomine Agabus, ſignificabat per Spiritum famem magnã futurã
*in vniuerſo orbe terrarum, quæ facta eſt ſub Claudio. * Diſci-*
29 *puli autem, prout quis habebat, propoſuerunt ſinguli in miniſte-*
30 *rium mittere habitantibus in Iudæa fratribus: * quod & fece-*
runt, mittentes ad ſeniores per manus Barnabæ, & Sauli.

IN

IN CAPVT VNDECIMVM ACTVVM APOSTOLORVM.

Verſ. 2. *CVm autem autem aſcendiſſet Petrus Hieroſolymam, diſceptabant aduerſus eum*, &c.] Huius diſceptationis, ſeu accuſationis authorem fuiſſe Cerinthum, qui fuit primus poſt Simonem Magum hæreſiarcha, tradit Epiphanius hæreſi 28. Quicquid tamen de Cerintho ſit, certè eos fideles ex circunciſione, qui cum Petro de Gentium conuerſione expoſtularunt, id feciſſe non odio, vel inuidia in Gentiles, credendum eſt; ſed ſtudio legis antiquæ, quæ cauebat ne Iſraëlitis cum Gentibus quicquam eſſet commercij; quam legem ab omnium Apoſtolorum principe; Chriſtique Vicario non obſeruari moleſtè ferebant. Cùm verò rei geſtę conſilium, & ordinem didicerunt, cognoueruntque approbante Deo, imò & authore ſuſceptum illud eſſe, atque perfectum, tulerunt non æquo ſolùm, ſed & libẽti, atq; exultanti animo. *His auditis*, inquit, Lucas *tacuerunt, & glorificauerunt Deum dicentes: Ergo & Gẽtibus*, &c. Lætus ergo illis accidit Petri nuncius, quando gratias agunt Deo, qui ad eandem fidem externos quoque ſocios adiungit.

1. Cerinthus diſſidij author.

Verſ. 18. *Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.*] *Pœnitentia* interdum ſumitur pro effectu pœnitentiæ, nempe pro miſericordia, & gratia, per metonymiam: nam eorum quos facti pœnitet, & miſeremur, & veniam damus, & ad gratiam, amicitiámque antè violatã reducimus. Siue pro vitæ mutatione, quæ veram, & non fucatam pœnitentiam conſequitur. Vtrumque contigit Gentibus ab antiqua viuẽdi ratione conuerſis. Qui loquendi modus ſatis eſt in Scriptura frequẽs, ſecũdùm quem dicimus; *Facere miſericordiam, amicitiam, charitatem*, id eſt, impertiri id quod à miſericordia, vel charitate naſcitur, nempe, donum, aut beneficium. Erit ergo huius loci ſententia: Iam Deus Gentiũ quoque miſertus eſt, viámque ad veniam, & ſalutem aperuit; ac tandem fecit, vt priſtinos mores deteſtatę per pœnitentiam, nouam viuendi rationem inſtituerint, perceperíntq; qui è pœnitẽtia naſcitur gratiæ fructum. Lyra, & Carthuſianus exponunt pœnitentiæ tempus. Salmeron pœnitẽtiam ad vitam vtilem. Nam multi dolent, & præ anguſtia ſpiritus gemunt; inanis tamen dolor ille eſt, & procul à ſalute. Facit pro ſententia Salmeronis, quòd ſtatim ſubditur, *ad vitam*. Atque ideo eius expoſitio valdè eſt ad literam. Sed pars illa non incommodat noſtræ explicationi: nam etiam gratia Ioan. 4. dicitur ſalire in vitam æternam; & ad Rom. 5. gratia regnare dicitur per iuſtitiam in vitam æternam; quia eò deducit gratum, & iuſtũ hominem. Sic ergo pœnitentia dicitur eſſe ad vitam, quia eius effectus ad vitam inſtruit, & ducit.

2. Pœnitentia quid ſignificet.

Et illi quidem qui diſperſi fuerant, &c. *nemini loquentes verbum, niſi ſolis*

Digitized by Google

Iudæis.] Hunc locum iam ſatis explicuimus in tractatu 1.cap.1.de aduentu Iacobi in Hiſpaniam, qui eſt ad finem libri.

Verſ. 20. *Erant autem quidam ex*
3. *eis viri Cyprij,& Cyrenæi.*] Hi genere erant Iudæi, licèt alibi nati, ex his fortaſſe,quos prima Petri concio ad Eccleſiam adiunxit: de quibus cap. 2.pluribus.

Verſ. 25. *Profectus eſt autem Barnabas Tarſum, vt quæreret Saulum.*]
Sicut priùs ſiluit Lucas quid Paulus
4. in Arabia, ſic etiam modò omittit quid fecerit Tarſi;cùm tamen ibi nõ parũ temporis poſuiſſe credẽdus ſit, ex quo exceſſit Hieroſolymis. Neq; veriſimile eſt viri adeò in Chriſti gloriam, & proximorum ſaluté intenti tam longam moram inertem, aut otioſam, imò neque parum ſtrenuè poſitam eſſe. Neque eſt improbabile id in mandatis Barnabæ datũ eſſe ab Apoſtolis,vt tam præclarum ſocium, cuius in rebus arduis ſæpe eſſet explorata conſtantia, Antiochiam ciuitatem tam copioſam, & nobilem ſecum adduceret.

Verſ. 26. *Ita vt cognominarentur*
5. *primũ Antiochiæ Diſcipuli Chriſtiani.*]
Chriſtiani Antiochiæ primùm appellati. Ante hoc tempus Chriſti ſectatores dicebantur *Diſcipuli*, vel, vt docet Chryſoſt.*de via hac*; iuxta illud c.9. de Saulo;*vt ſi quos inueniſſet huius viæ viros.*Hic verò primùm à Chriſti nomine nobiliſſimum Chriſtianorum cognomentum nacti ſunt.Eius auté nominis ſumendi cauſã tradit Athanaſius Apologia cõtra Arium. *Quia multi*,inquit, *nouorum dogmatum authores extiterunt,doctrinæ obuiantes Apoſtolicæ,omnes ſectatores ſuos diſcipulos nominabant:neque vlla erat nominis diſcretio inter veros,falſóſque diſcipulos,ſiue Chriſti,ſiue Doſithei,ſiue Iudæ,&c. tunc Apoſtolis conuenientibus Antiochiæ, ſicut horum Luca narrante Acta teſtãtur, omnes Diſcipulos vno nomine, id eſt, Chriſtianos appellant.* An verò nomen illud primùm fidelibus inditum ſit ab Apoſtolis,non ſit planum ex hoc loco; nam vel à fidelibus inuentum videri poteſt, qui in eo ſibi nomine maximè placebant; vel à Gentilibus alias ob cauſas excogitatum; & hoc magis probatur hiſtoriæ Scholaſticæ. Et quamuis inter canones Synodi Antiochenæ Apoſtolorum, vt tradit Turrianus lib.1. contra Magdeburgenſes, decretum ſit,vt credentes in Dominum Ieſum dicerentur Chriſtiani; potuerunt tamen inuentam ab aliis illam appellationem confirmare publica ſanctione.

Cæterùm,quia antiqui ignari no- 6.
tationis nominis Chriſti,illum non Chreſtiani olim
χριστὸν, id eſt, *Chriſtum*, ſiue *vnctum* ab ignaris vocati.
vocabant: ſed χρηστὸν, id eſt, *Chreſtum*,vt docet Tertul.in Apologetico, & Iuſtinus Martyr in Oratione ad Antoninum;Suetonius in Claudio cap. 25. Lucianus in Philopat. (à bonitate fortaſſe,& benignitate; id enim ſonat χρηστὸς, licèt quidam aliter non minùs ſtultè,quàm impiè interpretentur) Chriſtiani quondam Chreſtiani dicebantur;optima ſanè compellatione, quia boni, atque vtiles eo nomine ſignificantur, non tamen vera.

Quo verò tẽpore orta fuerit hæc Chriſtianorum appellatio non omnino certum.Suidas verbo *Chriſtiani* ſub Claudio Imperatore putat; quando Petrus Euodium in Eccleſia Antiochena ſibi ſucceſſorem reliquit, cùm priùs Chriſtiani Galilæi, aut Nazaræi dicerentur. Quod alij ferme omnes amplectũtur de Claudio, ſed quo Claudij anno nihil eſt certum.

Per hæc tempora Chriſti ſecta- 7.
tores variis notabantur nominibus,
quæ

Chriſtia-norũ varia nomina. quæ quia ſæpius in his Actis occurrunt, operæpretium erit illa hîc breuiter attigiſſe. Vocabantur primùm *Fratres*, quo nomine Chriſtus, & Apoſtoli deinceps vſi ſunt; quod longo tempore perſeuerauit in Eccleſia. De quo nomine cùm ab infidelibus accuſarentur Chriſtiani, defenſi ſunt à Tertulliano in Apologetico cap. 39. vbi optimè de ratione nominis. Vocabantur etiam *Sancti*: quare Paulus ſæpe *Sanctos* ſalutat, & aliis *Sanctorum* nomine ſalutem dicit, ſéque Sanctorum, id eſt, Chriſtianorum omnium minimum appellat. Item dicebantur *Fideles*, quod etiam nunc nomen perſeuerat. Dicebantur etiam ignominiæ cauſâ à Iudæis *Nazareni*, quomodo infrà cap. 24. coram Felice Præſide vocantur à Tertullo. Sub quo nomine, vt ſcribit Hieronymus in cap. 49. Iſaiæ, & Chriſto, & Chriſtianis ter in ſingulis diebus maledicebãt in Synagogis ſuis. Hæc fuêre magis nota, & frequentiùs vſurpata nomina: ſed appellati ſunt etiam *Credentes*, vt ſæpe in his Actis.

Fratres. Sancti. Fideles. Nazareni. Credẽtes.

8\. Illud tamen prætereundum non eſt. *Chriſtiani* compellationem non ſolùm fidelibus olim inditam, ſed etiam ad alios deriuatam, vel propter ignorationem nominis, & Religionis, vel ad inuidiam Chriſtiano nomini conflandam. Nam, vt tradit Epiphanius hæreſi 27. Euſebius libro 4. hiſtor. cap. 7. & 8. Iuſtinus in colloquio cum Tryphone; Carpocratiani Hæretici ſibi ipſis Chriſtianorum cognomen aſſumpſerunt, vt ſuorum morum impuritate Eccleſiæ candorem inficerent, & Chriſtianorum opinioni è ſuo cœno aliquid tetrum, & impurum allinerent. Cùm verò iam Chriſtianum nomen peſſimo Hæreticorum conſilio apud ignaros eius calumniæ non vbique ſanctum haberetur, additum eſt cognomentum *Catholici*, vt indicat Pacianus epiſtol. 1. ad Sempronianum Nouatianum, vbi propter excitatas hæreſes indicat hoc in Eccleſiam inductum eſſe vocabulum. Vide Baronium 1. to. Annal. anno. 43.

Carpocratiani Chriſtianorũ nomen perfidiosè ſumpſerunt. Catholici.

9\. Verſ. 27. *In his autem diebus ſuperuenerunt Hieroſolymis Prophetæ.*] Fuiſſe in Nouo teſtamento Prophetas, maximè Apoſtolorum tempore, non ſolùm quoad alia munera, propter quæ aliquis Propheta dicitur, de quibus ſuprà cap. 2. ſed etiam quoad futurorum prædictionem, nemo dubitare niſi impiè poteſt. Nam Petrus, & Paulus prophetauerunt; & maxima ex parte Ioannis Apocalypſis prophetica eſt: & Act. 21. Philippi Diaconi filiæ prophetides dicuntur; & Act. 2. ex Ioël. poſt aduentum Spiritus ſancti prophetandum eſſe traditur filiis, atque filiabus Hebræorum. Neque contra hoc facit quod Chriſtus Matth. cap. 11. ait. *Omnes Prophetæ, & lex vſque ad Ioannem prophetauerunt*: nam vel hoc loco ſermo eſt de Prophetis, qui Chriſtum prædixerunt eſſe venturum; quod putat Hieronymus, Chryſoſtomus, Beda, & Euthymius, vel certè, quod veriſimilius eſt, hîc *lex*, & *Prophetæ* pro Veteri Teſtamẽto ſumuntur, ſicut alibi ſæpe, vt Matth. 7. & 22. & infrà cap. 13. nam Prophetæ antiqui, qui de Chriſto prophetauerunt, egerunt quoque de temporibus poſt Chriſtum, vt de Gentiũ cõuerſione, de Antichriſto, de Iudicio, de Hieroſolymorũ excidio: imò, vt quidã Abdiæ Interpretes volunt, de Indorum conuerſione per Hiſpanos. Significat ergo Chriſtus Matth. 11. duraturum eſſe Teſtamentum antiquum vſque ad Ioannis tempora: id enim eſt, *propheta-*

Prophetæ in Nouo Teſtamẽto. Matth. 11.

bunt,id eſt,vigebunt,& erunt ſancta. Nam ſicut olim *Propheta* idem dicebatur,qui *ſanctus*; ſic *prophetare*, ſanctum eſſe, aut aliquid ſanctum moliri.Vnde variæ *Prophetarum* acceptiones ortæ, quæ omnes aliquid ſanctum oſtendunt. Hi verò Prophetæ,qui veniſſe dicuntur è Ieruſalem,ex illorum numero videntur,in quos Spiritus ſanctus deſcendit, quíque ex eius illapſu prophetaturi dicuntur à Ioël.cap. 2.Cùm autem in multa hominum millia viſibili ſpecie Spiritus ſanctus influxerit, contuleríque largiter alia, atque alia dona,non tamen omnibus omnia largitus exiſtimandus eſt. His ergo qui nunc Antiochiam venerunt,vel ſponte ſua, vel ab Apoſtolis miſſi,prophetiæ donum diuinus Spiritus impertitus eſt.

Verſ.28.*Et ſurgens vnus ex his,nomine Agabus,ſignificabat per Spiri-*
10. *tum famem magnam.*] De hac fame Ioſephus lib.20.Antiq.cap.2.Euſeb. lib.2. Hiſt. cap. 8. & 11. Contigit hæc ſub Claudio; quo tamen anno eius Imperij incertum eſt.Euſeb. in Chronico, Oroſius, & Eutropius, hiſtor. Scholaſtica, Gagneius, Salmeron, & communiter alij quarto anno putant, Onuphrius 3. Baronius 2. ſecutus Dionem Caſſium, qui cùm per annos ſingulos Romanam contexeret hiſtoriam, in hunc annum magnam contulit famem; neque alterius meminit. Res eſt incerta. Cùm verò Chriſtianis, qui erant in Iudæa,quos perſecutio Stephani expulerat à patria,&, vt dicit Paulus ad Heb.10.*rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſceperant*, à prædicta fame graues imminerent ærũnæ,curauerunt fideles Antiocheni, quos grauis illa calamitas non perculerat, à Gentibus,credo, per Paulum,& Barnabam collecta pecunia illorum inopiam ſubleuare.

Fames hæc quo anno.

Verſ. 29. *In miniſterium mittere habitantibus in Iudæa fratribus.*] Qui 11.
diſperſi fuerant in perſecutione Stephani, duabus de cauſis inopia laborabant,& quòd à ſuis poſſeſſionibus à contribulibus deturbati erant, vt indicat Paulus ad Heb. 10.& ad Theſſal.cap.2.& quòd eorum multi redactam è bonis diuenditis pecuniam ad Apoſtolorum pedes proiecerant.Qua ex re id iuris nacti ſunt, vt ex bonorum communium collecta, & ſymbolo alerentur. Huius enim gratiâ cap. 6. inſtituti ſunt Diaconi,& illam bonorum diſpenſationem *miniſterium* vocari dictum eſt in illud cap.6.*eo quòd deſpicerentur in miniſterio viduæ eorum*. In hoc ergo miniſterium,id eſt,Diaconorũ diſpenſationem Antiocheni mittunt pro ſua quiſque facultate,quod futurum erat ex fratrum vſu.Quod ex eo fit magis veriſimile, quia hæc per manus Pauli, & Barnabæ ad ſeniores mittebantur; ad eos nempe, qui cum maiori fide,atque integritate illa diſtribuerent. Cùm verò hæ Antiochenæ collectę rectè ſuccederent; & fratrum qui in Iudæa erant, res eſſet anguſtior, curatum eſt à Paulo,vt aliis etiam in Eccleſiis collectæ fierent in pauperum ſubſidiũ. De Galatis ſanè, atque Corinthiis conſtat 1. Corinth. 16.vbi modum illarum præſcribit.

Miniſteriũ diſpenſatio eleemoſynæ.

COM

Digitized by Google

COMMENTARII IN ACTVS APOSTOLORVM.

CAPVT DVODECIMVM.

EOdem autem tempore miſit Herodes Rex 1
manus, vt affligeret quoſdam de Eccleſia.
** Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis* 2
*gladio. * Videns autem quia placeret Iu-* 3
dæis, appoſuit vt apprehenderet & Pe-
*trum. Erant autem dies Azymorum. * Quem cùm appre-* 4
hendiſſet, miſit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus mi-
litum cuſtodiendum, volens poſt Paſcha producere eum populo.
** Et Petrus quidem ſeruabatur in carcere. Oratio autem fie-* 5
*bat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo. * Cùm* 6
autem producturus eum eſſet Herodes, in ipſa nocte erat
Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus:
*& cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem. * Et ecce* 7
Angelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo, per-
cuſſóque latere Petri, excitauit eum, dicens: Surge velociter.
*Et ceciderunt catenæ de manibus eius. * Dixit autem An-* 8
gelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas. Et fecit
ſic. Et dixit illi: Circumda tibi veſtimentum tuum, & ſe-
*quere me. * Et exiens ſequebatur eum, & neſciebat quia ve-* 9
rum eſt, quod fiebat per Angelum: exiſtimabat autem ſe viſum
*videre. * Tranſeuntes autem primam, & ſecundam cuſto-* 10
diam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem: quæ
vltrò aperta eſt eis. Et exeuntes proceſſerunt vicum vnum: &
*continuò diſceſſit Angelus ab eo. * Et Petrus ad ſe reuerſus,* 11
dixit:

Digitized by Google

dixit: Nunc ſcio verè quia miſit Dominus Angelum ſuum, &
eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis
12 Iudæorum. * Conſideránſque venit ad domum Mariæ ma-
tris Ioannis, qui cognominatus eſt Marcus, vbi erant multi
13 congregati, & orantes. * Pulſante autem eo oſtium ianuæ,
14 proceſſit puella ad audiendum, nomine Rhode. * Et vt co-
gnouit vocem Petri, præ gaudio non aperuit ianuam, ſed intrò
15 currens nunciauit ſtare Petrum ante ianuam. * At illi dixe-
runt ad eam: Inſanis. Illa autem affirmabat ſic ſe habere. Illi
autem dicebant: Angelus eius eſt. Petrus autem perſeuerabat
16 pulſans. * Cùm autem aperuiſſent viderunt eum, & obſtu-
17 puerunt. * Annuens autem eis manu vt tacerent, narrauit
quomodo Dominus eduxiſſet eum de carcere, dixitque: Nuncia-
te Iacobo, & fratribus hæc. Et egreſſus abiit in alium locum.
18 * Facta autem die, erat non parua turbatio inter milites, quid-
19 nam factum eſſet de Petro. * Herodes autem cùm requiſiſſet
eum, & non inueniſſet, inquiſitione facta de cuſtodibus, iuſſit eos
duci: deſcendénſque à Iudæa in Cæſaream, ibi commoratus eſt.
20 * Erat autem iratus Tyriis, & Sidoniis. At illi vnanimes ve-
nerunt ad eum, & perſuaſo Blaſto, qui erat ſuper cubiculũ Re-
gis, poſtulabant pacem, eo quòd alerentur regiones eorum ab illo.
21 * Statuto autem die Herodes veſtitus veſte regia, ſedit pro tri-
22 bunali, & concionabatur ad eos. * Populus autem acclama-
23 bat: Dei voces, & non hominis. * Confeſtim autem percuſſit
eum Angelus Domini, eo quòd non dediſſet honorem Deo: &
24 conſumptus à vermibus, expirauit. * Verbum autem Domini
25 creſcebat, & multiplicabatur. * Barnabas autem & Saulus
reuerſi ſunt ab Ieroſolymis expleto miniſterio, aſſumpto Ioanne,
qui cognominatus eſt Marcus.

IN

IN CAPVT DVODECIMVM ACTVVM APOSTOLORVM.

Verſ. 1. *MIſit Herodes Rex manus, vt affligeret quoſdã de Eccleſia: 2. occidit autẽ Iacobũ*
1. *fratrẽ Ioãnis gladio.*] Hîc lõga tractari poſſet quæſtio de tẽpore in quo Iacobus ab Herode ſublatus eſt. Ex qua oritur alia hoc tempore à magnis ingeniis tum noſtris, tum etiã externis ſæpe, diúque exagitata; an ſcilicet Iacobus Hiſpaniam noſtrã & obierit olim, & Euangelij luce primus illuſtrauerit? Nam quidam hoc in dubium vocant, alij verò præciſè, atque omnino negant. Ab hac ego quæſtione nunc abſtineo, quia ea de re tractatum penè iuſtum ad finem operis attexui; in præſentia ſat erit oſtendere quo Iacobi cædes tempore contigerit; quod inſtituti noſtri proprium eſt. Ex his Actis nihil habemus aliud quàm eodem tempore occiſum eſſe Iacobum; quis verò fuerit temporis illius articulus omnino obſcurum. Vel enim refertur ad tempus illud, in quo de ſubleuanda Iudæorum inopia Antiocheni cogitabant: aut ad famẽ ab Agabo prædictam: aut certè ad conuerſionem Cornelij; nam de hoc variæ ſunt ſententiæ, quæ tamen, vt ſuprà vidimus, non conueniunt, in quod hæc ſingula tempus inciderint.

2. Communis ſententia eſt, & omnino vera, Iacobum ab Herode occiſum eſſe ſub Claudio: neque enim curo quid in Chronico dixerit Euſebius, vbi Iacobi necem incurriſſe ſcribit in annum 21. Tiberij, qui fuit à morte Chriſti ſecundus, cùm idem Euſebius tradat lib. 2. hiſt. cap. 8. & 9. interfectum ſub Claudio. Quare locus ille omnino de mendo ſuſpectus eſt. Baronius 1. tom. Annal. occiſum putat anno Claudij 2. à Chriſti natiuitate 44. ab Aſcenſione 11. Onuphrius anno Claudij 1. Chriſti 42. Salmeron anno ab Aſcenſione 11. aut 12. Eſt tamen maximè probabile contigiſſe Iacobi necem ineunte anno ſecundo Claudij. Quod hoc modo optimè cõiectat noſter Chriſtophorus Caſtro in Hiſtoria de Deipara cap. 18. Nam quòd non fuerit occiſus extremo, aut longiùs progreſſo anno 2. Claudij, probat Petri in vrbem aduentus, qui, vt docet Euſebius, & Caſſiodorus in Chronico, & Hieronymus de Scriptoribus Eccleſ. in Petro, & omnes communiter, ingreſſus eſt Romam anno 2. Claudij: ſed eſt ingreſſus poſtquam liberatus ex Herodis Agrippæ carcere, multas Aſiæ prouincias peragrarat (coniectus autem fuerat quo tempore obtruncatus eſt Iacobus) quare cùm neceſſariò in longa illa luſtratione multi dies eſſent extrahendi, conſequens fit non potuiſſe niſi ſub anni finem Romam intrare.

Iacobus occiſus ſub Claudio anno 2.

Quòd verò ante initiũ anni Claudij ſecundi interfectus non ſit, liquet ſatis, quoniam Herodes qui Romæ diu fuerat, non eſt Hieroſolymam reuerſus ante annum ſecundũ Claudij: vt enim refert Ioſephus lib. 19. 3.

Herodes quando Hieroſolymã rediit.

Digitized by Google

Ant. cap. 4. & 5. ad preces Herodis ſcripſit Edictum, quo Iudæorum incolumitati, & commodis conſulebat, ſecundò Conſul deſignatus, id eſt, ſecundo anno Imperij ſui. Statim verò Herodem Agrippam miſit ad curam Regni ſui maioribus auctum honoribus.

4\. *Cur quidã Iacobi cædem in primo, alij in ſecũdo anno Claudij ponãt.*

Ex his conſtat quare quidã ex authoribus Iacobum occiſum eſſe dicant anno Claudij 2. quidam anno 1. quia anno ſecundo ineunte occiſus eſt; ab Hiſtoricis autem inchoatus annus omitti ſolet interdum, interdum numerari, vt docuimus in illud cap. 1. Zachar. *Iſte iam ſeptuageſimus annus eſt.* Cùm ergo ab Aſcenſione Chriſti vſque ad annum Claudij ſecundum, vndecim, aut duodecim anni interceſſerint; ſanè ſatis temporis fuit, vt & diu Iacobus eſſe potuerit in Hiſpania, & tandem Hieroſolymam redire, vbi obtruncatus eſt. Neque obſtat Cornelij cõuerſio, vt ſuo loco videbimus.

5\. *Quo die occiſus Iacobus.*

De die, quo occiſus eſt, nihil eſt certum. Græcorum menologium vltimum menſis Aprilis indicat. Salmeron probabile putat die 25. Durandus lib. 7. Ration. cap. 17. eodem quo Chriſtus die incarnatus, atque occiſus eſt, occiſum eſſe tradit. Idem non tam, credo, ex ſua, quàm ex aliorum ſententia docet Antoninus 1. parte hiſt. tit. 6. cap. 7. Chriſtophorus Caſtro lib. de Deipara cap. 18. hoc dicit communiter exiſtimari; & ita ipſe cenſet. Sunt qui putent ita ſentire Petrum Damianum epiſtola 12. cap. 15. & Hieronymum in illud Ezech. 43. *Et dixit ad me; fili hominis.* Sed reuerà hi authores nihil afferunt, quo ſententiã hanc aſtruãt. Hieronymus enim tantùm comparat Stephanum, & Iacobum duobus hœdis, qui in prima die Azymorum poſt Paſchalem agnum immolabantur: qui ſicut non affirmat ideo Stephanum eodem die fuiſſe interemptum, ſic neque Iacobum; nam de vtroque dicit, *Iacobus autem, & Stephanus, qui ſecundo die oblati ſunt.* Nõ itaque ex verbis Hieronymi, qui tamen ibi ex aliorum ſententia loquitur, idque timidè, colligitur altero die poſt Paſcha occiſum eſſe Iacobum; ſed fuiſſe omnino ſimilem hœdo, qui eo die mactabatur. Petrus Damianus tantùm indicat per hæc tempora Azymorum occiſum Iacobum, & Petrum ſolutum à vinculis, vt oſtendat non eodem tempore myſteria celebrari, quo perncta ſunt, cùm diebus Azymorum Iacobus ſit occiſus, & Petrus liberatus à vinculis; & tamen hæc feſta multo pòſt extremo ferè Iulio, & ineunte Auguſto celebrentur. Neque ex verbis Petri Damiani magis colligitur Iacobum primo die Azymorum occiſum, quàm Petrum eodẽ die fuiſſe liberatum à vinculis, quia eodem modo ibi de vtroque loquitur.

Mihi veriſimilius eſt Iacobum ante dies Azymorum interfectum eſſe, vt putat hiſtoria Scholaſtica, & Baronius 1. tom. Annal. anno 44. 6.
Nam cùm Agrippa ſtudioſiſſimus eſſet Religionis Iudaicæ (vt oſtendit abundè coram Caligula, authore Philone in legatione ad Caium) & placere cuperet Iudæis, non eſt veriſimile id eſſe facturum, quod cùm illorum dierum ſanctitate parum congrueret; alioqui futurum eſſet genti Iudæorum offenſioni nõ leui. Neque enim ſine cauſa Petri necem poſt Paſcha, id eſt, poſt dies Azymorum diſtulerat, niſi quia Religionis amans & eſſe, & videri cupiebat.

Porrò in illo, *miſit Herodes Rex manus*, non puto *manus* ſumi pro exercitu; licèt aliqui non improbabiliter 7.

biliter cenſeant. Neque enim ſi exercitum armaſſet Herodes contra fideles, vnus aut alter eſſet captus, aut extinctus, ſed plurimi; neque hos proculdubio tacuiſſet Lucas. Cùm autem Iacobus, & Petrus ad necem dicantur expetiti, iidémque inermes, atque inopes; non eſt veriſimile in illos ab Herode copias inſtructas eſſe. Eſt ergo *manum mittere*, aggredi, aut conari in alicuius cædem: qua ratione ſæpe in Scriptura dicitur, *extendere manum in aliquid*; & Thren. 1. *Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia.*

8. *Omnes Herodes binomines.* Herodes iſte binominis fuit, quia etiam vocabatur Agrippa. Syrus vtrumque nomen expreſſit, & Suidas tres Herodes binomines fuiſſe dicit, & vt notauit Euſebius lib. 2. Hiſtor. cap. 10. quod de Herodis cæde tradit Lucas, id de Agrippa ſcribit Ioſephus. Et ſanè nomen Herodis nunquam fuit ſine cognométo: nam Herodes ille, qui infantes interfecit, Aſcalonita dicebatur, qui Ioannem decollauit, Antipas; hic verò qui Iacobum occidit, Agrippa. Qui ſeptem regnauit annos, quatuor ſub Caio; tres ſub Claudio, vt tradit Ioſephus lib. 19. Antiquit. capite 7.

9. *Septē Azymorum dies.* Verſ. 3. *Erant enim dies Azymorum.*] Multa à multis de Azymorum ſanctitate, & religione dicuntur, nos pro noſtro munere ſic pauca. De inſtitutione agitur Exod. 12. Leuit. 23. Num. 28. Deut. 16. & in ſumma hæc traduntur, quoad tempus, & temporis ſpatium pertinet. A veſpera 14. Lunæ menſis primi ad vigeſimam primam Lunam per 7. dies extenduntur, quorum extremi ſolemnes erant, & à ſeruili negotio omnino liberi; ſicut etiam Sabbathum, niſi quòd in eis parati cibi poterant, vt expreſsè traditur Exod. 12. Rupert. lib. 2. in Exod. c. 15. octo dies Azymorum fuiſſe putat; quem ſine dubio deceperunt corrupti codices, quod ipſe non obſcurè indicat: nam Exod. 12. vbi correcti codices habent; *dies ſeptima eadem feſtiuitate venerabilis*, ipſe legit, *dies octaua.* Ioſephus item 2. lib. Antiq. cap. 5. qui tamen alibi ſæpe Azymorum dies ſeptem eſſe dicit. …x verò octo prius vocauerit, ea, vt credo, ratio eſt, quia licèt Azyma comedi cœperint à veſpera 14. Lunæ, quæ ad 15. pertinet, quia ſolemnis eſt; quia tamen quaſi naturaliter, & ciuiliter illa veſpera ad 14. Lunam pertinebat, dies illa tanquam diuerſa à ſeptem Azymorum diebus numerabatur, atque adeò per ſynedochem dies dicebatur Azymorum; vnde fiebat, vt octo dicerentur Azymorum dies.

Quod quò magis intelligatur, obſeruandum eſt, reliquos dies apud Hebræos ab ortu Solis incipere, licèt aliqui contrà ſentiant. Argumēto eſt quod de Sabbathis, id eſt, ſolemnioribus diebus peculiariter dicitur Leuit. 23. *A veſpera in veſperam celebrabitis Sabbatha veſtra.* Hic, quia apud illos horæ ab ortu Solis numerantur, ita vt prima dicatur illa, quæ proximè excipit orientem Solem, & ita deinceps. Qua ratione Chriſtus dicitur hora ſexta crucifixus, & nona mortuus, & paterfamilias hora vndecima, id eſt, ad finem diei conduxiſſe operarios: nam licèt hæc ratio non omnino conuincat, quia Romani, vt tradit Cenſorinus de die natali cap. 23. Macrobius lib. 1. Satur. cap. 4. Gellius lib. 3. cap. 2. à media nocte in mediam noctem metiantur diem; nihilominùs horæ apud illos ab ortu Solis numerantur; quia ſingulis diebus 12. horas attribuunt inæquales pro temporū 10.

Dies apud Hebræos incipiunt ab ortu Solis, ſicut apud alias etiam nationes.

Horæ apud Romanos ab ortu Solis numerantur.

inæqualitate: tamen pleræque aliæ nationes ab eo tempore computant horas, à quo dies incipit. Et, quod vſitatũ apud Hiſpanos, vt quia dies à media nocte ducitur, à media itẽ nocte ducatur horarũ ſeries, id hoc tẽpore aliis multis nationibus commune eſt. Certè populis vicinis Palæſtinæ cum Sole ſimul oriri diem ſatis compertum eſt. De Babyloniis docet ex Varrone Gellius, Cenſorinus, & Macrobius ſuprà, & Beda lib. de temporum ratione, vbi idem dicit de Perſis, & Chaldæis. Ex quo ſatis fit veriſimile Iudæis, qui non valdè diſſident locorum interuallo, eandem eſſe horarum, dierúmque rationem. Sed de Hebræis diſertè tradit Beda, qui lib. 1. de ratione temporis tomo 1. tradiderat eorum diẽ à meridie incipere, ſicut etiam ibidem docuerat de Perſis. Sed in alio libro eiuſdem tituli tom. 2. vbi ſine dubio ſententiam correxit, affirmat tam de Hebræis, quàm de Perſis ab ortu duci diei principium. Idem Brodæus in Commentariis in Epigrammata Græca titulo *de horis, & menſibus*.

11. Prima veſpera diei feſti interdum præcedenti, interdum ſequenti diei attribuitur.

Et ſanè ſi dies vulgatis apud Hebræos ab occaſu inciperet, id eſt, à prima veſpera, non apparet commoda aliqua ratio, propter quam Luna decimaquarta dies Azymorum diceretur. Nam Marci 14. ante immolatum Agnum de Luna decimaquarta dicitur: *Et primo die Azymorum, quando Paſcha immolabant, dicunt ei Diſcipuli, quò vis eamus, & paremus tibi, vt manduces Paſcha?* Dixit ergo Ioſephus 2. lib. Ant. cap. 5. octo eſſe dies Azymorum, quia ciuiliter prior veſpera non ad conſequentem, ſed ad præcedentem diem pertinebat, licèt ex inſtituto, quoad cultum Religioſum, pars eſſet conſequentis ſolemnitatis. Cuius rei exemplum habemus ſatis accommodatum Leuit. 23. vbi ieiunium expiationis indicatur; nam cùm dictum eſſet, *Decimo die menſis huius* Leuit. 23. *ſeptimi dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur ſanctus, affligetiſq; animas veſtras in eo*; paulo pòſt dicitur: *affligetis animas veſtras die nono menſis.* vbi de eodem ieiunio agitur. Cuius ratio ſtatim indicatur, quia nempe feſta à veſpera in veſperam celebrantur. Nono itaque die ieiunium celebrari dicitur, quia veſpera prior ciuiliter pars eſt diei noni. Vide quæ ſuprà diximus cap. 2. Sicut apud nos vſu, atque ordine Eccleſiaſtico ſolennitates à veſpera incipiunt antecedentis diei; ciuiliter tamen illa eadem veſpera antecedentis diei eſſe dicitur, non ſequentis. Sic planè in Scriptura fit, quæ in loquendi modo ſe frequenter accommodat non tam veritati, quàm opinioni hominum, & loquendi conſuetudini: ſicut Gentium idola Deos vocat; quia ſic vulgus Gentilium loquitur; & Ioſephus à B. Virgine pater Ieſu dicitur, quia ea erat hominum opinio.

Supereſt, quod huius loci proprium eſt, vt expendamus cur Herodes in his Azymorum feriis Petrum occidere noluerit; an propter illorum dierum obſeruantiam, & religionem, quia ſcilicet vel lege, vel conſuetudine eſſet prohibitum, vel vt longiori cuſtodia duriùs illum affligeret? Obſcurum hoc eſt: ſed admodùm eſt probabile quinque diebus Azymorum, qui celebres non erant, potuiſſe aliquem & accuſari, & capitale ſupplicium ſubire, quod eſt eo certius, quia Chriſtus primo die Azymorum, qui celeberrimus erat, & damnatus, & crucifixus eſt; ſed à Pilato, dices, id eſt, ab homine alieno, & Gentili, qui Iudæo

Chriſtus primo die Azymorũ occiſus, neque fortaſſe contra legẽ.

dæorum ſacra, & leges aut ignoraret, aut contemneret. Ita ſanè; ſed non tam ipſe ſua voluntate damnauit Chriſtum, quàm ſuaſu, & pene coactu Iudæorum, quorum qui videbantur & ſcientiſſimi, & obſeruantiſſimi legis, illum accuſarunt, miſerúntque qui illum comprehenderent. Mat. 26. Marc. 14. *Ecce Iudas vnus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladiis & fuſtibus miſſi à Principibus Sacerdotum, & ſenioribus populi.* Id verò contigit quando iam inceperat ſolennitas primi dierum Azymorum, id eſt, poſt primam veſperam; & Chriſtum deinde ſæpius antè accuſatum, & flagellis cæſum ad crucem, & mortem expetiuerant. Neque cùm de Chriſti morte conſilium inerunt, ideo dixerunt non occidendum in die feſto, quia Religio vetaret, ſed ne tumultus fieret in populo: quia vndique ad illum diem Azymorum concurſus fiebat. Quare motus aliquis excitãdus videbatur ab illis, qui Chriſti vitam norant, & doctrinam audierant. Ex quo etiam ratio ducitur, meo iudicio, non infirma; neque enim Iudæi de morte in die feſto non inferenda deliberaſſẽt, niſi infligi mors poſſet in die feſto. Neque enim deliberatio, ſeu conſultatio fit de his, quæ conſuetudine, aut lege fieri nó poſſunt: nam hoc moraliter impoſſibile eſt. Accedit quòd eo die donatus eſt populo à Præſide Barabbas, quo Chriſtus morte damnatus. Sed in die feſto ſolutus eſt Barabbas, vt colligitur Matt. 27. *Per diem autem ſolemnem conſueuerat Præſes dimittere vnum vinctum, quem voluiſſent.* Ioann. cap. 18. *Eſt autem conſuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Paſcha.*

23. At dices Iudæos Chriſti ſanguinis ſitiẽtiſſimos, & à furore potiùs, quàm à conſilio actos hæc non cogitaſſe, aut quia cauſa videbatur grauiſſima, futuráque ex magno rerum vſu, exiſtimaſſe id ſibi per Religionem licere; ſed alterũ facilè depellit, quòd in eo animorum æſtu, atque adore cogitauêre ſibi non licere occidere quẽquam: neque cùm maximè cuperent vrgere accuſationem, ac præſentes videre, quid Iudex de Chriſto decerneret, auſi ſunt in Prætorium intrare, ne contaminarentur, vt manducarent Paſcha; & cũ ipſorũ poteſtati Pilatus Chriſtũ iudicandũ, dãnandúmque permitteret, noluerũt id ſibi à Præſide licere, quod lex, aut præſens rerum ſtatus prohibuiſſet. Hæc autem, ſi furore inſanirent, neque cogitarent, neque expenderent. Alterum veriſimilius eſt, cogitaſſe, vt occurrerent publicis incommodis, ac ſeditionibus, quæ timeri poterant à frequenti, atque offenſo populo, ſi Chriſtus diutiùs detineretur in vinculis; fas eſſe in die etiam celeberrimo extincto Chriſto impendentem quoque ſeditionem extingui; & ita putant aliqui. Sed certè, vt hæc grauis, ac iuſta cauſa fuerit temerandi feſtum; non apparet cur eodem die duo latrones cum Chriſto traduci, & crucifigi debuerint. Quod eſt valdè probabile petiiſſe Iudæos, vt Chriſti mors ex improborũ ſocietate eſſet ignominioſior. Neque enim credibile eſt Pilatum, qui Chriſti innocentiam iam antea prædicauerat, quíque illum illuſtriſſimo titulo in Cruce propoſito obnitentibus Iudæis ornandum eſſe duxerat, ſponte ſua cõmiſſurũ, vt illa ignominia, omnium fortaſſe grauiſſima, ad crucis acerbitatem accederet. Adde quòd Ioan. cap. 10. feſto encæniorum die Iudæi Chriſtum quaſi blaſphemiæ reum lapidare voluerunt: & Ioan. 7. primo, & nouiſſimo die ſcenopegiæ,

Digitized by Google

qui feſtiuiſſimi erant, apprehendere tentarunt & grauiter miniſtri à Sacerdotibus reprehenſi ſunt, quòd non comprehendiſſent. Et eſt ſatis veriſimile; vt Toletus putat in cap. 13. Ioan. annot. 5. illum qui Num. 15. ligna colligebat in Sabbatho, eodẽ die fuiſſe lapidatum, licèt Philo neget lib. 3. de Vita Moyſis ad medium. Neque in die feſto præter ſeruile opus aliquid videtur fuiſſe prohibitum.

14. *Iudæis licitum erat reum capite mulctare.* Sed obiicies, Iudæos ipſos ſatis explicuiſſe ſibi non permitti capitali lege in quemquam agere, nempe in die feſto; dum Pilato reſpondent Ioan. 18. *Nobis non licet interficere quẽquam*; nam quòd aliis diebus licuerit, ſatis probat mors Stephani; & quòd Paulo non ſemel intentata mors ſit cap. 21. in templo, & cap. 14. pro mortuo à Iudæis relictus opinione mortis mortem euaſit. Neque hoc ab vno aut altero, ſed à multitudine Religionis ſtudio commota: ſicut & Chriſto Ioan. cap. 10. Ergo ideo dicunt ſibi non licere, quia dierum ſanctitas, & ſolemnitas non patiebatur.

15. Reſpondeo ita videri grauiſſimis Doctoribus, & in his Cyrillo lib. 16. cap. 6. Auguſt. tractatu 114. Euthymius putat licuiſſe Iudæis alio iudicio capitis agere in reum, non tamẽ cruci affigere; & hoc poſterius negaſſe ſibi à lege concedi. Vtramque cauſam affert Chryſoſtomus hom. 82. Rupertus, quem ex iunioribus aliqui ſequuntur, putat licuiſſe quidem per legem mulctare reos capite; hanc tamen facultatem Iudæis Romanorum iniuria eſſe ſublatam. Et hoc eſt ſatis veriſimile: nam Actuum 18. Paulum Iudęi apud Galleonem violatæ legis reum agunt; quod facturi non videbantur, ſi in caput alterius poteſtatem haberent. Et Ioſephus lib. 20. Ant. cap. 8. tradit ægrè tuliſſe populum quòd Ananus Põtifex Iacobum fratrem Domini, & alios morte damnauerit, egiſſeq; cum Albino Præſide, qui tunc aberat, ne id à Põtifice fieri pateretur, quod ipſo inconſulto, & non permittente tentare non poterat. Quod tamen, etſi verum ſit in cauſa præſertim, quæ ad patriam Religionem pertineret, non tamen aptè reſpondiſſe viderentur Iudæi, ſe non poſſe occidere quemquam, cùm eſſet iam à Præſide permiſſum, cùm dixit. *Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram iudicate.*

Quare mihi maximè probabile eſt id, quod ſuprà diximus ex Chryſoſtomo, & Euthymio, nõ licuiſſe Iudæis quemquam interficere eo mortis genere, quo Chriſtum ipſi extinctum cupiebant, nempe ſublatum in crucem. Nam de die feſto nihil omninò dicunt, imò ea faciunt, quæ parum abſunt à iudicio, inflictúque mortis. Quod ipſe Euangeliſta oſtẽdere videtur ſtatim, dum ſubdit; *vt ſermo Ieſu impleretur, quem dixit ſignificans qua morte eſſet moriturus.* Ac ſi dicat: Si Iudæi Chriſti cauſam iudicarent ſecundùm legem ſuam, vt permiſit Pilatus, lapidarent vtique. Quare, Deo ita moderante, reſponderunt ſibi non licere interficere quemquam, vt impleretur quod de ſua morte Chriſtus prædixerat; prędixerat autem moriturum ſe in cruce. Ioan. 12. *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* & cap. 3. *Oportet exaltari filium hominis.* & Matt. 20. *tradent eum Gentibus ad flagellandum & crucifigendum.* Et licèt ſublato à Iudæis diuina diſpenſatione iudicio, impletum ſit, quod Chriſtus prædixerat, traditum iri ſe Gentibus (& ita hunc locum accipit Auguſt. tractatu 114.) tamen veriſimilius 16. *Non licebat Iudęis quemquã in crucem agere.*

Digitized by Google

milius eſt, ſermonem hîc eſſe de mortis genere, id eſt, de cruce: dicit enim Euangeliſta, *ſignificans qua morte eſſet moriturus*. Quibus verbis vſus eſt etiam Ioannes cap. 12. poſtquam Chriſtus dixerat, *Ego ſi exaltatus fuero à terra*. Et ita putat Euthymius. Longè autem aliud eſt per quos, aut quo genere mortis occidendus ſit. Et in hanc partem accipit Cyrillus lib. 12. cap. 6. & Chryſoſt. hom. 82. Ex his mihi eſt valdè probabile Iudæos, niſi Deus eis in mentem dediſſet, ne cauſam aſſumerent, iudicium Chriſti fuiſſe ſuſcepturos; neque rationem habituros diei feſti; vel quia iudicia eo tempore non prohibita, vel quia furor, & inuidia, quid Religio poſtulet, nihil habet penſi.

17. Ex his apparet quàm parum firmitatis hinc habeat illa ſententia, quæ in priori veſpera Lunæ 14. immolatum agnum eſſe dicit; & Chriſtum occiſum Luna 14. id eſt, die Iouis, quia durum eſſe putat Chriſtum in die primo Azymorum in crucem actum. Nam vt demus in leuioribus cauſis non licere, aut vacare iudiciis, aut agere in aliquem capitali lege, in grauioribus tamen, vbi mora aliquid afferre poterat incommodi, vt in aliis ferme nationibus fit, non credo nefas, aut inuſitatum eſſe; nam eiuſmodi res, non tam poſitiua aliqua, quàm naturali lege metimur. Quòd ſi hæc ab omni lege caueretur ne fierent, notum eſt ſilere leges inter arma, quod idẽ omnino eſt in ardore, atque amentia concitatæ plebis; eo maximè tempore, in quo poteſtas erat tenebrarũ, id eſt, diaboli, qui quemadmodum plura alia humanitatis, ac iudiciorum iura violauit, ſic etiam tanti feſti celebrationem, religionémque contempſit.

Neque hic populus amentia præceps, dum ſuæ ſibi indulget veſaniæ, atque furori, nunc primùm Religionem conculcauit: nam cùm in templo maior eſſet ſanctitas, quàm in tempore, certè non minor, non ſemel in furore ſimili temerauit tẽplum, & altare. Matt. 5. & Ioann. 10. Paulo ante hunc articulum iidem qui nunc, & in die feſto encæniorum, & in ipſo templo Chriſtum lapidibus opprimere aggreſſi ſunt, inſignem iniuriam feſto diei, & loco ſacro infligere parati. Neque multo pòſt Act. 21. Paulum etiam occidiſſent in templo, niſi ab imminenti iam cæde Tribuni opera eſſet ereptus. Vt ergo antè Iudæis religio loci, ac temporis nihili fuit, ſic poſtea in Chriſti cauſa nihili habitam fuiſſe puto temporis ſanctitatem. 18.

Sæpe in die feſto Iudæi aliis moliti ſunt mortem.

Nunc redeo ad Petri cauſam, & dico licuiſſe Herodi vel à lege, vel à conſuetudine in diebus Azymorum, in eis præſertim qui non eſſent à ſeruili negotio liberi, iudicium capitis exercere, vbi cauſa grauis eſſet, & aliquod ex eius mora periculum. Quod veriſimilius eſt, ſi, quod nonnulli putant, Iacobus ab eodem Herode in primo die Azymorum obtruncatus eſt: ſpectaſſe tamen tempus aliud, vel vt iucundum illud tempus propter antiquæ libertatis memoriam, & quotidianis victimis ſacrum non pollueret effuſo ſanguine, vel vt dura cuſtodia, qualis poſtea deſcribitur, diutiùs torqueretur Petrus, & mortis expectatione oblectaret Iudæos; maximè cùm ex illa paucorum dierum in tanta militum cuſtodia, nihil putauerit eſſe formidandum. 19.

Mora Petri cur dilata poſt Azymos.

Verſ. 4. *Volens poſt Paſcha producere eum populo.*] Paſcha propriè dicitur 20.

Quid Paſcha. tur tempus illud in quo agnus immolatur, aut in quo aliquo modo opera datur agno Paſchali, id eſt, quãdo occiditur, aſſatur, aut comeditur, metonymicῶs: nam tempus pro eo ſumitur, quod fit in tempore; ſicut eodem feſto dies dicũtur Azymi, quia in illis Azyma comeduntur.

Paſcha partim pertinebat ad Lunam 14. partim ad 15. Illud verò tempus partim pertinebat ad diem 14. nempe occiſio agni, aſſatio, & præparatio Azymi panis, partim ad 15. i. primũ diem Azymorum, nẽpe agni eſus. Ideo agnus dici poteſt immolati 14. Luna, quæ eſt extra tempus Azymorum; quia tunc occidebatur; & 15. quia tunc comedebatur; nam vtrumque ſignificat nomen *immolationis*. Quod colligi poſſe videtur; quia agnus Exod. 12. immolandus dicitur inter duas veſperas, vel in duabus veſperis. Hebr. בין הערבים *ben haarbaym*; quarum altera eſt quando Sol notabili iam flexu ad occaſum incumbit; altera propriè quando veſper, id eſt, nocturnus lucifer primùm apparet. Et quidem ſi ad veſperam agnus editur, multo ante illud tempus præparatum oportuit. Quare Chriſtus Marci 14. cùm ad veſperam veniſſet ex Bethania, ſtatim accubuiſſe dicitur, quia iam Paſcha paratum inuenit. Et Ioſephus de bello lib. 7. cap. 17. & Ægeſippus in Anacephaleoſi non longè à principio, tradũt ad Paſcha à nona hora vſque ad vndecimam hoſtias cædi.

21. Dies 14. feſtus nõ erat. Hanc verò 14. diem, primã Azymorum vocari ſuprà oſtendimus: ſic enim vocatur Mat. c. 16. & Mar. 14. quia pars illius diei poſtrema ad Azymorum feſtum pertinebat, cùm tamen ciuiliter pars eſſet Lunæ 14. Hæc porrò dies feſta non erat, quia extra ſeptem dies Azymorum. Ita apertè Innocentius libr. 4. de altaris myſterio c. 4. *Decimaquarta*, inquit, *non erat ſolemnis, niſi tãtùm à veſpera.* Abul. 2. p. defenſorij c. 8. docet hunc diem nihil habuiſſe peculiare, niſi quòd ad veſperam agnus immolabatur: quare poterat vocari Paſcha propter agnum, feſtũ nullo modo. Et colligitur ſatis ex Leuit. 23. *Hæ ſunt feriæ Domini ſanctæ, quas celebrare debetis temporibus ſuis: menſe primo 14. die menſis ad veſperam Phaſe Domini eſt, & 15. die menſis huius ſolemnitas Azymorum.* vbi apertè in 14. die tantùm veſperam ſolemnem oſtendit: eodem modo Deut. 16. Num. 9. & 28. Quòd ſi dies ille ſolemnis dicitur Exod. 12. eſt ſynedochicῶs propter vltimam diei partem, quæ cum Azymis coniungitur. Quòd ſi in die feſto ſupra mille paſſus decurri non licebat ambulando; vt eſt communis tam Hebræorum, quàm omniũ ferme Catholicorum opinio (licèt nos ſuprà contrarium dixerimus eſſe probabile) Chriſtus ipſe non obſcurè docuit diem illum ſolemnem non eſſe, quandoquidẽ tantùm confecit viæ, quantùm eius diei religio non patiebatur. Venit enim à Bethania in Ieruſalem, quæ, vt dicit Ioan. c. 11. quindecim ſtadiis ab vrbe diſtabar, id eſt, duobus ferme paſſuum millibus.

Quamuis propriè agnus ad veſperam 14. Lunæ immolatus diceretur Paſcha; & ab eo pars illa diei, in qua fiebat immolatio; ab hoc ramẽ nobiliſſimo ſacrificio alia etiam quę toto illo Azymorum tractu offerebantur, Paſcha vocata ſunt: ſicut etiam omnes Azymorum dies Paſcha, ſiue Paſchales dicti. De ſacrificiis illorum dierum liquet Deut. 16. *Immolabis Phaſe Domino Deo tuo de ouibus, & bobus, in loco, quem elegerit Dominus.* Et fauet huic ſententiæ, quia in Heb. non eſt, *de ouibus & bobus*, ſed, *oues & boues*. Quare abſolutè 22. Omnia ſacrificia in ſeptem Azymorũ diebus oblata dicebantur Paſcha.

oues,

oues, & *boues* Paſcha dici videntur. Et 2. Paralip. 35. *Principes domus Dei dederunt Sacerdotibus ad faciendum Paſcha pecora commixtim duo millia ſexcenta, & boues trecentos*. In Hebræo eſt, *dederũt in Paſchata*, id eſt, vt eſſent Paſchata, iuxta Scripturæ phraſim, ſecundùm quam Iſraël dicitur *futurus Deo in populum*, id eſt, populus, *animalia data eſſe hominibus in cibum*, id eſt, cibus. Et clarius lib. 3. Eſdræ c. 1. ſacrificia illa vocantur Phaſe; & Num. 28. explicatè ponuntur, quæ ſacrificia offerenda ſint in Azymorum feriis. Hæc ſacrificia in vſum aliorum, & maximè Sacerdotũ veniebant, ad quæ accedere non licebat immundis. Leuit. c. 7.

23. Ex quo conſtat quodnam ſit illud Paſcha, quod vt manducarent, noluerunt Iudæi intrare in Prætorium, ne ex congreſſu Gentiliũ contaminarentur: nam quòd aliqui dicunt, Chriſtum comediſſe agnum pridie quàm Iudæi comederent, nõ ſatis conuenit cum Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22. qui dicunt, *prima die Azymorum, quando occidi neceſſe erat Paſcha*; &, *quando Paſcha immolabant*. Quæ verba planè indicant, non ab vno Chriſto tunc, ſed ab omnibus Iudæis agnum eſſe immolatum. Neque plus habet veriſimilitudinis, quod alij excogitarũt, Iudæos illos, qui Prætorium ingredi non ſunt auſi, nõ celebraſſe cum aliis Phaſe veſpera præcedenti, ſed diſtuliſſe, quia intenti erant Chriſti comprehẽſioni; neque volebant eripi ſibi opportunitatem oblatam à Iuda. Nam vbi à legitimò tempore, id eſt, à veſperà 14. Lunæ excidiſſet immolatio Phaſe, in decimamquartam Lunam ſequentis menſis differri iubetur Num. 9. quando ſcilicet aliquis immundus fuit, aut in via, alioquin illi, qui legitimum tẽpus omiſerit, pœna capitalis indicitur.

Neque tantùm ſacrificia illa Paſcha dicebantur, ſed omnes etiam Azymorum dies, quod docet Ioſephus lib. 16. Ant. cap. 11. & Rab. Moyſes libr. 3. Directorij cap. 44. & in Hebræorum Calendario dies Azymorum ſeptima, ſeptima Paſchæ notatur. Sed nullus locus eſt illuſtrior eo, qui nobis eſt præ manibus, vbi Petrus poſt Paſcha producendus dicitur ad populum, id eſt, poſt dies Azymorum. Ex quo intelligitur quare dicatur veſpera, in qua immolatus eſt agnus, eſſe ante diem feſtum Paſchę. Quia nimirum præceſſit diem, id eſt, lucem Lunæ 15. quæ ad Paſcha ſeptem dierum pertinebat; nam licèt quo tempore peracta ſunt, quæ illìc narrantur, Paſcha iam eſſet, vel quia immolatus agnus iam erat, vel quia iam inchoata Azymorum feſtiuitas; erat tamen nox, quæ diem feſtum antecedebat; quare Ioan. cap. 13. non dixit, *ante Paſcha*, ſed *ante diem feſtum Paſcha*. Intelligitur etiam ex his, cur ſexta feria, in qua mortuus eſt Chriſtus, dicatur Paraſceue Paſchæ: neque enim eſt, vt quidam exiſtimant, tempus, quod agnum Paſchalem antecedit. Neque enim Paraſceuem habẽt alia feſta, præter Sabbathum, & feſtum expiationis, in quibus cibi parari non poſſunt. Eſt ergo Paraſceue Paſchæ, ſexta feria incidens in tempus Paſchale, nempe in dies Azymorum. Et expoſuit apertè Marcus c. 15. *erat*, inquit, *Paraſceue, quod eſt ante Sabbathum*. Mar. 15.

24. Dies Azymorum vocati Paſcha. Ioan. 13.

25. *Producere eum populo*.] Vt gratiam Herodes iniret à Iudæis, voluit Petrum populi voluntati permittere, ſicut Pilatus Iudæorum voluntati tradidit Chriſtum, ita vt pro ſuo

arbitratu populus de Petro ſtatueret ſiue lapidádo,ſiue crucifigédo.

26. Quid quaterniomi-ticum. *Tradēs quatuor quaternionibus militū.*] Vt eſſet illuſtrior Petri à vinculis liberatio, deſcribitur priùs quáto ſtudio laborarit Herodes, ne qua fidelium,aut amicorum induſtria illum poſſet è vinculis eximere. Cætera quæ ad cuſtodiā pertinēt,facilia ſūt;quatuor verò quaterniones militū nihil eſt aliud quā ſedecim carceris cuſtodes ita eſſe diſpoſitos,vt quaterni,aut deſignatis noctis vigiliis excubarēt,aut certis ſtationibus opportuna loca,qua ſe aperire poterat ſpes fugę,obſiderent. Meminerant fortaſſe qui Petrum tantopere extinctum cupiebāt,Apoſtolos autē liberatos è carcere;quare ne id Petro iterū aliqua ratione contingeret, laborabant. Sunt qui putent *quaterniones* nomē eſſe officij,vt ſicut centurio dicitur qui cētum,decurio,qui decem militibus præeſt,ſic quaternio dicatur qui ſub ſe quatuor habet milites,& ita cenſet Beda,Caietanus,Lyra,& alij: ſed vox Græca τετράδιον nullo modo patitur;quæ non perſonam, ſed numerum cum aliquo ordine deſignat.Et Syrus *ſedecim milites* interpretatur. At ſi præfecti illi quatuor cum quaternis militibus ſibi creditis eſſent in excubiis,nō eſſent ſedecim,ſed viginti.

27. Milites ea dem catena cum Petro vincti. Quàm arcta fuerit hæc Petri cuſtodia, & quanto ſtudio cōtra omnem conatum externum, & ſpem libertatis munita, docet hîc multis Lucas. Erat nimirum in loco omnium abditiſſimo, ſicut Paulus infrà c.16.vt tradit Chryſoſtom.hom. 8.in epiſt.ad Epheſ.Ante quem erat prima,& ſecunda cuſtodia, per quā ab Angelo traductus fuit, vt ſtatim ſubditur. Vinctus erat catenis duabus, & ne quid moliri poſſet, aut occultum,aut impunitum, iacebat inter duos milites, qui iiſdem,quibus Petrus, catenis ligabantur, vt tradit Chryſoſto.hom. 9. in cap.2. Matt.Quod fieri ſolere in arctiori cuſtodia docet Seneca epiſt. 5. & libro de tranquillitate vitæ capit.10.

Quo loco carcer fuerit. De loco,vbi carcer iſte fuerit,nō omnes idem ſentiunt. Quidam intra ciuitatē conſtituunt.Baronius 1. to. Annal. ann.44.Hadrichomius, iuxta Regiam Herodis;cōmuniter extra ciuitatem eſſe dicitur non lōgè à Caluariæ monte. Sed hi,meo iudicio,non difficilè conciliari poſſunt: nam qui dicunt fuiſſe carcerem intra mœnia ciuitatis,loquuntur de tempore, in quo tertius murus additus fuerat ciuitati ab hoc ipſo Herode Agrippa, de quo Ioſephus lib.6.de bello c.6. Quod ſanè cōtigit poſt Petri vincula; quia ſtatim atque Herodes Roma Hieroſolymā rediit, occiſus eſt Iacobus, & ligatus Petrus. Sed quo tempore Petrus tenebatur in vinculis, pars illa non erat mœnibus ſepta; atque,ideo licèt habitatoribus frequens,quos,vt ibi docet Ioſephus, vrbs tantæ multitudinis incapax foras euomebat, extra ciuitatē eſſe dicebatur,ſicut etiam nunc dicuntur eſſe pomœria.Neque ſi pars illa addita eſſet ciuitati, & clauſa muris, crediderim antiquum nomen reliquiſſe; quia cùm olim extra eſſe diceretur,ſic etiam tunc iuxta Scripturæ morem, in qua ſæpe mutato ſtatu,atq; natura antiquū retinetur nomen.Maximè quia cùm ad antiquæ ciuitatis gloriam non accederet;quæ ciuitas iam olim ab omnibus dicebatur, iure ſeorſum à ciuitate cenſeri debuit;atque ideo non dicebatur Ieruſalem, ſed nouo vocabulo Bezetha, id eſt, Neapolis,

ſeu

Digitized by Google

ſeu noua ciuitas, vt dicit Ioſephus.
28. Quòd verò extra ciuitaĩe carcer
Carcer extra ciuitatem. fuerit, aut certè in extrema ciuitatis
tis parte, argumento eſt, quòd ſolu-
tus Petrus cum Angelo veniſſe dici-
tur ad portam ferream, quæ ducit in
ciuitatem; non verò duceret, aut
ſpectaret ciuitatem, ſi extra nõ eſſet,
aut in extremo. Suſpicor autem in
Duæ portæ in carceribus. in eo carcere duas fuiſſe ferreas por-
tas: alteram, per quam egrederentur
abſoluti à culpa, & ingrederetur mi-
niſteriũ forenſe, & alij non plecten-
di; & hæc ducebat in ciuitatem, per
quam eductus eſt Petrus; alteram,
quæ ſpectaret Caluariæ. i. ſupplicij
locum, per quam capitali pœna mul-
ctãdi emittebãtur: ſicut in aliis pro-
uinciis portæ ſunt infauſtæ, & exe-
crãdæ, per quas ſontes ad ignobilem
mortem, id eſt, ad crucem, ſeu Bara-
thrum extrahuntur, vt Athenis illa,
quæ Charonia vocabatur, & quæ
à Romanis Lybithinenſis, quarum
illa reos ad mortem, vt inquit Pol-
lux, & Suidas, hæc mortuos ad ſe-
In ciuitatib. portæ nefaſtæ. pulchrum efferebat, vt ait Lampri-
dius in Commodo. Imò Plutarchus
libro de curioſitate, id omnibus ci-
uitatibus dicit eſſe commune. *Sicut
ciuitates* (inquit) *habẽt portas quaſdam
nefaſtas, ſiniſtrique ominis, per quas edu-
cãt ſupplicio capitis deſtinatos*, &c. Nõ
ergo ſine cauſa videtur Lucas ſcri-
pſiſſe portam illam ferream reſpice-
re ciuitatem; nempe vt ab altera fer-
rea porta ſecerneret, quæ ducit in
Caluariam.
29. Cæterùm hunc carcerẽ illum eſſe
Carcer qui dicitur tenebræ exteriores. quidam exiſtimant, qui in Euange-
lio dicitur *tenebræ exteriores*: exterio-
res quidẽ, quia extra vrbẽ, aut in vr-
bis extremo; tenebræ verò, aut quia
cõmuniter carcer vocatur tenebræ;
aut, quod verius exiſtimo, à ſitu, &
forma, quæ vulgaris non erat. Mal-
donatus in cap. 8. Matth. putat tene-
bras exteriores vocari locum extra
nuptiales delicias, aut conuiuia, quæ
quia noctu cum multis lucernis per-
agebantur, qui extrudebãtur è con-
uiuiis, pernoctabant foris extra do-
mum, & in tenebris; qualem pœnam
ſubiẽre decem virgines fatuæ, quæ
clauſa ianua excluſæ ſunt. Quæ ex-
poſitio non videbatur inepta ad lo-
cum Matth. c. 8. & 22. quia præceſſit *Matt. 8.*
ſplendidi conuiuij nomen. At ne- *Matt. 22.*
ſcio quomodo quadrare poſſit cap.
25. Matth. in eum, qui, quòd talen- *Matt. 25.*
tum abſcondiſſet, iuſſus eſt extrudi
in tenebras exteriores. Sed ea neque
noctu facta eſſe dicuntur; neque cõ-
uiuij nomen auditum eſt: imò ne-
que ſatis aptè cadit in illũ, qui Matt.
22. quia non adduxit veſtem nuptia-
lem, in tenebras miſſus eſſe traditur;
nã ligatis manibus, ac pedibus mit-
ti iubetur; qui habitus non eſt eius,
qui foris pernoctat, ſed qui in vin-
cula trahitur.
Abulenſis in cap. 25. Matt. q. 558. 30.
locum eſſe putat profundum extra
carcerem, in quem ſontes per funem
demittebantur, expoſitum imbri-
bus, & plerumque immundum cum
aqua, & cœno. Hic verò locus, quia
obſcurus, *tenebræ*, quia extra carce-
rem, *exteriores* appellatur. Idque pro-
bat, quia Ieremias cap. 37. & 38. in
lacum per funes miſſus dicitur, in
quo erat cœnum; qui lacus erat in
veſtibulo carceris. Plura de tenebris
exterioribus diximus ad illud Iere-
miæ cap. 38. *in lacu in quo non erat
aqua*; quæ valdè huc faciunt; illa om-
nino vide. Mihi veriſimile eſt, ſic-
cut apud externos loca erant pro-
funda pro reorum ſuppliciis deſti-
nata; qualis erat apud Meſſenios,
qui *Theſaurus* dicebatur, in quem
coniectus fuit Philopœmenes, vt
ait Plutarchus in eius Vita; & *Ba-
rathrum* apud Athenienſes, & aliud

eiuſdem nominis apud Romanos, in quod coniectum eſſe Iugurtham & interemptum fame tradit Plutarchus in Mario: ſic etiam apud Hebræos pro magni criminis reis hominibus foueas eſſe profundas, quę cùm os habeant anguſtum, fundum tamen, & ſedem laxam habent, & multorum hominum capacem; quā nos mutuato ab Hebræis vocabulo, *mazmorram* dicimus; nam ipſi משמרה *maſmorah* cuſtodiam appellant. Sanè ſubterraneos eſſe carceres tenebricoſos; & profundos in Palæſtina, locíſque vicinis mihi certum eſt: nam carcer Ægyptius, in quem demiſſus eſt Ioſeph. Gen. 39. Heb. dicitur בית הסהר *beth aſahar*, id eſt, *domus rotunda*: & ſtatim cap. 4. vbi vulgatus habet; *innocens in lacum miſſus ſum*. Heb. eſt בור *bor*, quod *puteum*, aut *ciſternam* ſonat, quæ Sap. cap. 10. *fouea* vocatur. Ex quo intelligitur carcerem Ioſeph eſſe ſimillimum illis, quas Hiſpani *mazmorras* appellamus. Ad hos carceres ſubterraneos, & obſcuros ſunt variæ alluſiones in Scriptura. Thren. c. 3. *Lapſa eſt in lacum vita mea, poſuiſti lapidem ſuper me*. Pſalm. 106. *Sedentes in tenebris, & in vmbra mortis, vinctos in mēdicitate, & ferro*. & Iſai. 49. *Vt diceres his, qui vincti ſunt; exite, & iis, qui in tenebris, reuelamini*.

In carceribus Palæſtinæ locus quidā profundior, qui lacus, vel fouea dictus.

31. Cùm verò in hunc ſubterraneum carcerem coniiciantur magnorum criminum rei, qui impendere ſibi timent extremum ſupplicium; ideo Chriſtus cùm de hoc carcere loquitur, id eſt, de tenebris exterioribus, dicit; *ibi erit fletus, & ſtridor dentium*; fletus quidem propter impendentis periculi metum, ſtridor verò, quia neceſſe eſt, vt locus ille altè depreſſus, atque humidus, frigidiſſimus ſit. De hoc carcere dictum eſſe arbitror illud Pſalm. 62. *Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt*: & illud Pſalm. 68. *Neque abſorbeat me profundum, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum*.

32. Secundò, mihi probabile eſt eiuſmodi carceres ſubterraneos non eſſe extra cuſtodiæ clauſtra; ſed in loco interiori, ac tetro, quales erant Syracuſis *Lautumiæ*, & Romæ *Tullianum*; & in horum aliquem coniectum eſſe Petrum: neque enim apparet ex ſacra Scriptura vllus carcer profundus extra vinctorum clauſtra; neque prætereà videbatur ſatis tutus, quia inde facilè extrahi poterat vinctus. Neque lacum, qui erat in veſtibulo carceris, cœni plenum, in quem Ieremias demiſſus eſt, cap. 38. ad cuſtodiam pertinuiſſe puto; quia nimirum id eſſet inhumanum: ſed eſſe vel hiatum terræ, vel foueam ad alios vſus comparatam, ſeu certè non cuſtodiæ, ſed ſupplicij locum: ſicut apud Meſſenios *Theſaurus* erat; apud Lacedæmonas *Ceada*, apud Athenienſes, & Romanos *Barathrum*. Neque enim eò demiſſus eſt Ieremias, vt ſeruaretur captus, ſed vt breui, & miſerè moreretur immerſus cœno. Ita Ioſephus libr. 10. Ant. c. 10. & textus ipſe non obſcurè docet.

33. Eſt ego carcer, in quem incluſus Petrus, ille quem *tenebras exteriores* Chriſtus vocat, quia extra ciuitatem antiquam Ieruſalem, neque procul à Caluaria, ad quā capitis rei producebantur. Locus verò erat in interiori carcere profundus, teter, & odore fœdus, quale Romanorum Tullianum à Salluſtio deſcribitur.

Verſ. 8. *Præcingere, & calcea te caligas tuas.*] Quid ſint *caligæ* pluribus diximus in illud Cāt. 5. *Crura eius columnæ marmoreæ*. Omnino ornamēta 34.

Caligæ calcei ſunt.

ſunt,

ſunt,& tegumenta pedum, non ti-
biarum; & ſatis indicant duæ voces
Græcæ ὑπόδησαι, pro quo vulga-
tus, *præcingere*; & σανδάλια, pro quo
noſter *caligas*, quæ propriè referun-
tur ad pedes; vbi etiam oſtendimus
apud antiquos non eſſe tibialium;
imò neque femoralium vſum. Por-
rò illud *præcingere*, nihil eſt aliud
quàm tunicam laxam, & fluentem
ita ſuccingere, vt expeditus Petrus
eſſet ad fugam; vbi verò iam eſſet
præcinctus, iubetur, vt veſtimentum
aliud, nempe pallium aſſumat. Hinc
conſtat Petrum duo habuiſſe indu-
menta, ſicut etiam Chriſtum ha-
buiſſe conſtat ex eo quòd, vt Diſci-
pulorum lauaret pedes, veſtimenta
depoſuit; neque enim nudus mane-
re debuit.

Verſ. 10. *Tranſeuntes autem pri-*
35. *mam, & ſecundam cuſtodiam.*] Incer-
tum eſt an hîc *cuſtodia* pro diuerſis
vinctorum clauſtris ſumatur, aut
pro militibus, qui clauſtra cuſto-
diunt: nam vtrumque valet & vox
Græca φυλακὴ, & Latina *cuſtodia*. Mi-
hi veriſimilius eſt de loco intelligi:
nam ſi de militibus cuſtodibus, cùm
quatuor eſſent quaterniones, plures
eſſe cuſtodias oportebat, quàm
duas; at primæ, & ſecundæ tantùm
meminit Lucas. Accedit quòd cu-
ſtodes fuiſſe traduntur ante oſtium
carceris, qui dicendi modus exter-
nam cuſtodiam indicat; ſed Petrus
iam primam, & ſecundam cuſto-
diam tranſierat, quando venit ad
portam ferream. Quare exiſtimo
Petrum eſſe in abditiſſimo loco car-
ceris, obſcuro, vt diximus, profun-
do, & fœdo, in quem damnati capi-
te concludebantur; ante quem duo
alia erant compeditorum ergaſtula,
per quæ Petro ad portam vſque fer-
ream tranſeundum fuit.

Verſ. 19. *Inquiſitione facta de cu-*
ſtodibus iuſſit eos duci.] Oſtendit hîc 36.
Herodes quàm auidè gratiam à Iu-
dæis inire voluerit extinguendo
Petro; cùm tam durè ſæuierit in mi-
lites Petri cuſtodes; quandoquidem
eos ſupplicium illud ſubire fecit,
quod moliebatur in Petrum; vel
certè iuſſit in cuſtodiam rapi. Vtrũ-
que enim ſignificat & Latinum *du-*
ci, & Græcum vocabulũ ἀπαχθῆναι.
De ſupplicio intelligit Syrus, Chry-
ſoſtomus hom. in cap. 2. Matt. & hîc
hom. 27. & Salmeron; de carcere hi-
ſtoria Scholaſtica, Carthuſianus,
Caietanus, & Lyra. Illud de morte
veriſimilius. Et ſanè cùm de Chri-
ſtianis ſcriberet Plinius ad Traianũ
libro 10. epiſt. de *Chriſtianis*, verbum
duci ad explicandum capitale ſup-
plicium adhibuit. *Confitentes*, inquit,
iterum ac tertiò interrogaui, ſupplicium
minatus, perſeuerantes duci iuſſi.

Verſ. 20. *Erat autem iratus Tyriis,*
& Sidoniis.] Græcè ἦν θυμομαχῶν. i. 37.
bellum meditabatur contra Tyrios; at-
que ideo ad illud meliùs comparan-
dum, Cæſaream elegit, quæ propter
vicinitatem magis videbatur op-
portuna. Quæ tamen belli cauſa
fuerit, neque tradit Ioſephus lib. 19.
Antiq. cap. 7. vbi Herodis profectio-
nem, & mortem deſcribit; neque
aliquid ab aliis affertur probabile.
Baronius 1. tom. Annal. anno 44. in-
fenſum eſſe tradit Herodem Cæſa-
rienſibus, Tyriis, & Sidoniis, quia
ereptum Petrum è vinculis liberali-
ter exceperunt. Nam, vt dicit Meta-
phraſtes die 29. Iunij eò Petrus ap-
pulit; ibi Epiſcopos conſtituit, &c.
Sed ſanè ſi ita eſſet, non tacuiſſet
Lucas iratum eſſe Cæſarienſibus,
cùm Tyriorum, & Sidoniorum me-
miniſſet.

Verſ. 21. *Veſtitus veſte Regia ſedit* 38.
pro tribunali.] De hoc ornatu Regio Regũ adu-
vide Ioſephum lib. 19 Antiq. cap. 7. latio.

Digitized by Google

vbi etiam agitur de eius fœda, ac miſeranda morte. Illud non omittendum, quàm varia ſint Dei, hominúmque iudicia; homines Regium ſplendorem, & maieſtatem admirati, aliquid diuinum eſſe clamant in Herode, dum dicunt, *Dei voces, & non hominis*. Deus verò aliquid infra hominem eſſe declarat, dum illum viuum adhuc vermibus ſcatere fecit, quod cadaueris putridi, aut ſterquilinij eſt. Neque admodùm diuerſa fuerunt hominum iudicia de hoc ipſo Herode, abſente tamen; vbi neque timori locus eſt, neque Regius ſplendor oculos perſtringit: nã quẽ præſentes Cæſariẽſes adulatorio blandimento, Deo ſimilem vocant, quia illum lenire, aut aliquid commodi ab eo obtinere ſtudent; eundem abſentes Ægyptij, & per ludibrium exagitant, & contumelioſiſſimè illudũt, & inſultãt. Quod etiam in omni ſæculo, atque natione familiare eſt; nam aulici viri, qui Principum ſtupore paſcuntur, qui aſſentatores plerumque ſunt, & meri gnathones, dum eorum ſtudio, atque ſtultæ de ſe opinioni ſeruiunt, nihil non fingunt, nihil non admirantur; & Principes ipſi, quos potentia, & opes non ſolùm glorioſos, & inſolentes reddunt; ſed etiam fatuos, nihil non credunt: abſentes alij, qui ab ipſis nihil aut ſperant, aut metuunt, & verè, & cum faſtidio illorum vitæ, ac rationibus inſultant libero conuicio. Quod, credo, feciſſent illi iidem Cæſarienſes, ſi abeſſent, qui tam effusè, & immoderatè præſentes Herodis ambitioni blandiebantur.

39. *Herodis apud Ægyptios fœdũ ludibrium.* Fecerunt certè Ægyptij, vt tradit Philo libro in Flaccum non longè à principio, vbi in homine omnino ſtolido, qui Herodis perſonam ſuſtinebat, Herodi ipſi contumelioſiſſimè illudebant. *Erat, inquit, quidam inſanus nomine Carabas, nõ ex illo conſpicuo furioſorum genere, ſed leniori correptus inſania. Is interdiu, noctuq́; nudus oberrabat per compita, nec frigus, nec æſtum deuitans, puerorum, & adoleſcentium ludibrium. Hunc miſerum propulſum ad Gymnaſium in ſuperiori loco ſtatuunt, vt ſpectari poſſet ab omnibus; moxq́; capiti diadema imponunt papyraceum; pro paludamento corpori ſtoream induunt; pro ſceptro fruſtum arundinis humi ſublatum quidam ei dedit in manum. Sic ornatum Regiis inſigniis, & in Regem transformatum more hiſtrionico adoleſcentes perticas in humeris geſtantes ſtipabant pro ſatellitio. Tunc alij ſalutatum accedebant; alij ſibi iura reddi petebant. Poſt hæc acclamatum eſt à circunſtantibus magna voce Marim appellantibus, quod nomen Syris ſignificat Dominum: norant enim Agrippam Syrum genere, & regnare in bona parte Syria.* Hæc Philo de Herode, qui Cæſareæ inſtructu ſplendens Regio tantùm non Deus acclamabatur.

Ex hoc Herodis ludibrio, ſimulata Regis perſona, hiſtrionico more, qui ſpectare plerumque ſoler, & exprimere veritatem, duo colligo; alterum, ſolere Reges cùm ius dicunt, & pro tribunali ſedent, certo aliquo veſtimento vti, quod Regiũ dicitur, pro quo morioni Carabæ ſtorea iniecta eſt; & quod Herodes geſtauit, cùm dicitur hîc indutus veſte Regia ſediſſe pro tribunali. Præterea geſtaſſe coronam, & ſceptrum, pro quo eidem arundo data eſt, & papyraceum diadema. Quare exiſtimo in conſpectum populi cùm pro tribunali ſedit, prodiiſſe Herodem ſceptro, & corona inſignem. Alterum, ſolitum videri cùm per ludum, & iocum Rex aliquis non tam exiſtimatur verè, quàm ſubſannatur 40. *Quę Chriſtus paſſus eſt ludibria, videtur ante illud tempus vſitata.*

cõtumelioſè;porrigi illi pro ſceptro arundinẽ,pro diademate coronam è ſcuco,ſtipulaque contextã,qualia habuiſſe vidimus Carabã non tã Regẽ, quàm Regis inane quoddã, & ludicrum ſimulacrum. Diadema enim quod à Philone vocatur papyraceũ, nõ erat à charta,ſed è iuncis,qui papyri dicuntur,ſuntque Nilo flumini vernaculi.Quam ignominiam à militibus ſubiit Chriſtus, ſed magno auctam corollario;nam ad Regiam illam vmbram,& contumeliam acceſſit ex corona non tam papyracea, quàm ſpinea grauiſſima doloris cauſa.

Hæc mors Herodis non contigit ſtatim atque Petrus è vinculis ſolutus eſt,ſed duobus ferme annis poſtea. Nam ineunte ſecundo anno Claudij coniectus eſt Petrus in vincula; tertio verò anno eiuſdem , & ſeptimo Regni ſui, vt tradit Ioſephus lib.19.Ant. cap.7. mortuus eſt Herodes.Neque ſtatim dicitur profectus Cæſaream; dicitur tamen à Luca Cæſareæ commoratus ante mortem. Neque contrà facit, quòd poſt Petri libertatem,ſtatim deſcribitur Herodis interitus: nam cùm ille deſcribendus eſſet,nullus locus apparebat opportunior; præſertim cùm nullo alio loco agendum amplius eſſet de Herode.

Verſ.25.*Barnabas autem, & Paulus reuerſi ſunt ab Hieroſolymis.*]Hinc conſtat collectam ab Antiochenis fidelibus pecuniam diſtributam à Paulo ſub id tempus, quo & Iacobus occiſus,& Herodes fœda morte mulctatus eſt. Videtur verò Paulus ad Galat.2.meminiſſe huius profectionis Hieroſolymitanæ. *Iterum*, inquit, *aſcendi Hieroſolymam poſt annos quatuordecim*; vt ait Chryſoſtomus, & ſatis docet Legionenſis in eo loco. Quos numerandos putat non à primo aſcenſu in Ieruſalem, ſed à conuerſione; quod etiam Caietanus ſentit, & Lyra cum Baronio anno 51.Quòd autem de hoc loquatur Paulus,videtur oſtendi poſſe facilè, quia multa in illo ſecundo capite dicuntur à Paulo,quæ non ſatis conueniunt in tertium aduentum, de quo tantùm poterat eſſe controuerſia. Nam certum eſt ibi non agi de primo ingreſſu,qui contigit anno à conuerſione tertio, de quo Act.9. neque de vltimo, quando dum oraret in templo,ſeditio in illum commota eſt, de qua cap. 21. Sed quòd neque de tertio, quando miſſi fuerunt Paulus,& Barnabas ab Antiochenis, vt de legalibus cum Apoſtolis conferrent,de quo cap. 15. ſic fit veriſimile, primùm, quia ibi res acta fuit in publico Concilio : hîc verò cum aliquibus ſeorſum communicatum Euangelium : ibi quæſtio de ceſſatione legalium propoſita; hîc de legalibus neque verbum vnum.Imò eſt valdè probabile, epiſtolam ad Galatas ſcriptam eſſe ante tertium illum aduentum : nam cùm tota epiſtola in eo verſetur, vt probet abrogatam eſſe legem, ſanè Paulus Apoſtolici Concilij meminiſſet,in quo de legalium ceſſatione diſceptatum eſt. Scio plures exiſtimare contrarium, in quibus eſt Hieronymus. Epiphanius hæreſi 28. Theodoretus, Caietanus Baronius anno 51. & Salmeron : ſed non illi tam probant, quàm definiunt.

COM

COMMENTARII IN ACTVS APOSTOLORVM.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

1 *ERant autem in Eccleſia, quæ erat Antio-*
chiæ, Prophetæ, & doctores, in quibus Bar-
nabas, & Simon, qui vocabatur Niger, &
Lucius Cyrenenſis, & Manahen, qui erat
Herodis Tetrarchæ collectaneus, & Saulus.
2 * *Miniſtrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus dixit*
illis Spiritus ſanctus: Segregate mihi Saulum, & Barnabam in
3 *opus, ad quod aſſumpſi eos.* * *Tunc ieiunantes, & orantes, im-*
4 *ponentéſque eis manus, dimiſerunt illos.* * *Et ipſi quidem*
miſſi à Spiritu ſancto abierunt Seleuciam, & inde nauigauerũt
5 *Cyprum:* * *Et cùm veniſſent Salaminam, prædicabant ver-*
bum Dei in Synagogis Iudæorum. Habebant autem & Ioan-
6 *nem in miniſterio.* * *Et cùm perambulaſſent vniuerſam in-*
ſulam vſque Paphum, inuenerunt quendam virum Magum
7 *pſeudoprophetam, Iudæum, cui nomen erat Bar Ieſu,* * *qui*
erat cum Proconſule Sergio Paulo, viro prudente. Hic, accerſi-
tis Barnaba, & Saulo, deſiderabat audire verbum Dei.
8 * *Reſiſtebat autem illis Elymas Magus (ſic enim interpreta-*
9 *tur nomen eius) quærens auertere Proconſulem à fide.* * *Sau-*
lus autem, qui & Paulus, repletus Spiritu ſancto, intuens in
10 *eum,* * *dixit: O plene omni dolo, & omni fallacia, fili dia-*
boli, inimice omnis iuſtitiæ, non deſinis ſubuertere vias Do-
11 *mini rectas.* * *Et ecce manus Domini ſuper te, & eris*

cæcus

Digitized by Google

*cæcus non videns Solem vſque ad tẽpus. Et confeſtim cecidit in
eũ caligo, & tenebræ, & circuiens quærebat qui ei manum daret.
* Tunc Proconſul cùm vidiſſet factum, credidit admirans ſu- 12
per doctrina Domini. * Et cùm à Papho nauigaſſent, Pau- 13
lus, & qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphyliæ. Ioan-
nes autem deſcendens ab eis, reuerſus eſt Ieroſolymam.* Illi 14
verò pertranſeuntes Pergen venerunt Antiochiam Piſidiæ: &
ingreſſi Synagogam die Sabbathorum, ſederunt. * Poſt lectio- 15
nem autem legis, & Prophetarum miſerunt principes Synago-
gæ ad eos dicentes: Viri fratres, ſi quis eſt in vobis ſermo ex-
hortationis ad plebem, dicite. * Surgens autem Paulus, & 16
manu ſilentium indicens, ait: viri Iſraëlitæ, & qui timetis Deum,
audite: * Deus plebis Iſraël elegit patres noſtros, & plebem 17
exaltauit cùm eſſent incolæ in terra Ægypti, & in brachio ex-
celſo eduxit eos ex ea, * & per quadraginta annorum tem- 18
pus mores eorum ſuſtinuit in deſerto. * Et deſtruens gentes 19
ſeptem in terra Chanaan, ſorte diſtribuit eis terram eorum,
* quaſi poſt quadringentos & quinquaginta annos: & poſt 20
hæc dedit Iudices vſque ad Samuël Prophetam. * Et exinde 21
poſtulauerunt Regem: & dedit illis Deus Saül filium Cis, virũ
de tribu Benjamin, annis quadraginta. * Et amoto illo, ſu- 22
ſcitauit illis Dauid Regem: cui teſtimonium perhibens, dixit: In-
ueni Dauid filium Ieſſe, virum ſecundùm cor meum, qui faciet
omnes volũtates meas. * Huius Deus ex ſemine ſecundùm pro- 23
miſſionem eduxit Iſraël Saluatorem Ieſum, * prædicante Io- 24
anne ante faciem aduentus eius Baptiſmum pœnitentiæ omni
populo Iſraël. * Cùm impleret autem Ioannes curſum ſuum, 25
dicebat: Quem me arbitramini eſſe? non ſum ego, ſed ecce ve-
nit poſt me, cuius non ſum dignus calceamenta pedum ſoluere.
* Viri fratres, filij generis Abraham, & qui in vobis timent 26
Deum, vobis verbum ſalutis huius miſſum eſt. * Qui enim 27
habitabant Ieruſalem, & Principes eius hunc ignorantes, &
voces Prophetarum, quæ per omne Sabbatum legũtur, indican-*

28 tes impleuerunt, * & nullam cauſam mortis inuenientes
29 in eo, petierunt à Pilato, vt interficerent eum. * Cúmque
conſummaſſent omnia, quæ de eo ſcripta erant, deponentes eum
30 de ligno, poſuerunt eum in monumento. * Deus verò ſuſcita-
uit eum à mortuis tertia die: qui viſus eſt per dies multos his,
31 * qui ſimul aſcenderant cum eo de Galilæa in Ieruſalem: qui vſ-
32 que nũc ſunt teſtes eius ad plebem.* Et nos vobis annunciamus
33 eam, quæ ad patres noſtros repromiſſio facta eſt: * quoniam
hanc Deus adimpleuit filiis noſtris reſuſcitans Ieſum: ſicut &
in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt: Filius meus es tu, ego hodie
34 genui te. * Quòd autem ſuſcitauit eum à mortuis, ampliùs
iam non reuerſurum in corruptionem, ita dixit: Quia dabo
35 vobis ſancta Dauid fidelia. * Ideóque & aliàs dicit: Non
36 dabis Sanctum tuum videre corruptionem. * Dauid enim
in ſua generatione cùm adminiſtraſſet, voluntati Dei dormi-
uit, & appoſitus eſt ad patres ſuos, & vidit corruptionem.
37 * Quẽ verò Deus ſuſcitauit à mortuis, non vidit corruptionẽ.
38 * Notum igitur ſit vobis viri fratres, quia per hunc vobis
remiſſio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, quibus non
39 potuiſtis in lege Moyſi iuſtificari. * In hoc omnis qui cre-
40 dit, iuſtificatur.* Videte ergo ne ſuperueniat vobis quod di-
41 ctum eſt in Prophetis: * Videte contemptores, & admira-
mini, & diſperdimini: quia opus operor ego in diebus ve-
42 ſtris, opus quod non credetis, ſi quis enarrauerit vobis.* Ex-
euntibus autem illis rogabant vt ſequenti Sabbatho loqueren-
43 tur ſibi verba hæc. * Cúmque dimiſſa eſſet Synagoga, ſecu-
ti ſunt multi Iudæorum, & colentium aduenarum, Paulum,
& Barnabam: qui loquentes ſuadebant eis, vt permanerent
44 in gratia Dei. * Sequenti verò Sabbatho pene vniuerſa ci-
45 uitas conuenit audire verbum Dei. * Videntes autem tur-
bas Iudæi repleti ſunt zelo, & contradicebant his, quæ à Pau-
46 lo dicebantur blaſphemantes. * Tunc conſtanter Paulus, &
Barnabas dixerunt: vobis oportebat primùm loqui ver-
bum

bum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudica-
tis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes. * *Sic enim* 47
præcepit nobis Dominus. Poſui te in lucem Gentium, vt ſis in
ſalutem vſque ad extremum terræ. * *Audientes autem Gen-* 48
tes gauiſæ ſunt, & glorificabant verbum Domini: & credi-
derunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. * *Diſ-* 49
ſeminabatur autem verbum Domini per vniuerſam regio-
nem. * *Iudæi autem concitauerunt mulieres Religioſas, &* 50
honeſtas, & primos ciuitatis, & excitauerunt perſecutionem in
Paulum, & Barnabam: & eiecerunt eos de finibus ſuis. * *At* 51
illi excuſſo puluere pedum in eos, venerunt Iconium. * *Di-* 52
ſcipuli quoque replebantur gaudio, & Spiritu ſancto.

IN CAPVT DECIMVM-TERTIVM ACTVVM APOSTOLORVM.

1. Hinc iam ſermo de Paulo.

Verſ. 1. E*Rant autem in Antiochia Prophetæ, & Doctores.*]Ex hoc loco iam incipit Lucas tractare quæ à Paulo geſta sũt, cùm hactenus Apoſtolorum omnium, & quorundam præcipuè facta prodiderit. Cùm autem Antiochena Eccleſia nobiliſſima fuerit, & numero, & Religione fidelium, eò Spiritus ſancti afflatu confluxêre, qui Eccleſiarum lumina, & duces eſſe ſolent. Vt enim ait Paulus 1. Cor. 12. *Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores* &c. In hac ergo Eccleſia fuerunt primùm Apoſtoli, vt conſtat, deinde veniſſe dicuntur Prophetæ cap. 11. ſiue hi fuerint, qui futura prædicunt, ſicut Agabus, ſiue qui Scripturam interpretantur, aut diuinis laudibus celebrandis vacant; nam ad hæc etiam patet, vt antè diximus, *Prophetæ* ſignificatio. Fuerunt enim eis etiam Doctores, ſiue diuerſi ab illis, qui dicuntur Prophetæ, qui populum docerent, vitia carperent, & Chriſtiani officij alios admonerent; ſiue iidem Prophetæ: nam & hi hoc etiam munus præſtare ſolebant; ita vt iidem & Doctores fuerint, & Prophetæ. Quid autem horum fuerit incertum eſt. Lyra eos hîc vocari exiſtimat Doctores, qui per donum ſapientiæ, & ſcientiæ, & interpretationis ſermonis Scripturam exponebant. Neque obſtat quòd Paulus ſuprà Doctores ſecernit ab iis, qui interpretantur; nam licèt hæc munera diuerſa ſint, illi tamen in-

Qui Prophetæ, & Doctores.

Digitized by Google

terpretationis quoque gratiam habere potuerunt.

Verſ. 2. *Miniſtrantibus autem illis*
2. *Domino.*] Hic locus maximè & vexatus eſt ab Hæreticis, & à Catholicis tractatus, & illuſtratus. Illi negãt hîc agi de venerabili Miſſæ ſacrificio; hi contrà de illo eſſe ſermoné contendunt. Vide Bellarminum lib. 1. de Miſſa c. 13. & Franciſcũ Suarez to. 3. in tertiam partem diſp. 78. ſect. 1. Salmeronem, Stapletonum hîc. Neque deſunt ex Catholicis qui putent hoc loco agi de alio, quàm de Miſſę miniſterio. Lyra latè *miniſteriũ* bona opera appellat. Concionandi munus putat Oecumenius, & Chryſoſtomus, cui ſubſcribit Caietanus. Ratio verò, quæ Hæreticos adduxit præter perfidiam, atque inſaniam, & ardens in hoc auguſtiſſimũ Sacramentum odiũ, ea eſt, quia verbum, quo Lucas vtitur, λειτουργούντων αὐτῶν, non ſolùm *ſacrificare* ſignificat, ſed & alia quoque munera obire; vt ad Rom. 15. Paulus ſe vocat Euangelij λειτουργὸν; & 2. Cor. 9. eleemoſynarũ diſtributionem, & ad Philip. 2. Magiſtratum ciuilem λειτουργίαν appellat. Denique, vt docet Suidas, eſt quodlibet publicum munus, aut miniſterium.

An hic ſermo de Miſſa.

3. Verumtamen verbum λειτουργεῖν, quo Lucas vtitur, etiam *ſacrificare* ſignificat, vt vertit Eraſmus; in qua ſignificatione ſine dubio ſumitur ad Heb. 10. *Omnis Sacerdos praſtò eſt, quotidie miniſtrans.* Græcè λειτουργῶν. & c. 9. *Vaſa miniſterij ſanguine aſperſa.* & Luc. 1. de Zacharia Sacerdote, *impleti ſunt dies miniſtery.* Vtrobique eſt λειτουργία. Et ſanè vt vox iſta plura ſignificet, quod negari non poteſt, tamen ex adiũctis inueſtigari debet, in quam ſignificationem, vel vſum aſſumenda ſit. Adiuncta verò duo ſunt; alterũ eſt ieiuniũ, quod Chriſtianorum ſacrificium, non verò alia eorum miniſteria præcedit. Tum verò illud *Domino*, quia ſacrificij opus Deum proximè, miniſteria alia populum intuentur. Quòd ſi hæc quoque abeſſent adiuncta, commodè ad alium ſenſum trahi non poſſet; cùm vox aliqua abſolutè poſita intelligi plerumque ſoleat in nobiliori, & magis vſitatâ ſignificatione. Quale erat tunc Miſſæ ſacrificium in his, qui miniſtraſſe dicuntur, népe Doctoribus, & Prophetis. Adde quòd iam communiter ab omnibus Miſſa, Liturgia dicitur, vt Liturgia Iacobi, Baſilij, Chryſoſtomi. Hęc videntur magis habere firmitatis; ſed quia non omnino, quæ obiiciuntur ab aliis, ſunt improbabilia, argumétum hinc ſumi graue quidem poteſt, non tamen neceſſarium. Quod etiam viſum eſt Bellarmino, & Suarez ſuprà.

Segregate mihi Saulum, & Barnabam ad opus, ad quod aſſumpſi eos.] 4.
Credo *opus* eſſe Apoſtolatũ ad Gentes, ad quas præcipuè deſtinatus eſt Paulus, licèt non ideo à circunciſione. i. à Iudæis, vel prohibitus, vel exéptus; nam iam in hoc opus ſegregatus cum Iudæis egit. Statim enim in Salamina verbum Dei prædicaſſe traditur in Synagogis Iudæorum. In quam verò ſortem, vel Genté ſegregatus fuerit, ipſe docet ad Rom. 1. *Paulus ſegregatus in Euangeliũ Dei,* &c. *ad obediendum fidei in omnibus Gentibus.* Et ideo ſe Gentiũ Doctoré nominat. Vide quę ſuprà diximus ad illud c. 9. *Vas electionis eſt mihi.* Eſt ergo ſegregatus Paulus ab aliis Apoſtolis, & Doctorib. non ſicut alij ad deſtinatã aliquã prouinciã, vel Regnũ, ſed ad omné terrarũ orbé, cuius magnam partem & luſtrauit paſſibus, & illuſtrauit doctrina. Quem Hieron. in cap. 5. Amos prædicaſſe dicit *à mari rubro vſque ad Oceanum per totum pene orbem deficienti eum*

prius

Digitized by Google

prius terra, quàm ſtudio prædicandi.

Verſ. 3. *Tunc ieiunantes, & orantes, imponentéſque eis manus dimiſerunt illos.*] 5. *Paulus, & Barnabas quando ordinati Epiſcopi.* Quæ ſit iſta manuum impoſitio, res eſt dubia, & à magnis auctoribus variè diſtracta. Quidam ſacramentalem, & conſecratoriam exiſtimant, qua Paulus, & Barnabas Epiſcopi, aut etiam presbyteri ordinati ſunt. Alij negant hìc aliquid eſſe conſecratorium; ſed tantùm publicam deſignationem ad prædicandi munus, vel deprecationem quandam, quam fieri per manuum impoſitionem ſuprà docuimus. Huius ſententiæ eſt Caietanus hic, & Suarez 3. to. in 3. p. diſp. 74. q. 1. Legionenſis in cap. 1. epiſt. ad Galat. & ex Recentioribus alij. Horum verò ratio eſt; nam vt noua Paulo ad Epiſcopatum neceſſaria fuerit conſecratio, neque illa ſufficeret vocatio, aut deſignatio, per quam factus eſt Apoſtolus non ab hominibus, neque per homines, potuit tamen hoc antè fieri commodiſſimè à Chriſti Vicario Petro, cum quo Paulus, & Barnabas antea fuerant in Ieruſalem, & cui eorum merita ſatis erant explorata. Neque tantum Apoſtolum ab alio, quàm à Chriſti Vicario ordinari oportuit, à quo reliqui Apoſtoli, vt nonnulli exiſtimant, ordinati creduntur. Et ſanè Arator horum ordinationem Petro tribuit: & Leo Papa epiſtola ad Dioſcorum Apoſtolis. Sed veriſimile non eſt eos tunc fuiſſe Antiochiæ, cùm numeratis iis, qui in Chriſtiano cœtu erant præcipui, à Luca omitti nō debuerint Apoſtoli.

6. Communior eſt illorū ſentētia, qui per manuum impoſitionem ordinatos Epiſcopos Paulum, & Barnabam arbitrantur; nam de Apoſtolatu nihil dicunt, quia certum eſt Apoſtolum eſſe potuiſſe nō presbyterū, ſicut alios duodecim, qui Apoſtoli vocati ſunt à Chriſto, antequam in extrema cœna Sacerdotes initiati ſunt. Neque ab hominibus Paulus factus eſt, vt ipſe fatetur ad Galat. cap. 1. Sermo ergo eſt de presbyterio, aut Epiſcopatu; ſi verum eſt, quod veriſimilius eſſe ſuprà docuimus, *miniſtrare*, eſſe ſacrificium Miſſæ peragere; cùm Paulus, & Barnabas ibi miniſtraſſe dicantur, non dubium, quin Sacerdotes fuerint: vbi tamen conſecrati, non conſtat. Sin verò *miniſtrare* aliquid aliud publicæ functionis importat, hìc ſimul & Sacerdotes, & Epiſcopos creatos eſſe non eſt improbabile. Quod factum eſſe in longiori iam Eccleſiæ progreſſu conſtat ex hiſtoriis: ordinatos eſſe Epiſcopos hoc loco tenet Salmeron latè, Oecumenius, Chryſoſtomus, & Leo Papa epiſtola ad Dioſcorum Alexandrinum; vbi tamen dicit ordinatos ab Apoſtolis, fortaſſe hoc loco *Apoſtolos* ſumit pro Epiſcopis; qua ratione, vt diximus 1. cap. *Epiſcopatus* pro Apoſtolatu ſumitur. Et reuerà Epiſcopi Apoſtolorū loco ſuffecti ſunt. Cùm verò à quibus ordinati fuerint nihil habeamus à Luca; coniecturis res eſt agenda. Hiſtoria Scholaſtica putat, vbi ſegregati à Spiritu ſancto fuerunt Paulus, & Barnabas, rediiſſe Ieruſalem; & ibi per Apoſtolorum manus eſſe factos Epiſcopos: ſed id neque extorqueri quidem poteſt à textu. Veriſimile eſt inter Prophetas, & Doctores, qui veniſſe dicuntur è Ieruſalem, fuiſſe aliquot Epiſcopos, à quibus ordinati fuerint: neque video cur ab alio, quàm à Petro Paulus Epiſcopus conſecrari non potuerit, qui non à Petro, vel ab aliquo Epiſcopo baptizatus ſit, ſed ab Anania. Et licèt meritis Paulus

Digitized by Google

alios antecelluerit Epiſcopos, longè tamen illis minor erat officio, & dignitate, vtpote non Epiſcopus.

7. Porrò illa, *orantes, ieiunantes, imponentes*; Græcè in aoriſto ſunt, quare exponenda per præteritum; *cùm orauiſſent, ieiunaſſent*, &c. *dimiſerunt eos*. Id verò maximè vſitatum eſt noſtro Interpreti: cùm participiis præteriti Latini careant, quæ actionem ſignificant, confugiunt ad participium præſentis, vt effugiant periphraſim.

8. Verſ. 8. *Elymas Magus, ſic. n. interpretatur nomen eius.*] Hic priùs dicebatur *Barien*, ſiue *Bar Ieſu*, vt eſt in quibuſdam codicibus; poſtea verò ab inſtituto, & arte vocatus eſt *Elymas*, quæ vox *Magum* ſonat. Multa hîc dicuntur de his nominibus, eorúmque interpretatione; dicam tamen breuiter in re dubia, quid mihi propiùs videatur ad rē ipsā accedere. Prius nomen *Barien* exiſtimo hunc Pſeudoptophetam arrogaſſe ſibi, quaſi inſtinctus eſſet à Ioue Gentilium Deo; qua ratione vates à prophanis filij dicuntur Iouis. Id autem videtur ſignificare *Barieu*, id eſt, *filius Iouis*, ſeu certè *filius Dei*; & hoc videtur veriſimilius, quia commodiùs à *Iehoua* deducitur, quàm à *Ioue*: maximè quia, vt conſtat, vir erat Iudæus, & nomen *Bar* Hebraicum eſt; quare meliùs cum Hebraico nomine *Iehoua* componitur, quàm cum Latino *Ioue*. Vt autem Magus alter Simon Samarites, de quo cap. 8. *magna Dei virtus* dicebatur; ſic iſte eadem pene ſignificatione *filius Dei*, vel *Iouis*. Ad quam ſignificationem alluſum hîc videtur à Paulo, dum ſtatim illum appellat *filium diaboli*. Vel ſignificans illum eſſe verè Iouis filium, quia Iupiter diabolus eſt: vel tam abeſſe longè, vt Dei filius vocari debeat, vt filius potiùs diaboli ſit. Aliud nomen *Bar Ieſu*, quod conſtanter reperitur in codicibus Græcis, & nunc in Bibliis à Sixto correctis, ſignificat *filium Ieſu*, quo nomine oſtendere voluit homo inſaniſſimus ſe Saluatorem eſſe. Nam quemadmodum iuxta Hebraicam phraſim *filius hominis* dicitur homo, *filius taurorum* taurus, *filius arietum* aries: ſic *filius Saluatoris* Saluator.

De nomine *Barien*, ſeu *Bar Ieſu*.

Vel certè pater huius dicebatur Ieſus: nam hoc nomen illis temporibus non erat infrequens: vt ex Ioſepho conſtat, apud quem multi eo notantur nomine. Et ita ferme in omnibus nationibus vſu venit, vt eorum nomina, qui magis ſunt in aliqua natione nobilitati, frequentia ſint. Fuit autem inter Iudæos nobiliſſimus Ioſue, qui etiam dicebatur Ieſus; & alij deinde eiuſdem nominis non pauci Sacerdotes ſummi: quare non mirum ſi pater huius Magi *Ieſu* quoque cum aliis nomen habuerit. 9.

Nomen *Ieſu* olim frequens.

Poſterius nomen à vulgo, vt puto, impoſitum eſt, nempe *Elymas*, quod idem valet quod *Magus*; nomina enim officij, aut artis non tam ab artificibus imponi ſolent, quàm ab aliis. Puto autem vocem eſſe barbaram familiarem Salaminiis, aut Cypriis: nam cum Inſulani maris interiectu ab aliis regionibus diſſiti ſint, peregrinis gaudent vocabulis, ac ſuis. Cùm ergo vox illa aliis eſſet ignota, vtpote Salaminæ, aut Cypro vernacula, à Luca expoſita eſt, & dicta ſignificare *Magum*. Porrò nomen prius prodit Pſeudoprophetæ genus: eſt enim Hebraicum, aliud à Græcis, licèt Barbaris, inditum eſt. Hic autem veterator, & Magus, licèt cæcitate percuſſus, non tamen ab errore, ſiue 10.

De nomine Elymas.

Digitized by Google

ue improbitate reſipuit; imò potiùs, vt tradit Dionyſius de diuinis nominibus cap. 8. maiori odio ex dolore, ignominiáque concepto librum edidit in Chriſti fidem, & Pauli prædicationem.

Verſ. 9. *Saulus autem, qui & Pau-*
11. *lus.*] Hinc iam, qui Saulus antè, Paulus vocari incipit. Vnde verò orta ſit noua hæc appellatio, incertum. Origen. in epiſt. ad Rom. Paulum binominem eſſe exiſtimat: ſed contrà facit, quia alterum nomen auditum huc vſque non eſt; alterũ deinceps omnino ſiletur. Amb. in cap. 1. ad Rom. & Damaſus in Baptiſmo mutatum eſſe nomen putant: Simeõ Metaphraſtes in tractatu de certaminibus Petri, & Pauli à conuerſione tradit ſumptum eſſe nomen. Sed cur tot annis tantum de tanto nomine ſilentium? Auguſt. in Pſal. 72. mutato vitæ inſtituto mutatum quoque nomen coniectat: quia *Saulus* ſonat *ſuperbum, & ferocem*, quia talis fuit Saul, cuius nomen habebat Saulus ex eadem tribu. Nam vt cap. 9. diximus, Saulus idem eſt, qui Saul. Paulus autem quo tempore conuerſus eſt, Hebraico idiomate Saul vocatus eſt à Christo: *Paulus* verò *modeſtum, humilem, & patientem*. Alij multi putant à Sergio Paulo, qui ex nobilitate Romana primus à Saulo conuerſus eſt, acceptum eſſe hoc nomen; in quibus eſt Hieronymus in epiſt. ad Philem. *Vt enim Scipio*, inquit, *ſubiecta Aphrica, Aphricani ſibi nomen aſſumpſit, & Metellus Creta inſula ſubiugata, inſigne Cretici ſuæ familiæ reportauit, & Imperatores nunc vſque Romani ex ſubiectis Gentibus Adiabenici, Parthici, Sarmatici nuncupantur; ita & Saulus ad prædicationem Gentium miſſus, à primo Eccleſiæ ſpolio Proconſule Sergio Paulo victoriæ ſuæ trophæa retulit, erexitque vexillum, vt Paulus diceretur è Saulo.* Idem etiã putat Auguſtinus lib. 8. confeſſ. cap. 4. Quòd ſi ita eſſet, ea nominis mutandi ratio videbatur non inepta, quæ ab officio, vel beneuolẽtia ducitur: nam ſumpto eorum nomine, quos amamus, aut qui de nobis magnum in modum meriti ſunt, grati videmur ob officia, & noſtram in illos beneuolentiam teſtamur. Qua ratione Ioſephus dictus eſt Flauius à Flauio Veſpaſiano, & Cyprianus Cæcilius à Cęcilio, à quo traductus eſt ad Eccleſiam; & denique liberti eorum nomina ſumunt à quibus libertate donati ſunt. Huic ſententię obſtat, quòd ante conuerſionem Sergij Pauli, iam Paulus vocatus eſt à Luca. Neque enim conuerſus fuit ante Pſeudoprophetæ cæcitatem, & ante illam iam Pauli nomen auditum.

Hic primum Paulus, qui antè Saulus.

Cur vocatus Paulus.

Sed eſt communior ſententia, 12.
mutatum eſſe nomen à Deo, ſicut ab eodem mutata ſunt aliquando nomina eorum, qui aut nouo decorabantur titulo, aut ad nouum munus deſignabantur, vt de Abraham, Iacob, Petro, Ioanne, & Iacobo conſtat; ne hac in re illis inferior haberetur Paulus. Et huius ſententiæ eſt Chryſoſtomus hîc, Theodoretus, Theophylactus, Occumenius in epiſt. ad Rom. Mutatum verò creditur quando cùm eſſet Antiochiæ, ordinatus dicitur Epiſcopus, ſicut Pontificibus in conſecratione mutari ſolent nomina. Cui rei maximo argumento eſt, quòd ante manuum impoſitionem Saulus dicebatur, ab illa nomen illud amplius auditum non eſt. Hæc mihi videtur mutandi nominis & grauior cauſa, & magis opportuna ratio: quia cùm agendum eſſet Saulo cum Gentibus, deponendum

illi

Digitized by Google

illi fuit nomen minùs illuſtre exter-
nis,licèt domeſticis clarum, vtpote
Regium;& aſſumendum quod plus
erat dignitatis,& gratiæ habiturum
apud Gentiles, vtpote Romanum,
& in Romanis non ignobile.
Verſ 14. *Venerunt in Antiochiam*
13. *Piſidiæ.*] Enauigantes è Papho Inſu-
la appulerunt in illam Aſiæ mino-
ris partem,in qua Piſidia eſt, & ibi
ciuitas eiuſdem nominis cum ea,
quam in Syria reliquerant, Antio-
chia. Quæ non eo ſtudio Euange-
lium complexa eſt, ſicut ea de qua
pluribus antea.
14. *Ingreſſi Synagogam die Sabbatho-*
rum ſederunt.] Solitos eſſe Iudæos in
Synagogis ſingulis Sabbathis ali-
quid legere legis, & Prophetarum.
i.ſacræ Scripturæ,conſtat infrà ex
cap. 15. & 17. & poſtea hoc eodem
capite, vbi dicitur. *Ignorantes voces*
Prophetarum quæ per omne Sabbathũ
leguntur. Cùm autem quiliber dies
Sabbatum vocetur; exiſtimo tamen
diem Sabbathorum in numero multi-
tudinis vocari extremum totius
hebdomadæ, vtpote omnium cele-
berrimum.De hoc enim ſine dubio
ſermo eſt 1. Machabæorum 2. *Et*
conſtituerunt aduersùs eos prælium in
die Sabbathorum : & dixerunt, non
exibimus, neque faciemus verbum Re-
gis, vt polluamus diem Sabbathorum.
& ſtatim : *& intulerunt illis bellum*
Sabbathis. Hæc verò contigiſſe die
ſolemni Sabbathi docet Ioſephus
lib.12. Antiq.cap.8. Nicephorus lib.
1.Hiſt.cap.23.& Euthymius cap.68.
in Matth. Quòd ſi quilibet dies vo-
cari ſolet, aut poteſt *dies Sabbathorũ*,
qua alia nota dies hic, de quo Lu-
cas,ab aliis ſecernitur? At certè ap-
paret hîc aliquid ſpeciale deſignari
15. ab hiſtorico. Exiſtimo ſanè omni-
bus Sabbathis.i.ſingulis diebus ali-
quid legi in Synagogis;ita tamen vt

Sabbatha in plurali dies poſtremus hebdomadæ.

Synagogæ pro ſcholis ſumantur,ſicut
ſuprà cap.6.vidimus, vbi numeran-
tur *Synagogæ Libertinorum, Alexan-*
drinorum.&c.in quas concurſus fiũt
populi non tam Religionis, ac pie-
tatis; quàm diſcipulorum doctrinæ
gratiâ. Neque contrà faciunt illa ſa-
cræ Scripturæ loca,in quibus lex di-
citur per omne Sabbathum legi:
nam ibi propriè ponitur *Sabbathũ*,
id eſt,dies ſeptimus. qui quietis eſt.
Sanè Chriſtus Lucæ 4. ingreſſus
fuiſſe dicitur Synagogam die Sab-
bathi;quòd ſi de quolibet die ſermo
eſſet, otioſum videretur omnino il-
lud *Sabbathi.* Hæc verò quæ à nobis
dicta ſunt, confirmat apertè Ioſe-
phus lib. 2. contra Appionem non
longè à medio. *Moyſes*, inquit, *non*
ſemel legem ſuos audire voluit, ſed in
vnaquaque ſeptimana alia opera relin-
quentes ad legem audiendam congrega-
ri,eámque perfectè diſcere. Idem pro-
pè Philo lib.3. de Vita Moyſis pro-
pe medium. *Mos erat*, ait, *certis tem-*
poribus,præcipuè Sabbathis, operam da-
re ſtudio ſapientiæ Principe Doctoris
vice fungente, præmonſtrantéque offi-
cia, ſubditis autem in honeſtate profi-
cientibus,& mores, vitámque corrigen-
tibus. Quæ conſuetudo à maioribus ac-
cepta per manus, hodiéque durat apud
Iudæos. Et in legatione ad Caium.
Sciebat Tiberius Iudæos habere orato-
ria,& conuenire in ea,& maximè ſepti-
mo quoque die, quando publicè patriam
docentur Philoſophiam.
Verſ. 15. *Poſt lectionem autem le-*
gis,& Prophetarum, miſerunt principes
Synagogæ, &c.]Principes Synagogæ 16.
ſunt illi, de quibus ſuprà ex Philone,
qui Doctoris vice fũgũtur, præſúnt-
que conuentui. Illi ergo principes,
vbi viderunt Paulum,& Barnabam,
quos ex corporis habitu, & oris
grauitate Religioſos eſſe,neque in-
doctos ſuſpicati ſunt; facultatem
illis

Sabbathis Scriptura in Synagogis expoſita.

Quis princeps Synagogæ, & quod eius munus.

Digitized by Google

illis faciunt agendi ad populum, ſi modò ſermonis in illud tempus opportuni copia ſit. Quidā exiſtimāt, & quidē graues Scripturæ Interpretes, & in his Caietan. hîc, Toletus, & Maldonatus, vterque in cap. 4. Lucæ, cuilibet eſſe liberum in Synagoga loqui; quia Lucæ 4. de Chriſto dicitur. *Intrauit ſecundùm conſuetudinem ſuam in Synagogam, & ſurrexit legere.* Veruntamē, ſicut Paulus hoc loco non ſurrexit niſi inuitatus; ſic etiā probabile valdè eſt Chriſtū tunc inuitatum ſurrexiſſe: nā cùm Chriſtus Matth. 21. doceret in templo, principes Sacerdotum dixerūt. *Quis tibi dedit hanc poteſtatem?* quod non obiicerent ſi hoc ferret illarum gentium conſuetudo, quæ ſi cuilibet loqui in eo populi conuentu, aut ſapientum conſeſſu permitteret, omnia perturbatè fierēt, atq; cōfusè. Et ſanè, vt nuper ex Philone videtur poſſe colligi, hoc erat vnū ex præcipuis Archiſynagogi munerib.

Verſ. 18. *Per 40. annorum tempus*
17. *mores eorum ſuſtinuit in deſerto.*] Quo modo Deus 40. annis mores eorum ſuſtinuerit, & an diutiùs errauerint in deſerto, vide quæ pluribus diximus cap. 7. ad illud. *Nunquid victimas, & hoſtias obtuliſtis mihi?* Illud verò *ſuſtinuit*, optima explicatio eſt
Pſal. 94. verbi קוט quo vſus eſt Dauid Pſal. 94. quò ſine dubio reſpexit hîc Paulus, quod vulgatus reddidit, *proximus fuit*. Paulus verò alibi ad Heb. 3. *infenſus fuit*. Aquila & Symmach. *diſplicui mihi*. Hier. *diſplicuit mihi*. Sed facilis eſt harū verſionū cōciliatio: nā ſicut *viſitare* tā in bonā, quàm in malam partem accipitur: viſitamus enim aliquē bene de illo, & amicè merēdo, ſicut Domin⁹ viſitauit Eliſabeth; durè item, & hoſtiliter, ſicut
Proximū eſſe multa ſignificat. Dominus viſitauit Edom, &c. ſic etiam *proximum eſſe alicui* duobus modis fieri contingit, vel cū ab aliquo nō recedimus, quò illū tueamur, ſicut Dominus à dextris aderat Dauidi ne commoueretur; vel cùm alicui ita aſſiſtimus, vt non permittamus aliquid temporis habere à labore otioſum, vel à dolore vacuum. Qua ratione præpoſiti Ægyptiorum Iſraëlitis aderant. Vel certè vtriuſque rei gratiâ, ſicut pædagogus à nobili puero non recedit, quem vt contineat in his, quæ pudicos mores, & ingenuos decent, aſſiduè flagellat: ſic ergo Deus tanquam pædagogus aderat Iſraëli. Et verò illius populi nutritium ſe vocat Oſeæ cap. 11. *Et ego ſicut nutritius Ephraim*. Vt ergo pædagogus infenſum ſe oſtendit, dum caſtigat, licèt ex amore naſcatur illa correctio, & ſuſtinet cum magna interdum moleſtia, atque faſtidiò prauos pupilli mores, à quo tamen neque veſtigium recedit vnum, puniens aſſiduè, neque inflecti ſinens pronam in omnem improbitatem naturam; ſic Deus proximus illi populo & ceruicoſo, & ad omnem intemperantiam procliui, mores ſuſtinuit exaſperantes, ita puniens infenſus, vt tamen parentis animum non abiecerit. Ex his habes quomodo infenſus Deus, & proximus eiſdem eſſe potuerit.

Verſ. 19. *Et deſtruens gentes ſeptem de terra Chanaan, ſorte diſtribuit*, &c.
Septem iſtæ nationes ſunt, quæ numerantur Deut. 7. & Ioſue 3. Hethæus, Gergezæus, Amorrhæus, Chananæus, Phereſæus, Heuæus, Iebuſæus. Iuſtè autem hi expulſi ſunt, & eorum ſedes ab Hebræis occupatę, tum propter iniquitates iam completas. Geneſ. 15. tum quia loca illa iam olim debebantur Hebræis; quia, vt dixit Clemens libro 1. Recognit. Regiones illæ obuenerant Sem filio Noë; occupauit autem violēter Cham. Quare Hebræi 18. Septē nationes in terra promiſſionis.

qui genus ſuum trahebant à Sem, non inuaſerunt alienam iniuſtè, ſed iuſtè ſuam poſſeſſionem adierunt.

Quomodo terra diſtributa.

Quomodo verò ſors cuique tribui ſuam deſcripſerit regionem, non eodem omnes modo explicát. Quidam vbi primùm terra, & variè diuiſa, & certis finibus deſcripta eſt, in vrnas putant coniectas eſſe ſortes, & per has quamlibet familiam, & tribum ius in aliam, atque aliam regionem habuiſſe. Vtcumque ſe res habeat; neque enim certi quicquam eſt; conſtat ex hoc loco, & Gentes has à Deo eſſe deletas, quia non tam Hebræorum gladio res peracta eſt, quàm Dei conſilio, atque potentia. Pſalm. 43. *Neque enim in gladio ſuo poſſederunt terram; & brachium eorum non ſaluauit eos*; & ab eodem regiones illas ſorte diſtributas, quia licet à Ioſue cap. 18. miſſæ fuerint ſortes: ſic enim ibi de Ioſue poſtquam deſcripta eſt terra. *Qui miſit ſortes coram Domino in Silo, diuiſitq́; terram filiis Iſraël.* Tamen Dominus temperauit ſortes iuxta illud Prouerb. 16. *Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur*; aut alio modo ſignificauit diuiſionem illam ſibi probari. Vt enim Iacobo olim oſtendit, quam quæuis familia ſortem habitura eſſet in terra promiſſa, eámque in benedictionibus filiis ſuis moriturus prædixit; ſic nunc idem ſorte, vel oraculo (nam vt capite 1. diximus, *ſors* oraculum etiam eſt) hoc idem ſignificauit eius poſteris.

Verſ. 20. *Quaſi poſt 450. annos.*]
19. Variè hic locus exponitur accommodatè ad lectiones diuerſas textus Latini, & Græci, qui non ſatis videntur conuenire. Græcus ante illud, *quaſi poſt 450. annos*, collocat illud, *& poſt hæc*. Ex quo quiuis facilè colligit à diſtributa terra vſque ad tempora Samuëlis intereeſſiſſe 450. annos. Græcam lectionem, ſeu diſtinctionem ſequitur Gagneius, & ſubducta temporum ratione annos colligit 446. Iulius Hilarion multo plures. Caietanus errorem eſſe putat in Græco codice, & ita ſtatuit inter Ioſue, & Samuëlem 350. interpoſitos. Idem cenſet Canus lib. 11. de locis cap. 11. Res ſanè varia eſt, & incerta, quia ex Scriptura non conſtat quot annis multi Iudicum populo præfuerint. Sed mihi certum eſt, errorem aliquem eſſe in Græco textu, non quidem in numero annorum; ſed in tranſmutatione dictionis: cùm enim eſſe debuerit illud, *& poſthac*, non ante, ſed poſt 450. *annos*, vt habet vulgatus, poſuit tamen ante, & mutatione ad ſpeciem non magna magnos excitauit motus.

Quòd verò hîc nō agatur de tē- 20.
pore inter Ioſue, & Samuëlem interpoſito, ſed de alio quodam, ex eo fit clarum, quia templum ædificari cœpit, vt habes lib. 3. Reg. cap. 6 anno 480. ab egreſſu Iſraël ex Ægypto. Si hinc deducas annos 50. ab exitu vſque ad terram diſtributam; & 40. quibus præfuerunt Samuël, & Saül; & totidem quibus regnauit Dauid, & 4. quibus regnauit Salomon, antequam cœptum eſſet ædificari tēplum; planè efficitur multo minorem eſſe ſummam, quæ pro tempore Iudicū ſupereſt, quàm quæ hîc aſſignatur; ſi enim annos 134. qui cōflantur ex prædictis numeris ab annis 480. deducas, reliqui ſunt anni 345. non 450. Quod aliter fit etiā manifeſtum; nam ſi 450. anni ſunt à tempore Ioſue, id eſt, à diuiſa terra ad Samuëlem, ſequitur multo plures annos, quàm 480. eſſe ab egreſſu ex Ægypto vſque ad templi fabricam. Nam ſi addas 50. annos, qui præceſſê

Digitized by Google

præceſſère terræ diuiſionem, & 40. quib.regnauerũt Samuël, & Saül, & totidem Dauid; & 40. qui in Salomonis Regno præceſſerunt tẽpli cõſtructionem, conſequens eſt, vt fuerint non 480. vt dicitur 3. Reg. cap. 6. ſed 584.

21. Spatium à nato Iſaac vſque ad diuiſionem terram. Quare dicendum eſt hîc ſtatui ſpatium à nato Iſaac vſque ad promiſſæ terræ diuiſionẽ, vt latè probauimus c.7. vbi de mora in Ægypto poſita dictum eſt; & ita putant Beda, Lyra, Hugo, Carthuſianus, Salmeron, Gedebrardus in Chronico. Hi autem anni non ſunt numerandi à promiſſione terræ Chanaã, quia addendi eſſent alij anni 30. ſed à nato Iſaac, qui totidem annis à promiſſione natus eſt. Qua ratione Stephanus c. 7. 400. annos numerauit vſque ad libertatẽ ex Ægypto; quinquaginta verò, qui nunc adduntur, conflantur ex quadraginta, quib. popul⁹ errauit in deſerto, & decẽ aliis, quos in debellandis hoſtib. ac terra diuidenda conſumpſit Ioſue.

Et poſt hæc dedit Iudices vſque ad Samuël Prophetam.] Mortuo Ioſue poſt ſuprà dictum annorum ſpatiũ, præpoſuit Deus Iudices Iſraëli, quorum arbitratu, atque iudicio res adminiſtraretur Iſraëlitica. Durauit autem horum adminiſtratio, vt ex dictis conſtat, annos 346. Neque hîc numero annos, quibus iudicauit Samuël.

22. Quot annos regnauit Saül. Verſ.21. *Et dedit eis Saül filium Cis virum de tribu Benjamin annis* 40.] De annis quibus regnauit Saül in Iſraël variæ ſunt ſententiæ. Quidam ſic accipiunt hunc locum, vt ſonat ſimpliciter litera, nẽpe quadraginta annos regnaſſe Saül. Ita Aug. lib. 18. de ciuit. c. 20. & lib. 17. c. 7. Quintus Iulius Hilarion de mundi duratione in appendice Bibliothecæ. Salmerõ Proleg. 14. formula 17. & Legionenſis in c.2. ad Galat. vbi tradit 39. annos regnaſſe Saül, & obiiſſe ſeptuagenarium. Idem pene Ioſephus, qui in extremis verbis lib. 6. Ant. tradit Saülem viuente Samuële regnaſſe 18 annos, & eo mortuo viginti. i. 38. Alij communiter 40. hos annos ex annis Samuëlis, & Saülis conflari putant.

In re maximè dubia hoc mihi primùm videtur certum, 40. annos, de quibus hîc Paulus, impleri ex annis, quibus Samuël, & Saül populo præfuerunt. 23. Nõ regnauit Saül 40. annos. Nam quòd Saülis Regno 40. anni tribuendi non ſint, ex eo fit plus quàm probabile, quià cũ annis multis neceſſariò iudicauerit Samuël, ſi omnes 40. annos aſcribas Saüli, plures anni erũt ab egreſſu filiorum Iſraël ad templi fabricã, quàm numerantur 3. Reg. c. 6. illi nempe, quib iudicauit Samuë. Item quia ſi Dauid vnctus eſt in Regem 2. anno Saülis, eo nempe quo reprobatus eſt Saül, vt eſt communis, & vera ſententia, id eſt, 38. annis ante illius interitum; cùm Dauid tricenarius Regnũ ſuſceperit mortuo Saüle, vt liquet 2. Reg. c. 5. fit illum multo antè creatum eſſe Regem, quàm natum. Item quia Saül Imperium videtur ſuſcepiſſe non minor quadragenario, cùm filium habuerit ea ætate, vt præeſſe potuerit mille viris. 1. Reg. 13. *Erant cum Saül duo millia in Machmas, & in mõte Bethel, mille autem cum Ionatha in Gabaa.* Obiit ergo octogenarius, ſi acceſſerunt Regni totidem anni. Sed Scriptura de Saüle loquitur, vt de robuſto. Neque tot annos habebat Dauid, quando ſeptuagenarius obiit, tamen iam erat inutilis bello, & indutus veſtib. non poterat calefieri.

Videtur autem hoc loco Paulus 24.
Samuëlis, ac Saülis tempora voluiſſe coniungere, quia etiam

Anni 40. conſtat ex Imperio Samuëlis, & Saül.

hæc tempora à libris Iudicum excluſa, in libros Samuëlis (ſic enim ab Hebræis vocantur primus, & ſecundus Regum) collata ſunt. Duo autem hi libri fermè 40. hos annos complectuntur. Separauit autem Paulus Samuëlem ab aliis Iudicibus, quia ille etiam à libro Iudicum excluſus eſt: quare quodam modo iā ad Reges pertinet. Neque, credo, huic cogitationi noſtræ incommodat, quod etiam in primo Regum inuenitur Heli, qui quadraginta quoque annos iudicauit Iſraël: tum quia ille ad tempora pertinet Samuëlis, cuius præſertim gratiâ de eo inſtitutus ſermo; tum quia exiguum eſt admodùm quod de Heli proditur; & de illius Regno tunc agi cœptum, quando iam multi anni, & Regni, & ætatis exacti fuerāt.

Quando iam conſtat 40. annos conſtitui ex Samuëlis, ac Saülis Imperio, videndum eſt quot anni adſcribendi ſint Saüli; de quo maior eſt controuerſia. Quidam illius ſpatij tempus ex æquo diuidunt; nam cùm duraſſe conſtet ex hoc loco 40. annos, neque ſeorſum de vtriuſlibet tempore quicquam dicatur, commodum viſum eſt æquale ſpatium vtrique annumerare, & hoc pene communiter.

25\. Samuël præfuit annos 38. Saül duos.

Mihi veriſimius eſt regnaſſe Samuëlem 38. annos; Saülem verò tātùm duos. Quàm ſententiam ſequitur Arias Montanus in lib. de ſæculis, & in hoc loco Gerardus Mercator in Chronico. Adrichomius in anno mundi 2850. Quæ ſententia eſt Hebræorum in Seder Olā c. 53. & Rab. Abraham in Hiſtoria Cabbalam. Quod, meo iudicio, clarè indicat illud 1. Reg. c. 13. *Filius vnius anni erat Saül, cùm regnare cœpiſſet, & duobus annis regnauit ſuper Iſraël.* Vbi cū reliqua quæ adiacent, propriè dicantur, nō eſt cur exiſtimemus hæc eſſe dicta figuratè. Neque cùm primùm de Saüle iam Rege ſcribi cœptum eſt, obſcuris, & impropriis verbis actum oportebat. Sed neque Samuëlem minus 38. annis regnaſſe, neque Saülem plus duobus, multæ, & graues coniecturæ ſunt. De Samuële cōſtat ab ætate iuuenili ſumpſiſſe populi gubernacula, vt docet 26.
ipſe 1. Reg. c. 12. vbi cùm vitam ſuam examinādam traderet populo, vitā, inquam, ex quo Iudex eſſe cœpit in Iſraël (nam à ſe illa ſcelera, aut iniurias repellit, quæ à potentioribus in inferiores admitti ſolent) ſic agit ad populum. *Itaque conuerſatus coram vobis ab adoleſcentia mea vſque ad hāc diē, ecce preſtò ſum.* Ex quo loco Abul. & Dionyſius, & alij communiter colligūt Samuëlem ab adoleſcentia gubernaſſe Iſraël. Quod etiam ex hoc fit veriſimile: nam quo tempore mortuus eſt Heli, & Arca à Philiſtæis capta, paruus erat, vt habes 1. Reg. c. 3. & 4. Arca verò ſeptimo poſtquam eſſet capta menſe reſtituta; anno dehinc vigeſimo inuenitur Samuël iudicaſſe. 1. Reg. cap. 7. An verò tunc primùm regnare cœperit ex Scriptura nihil habemus expreſſum: ſed eſt mihi plus quā probabile, ante illud tēpus iniſſe Magiſtratum; neque enim tunc electus eſſe traditur, ſed iudicaſſe, & conuocaſſe populum, quod non priuatæ, ſed publicæ auctoritatis eſt.

Quòd paulo poſtquam extinctus eſt Heli, conſtitutus fuerit Samuël 27.
Sacerdos, & Iudex, indicari videtur 1. Reg. 2. nam ſtatim atque per virum Dei prædicta eſt Heli filiorū cædes, ſubditur; *Et ſuſcitabo mihi Sacerdotem fidelem.* At dices, paruulus erat Samuël, neque aptus Imperio. Ita Sanè cùm Heli domus ſuæ calamitatem, & vaſtitatem prædixit,

xit, ſed ante illam cap. 3. dicitur; *Creuit autem Samuël, & Dominus erat cum eo.* Ex quo fit veriſimile, inter vaticinium Samuëlis, & vaſtitatem domus Heli aliquot annorum ſpatium interceſſiſſe; niſi dicamus præteritum perfectum, quod in Scriptura ſacra frequens eſt, vt multis probat Salmeron Proleg. 15. Reg. 4. ſumptum eſſe pro pluſquam perfecto, hoc ſenſu. Quando hæc prædixit Samuël, iã creuerat. Quòd ſi ætate adhuc immatura Imperio creatus eſt Iudex, mirandum non eſt, cùm eodem cap. 3. toti populo exploratum eſſet, quid à Samuële ſperari potuerit. *Cognouit vniuerſus Iſraël à Dan vſque Berſabe, quòd fidelis Samuël Propheta eſſet Domino.* Deinde ſi longum eſſet interregnum inter Samuëlem, & Heli, nõ tacuiſſe Scriptura, quæ in libris Iudicum ſæpe tradit defeciſſe Iudicem, populúmque ſuo arbitratu vixiſſe. Iudic. 17. v. 6. cap. 18. n. 1. & n. 31. cap. 21. n. 25.

28. Si ergo huic ætati, quæ ſanè non potuit eſſe non iuuenilis, viginti annos, qui communiter Samuëlis Magiſtratui aſcribuntur, adiicias, quid tantùm habere potuit ætatis, vt propter ſenectutem (neque enim alia proponitur cauſa) minùs idoneus fuerit adminiſtrandæ Reipublicæ? Multo ſanè grandior eſſet Saül, ſi illius Regno 20. annos attribuas, cùm ad Regnum acceſſerit ea ætate, vt filium habuerit Ionatham, quem propter ætatem mille viris præficere potuerit. 1. Reg. 23. neque tamen hic propter ætatem cenſebatur rebus publicis, ac bellicis parum idoneus. Si ergo impediri ſe dicit Samuël ſenectute, quominùs publica munera ſuſtineat, neceſſe eſt longius illi demus ſpatium in Magiſtratu quàm annorum viginti.

Quòd Saül cum Imperio 20. annis eſſe non potuerit, hæ coniecturæ indicant. Prima, quia ſi ſecundo anno, vt multi exiſtimant (ego primo verius eſſe reor) peccauit Saül, quia duobus, inquiunt, annis purè vixit ſicut puer vnius anni: & tunc dictum eſt à Domino per Samuëlem 1. Reg. 13. *Quæſiuit Dominus virum iuxta cor ſuum, & præcepit ei Dominus, vt eſſet Dux ſuper populum ſuũ, eo quòd non ſeruaueris quæ præcepit Dominus;* nimiùm eſſet dilatum ſupplicium, ſi tanto tempore poſtea regnaſſet Saul: imò quid ſupplicij ſubiiſſet, ſi illa ætate ſublatum eſſet illi Regnũ, in qua Samuël illud ſuſtinere non poterat? nam tunc eſſet ſine dubio Samuële grandior, cùm ætate multo prouectior Regnum iniiſſet, & totidem annos poſuiſſet in eo moderando. 29. *Saül non potuit regnare 20. annos.*

Adde quòd ſecundo illo anno, quo Saul innocens eſſe deſiit, vnctus eſt à Samuële Dauid, qui 2. Reg. cap. 5. Regnum ſuſcepiſſe ſcribitur anno ætatis ſuæ trigeſimo. Quòd ſi interceſsêre 18. anni Regni Saülis, ætatis ſuæ anno 12. Rex eſt deſignatus Dauid, quod ſanè videtur non eſſe credibile. At dices paruulum vocari Dauid, quando vnctus eſt; fateor vocatum eſſe paruulum: ſed eodem modo dictus eſt paruulus, quando è domo paterna euocatur, vt exagitato à dæmone Regi cantu ac cithara ſubſidio eſſet; & tamen tunc dicitur 1. Reg. 16. *fortiſſimus robore, & vir bellicoſus, & prudens in verbis.* Puer item vocatur capite decimoſeptimo, & tamen illi traduntur arma Saülis, quæ non reciciuntur, quia pro corporis magnitudine grandia, ſed quia vſum armorum nondum habebat. Et ante hoc tempus armiger conſtitutus eſt à Saül 1. Reg 16. 30. *Non erat ætate paruus Dauid quãdo vnctus à Samuele.*

Digitized by Google

quod munus non ætati teneræ, atque infirmæ committi ſolet. Neque adeò paruus erat Dauid, quando ſibi induit veſtimenta. quæ beneuolentiæ gratiâ Ionathas ætate grandis ſibi detraxerat. Indicat verò nō adeò paruum eſſe Dauid, parentis ætas, de quo 1. Reg. 16. traditur quòd eſſet *vir ſenex, & grādæuus inter viros*, id eſt, omnium virorum illius ætatis maximè ſenex. Viri autem adeò ſenis filium, etiamſi ætate minimus omnium ſit, grandem eſſe nonnulla coniectura eſt. Chronologia certè Hebræorum, quæ dicitur Seder Olam, cap. 13. Dauidem tradit vnctū eſſe à Samuële anno 1. Saül, & anno 21. ætatis ſuæ. Ego grandiorem fuiſſe puto.

31. Regul. Paruulus cōparati vè ſumitur, id eſt, omniū minimus, licèt abſolutè magnus.

Quò verò hæc, quæ impedita ſunt, & alicui noua videri poſſunt, magis confirmentur. obſeruandum maximè eſt, vocem Hebr. קטן *katon*, pro qua locis citatis de Dauid noſter Interpres reddit *paruum*, aut *paruulum*, non ſolùm ſignificare quod paruum eſt abſolutè, ſed etiā quod minus eſt comparatione aliorum, etiamſi abſolutè magnum ſit. Exempla ſunt plurima. Gen. 1. vbi vulgatus vocat Lunam, *luminare minus*. Heb. קטן *katon*, quia licèt cōparatiuè minus ſit, abſolutè tamen magnum eſt: & 2. Paralip. 21. vbi noſter de Ioachaz, *qui minimus natu*. & 3. Reg. 12. vbi *digitus Roboam minimus*, & Geneſ. 29. vbi Rachel appellatur *minor*; vtrobique vox eadem eſt, קטן *katon*, quæ *paruum* ſignificat. Sed eſt ex exemplum optimum Geneſ. 42. vbi ſæpè Benjamin paruulus dicitur, Heb. קטן *katon*, quia nimirum fratrum minimus; nam abſolutè tunc magnus erat, triginta nimirum & quatuor annorum, & eo ampliùs, qui quādo paruulus vocatus eſt, decem ſuſceperat filios. Geneſ. 46. nam tot ingreſſi dicuntur cum Iacob in Ægyptum. Ad hūc omnino modum Dauid ſæpe paruulus dicitur, nempe קטן *katon*, nō quia non magnus & ætate, & corpore; ſed quia minimus natu.

Sed eſt adhuc quod obiicias huic ſententiæ; nam ſi non multi anni interceſsêre inter illud tempus, in 32.
quo exagitatus à dæmone Saül leuabatur pſallente Dauid, atque illud, in quo rediit, vt ſingulari certamine confligeret cum Goliath; quomodo Saül illum nō cognouit, cùm de eius ſtirpe rogat? Ex quo veriſimile eſt magnam cum ætate factam quoque fuiſſe formæ mutationem. Reſpondent aliqui eam fuiſſe cauſam, quæ nunc proponitur, & in his eſt Aug. citatus ab Abul. qui dicit creuiſſe Dauidi barbam dum abeſſet, & cum ipſa aliquo modo mutatam eſſe formam. Idem Caietanus in 1. lib. Reg. cap. 17. & Abul. ibid. q. 40. Theodoretus putat q. 42. quia quo tempore pſallebat Dauid, Saül malo exagitabatur ſpiritu, ideo ab hoc illum non eſſe cognitum. Non longè ab hac ſentētia Carthuſianus eſt, qui putat Saüli ex frequenti dæmonis vexatione debilem fuiſſe memoriam, & imaginatiuam facultatem impeditam. Nam de Abner, quòd illum non nouerit, nihil mirandum, cùm rei militaris cura, cui præerat; in caſtris potiùs ſub pellibus illum continuerit, quàm in palatio. Hæ fortaſſe poſteriores cauſæ graues eſſe potuerunt, vt Saül Dauidis antea ſibi noti, & familiaris memoriam depoſuerit. Sed potuit hoc prouenire potiùs, quod etiam viſum eſt Abulenſi, ex mutatione habitus, & veſtium; nā qui priùs lautiori vtebatur cultu, vtpote Regius puer, tunc ruſticis pellibus, & paſtoritio habitu indutus erat cum baculo,

Digitized by Google

baculo, funda, & pera, longè nimirum alier à ſeipſo. Et quemadmodũ nos, quem familiariter nouimus in ſæculari habitu. poſtea ſi qua ſtatus mutatio fiat, nõ agnoſcimus in monachali. Sic Saül, quem probè nouerat vrbanum, & elegantem, eundem nunc ruſticum, incultum, & horridum ignorat. Adde, quòd Reges neque prope, neque attentè, aut otiosè illos intuentur, quorum cultus ſplendidus non eſt; maximè quia & Reipublicæ cura, & bellorũ perturbatio, & pręſens metus attentionem, & oculos aliò abripiebant. Neque eſt improbabile Sauli cognitum eſſe Dauid propter ſuperiorum temporum officia; ignoraſſe tamen eius tribum, & nobilitatẽ, & de ea quæſiiſſe, quod non obſcurè indicat textus ipſe, quia plurimùm intererat, de qua tribu eſſet, cùm ex pacto filiam ſuam illi daturus eſſet vxorem.

33. Alia ratio, eáque grauiſſima, meo
1.Reg.13. iudicio, ſumitur ex lib. 1. Reg. cap. 13. vbi duabus tantùm annis regnaſſe dicitur Saül. *Filius*, inquit, *vnius anni erat Saül, cùm regnare cœpiſſet, & duobus annis regnauit ſuper Iſraël.* Sed multi hunc locum in alium ſenſum aut accipiunt, aut contorquẽt. Quidam *Saül* in datiuo caſu ſtatuunt, & dicunt Saüli, quando Regnum iniit, fuiſſe filium vnius anni, qui mortuo Saüle duobus regnauit annis. Hunc autẽ fuiſſe Iſboſeth, de quo 2. Reg. c. 2. *Quadraginta annorum erat Iſboſeth filius Saül, cùm regnare cœpiſſet ſuper Iſraël, & duobus annis regnauit.* Sed hæc ſententia ſtatuit quadraginta annos regnaſſe Saül, quod ab omnibus ferme exploditur. Neque videtur cur hoc loco de Iſboſeth ſermo eſſe debuerit, de quo ad caput vſque 2. lib. 2. mirum ſilentium. Genebrardus in Chronico anno 3106. putat hunc eſſe ſenſum; vtar enim eius verbis. *Poſt annum à ſua electione, de qua cap. 10. regnare cœpit; cùm autem regnaſſet duobus annis, elegit ſibi tria millia; nempe duobus primis Regni annis ſat habuit vitare inuidiam*, &c. Sed ſanè non video cur vnus ab electione annus intercedere potuerit ante Regnum initum; cùm ſtatim ab vnctione Samüel conuocarit populum, & Rex publicè ſalutatus, & acclamatus fuerit. Neque diu celare debuit Samuël Regis electionem, cùm inſtaret populus, ac Regem ſibi dari inſtar aliarum gentium penè conuicio efflagitaret. Poſt menſem verò ab electione, ſeu acclamatione, vt conſtat ex cap. 11. bellum geſſit contra Naas Ammonitem, cuius euẽtu feliciſſimo animos omniũ ſibi conciliauit. Quare neceſſe non fuit, plus temporis aſſumi ad ſedandam inuidiam, ſi qua fuit. Neque eſt veriſimile animos excitatos, & alacres ex recenti victoria, tam Regis, quàm aliorum inerti otio duos annos vacuos omnino à rebus gerendis habituros.

Alij putant ideo dici Saül duobus annis regnaſſe, quia ſecundo anno ab eius electione vnctus eſt Dauid in Regem; atque ideo ab eo tempore Rex eſſe deſiit legitimus. Sed hæc ratio non admodùm premit, quia illa tantùm fuit deſignatio quędam ad Regnum ſuo adeundum tempore, non Regni poſſeſſio: neque deſignatio illa populo nota, neque à quoquam Rex appellatus; licèt ex rebus ſanctè, ac feliciter geſtis, communiter ab omnibus, atque adeò ab ipſo Saüle Rex aliquando futurus exiſtimaretur. Accedit quòd Dauid 40. annos regnaſſe traditur 2. Reg. 5. extincto Saül. *In Hebron regnauit ſuper Iudam 7. annis, & ſex menſibus; in Ieruſalem au-*

tem

tem regnauit triginta tribus annis ſuper omnem Iſraël, & Iudam. vbi aliis annis, qui ſumi potuerunt à Regno illegitimo Saül, non eſt locus. Quare cùm alij anni, neque ipſi Saül, neque Dauidi ſint aſcripti, ſatis eſt veriſimile eos nullos fuiſſe.

35. Saül primo anno Imperij ſui reprobatus.

Alij communiter multi, ac magni nominis authores agi hîc putant de iis annis, in quib. ſanctè, atque ſimpliciter regnauit Saül: nam exacto biennio non iam Regium, & humanum egit, ſed impium, atque Tyrannicum agitauit Imperiũ. Sed non puto peccatum Saül, de quo 1.Reg. 13. propter quod audire meruit. *Nequaquam Regnum tuum vltrà conſurget; quæſiuit Dominus ſibi virum iuxta cor ſuum,* &c. contigiſſe ſecundo anno ab Imperio ſuſcepto; nam nimis eſſet ſegnis Rex nouus, & ſi non inſolens, at certè alacer ex victoria, ſi tãdiu deſideret otioſus; & curſus ipſe hiſtoriæ nõ indicat tãtũ temporis à bello vacui interceſſiſſe: ſed potiùs primo; nam illud bellum fuit ſecundum quod geſſit Saül, in quo audiuit à Samuële tranſlatum eſſe Regnum ad alterum.

Sed ſanè videtur difficile creditu cùm in aliis Iudicibus, ac Regibus, anni ſimpliciter poſiti ſint, quibus ipſi regnarunt ad cognoſcenda, diſtinguendáque tempora, texendámque ſacram hiſtoriam, hanc legem communem omnibus in vno Saüle defeciſſe. Neque vnus fuit Saül, qui bene auſpicatus, ſceleratè tamen concluſit Imperium; neque tamen ideo anni illi extremi prætermiſſi ſunt, vt in Salomone conſtat.

36. Eſt ergo huius loci ſenſus, iuxta ſententiam ſuprà à nobis indicatam, inchoaſſe quidem Saül Regnum, cùm ea eſſet ſimplicitate morum atque candore, quam habere ſolet infans vnius anni, quia nimirum vita priuata, & à publicis curis aliena, ſimplices alit, atque candidos mores. Vbi autem mutata fortuna eſt, ſic eſt ingenium quoque mutatum, vt altero anno Regni ſui ſuo magno merito à Regno ſit depulſus. Vbi obſerua Scripturæ more notam ſimilitudinis omitti, quam ſi addideris, ſenſus erit facilis; tanquam filius vnius anni erat Saül. Canus lib. 11. de locis cap. 5. ad 12. corruptos eſſe codices putat, & legendum non *filium vnius anni*, ſed *filium viginti atque vnius.* Sed quomodo ea ætate filium habere potuit quem mille viris præficeret? Quare non eſt cur codex, qui conſtanter habet *vnius anni*, mutari debeat.

Quòd ſi verum eſt, quod nonnulli non improbabiliter exiſtimãt; 37.
Prophetiam de Benjamin Geneſ. 49. qua dicitur *lupus rapax manè comedit prædam, & veſperi diuidit ſpolia,* (Gen. 49.) intelligendam eſſe de Saül, qui fuit de illa tribu; indicatur ſatis illius Regni breuitas, quod manè cœpit, & floruit; ſed ſtatim adueſperaſcente die cõſummatum eſt. Solet autem ſpatium eorum, quę citò euaneſcũt, ac pereunt, manè, & veſperè finibus circumſcribi. Iſai. 38. *de manè vſque ad veſperam finies me* & Pſalm. 89. *manè floreat, & tranſeat, veſperè decidat, induret, & areſcat.*

Sed antequam hinc expediamur, 38.
Quomodo quæ de Saüle ſcripta bienio fieri potuerint.
duo nobis explicanda ſunt, quæ pleroſque adduxerunt, vt laxum ſpatium aſſignarent Saülis Imperio. Alterum eſt, quia tot prælia à Saüle pugnata non videntur biennali ſpatio confici potuiſſe. Sed qui expenderit proximum eſſe hoſtem, prompta Iſraëlitarum ſtudia, & bellum comparari, & conſeri cum hoſte vicino facilè poſſe, non ſanè vltra biennale ſpatium longiorem

motam

Digitized by Google

moram deſiderabit. Huius rei argumentum erit bellum primum, quo ſuperatus eſt Naas Ammonites, quod vno, & altero die comparatum eſt, & illatum cum inſigni Ammonitarum cæde. Sic ergo reliqua peragi potuerunt multo faciliùs; cùm iam eſſent habiti delectus, expedita arma, & res militaris ſuis ordinibus, præfectiſque digeſta, & miles ex victoria alacrior; Imperator antea rudis, iam vſu doctior, iniectus hoſtibus timor, & aditus iam apertus victoriis.

39. Saül iam grandis natu Regnũ iniit.

Alterum eſt, quia extincto Saül filius eius Iſboſeth quadragenarius eſſe dicitur 2.Reg.2. Ex quo efficitur iam ſenem Saülem ad Regnum eſſe vocatum; ſenilis autem ætas non admodùm idonea eſt bellis adminiſtrandis. Reſpondeo, ita omnino eſſe dicendum: nam Ionathas quãdo pater Regnum ſuſcepit, iam erat exercitui adminiſtrando maturus; quare ab ea ætate non longè aberat. Et cùm in bello non valeant Ducis tam vires, ac lacerti, quàm prudentia, conſilium, & authoritas, quæ in ætate ſenili plerumque ſunt, oportuit plebi non admodùm pacatæ Ducem præponi, in quo cum ætate iam grandi prudentiæ laus, & conſilij maturitas inueniretur: neque enim alia in re commendari poſſe videbatur homo ante tempus illud ignotus. Quare ſuſcepiſſe videtur Regnum Saül annos natus 58. aut eò circiter: nam anno ætatis ſuæ 18. ſatis potuit generare filium; cùm longè natu minores alij per id tempus generaſſe dicantur. Vt enim docet Hieronymus epiſt 131. ad Vitalem, Salomon decimo anno ætatis genuit Roboam, & eodem anno ab Achaz genitus eſt Ezechias. Quòd ſi Philoni de Antiquitatibus Biblicis habẽda eſt fides, multo prouectioris ætatis erat Saül, quando regnare cœpit. Nam interfuiſſe tradit illi bello, in quo ſub Heli à Philiſtęis capta fuit Arca Dei; ad cuius ætatem, quam prouectam eſſe oportuit, vtpote non immaturam militiæ, acceſſit totum Samuëlis Imperium, quod, vt probatum eſt ſuprà, paucorum annorum non fuit, cùm illud inierit adoleſcens, & in eo conſenuerit. Adde quòd fortaſſe Isboſeth non habuit 40. annos, ſed 38. aut etiam pauciores: nam frequentiſſimum eſt in ſacra Scriptura minores numeros omitti, qui vel excedunt plenum, & perfectum numerum, vel ab eo deficiunt; & tantùm adhiberi perfectos, qui vero, ac certo numero propiores ſunt. Qua de re nos pluribus cap.1. ad illud. *De omnibus*; quam regulam tradidit Aug. quæſt. 47. in Exod. Vide aliqua exempla apud Salmeronem Proleg. 11. quinquagena 3. can. 50.

Verſ. 22. *Virum ſecundùm cor meum.*] Hæc ſumpta ſunt ex libr. 40. 1.Reg.13.
1. Reg. cap. 13. Dauid autem ideo fuiſſe ſecundùm cor Dei dicitur, vt bene Abul. in illum locum, quia ea quæ volebat cor Dei, volebat cor iſtius, & exequebatur ea. Et hanc credo germanam huius loci ſententiam; quia Saüli, qui minùs Deo obſequens fuit, opponitur Dauid diuinæ voluntati obſequentiſſimus; & oſtendit ipſe Dominus, qui ſtatim ſubdit. *Qui faciet omnes voluntates meas.* Quæ verba, iuxta ſacræ Scripturæ morẽ, fortaſſe per epexegeſim, ſunt explicatio verborum præcedentium: ille enim eſt ſecundùm cor Domini, qui totum ſe ad eius voluntatem finxit, &, quò illam expleat, negauit ſuam. Talis verò non fuit Saül, qui non tam Dei conſilio, quàm ſuo arbitratu rem

moderabatur bellicā, & publicam. Hæc porrò extrema verba in lib. 1. Reg. ſuprà non ſunt, ſed non eſt dubitandum fuiſſe à Deo dicta, ſicut alia multa, quæ à ſacris, & canonicis hiſtoricis omiſſa ſunt, & ab aliis poſterioribus addita. Vide quæ ſuprà diximus in illud cap 1. *Quia Ioannes quidem baptizat aqua.* Eſt autem mihi maximè probabile, ſermonem

41. In quo Dauid ſecundùm cor Dei.

hîc eſſe nō de omni voluntate Dei, ſed de illa, quæ ad Regni, bellorúmque adminiſtrationem pertinebat, vt ex cauſa reprobati Saülis facilè coniicitur. *Eo*, inquit Samuël, *quòd non ſeruaueris quæ præcepit Dominus*; præceperat autem, vt habetur cap. 10. vt expectaret ſeptem diebus in Galgalis. Vbi obſeruandum hoc eſſe primum preceptum, quod Saüli iam Regi impoſitum eſt, & ideo eius violatio tā ſeuerè mulctata eſt. Nā quemadmodum primus homo punitus omnibus hominibus documento fuit, quàm Domino peccata diſpliceant; ſic etiam qui primus Regiam dignitatem obtinuit in populo Dei, omnibus Regibus oſtendit propter inobedientiam ſpoliatus Regno, quàm grauia ſint Regum peccata. Huius ergo inobediētiæ opponitur obedientia Dauidis, qui ſpecialia ipſi in publica gubernatione mandata propoſita, tam promptè, & conſtanter executus eſt. Fuerunt tamen aliæ Dei voluntates, à quibus receſſit non ſemel Dauid, propter quæ expertus eſt Deum ſeuerum vindicem; probant Berſabee adulterium, Vriæ cædes, populi numeratio. Sed hæc non fuerunt contra præcepta vni Dauidi Regi præcipua, ſed omnibus hominibus communia.

42. Hæc explicatio magis mihi videtur ad literam, licèt alia etiā occurrat nō aliena, iuxta ea, quę c. 1. notata ſunt ad illud. *De omnibus ô Theophile.* Nam ſi in magno numero pauca deficiunt, vniuersè aliquid dicitur fieri. Sic hoc loco, quia Dauid diuina præcepta in corde abſcondit, ne peccaret, eáque toto vitæ tempore accuratiſſimè ſeruauit, etiamſi aliquando grauiter offenderit, omnes tamen Dei voluntates ex Scripturæ more feciſſe dici poteſt. Nam de eo dicitur 3. Reg. 15. *Eo quòd feciſſet Dauid rectum in oculis Domini, & non declinaſſet ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ ſuæ, excepto ſermone Vriæ Hethæi.* Ad perpetuum ergo vitæ tenorem reſpexiſſe videtur Dominus potiùs, quàm ad vnum, vel alterū opus. Et in hanc propè ſentētiam hunc locum accipiunt Baſilius homilia de pœnitentia, Aug. in libr. 8. qq. ad Dulcitium q. 5. ad initium.

Verſ. 23. *Huius ex ſemine Deus ſecundùm promiſſionem eduxit Iſraël Saluatorem.*] Huc ſpectabat tam lō- 43.
ga narratio: neque enim quicquam Paulus pręter Chriſtum intuebatur. Illud *Iſraël* datiui caſus eſt. Quare infrà conſentaneè ad hoc cùm dixiſſet (*viri fratres, filij generis Abraham, & qui in vobis timent Deum*) ſubdit: *vobis verbum ſalutis huius miſſum eſt.*

Verſ. 24. *Ante faciem aduentus eius.*] Hebraiſmus eſt, pro, ante aduentum eius; ſicut, *ante faciem gladij, ante faciem frigoris*, id eſt, ante gladium, & ante frigus.

Verſ. 25. *Cùm impleret autem Ioānes curſum ſuum.*] *Curſus* pro iniuncto miniſterio ſumitur. Qua ratione Paulus dixit, *curſum conſummaui*; ſumpta metaphora ab iis, qui in ſtadio currunt. Et ſicut illi deſcriptum ſibi ſpatium curſu, ſic nos iniunctum miniſterium functione decurrimus.

Calcea

Digitized by Google

44. *Calceamenta pedum ſoluere.*] Pro-
Iudæi inituri templum, aut cōuiuia, calceos deponūt.
uerbiali figura Ioannes ſe potentiſ-
ſimi Domini vile mancipium pro-
fitetur. Modus verò loquendi ſum-
ptus eſt ex Hebræorum conſuetu-
dine, qui inituri lautiora conuiuia,
aut ingreſſuri locum ſanctum, cal-
ceamenta deponebant, quæ ſólue-
bant famuli, ſeruabántque. De locis
ſacris eſt veriſimile, quia Moyſes, &
Ioſue locum religioſum adituri ab-
iicere iubentur calceamenta. Quod
etiam nunc ſeruant Iudæi ſuas Pro-
ſeuchas ingreſſuri; vt à Rabbino
iam Chriſtiano accepi; qui diu præ-
fuit Synagogæ. De conuiuiis con-
ſtat ex vſu Romanorum, & de He-
bræorum cōuiuiis ſunt graues con-
iecturæ, de quibus nos pluribus ad
illud Cant. 1. *dum eſſet Rex in accubi-
tu ſuo.* & in illud Cant. 5. *Laui pedes
meos.* Vide ſuprà cap. 7. ad id. *Solue
calceamenta tua.* Quòd verò famuli
portarent dominorū calceos, oſten-
dit ipſe Ioannes, de quo modò eſt
Mat. c. 3. ſermo, Mat. cap. 3. ait enim, *cuius non
ſum dignus calceamenta portare.* Ver-
bum autem *ſoluere*, quo nunc vtitur
Lucas, & alij Euangeliſtæ, formam
indicat calceamentorum, quæ non
tam includunt pedes, quàm ligant.

Verſ. 27. *Voces Prophetarum, quæ
45. per omne Sabbathum leguntur.*] Non
ſolùm legebantur Prophetæ, ſed
etiam lex, vt paulo antè vidimus, &
de Moyſe conſtat infrà cap. 15. Sed
quia, quæ tradidit Moyſes, adum-
brabant penè omnia Chriſtum, &
quaſi prædicebant; qui fuit præci-
puus Prophetarum ſcopus, & ipſe
alioqui Propheta fuit, ideo hîc in-
ter Prophetas numeratur. An verò,
ſingulis diebus ad audiendam le-
gem, & Prophetas conuentus fie-
rent, vel tantùm in ſolemni Sabba-
tho, paulo antè diximus num. 14.

46. *Iudicantes impleuerunt.*] Scilicet
voces Prophetarum, licèt illas non
intelligerent: damnarūt enim mor-
te, ſuſpenderunt, &c. Vide quæ di-
ximus in oratione Petri ſuprà cap. 2.
nam mirè hæc Pauli oratio cum Pe-
tri oratione conſentit. Ex quo appa-
ret, eundem eſſe Spiritum, qui lo-
quebatur in vtroque.

Verſ. 31. *Viſus eſt per dies multos iis,
qui ſimul aſcenderunt cum eo de Gali-
lea in Ieruſalem.*] Agit hîc Paulus de 47.
illa apparitione, qua Chriſtus viſus
eſt omnibus Diſcipulis in Galilæa,
nam eò iuſſit Diſcipulos abire. Mat.
28. *Nunciate fratribus meis, vt eant in
Galilaam, ibi me videbunt.* Et infrà:
*Vndecim autem Diſcipuli abierunt in
Galilaam, in montem vbi conſtituerat
illis Ieſus, & videntes eum adorauerunt.*
Et qui in Galilæa viderant, ſæpe
etiam viderunt in Ieruſalem.

Verſ. 33. *Sicut in Pſalmo 2. ſcriptum
eſt.*] Secundus hic Pſalmus à multis 48.
Pſalmus ſecundus pars exiſtimatur primi.
citatur primus; & partem eſſe primi
Pſalmi putat Chryſoſtomus, & Hi-
larius. Sed communiter in Pſalmo-
rum ordine ſecundus ponitur, &
hoc loco ſecundus citatur. Hiero-
mus apud Hebræos putat ex primo,
& ſecundo vnum Pſalmum confla-
ri; cuius ea videtur eſſe ratio non in-
congrua, quia ſicut apud prophanos
Poëtas ſæpe idem eſt initium, atque
exitus Odes, aut Epigrammatis per
quãdam epanalepſim, vt apud Mar-
tialem, Horatium, & Catullum ſæ-
pe, ſic etiam vſitatum in ſacro Poë-
ta, & Pſalte Dauide. Nam Pſalmus
octauus, qui incipit. *Domine Domi-
nus noſter, quàm admirabile eſt nomen
tuum in vniuerſa terra!* eodem modo
deſinit. Pſalmi 102. & 103. incipiūt.
Benedic anima Dominum; & eodem
exitu terminantur. Cùm autem pri-
mus Pſalmus incipiat. *Beatus vir*; &
ſecundus his verbis claudatur, *beati
omnes qui confidunt in eo*: vnum eſſe

Pſalmum exiſtimant. Sed ſanè neque idem omnino finis eſt, neque Pſalmorum argumenta eiuſmodi, vt in vnam Odem cogi debuerint. Quare ſine dubio Pſalmus hic à primo diuerſus eſt.

49. Pſal. 2. *Ego hodie genui te.*] Difficillimam habet explicationem hic locus; neque illum omnes eodem modo Patres accipiunt. Hinc multi probant plures eſſe poſſe literales ſenſus æquè ſignificatiuos: nam Paulus ad Hebr. 1. accipere videtur de æterna generatione; hîc verò de Reſurrectione. Neque deſunt qui de temporali Chriſti natiuitate interpretentur. De generatione æterna plerique intelligunt. Aug. & Ruffinus in illum Pſalmum; Chryſoſtomus, Theophylactus, & Oecumenius in epiſt. ad Hebr. Cyprianus lib. 2. aduerſùs Iudæos teſtimonio 8. De Reſurrectione intelligit Chryſoſtomus, & Hilarius in Pſ. 2. Ambr. lib. de Sacram. c. 1. Theodoretus, Ianſenius, Flaminius, Vatablus, Vaſquez 1. to. in 1. p. diſp. 18. cap. 2.

50. Ribera multis probare contẽdit in cap. 1. epiſt. ad Hebr. hæc verba nunc à Paulo propoſita intelligenda non eſſe de Chriſti Reſurrectione. Primò, quia durum videtur Reſurrectionem *generationis* nomine explicari: neque Paulus Reſurrectionem Chriſti ex eo loco probaret, cùm enim ex communi omniũ ſenſu illud *hodie* nõ magis hoc tempus, quàm illud ſignificet, reſpondere poſſent, qui aderant, viri nempe Scripturarum gnari, ſuſcitandum quidem eſſe Chriſtum, alio tamen tempore. Veruntamen de Reſurrectione eſſe accipiendum, ídque omnino literali ſenſu, ſatis conſtat è Paulo. Nam illud, *ſicut ſcriptum eſt*, refertur ad id, quod anteceſſit: tantùm autem video anteceſſiſſe tria, & promiſſionem factam, & eandem impletam, & Chriſtum ſuſcitatum. Duo priora referre non poteſt, vt patet; quia plurima quæ promiſſa ſunt, atque impleta; teſtimonium vnum de re ſingulari neque referre, neque confirmare potuit. Illud verò, *reſuſcitans Ieſum*, perquàm commodè. Illud, *genui*, vt acutè obſeruauit P. Vaſquez, non ſignificat ſuſcitare è mortuis, ſed morte, & Reſurrectione probari illum eſſe Filium Dei. Qua ratione illud tunc fieri dicitur, cùm factum eſſe demonſtratur, vt diximus ad illud cap. 10. *in veritate comperi*. Cùm enim de Meſſiæ morte actum eſſet Pſal. 2. cùm aduersùs Dominum, & aduersùs Chriſtum eius Principum fremitus dicantur eſſe futuri; ídque probaſſet Paulus cùm dixit. Principum opera occiſum eſſe Chriſtum; nunc vt probet omnino iam conſtare Filium eſſe Dei poſt reditum ad vitam, ſubiecit. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; ac ſi dicat: Obita morte poſt Gentium fremitus, & Principum furorẽ; impleuiſti quod Meſſiæ de Redemptione hominum datum eſt præceptum; quo tempore exinanitus, & percuſſus, imò reprobatus à Deo exiſtimabare, & cum ſceleratis reputatus es. Nunc in Reſurrectionis ſplendore genui te, id eſt, oſtendi te meum eſſe Filium. In quem fermè ſenſum accepit Amb. ſuprà. *Quando*, inquit, *redemiſti populum, quando ad cœli Regnum vocaſti; quando impleſti voluntatem meam, probaſti te meum eſſe Filium.* Quo ſenſu interpretatur illud ad Rom. 1. *qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute ex Reſurrectione mortuorum*, hoc eſt, in die Reſurrectionis declaratus. Hic verò loquendi modus

Regul. Aliquid factum dicitur, cùm factum eſſe demonſtratur.

Digitized by Google

modus à Scriptura alienus non eſt, vt pluribus oſtendimus 1.cap.eſtque aptum exemplum Gen. 22. *Nunc cognoui quòd timeas Dominum, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me,* ideſt, hodie manifeſtaſti, vel hodie feci, vt manifeſtares; nã Deus multo antè cognouerat, neque indigebat illo fidei teſtimonio. Sed neque à vulgari vſu loquendi: nã cùm Regius puer aliquid Rege parente dignum ediderit, his verbis ſolet probare filij facinus: *Nunc es filius meus*; & aquila cùm oculis non conniuentibus aduersùs Solem pullum intuentem videt, dicere poſſet: *Nunc mea proles es.* Et ſi qua magna mutatio contingat, aut quis à magno periculo liberetur, vſurpat ſæpe; *Nunc me, aut hodie me natum puto.* Et ſic pater Medicus, qui arte, ac ſtudio filium moriturum ſanitati redderet, dicere poſſet: *Ego te hodie iterum genui, quia iterum a me vitam habes.* Sic ergo Pater his tot titulis, & rationibus Filio priùs ex ipſius obedientia generoſa morte functo; & poſtea ſuſcitato dicere potuit; *Hodie genui te.* Quòd verò de Chriſti reſurrectione loquatur Pſalmus, certum eſt: nam anteceſſit Gentium fremitus, & Principum conuentus aduersùs Chriſtum, qui conſtitutus eſt Rex ſuper Sion; & vbi dixit. *Ego hodie genui te*; ſubiicit. *Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Hæc de Chriſto ſunt; & Chriſtus ipſe impleta eſſe ſignificat, quando poſt Reſurrectionem dixit Matth. vltim. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra; euntes ergo docete omnes Gentes*, &c. Adde ad extremum, quòd Reſurrectio, generatio dicitur Matt.19. & Chriſtus primogenitus mortuorũ ad Col.1. & Apoc.1. quia primus reſurrexit omnium, ſcilicet

Reſurrectio, generatio dicta.

nõ amplius moriturus, ſed immortalis. Quare qui primò ſuſcitatus, ille idẽ genitus eſſe dicitur primò. Quæ 36.
explicatio ſatis indicat Chriſti diuinitatem, quam ex hoc loco probat Paulus ad Heb.1. Nam ſi Pater dicit tunc Chriſtum probaſſe ſuum eſſe Filium, aut ſe idem oſtendiſſe in admirabili Reſurrectionis gloria, ſatis tunc illum Filium ſuum eſſe dicit. Neque enim Deus demõſtrat, quod non eſt; præſertim quia ſi non addidiſſet; *Ego hodie genui te*, abundè explicuerat ſuperioribus verbis. *Filius meus es tu.* Ait ergo Pater Filium ſuũ eſſe Chriſtum; & illius æternæ filiationis tunc apparuiſſe illuſtre teſtimonium, maximè in Reſurrectionis gloria.

Verſ.34. *Dabo vobis ſancta Dauid fidelia.*] Locus hìc ſumptus eſt ex Iſai. 52.
cap.55. ex verſione LXX. vbi vulgatus habet, *miſericordias Dauid fideles.* Probat hìc Paulus Chriſtum iam excitatum amplius non eſſe moriturum. Primùm Iſai. teſtimonio c. 55. vbi dicit miſericordias promiſſas Dauidi, vel Dauidis generi firmas, & ſtabiles futuras in æternum. Illæ verò ſunt Pſal.88. ad quem videtur reſpexiſſe Iſaias ſuprà; *Miſericordias Domini in æternum cantabo.* Ita putãt in illum Iſaiæ locum Hieronymus, Procopius, S.Thomas, Hugo, Dionyſius, Adamus, & Foreirus. Quæ autem ſint illæ miſericordiæ, ſtatim explicatur. *Semen eius in æternum manebit; & thronus eius ſicut Sol in conſpectu meo*, &c. Et eſt omnino ſenſus idem apud LXX. nam illud *ſancta*, Græcè ὅσια, *pacta* ſignificat, & *promiſſa*, maximè cùm intercedit iuriſiurandi religio; quod ſanè promiſſionem eo Pſalmo factam confirmauit. Dicitur enim; *Semel iuraui in ſancto meo, ſemẽ eius in æternum manebit.* Non tamen hæc eſſent perpe-

Iſai.55.

tuò duratura, niſi Chriſtus, qui ſuprà dicitur eſſe ex ſemine Dauid, ſutre- xiſſet immortalis. Secundò, probat teſtimonio ſumpto ex Pſalm. 15. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*; & probat hæc non poſſe conuenire Dauid iiſdem propè rationibus, quibus id ipſum Petrus ſuprà cap. 4. In vtroque teſtimonio eadem eſt radix in textu Hebraico. In priori חסד quæ *miſericordiam*, & *ſanctitatem* ſignificat; alteram vulgatus, alteram reddidêre Lxx. In poſteriori חסיד quod Lxx. *ſanctum*, alij *miſericordem* interpretati ſunt. Vide quæ nos in illum Iſaiæ locum adduximus, quæ huc valdè faciunt.

Verſ. 36. *Cùm adminiſtraſſet voluntati Dei.*] Id eſt, expleuiſſet à Deo imperata. Explicatio eſt eius, quod de Dauide ſuprà; *qui faciet omnes voluntates meas*.

Verſ. 41. *Videte contemptores, & ad-
53. Abac. 1. miramini, & diſperdimini.*] Cùm propoſuiſſet Paulus per Chriſtum homines mundandos à peccatis, à quibus per traditam à Moyſe legem liberari non poterant, grauiter videbantur ferre, qui tunc aderant Iudæi irrogatam, vt ipſi putabant, iniuriã ſuo Moyſi; neque eius offenſionis obſcuram edebant ſignificationem obmurmurãdo, obſtrepẽdo, aut alio quodam habitu, ac geſtu corporis. Hos ergo Paulus grauiter increpãs, ipſe quoq; cõmotus non indignatione, ſed zelo adducit illud Abacuch cap. 1. *Videte contemptores*, &c. *quia opus operor*, &c. Loquebatur autem Abacuch de vaſtitate, quæ Iudæis iam iam impẽdebat ab hoſte Chaldæo, quia verba Prophetarum cum faſtidio excipiebant, ac ſibilo. Minatur autem Paulus aut ſimile excidium, aut etiam grauius aliquod infortunium, ſi ipſi quoque æternæ vitæ nuncium cum murmure, ac ſibilis explodant. Illud fortaſſe eſt quod ſtatim ſubditur. *Quoniam repellitis illud* (verbum Dei) *ecce conuertimur ad Gentes*; aut certè ſuę Reſpublicæ mutatio, & exitium, quod non multo poſtea ſubierunt. Porrò Paulus hic ſecutus eſt Lxx. qui *contemptores* habent, vbi vulgatus, *in Gẽtibus*. Quæ diuerſitas oriri potuit ex vocis Hebraicæ ſimilitudine: nam בגוים *bagoijm*, id eſt, *in Gentibus*, & בגדים *boghedim*, id eſt, *contemptores*, vnius tantùm literæ modica ſimilitudo diſtinguit. Legiſſe autem Septuaginta בגדים *boghedim*, id eſt, *contemptores*, mihi ſatis eſt probabile. Et eſſe in Hebraico textu aliquid corruptum argumento eſt, quia in multis codicibus vulgatæ verſionis parum ante hunc locum legitur; *Quare reſpicis contemptores, & taces?* & tamen in Hebraico textu nihil eſt, quod illi voci reſpondeat.

Sed vt Paulum cum vulgato cõciliemus, obſeruandum eſt id quod 54. Reg.
alibi à nobis demonſtratum eſt, ſolitos eſſe Euangeliſtas, & Apoſtolos in citandis Scripturis aliquid addere de ſuo explicationis gratiâ, quod tamen Scripturæ veritati nihil aut affingat, aut detrahat. Qua ratione Marcus cap. 5. cùm exponeret illud Chriſti. *Tabitha cumi*, reddidit, *puella tibi dico, ſurge*, cùm tamen illud, *tibi dico*, in Hebræo non ſit: & nuper illud de Dauid; *qui faciet omnes voluntates meas*, quod additum eſt à Paulo; non reperitur ſuo loco, nempe 1. Reg. cap. 13. Sic ergo Paulus addidit, *contemptores*, non quaſi de Scriptura ſumeret, ſed quia ad rem pertinebat; neque quicquam de Scripturæ ſententia mutabat: agebat enim cum contemptoribus diuini verbi; & fortaſſe iidem paulo antea contemptores vocati fuerant, vt eſt

Sacri ſcriptores aliquid addũt teſtimoniis Scripturæ explicationis gratiâ.

Digitized by Google

eſt in aliquibus codicibus.

55. *Regul. Imperatiuus pro futuro.* Hîc nobis notandum eſt, imperatiuum ſumi pro futuro ex vſu Scripturæ; quare dum dicit Paulus ex Abacuch. *Videte, & admiramini, & diſperdimini*; idem eſt ac ſi diceret: videbitis, admirabimini, & diſperdemini. Sicut cùm de Babylone dicit Iſaias cap. 42. *Tolle molam, & mole farinam, nuda turpitudinem*; perinde eſt ac ſi dicat, tolles molam, &c.

56. Notandum deinde cur cùm hoc teſtimonium ſit in vno Propheta Abacuch, dicatur eſſe in Prophetis. Aliqui putant ideo dici eſſe in Prophetis, quia duodecim Prophetæ, qui dicuntur minores, librum vnũ componunt; atque adeò liber ille *Propheta* dicitur: ſicut etiam liber vnus qui *Iudices* inſcribitur. Cùm verò ad illum librum pertineat Abacuch, cuius teſtimonium producitur, ex Prophetis deſumptus eſſe traditur. Ita Lyra, & Interlinearis, Caietanus, & Montanus. Sed hoc videtur admitti non poſſe: nam Ioan. 6. illud. *Et erunt omnes docibiles Dei*, in Prophetis ſcriptum dicitur; & tamẽ eſt in Iſai. cap. 54. qui non eſt in illo Prophetarũ numero. *Regul. Pluralis numerus pro ſingulari.* Sed placet magis quod docet Ribera in Abacuch, Dionyſius, & Vatablus, hîc ſcriptũ eſſe pluralem numerum pro ſingulari; quod in forma ſimili frequenter occurrit in Scriptura. Iud. 12. vbi vulgata habet de Iephthe. *Sepultus eſt in ciuitate ſua Galaad.* Heb. *in vrbibus Galaad*, id eſt, in vna vrbium. Geneſ. 23. *In electis ſepulchris ſepeli mortuum tuum.* Vide plura exempla apud Pagninũ in arte Regula 15. & Salmeronem Proleg. 14. formula. 14.

57. Verſ. 42. *Rogabant, vt ſequenti Sabbatho.*] In Græco eſt τὰ ἔθνη, id eſt, *Gentes*. fortaſſe ex margine ſcribentium incuria in textum irrepſit. Veriſimile autem eſt id Gentes præcipuè precatas eſſe: quia Iudæorum aliqui priori concione offenſi animi ſigna dederant, & poſteriori apertè declararant quàm ſibi acciderint nõ grati Apoſtoli ſermones.

58. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.*] Locus iſte variè tentatus eſt, atque expoſitus à Theologis Scholaſticis; ego pro meo munere, quod ſentio breuiter expediam, longiorem diſputationẽ aliorum curæ, & muneri relinquens. Et primùm examinandum cenſeo ad quem referendum ſit illud, *præordinati ſunt*; ad Deúmne, qui alios prædeſtinauit ad vitam, vel ad homines, qui credidêre, qui ſibi ipſis iam antea perſuaſerant, ad vitam æternam ſibi omnino eſſe enitendũ? Sunt enim qui hæc, & illa cogitant. Poſterius hoc Salmeroni placet, & cuidam Tullio Criſpoldo, quem citat Lorinus. Neque ſanè video eſſe durum, ſi ita interpretête, eos omnes, qui apud ſe conſtituerant viam illam amplecti, quæ eſſet ad vitam, ad quam & naturali quodam ferebantur ſtudio, & gratia Dei multo magis eo temporis veſtigio excitabantur, voluiſſe ad illorum ſe ordinem, & numerum adiungere, qui eiuſdem eſſent ſtudij, atque inſtituti; atq; ideo credidiſſe Paulo, & eius adhæſiſſe conſiliis. Cui ſententiæ non parum fauet quod in textu Græco non eſt προτεταγμένοι, id eſt, *præordinati*, ſed τεταγμένοι, id eſt, *ordinati*. Adde quòd vox illa Græca aliquid ſonat militare, nempe *in cenſum adſcribi militum*, aut *in illorum numerum & ordinem redigi*. Illi ergo, qui apud ſe iam antè conſtituerant in illorum eſſe cenſu, qui ad vitam ſub optimi alicuius Imperatoris ſigno contenderent, crediderũt Apoſtolo, qui certam æternæ vitæ ſemitam

Digitized by Google

mitam oſtendere videbatur. Hoc autem videtur eſſe, *ordinare ad vitã æternam.* Neque obſtat valdè, ſi cum vulgato, quod neceſſe eſt, *præordinati,* legas: tantùm enim ſignificat iam antequàm Paulus adueniret, æternæ vitæ deſiderium concepiſſe, & de quærenda via, viæque ducibus fuiſſe ſollicitos.

59. Alij ad Deum referũt, à quo credentes illi ad vitam dicuntur præordinati: ſed non eodem omnes explicant modo. Quidam in præordinatione electionem intelligunt ad gloriam, ad quam reſpiciens Deus media contulerit ad illius conſequutionem congruentia, quorum vnum fuit vim quandam inſpirare efficacem vt crederent Paulo, expeditum, & certum ad vitam æternam curſum oſtendenti; & ita cenſent ex Interpretibus Dionyſius, Caietan. Ex Patribus citantur aliqui; eorum tamen verba ad ſecundam etiam explicationem non inuita veniunt.

Alij nihil hîc de electione ad vitam æternam agi putant, ſed tãtùm de ordinatione quadam ad medium aliquod, quod ad æternæ vitæ poſſeſſionem diſponit, aut munit, vt eſt fides, de qua hîc Lucas, & quodcũque aliud auxiliũ gratiæ, quod hominem erudit, & confirmat, atque ſpirituali quodam viatico ad iter illud conficiendum inſtruit. Huiuſmodi autem eſt auxilium gratiæ, & gratia ipſa, quę ſemen eſt, & inchoata, vt ita dicam, æternæ vitæ poſſeſſio; quæ figuratè vocari æterna vita poſſunt. Et quidem quòd vita dicatur æterna ſeu, quod idem eſt, beatitudo, id, quod viatorem hominem deducit, & iuuat neque nouum eſt, neque alienum à ſermone ſacro. Nã Matth. 5 beati dicũtur pauperes, miſericordes, lugentes, &c. quia hi maximè ſunt ad vitam æternam expediti; vnde communi Sanctorum, & Eccleſiæ vſu lacrymæ, paupertas, & miſericordia, beatitudines vocãtur. Et, vt ad locum propiùs accedamus; Eccleſia, id eſt, fidelium cœtus, Regnum appellatur cœlorum, quod idem eſt, atque æterna vita: quia per fidem, & Baptiſma fideles in Eccleſiam vocati, ad Regni cœlorum viam ingreſſi ſunt. Regnum Dei ſumi pro eo, quod nos ad illud, aut munit, aut excitat, docent ex Patribus multi in illud Lucæ 17. *Regnum Dei intra vos eſt.* Beda Regnum Dei Chriſtum interpretatur, qui per fidem in cordib. noſtris regnat. Caſſianus Regnum Dei eius appellat cognitionem. Eucherius in quęſtionibus ſuper Lucam, virtutem, & meritum. Nazianzenus citatus à S. Thoma lætitiam, & guſtum, quem ſentimus in anima. Imò fides vita vocatur æterna Ioan. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtũ.* Sic putat Euthymius, & Cyrillus, vterque in Ioannem, & ibidem Maldonatus.

Præordinati ergo ad vitam æternam, ſeu ad Regnum cœlorum dicuntur iuxta hãc acceptionem, quibus Deus eam inſpirauit mentem, auxiliúmque dedit potẽs, & efficax, vt crederent, ſéque per fidem ad Eccleſiam, id eſt, ad fidelium cœtum adiungerent. In hanc ſententiam, & explicationem inclinat Gabriel Vaſquez 1. to. in 3. p. diſp. 33. cap. 12. Stapletonus in ſuis Antidotis in Acta. Leonardus Leſſius de prędeſtinatione, & reprobatione Angel. ſect. 3. Neque ratio deeſt, quæ hanc ſententiam doctis, & attentis ingeniis perſuadeat. Quia ſanè creditu durum, & difficile eſt, aut quotquot tunc concionanti Paulo crediderunt è populo, vitam æternam fuiſſe conſequutos,

ſequutos; aut nullum fuiſſe alium in Antiochia Piſidiæ, celebri, & populoſa ciuitate, aut in illo Gentilium cœtu, qui concionanti aderant, qui concionante iterum Paulo, aut alio ex Euangelij præconibus, quorum aſſidua erat, & ardens opera, poſtea non crediderit, & conſequutus fuerit æternam ſalutem. Quare hæc explicatio neque aliena videtur à textu, neque omnino repudianda.

Adduxi tres magnorum authorum cogitationes; quid alij ſentiant, propono; quid ſit omnino certum, non definio. Quòd ad duas poſteriores ſententias attinet, in quibus magna Doctorum ingenia laborare, ac inter ſe grauiter diſceptare ſolent, exiſtimo ex hoc Actorum loco nihil effici, quòd in vtramuis partem admodùm premat, quia explicatus habet in vtramuis partem non difficiles.

Verſ. 50. *Concitauerunt mulieres re-*
60. *ligioſas, & honeſtas.*]Nempe quæ ſpeciem præ ſe ſanctitatis ferrẽt, & ipſo corporis habitu venerabiles. Ij enim in quibus authoritas eſt, & ſanctitatis opinio, magnam vim habent ſiue ad confirmandos, ſiue ad frangendos in aliquo ſtudio popularium animos. Hîc obſerua, ad bonorum ruinam magnum dæmonis inſtrumentum eſſe mulierem, cui ſi accedant pulchritudinis blãdimenta, aut honeſtatis, & Religionis opinio, perniciosior vipera, & ipſa etiam morte crudelior eſt. Per huiuſmodi mulieres multæ hæreſes diſſeminatæ ſunt, quæ fortaſſe ad ciuitates multas receptum nullum habuiſſent. Harum mulierum, quæ impietatis hæreticis adminiſtræ fuerunt, catalogum contexuit Hieronymus 2. to. epiſtola ad Cteſiphontem ante medium, vbi inter alia quæ de mulieribus grauiter, hæc de illis, quæ ſpecie ſanctitatis hæreſes inuexerũt. *Simon* (inquit) *Magus hæreſim condidit Helenæ meretricis adiutus auxilio. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor choros duxit fœminarum. Marcion Romã præmiſit mulierem, quæ decipiẽdos ſibi animos prepararet. Appelles Philomenen comitem ſuarum habuit doctrinarum. Montanus immundi ſpiritus prædicator multas Eccleſias per Priſcam; & Maximillam nobiles, & opulentas fœminas primùm auro corrupit, deinde hæreſi polluit. Arrius vt orbem deciperet, ſororem Principis prius decepit: Donatus per Africam vt infelices quoſque fœtentibus pollueret, Lucillæ opibus adiutus eſt. In Hiſpania Agappe Helpidium, mulier virum, cæcum cæca duxit in foueam, ſucceſſorémque ſui Priſcillianum habuit, cui iuncta Galla alterius, & vicinæ hæreſeos reliquit hæredem.* Hæc Hieronymus. Quantum verò damnum attulerit Marcellina quædã fœmina ſub Aniceto PP. vide Irenæum lib. 1. c. 24.

Verſ. 51. *At illi excuſſo puluere pedũ*
in eos.] Iuxta Domini præceptum 61.
Matth. 10. & Lucæ 10. vbi Diſcipuli iubentur, vt ſi ab aliquibus contingat excludi, excuſſo in eorum plateis puluere, dicant. *Etiam puluerem, qui adhæſit nobis de ciuitate veſtra, exterſimus in vos.* Quid iſta ceremonia deſignet obſcurũ eſt. Hierony. Chryſoſtom. Theophyl. & Auguſtinus q. 7. in Matth. ideo id fieri putant ab Apoſtolis, vt oſtendant ſe nihil cum illis habere velle commune. Iidem præterea cum Beda putant ſignificari fruſtra laborem illum eſſe ſuſceptum. *Puluis* enim iter, & defatigationem, ſeu laborẽ ſignificat. Amb. lib. 9. in Lucam, & Euthymius in Matth. excuti puluerem credunt,

quia illi etiam ab hominibus impiis aliquid impietatis adhæſit. Hilarius illud anathematis genus eſſe putat. Et certè in imprecationibus, & execrationibus puluerem excuti vſitatum eſt. Eſdr. 2. cap. 5. *Inſuper excuſſi ſinum meum, & dixi. Sic excutiat Dominus omnem virum, qui nō cōpleuerit verbum iſtud.* Et Act. cap. 22. Iudæi, qui Paulum execrabantur, & contra ipſum clamabant, proieciſſe veſtimenta ſua, & puluerem iactaſſe traduntur. Eſt tamen, vt cenſet Maldonatus, valdè probabilis Hilarij ſententia, qui in cap. 10. Matth. vbi dixiſſet, *in excuſſo puluere relinqui æternæ maledictionis ſemina*, quæ optima anathematis deſcriptio eſt, poſtea dixit, *æternæ maledictionis eſſe ſignum.* Et eiuſdem ſententiæ citatur Origenes homilia decimaoctaua in Geneſim: ſed ego non inuenio. Eſt tamen, vt dixi, valdè probabile, & indicat Lucas cap. 9. *Et quicumque*, inquit, *non receperint vos, exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerem pedum veſtrorum excutite in teſtimonium ſupra illos.* Quod natum videri poteſt ex Hebræorum conſuetudine, qui in teſtimonium magni alicuius beneficij, aut rei præclarè geſtæ monumentum aliquod relinquebant. Siue enim erigebant lapidem, vt Ioſue cap. 24. ſiue lapidum aceruum, vt Gen. 31. ſiue altare, vt Ioſue 22. Quare magnum aliquod beneficium eſt habuiſſe Euangelij præcones, & illos reſpuiſſe graue malum, quando eius rei extare Dominus voluit monumentum, quod in diuini verbi contemptores perpetuò clamet.

COM

COMMENTARII IN ACTVS APOSTOLORVM.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

FActum eſt autem Iconij, vt ſimul introirent in 1
Synagogam Iudæorum, & loquerentur, ita vt
crederet Iudæorum, & Græcorum copioſa
*multitudo. * Qui verò increduli fuerunt* 2
Iudæi, ſuſcitauerunt, & ad iracundiam con-
*citauerunt animas Gentium aduerſus fratres. * Multo igitur* 3
tempore demorati ſunt, fiducialiter agentes in Domino, teſti-
monium perhibente verbo gratiæ ſuæ, dante ſigna, & prodigia
*fieri per manus eorum. * Diuiſa eſt autem multitudo ciuitatis:* 4
& quidam quidem erant cum Iudæis, quidam verò cum Apo-
*ſtolis. * Cùm autem factus eſſet impetus Gentilium, & Iudæo-* 5
rum cum principibus ſuis, vt contumeliis afficerent, & lapida-
*rent eos, * & intelligentes confugerunt ad ciuitates Lycao-* 6
niæ Lyſtram, & Derben, & vniuerſam in circuitu regionem,
*& ibi euangelizantes erant. * Et quidam vir Lyſtris infirmus* 7
pedibus ſedebat, claudus ex vtero matris ſuæ, qui nunquam am-
*bulauerat. * Hic audiuit Paulum loquentem. Qui in-* 8
tuitus eum, & videns quia fidem haberet vt ſaluus fie-
*ret, * dixit magna voce: Surge ſuper pedes tuos rectus.* 9
*Et exiliuit, & ambulabat. * Turba autem cùm vidiſ-* 10
ſent quod fecerat Paulus, leuauerunt vocem ſuam, Lycao-
nicè dicentes: Dij ſimiles facti hominibus, deſcenderunt ad
*nos. * Et vocabant Barnabam Iouem, Paulum verò* 11
*Mercurium: quoniam ipſe erat dux verbi. * Sacerdos* 12

quoque Iouis, qui erat ante ciuitatem, tauros, & coronas ante
13 ianuas afferens, cum populis volebat ſacrificare. * Quod vbi
audierunt Apoſtoli, Barnabas, & Paulus, conſciſſis tunicis ſuis
14 exilierunt in turba clamantes, * & dicentes: Viri, quid
hæc facitis? & nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines, an-
nunciantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuum, qui
fecit cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt:
15 * qui in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingre-
16 di vias ſuas. * Et quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum re-
liquit, benefaciens de cælo, dans pluuias, & tempora fructifera,
17 implens cibo, & lætitia corda noſtra. * Et hæc dicentes vix
18 ſedauerunt turbas ne ſibi immolarent. * Superuenerunt au-
tem quidam ab Antiochia, & Iconio Iudæi: & perſuaſis turbis,
lapidantéſque Paulum traxerunt extra ciuitatem exiſtiman-
19 tes eum mortuum eſſe. * Circumdantibus autem eum diſcipu-
lis, ſurgens intrauit ciuitatem, & poſtera die profectus eſt cum
20 Barnaba in Derben. * Cúmque euangelizaſſent ciuitati illi,
& docuiſſent multos, reuerſi ſunt Lyſtram, & Iconium, & An-
21 tiochiam, * confirmantes animas diſcipulorum, exhortan-
téſque vt permanerent in fide: & quoniam per multas tribu-
22 lationes oportet nos intrare in regnum Dei. * Et cùm conſti-
tuiſſent illis per ſingulas Eccleſias presbyteros, & oraſſent cum
ieiunationibus, commendauerunt eos Domino, in quem credide-
23 runt. * Tranſeuntéſque Piſidiam, venerunt in Pamphyliam,
24 * & loquentes verbum Domini in Perge deſcenderunt in At-
25 taliam: * & inde nauigauerunt Antiochiam, vnde erant
26 traditi gratiæ Dei in opus, quod compleuerunt. * Cùm autem
veniſſent, & congregaſſent Eccleſiam, retulerunt quanta fe-
ciſſet Deus cum illis, & quia aperuiſſet Gentibus oſtium fidei.
27 * Morati ſunt autem tempus non modicum cum diſcipulis.

IN

Digitized by Google

IN CAPVT DECIMVM-QVARTVM ACTVVM APO-STOLORVM.

Verſ.3. Fiducialiter agentes in
Domino, teſtimonium
perhibente verbo gra-
1. *tiæ ipſius, dante ſigna.*] E Iudæis non-
nulli, qui ad Apoſtolicas voces au-
res obſtruxerant, & obfirmarant
animos, Gentilium furorem, è quo-
rum numero non pauci doctrinam
amplexi fuerant Euangelicam, in-
flammare ſtudebant. Sed qui cauſam
agebant Dei, quem in illo Apoſtoli-
co conatu authorem ſequebantur,
& auſpicem, contra vim, & inſidias
promiſſione confirmati diuina, ne-
que commoti ſunt animo, neque ab
ea fiducia, quam in authore Deo col-
locarant, quicquam remiſerunt.
Qui verbum gratiæ, id eſt, Euange-
lium, ſeu Euangelicam prædicatio-
nem, quæ gratiã Dei, & amicitiam
annſiciabat, promittebátque, nouis
quotidie ſignis confirmabat. Porrò
verbum gratiæ Euangelium dicitur,
ſicut lex Euangelica *lex gratiæ*. Et in-
frà cap.20. num. 24. magis expreſsè
Euangelium appellatur *gratia*. Vide
quæ diximus ad illud cap.20. n.32.
Commendo vos Deo, & verbo gratiæ
ipſius.

Verſ.11. *Et vocabant Barnabã Iouẽ,*
2. *Paulum verò Mercurium.*] Etiamſi
Paulus Mercurius videri potuerit
comparatus Barnabæ, quem & au-
guſta dignitas oris, & corporis pro-
Quæ ſtatura Pauli. ceritas commendabat; Paulus ve-
rò ſtatura puſillus erat, neque cor-
pore admodùm recto, & eleganti
(vt enim Nicephorus prodit libro 2.
hiſtor. cap. 37. *paruo erat, contracto,*
atque incuruo corpore. Et ipſe Paulus
de ſe videtur fateri 2. Corinth. 10.
dum ſibi ineſſe dicit *præſentiam cor-*
poris infirmam) tamen non ideo iudi-
catus eſt Mercurius, ſed quia dux
eſſet verbi, id eſt, interpres: ille enim
vel ſolus, vel plurimùm loqueba-
tur. Mercurius verò in fabulis, &
eloquens inducitur, & Deorum in-
terpres, vnde Græcè vocatur ἑρμῆς.
Si quando verò Paulus imperitum
ſibi ſermonem, & incultum tribuit,
vt 2. Corinth. cap. 10. & cap. 11. de
lingua loquitur Græca, in qua non
vtitur illis colorib. in quib. ſibi ma-
ximè placet Græcorum ſiue facũ-
dia, ſiue vanitas. Neque enim Euan-
gelica ſimplicitas illas amat inanita-
tes, ſonitúſq; verborũ, quib. ornat ſe
prophana facundia. Neque ideo mi-
nùs elegans erat, & purus ſermo,
quia Paulus minùs ſciens eſſet Græ-
cæ linguæ, atque eloquentiæ, quam An Paulus eloquens.
diuinitùs hauſerat; ſed quia noue-
rat ab Apoſtolico ſpiritu abeſſe de-
bere compti ſermonis ſtudium. Ne-
que ipſe abnuit 1. Corinth. 2. *Sermo,*
inquit, *meus, & prædicatio mea, non in*
perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ ver-
bis. In illa tamen verborum ſimpli-
citate altius aliquid ſonat, & diui-
nius, quàm aſſequi poſſet humana
facundia. Hieronymus ſanè, qui ad
Hedibiam q.11. & ad Algaſiam q 10.
Paulo tribuit Græci ſermonis impe-

Digitized by Google

peritiam, & Prologo in Iob in ipſo
Ciliciſmos quoſdam deprehēdi tra-
dit. Idem tamen in Catalogo Scri-
ptorum Eccleſiaſticorum ait, cùm
legit Apoſtolum, videri ſibi audire
non verba, ſed tonitrua;& in Apo-
logia ad Pāmachium mirè extollit
Pauli facundiam. Idem propè Aug.
qui cùm lib. de magiſtro c. 5. ſermo-
nis imperitiam deprehendat in Pau-
lo, eloquentiam tamen Chriſtianam
in illo mirè effloruiſſe tradit lib. 4.
de doctrina Chriſtiana cap. 6.

3. Verſ. 12. *Sacerdos autem Iouis, qui*
erat ante ciuitatem.] Illud (*qui*) Iouem
referr, non Sacerdotem, vt ex Græ-
co fit planum: eſt enim τȣ̃ διὸς τȣ̃
ὄντος, id eſt, *Iouis exiſtentis ante ciuita-*
tem, vbi nimirū templum habebat.

Tauros, & coronas ante ianuas affe-
Coronæ in ſacrificiis. *rens.*] Ianuæ non erant templi Iouis
extra ciuitatem; ſed domus vbi mo-
rabantur Apoſtoli. Quomodo verò
Ioui Gentilium ſuperſtitio tauros
offerat, vide Macrobium lib. 13. Sa-
tur. c. 10. Quemadmodum coronen-
tur victimæ lege Plinium lib. 16. c. 4.
Obuia ſunt exempla apud propha-
nos. Fortaſſe coronæ ideo afferebā-
tur, vt ſuſpenderentur ad ianuas; nā
& hoc vſitatū eſſe in feſtiuitate ali-
qua præcipua, aut lætitia magna,
ſatis notum, vel vt illi, qui putaban-
tur Dij, coronarētur; nam & hoc an-
tiquis ſolemne. Vide noſtrū Roam
lib. 2. ſingul. cap. 11. & 12.

Verſ. 13. *Conſciſſis tunicis ſuis exilie-*
4. Veſtes cōſciſſæ audita blaſphemia. *runt in turbā.*] Cōſcindi veſtes ſolitæ
ſunt apud Hebræos, quādo aliquid
auditur cōtra Religionē, & Deū,
vt fecit Pontifex Matt. 26. quò oſtē-
deret ſe audiſſe blaſphemiam. Et Ie-
rem. 36. grauiter notantur, qui cùm
viderent legis volumen lacerari, ac
cōburi, nō ſciderunt veſtimenta ſua.
Vel in ſummo dolore, ac luctu; quod
fecit Dauid 2. Reg. 1. audita Saū-
lis, & filiorū cæde, & c. 3. in exequiis
Abner. Idem de Iacob Gen. 37. quā-
do exiſtimauit mortuū eſſe Ioſeph.
Quod etiā feciſſe Ruben cùm fratrē
non inuenit, author eſt Philo. Quæ
cōſuetudo communis fuit Hebræis
cū aliis Gentibus; vt de Latino ſcri-
bit Virgil. Æneid. 12. & de Lacæde-
monib. Herodotus lib. 6. & de Mar-
donio re infeliciter geſta lib. 8.
Quod etiam Nero feciſſe traditur à
Suetonio in Nerone c. 42. Apoſtolis
ergo duplex cauſa fuit, cur veſtimē-
ta lacerarent, & quòd blaſphemiam
audirent diuinos honores mortali-
bus deferre volentium: & quòd do-
lerent acerbiſſimè cùm viderēt erre-
ptam Deo gloriam ſibi ab hominib.
tribui.

Verſ. 15. *Qui in præteritis generatio-*
nibus dimiſit omnes gentes ingredi vias
ſuas.] Oſtendit hîc Paulus nouam lu- 5.
cem Gentibus oriri, cum antè quo- Quomodo Deus deſpexiſſe dicatur, aut dimiſiſſe Gentes.
dam modo viderentur deſpectæ, eo
ſenſu, quo infrà cap. 17. dixit idem;
tempora quidem huius ignorantiæ de-
ſpiciens Deus. Et eodem ſenſu dicun-
tur Gentes dimiſſæ naturæ quodam
ductu, ſeu impetu viuere: id enim vi-
detur ſibi velle, *ingredi vias ſuas*, ſeu,
ire poſt concupiſcentias ſuas, ſeu, *in adin-*
uentionibus ſuis. Neque id tamen
ita intelligendum eſt, vt Deus omni-
no Gentes abiecerit, atq; illis ſuffi-
cientem ad vitam lucem, auxiliúm-
que negauerit; ſed quòd non tam in
illas beneficus, ac liberalis extiterit,
ſicut in Iudæos, aut non tam legibus
illas conſtrixerit, ſicut Iudæi conſtri-
cti, & arctiùs quàm alij Deo manci-
pati ſunt. Gentes verò in vias ſuas
ſolutæ dicuntur, quia nihil præter
naturalem legem quam ſequerētur,
habebant. Neque tamen idcirco de-
ſpectæ ſunt à Domino, quia monu-
menta habent illuſtria, eáque quo-
tidiana, à quibus Deum eſſe diſcant;
& ab

& ab æterna lege innata præcepta, quæ mores componant, aberrantéſque à recta via, & arguant, & reducant. Quod ſtatim indicat Apoſtolus, dum dicit. *Et quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluuias, & tempora fructifera, implēs cibo, & lætitia corda eorum.* Idem ferme Apoſtolus ad Rom. c. 1. *Inuiſibilia*, inquit, *Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur; ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.* Quæ omnia eiuſmodi ſunt, vt ſtatim addat; *ita vt ſint inexcuſabiles.* Dicuntur tamen Gentes dimiſſæ, atque deſpectæ, nō quidem abſolutè, quia ſatis à Deo illarum ſaluti prouiſum eſt; ſed comparatè ad genus Hebræorū. Sicut vulgò deſpici dicitur filius, cui pater neceſſaria parcè tamen largitur, præ altero filio, cui pater liberaliùs, & amantiùs indulget. Sic etiam ille deſpectus videri poteſt, cui lex proponitur, quam ſequatur; ſi conferatur cum eo, cui præter legem adhibetur pędagogus, qui illū in lege, & officio propoſitis ſpe, atq; timore cōtinet.

6. Hæc quidem vera ſunt, neque à litera videntur aliena. Neque, credo, malè coniectaret, qui diceret illud, *vias ſuas*, pro Gentium idolis, vaníſque ſuperſtitionibus ſumi, quibus capta Gentiū ſuperiora ſæcula aliis, atq; aliis errorib. trahebantur. Hinc honores diuinos ſibi vendicarunt Mercurius, & Iupiter, & inanium Deorum monſtra fœdiſſima, à quib. nunc Paulus Gentes abducit. Quòd autem *via* certam aliquam Religionem, aut vitæ inſtitutum ſignificet, ſatis frequens eſt in Scriptura. Et quidem ſuprà cap. 9. Chriſtiana Religio *via* appellatur; *vt ſi quos inueniſſet huius viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret.* Et c. 13. de Elyma Mago, *non deſinis ſubuertere vias Domini.* Et Iob. 29. *Dixerunt impij Deo, recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Neq; ſatis aptè videbatur Paulus dixiſſe, Deum non ſine teſtimonio reliquiſſe ſeipſum, niſi docere voluiſſet excuſari non poſſe à culpa eos, qui Mercurio, ac Ioui diuinos honores tunc exhibebāt; & qui mutis Deorum ſimulacris ſeruierunt, ſuperſtitionéſq; omnino, & inanes, & falſas amplexi ſunt, cùm veteris Deus ſeipſum non obſcuris ſuæ benitatis, atque potentiæ veſtigiis proderet, *benefaciens de cœlo, dans pluuias*, &c. ex quibus illum noſſe poſſent, & contempto ſimulacrorum cultu venerari.

Via idem quod inſtitutum.

Verſ. 18. *Lapidantes Paulum traxerunt extra ciuitatem.*] Præceptum eſt 7.
Leuit. capite 24. blaſphemum lapidare extra caſtra, item idololatrā, Deut. 17. Quare Iudæi tāquam blaſphemum Chriſtum eiecerunt extra ciuitatem, vt præcipitarent, & lapidarent. Lucę 4. Imò vſitatum eſſe inter Romanos, vt illi, in quos capitali lege eſſet animaduertendum, extra ciuitatis portam efferrentur; vt multis probat Faber in Semeſtribus lib. 2 cap. 8. Ideo Iudæi, vt occurrerent Euangelio iam latè ſeſe diffundenti, eius ſtrenuo præconi Paulo vitam eripere moliuntur, & lapidibus ex lege, & ſuis, & Gentilium manibus appetunt. An verò lapidatio hæc extra ciuitatem facta fuerit nō omnino conſtat; mihi veriſimilius eſt factam intra mœnia, vt tenent Gloſſa, Lyra, Carthuſian. Vatablus, & alij. Quia cùm lapidatio illa non fuerit publico, atq; legitimo iudicio decreta, ſed ab inuidia, atq; odio nonnullorū populari ſeditione cōmota, & quia nō à Iudęis tātū, ſed à Gētib. orta, nō admodū curatū eſt quid Iudęorū cautū eſſet, vel Religione, vel cōſuetudine. Neq; ſutor, ſi paulo eſt incita

Lapidatio extra ciuitatem.

Paulus in ciuitate lapidatus.

peritiam, & Prologo in Iob in ipſo Cilicismos quoſdam deprehẽdi tradit. Idem tamen in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum ait, cùm legit Apoſtolum, videri ſibi audire non verba, ſed tonitrua;& in Apologia ad Pãmachium mirè extollit Pauli facundiam. Idem propè Aug. qui cùm lib. de magiſtro c. 5. ſermonis imperitiam deprehendat in Paulo, eloquentiam tamen Chriſtianam in illo mirè effloruiſſe tradit lib. 4. de doctrina Chriſtiana cap. 6.

3. Verſ. 12. *Sacerdos autem Iouis, qui erat ante ciuitatem.*] Illud (*qui*) Iouem refert, non Sacerdotem, vt ex Græco fit planum: eſt enim τοῦ Διὸς τοῦ ὄντος, id eſt, *Iouis exiſtentis ante ciuitatem*, vbi nimirũ templum habebat.

Coronæ in ſacrificiis.

Tauros, & coronas ante ianuas afferens.] Ianuæ non erant templi Iouis extra ciuitatem; ſed domus vbi morabantur Apoſtoli. Quomodo verò Ioui Gentilium ſuperſtitio tauros offerat, vide Macrobium lib. 13. Satur. c. 10. Quemadmodum coronentur victimæ lege Plinium lib. 16. c. 4. Obuia ſunt exempla apud prophanos. Fortaſſe coronæ ideo afferebãtur, vt ſuſpenderentur ad ianuas; nã & hoc vſitatũ eſſe in feſtiuitate aliqua præcipua, aut lætitia magna, ſatis notum, vel vt illi, qui putabantur Dij, coronarẽtur; nam & hoc antiquis ſolemne. Vide noſtrũ Roam lib. 2. ſingul. cap. 11. & 12.

4. Veſtes cõſciſſæ audita blaſphemia.

Verſ. 13. *Conſciſſis tunicis ſuis exilierunt in turbã.*] Cõſcindi veſtes ſolitæ ſunt apud Hebræos, quãdo aliquid auditur cõtra Religionẽ, & Deũ, vt fecit Pontifex Matt. 26. quò oſtẽderet ſe audiſſe blaſphemiam. Et Ierem. 36. grauiter notantur, qui cùm viderent legis volumen lacerati, ac cõburi, nõ ſciderunt veſtimenta ſua. Vel in ſummo dolore, ac luctu; quod fecit Dauid 2. Reg. 1. audita Saülis, & filiorũ cæde, & c. 3. in exequiis Abner. Idem de Iacob Gen. 37. quãdo exiſtimauit mortuũ eſſe Ioſeph. Quod etiã feciſſe Ruben cùm fratrẽ non inuenit, author eſt Philo. Quæ cõſuetudo communis fuit Hebræis cũ aliis Gentibus; vt de Latino ſcribit Virgil. Æneid. 12. & de Lacædemonib. Herodotus lib. 6. & de Mardonio re infeliciter geſta lib. 8. Quod etiam Nero feciſſe traditur à Suetonio in Nerone c. 42. Apoſtolis ergo duplex cauſa fuit, cur veſtimẽta lacerarent, & quòd blaſphemiam audirent diuinos honores mortalibus deferre volentium: & quòd dolerent acerbiſſimè cùm viderẽt ereptam Deo gloriam ſibi ab hominib. tribui.

Verſ. 15. *Qui in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas.*] Oſtendit hîc Paulus nouam lucem Gentibus oriri, cum antè quodam modo viderentur deſpectæ, eo ſenſu, quo infrà cap. 17. dixit idem; *tempora quidem huius ignorantiæ deſpiciens Deus*. Et eodem ſenſu dicuntur Gentes dimiſſæ naturæ quodam ductu, ſeu impetu viuere: id enim videtur ſibi velle, *ingredi vias ſuas*, ſeu, *ire poſt concupiſcentias ſuas*, ſeu, *in adinuentionibus ſuis*. Neque id tamen ita intelligendum eſt, vt Deus omnino Gentes abiecerit, atq; illis ſufficientem ad vitam lucem, auxiliúmque negauerit; ſed quòd non tam in illas beneficus, ac liberalis extiterit, ſicut in Iudæos, aut non tam legibus illas conſtrixerit, ſicut Iudæi conſtricti, & arctiùs quàm alij Deo mancipati ſunt. Gentes verò in vias ſuas ſolutæ dicuntur, quia nihil præter naturalem legem quam ſequerẽtur, habebant. Neque tamen idcirco deſpectæ ſunt à Domino, quia monumenta habent illuſtria, eàque quotidiana, à quibus Deum eſſe diſcant; 5.

Quomodo Deus deſpexiſſe dicatur, aut dimiſiſſe Gentes.

& ab

& ab æterna lege innata præcepta, quæ mores componant, aberrantéſque à recta via, & arguant, & reducant. Quod ſtatim indicat Apoſtolus, dum dicit. *Et quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluuias, & tempora fructifera, implẽs cibo, & lætitia corda eorum.* Idem ferme Apoſtolus ad Rom. c. 1. *Inuiſibilia*, inquit, *Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur; ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.* Quæ omnia eiuſmodi ſunt, vt ſtatim addat; *ita vt ſint inexcuſabiles.* Dicuntur tamen Gentes dimiſſæ, atque deſpectæ, nõ quidem abſolutè, quia ſatis à Deo illarum ſaluti prouiſum eſt; ſed comparatè ad genus Hebræorũ. Sicut vulgò deſpici dicitur filius, cui pater neceſſaria, parcè tamen largitur, præ altero filio, cui pater liberaliùs, & amantiùs indulget. Sic etiam ille deſpectus videri poteſt, cui lex proponitur, quam ſequatur; ſi conferatur cum eo, cui præter legem adhibetur pędagogus, qui illũ in lege, & officio propoſitis ſpe, atq; timore cõtinet.

6. Hæc quidem vera ſunt, neque à litera videntur aliena. Neque, credo,

Via idem quod *inſtitutum.*

malè coniectaret, qui diceret illud, *vias ſuas*, pro Gentium idolis, vaniſque ſuperſtitionibus ſumi, quibus capta Gentiũ ſuperiora ſæcula aliis, atq; aliis errorib. trahebantur. Hinc honores diuinos ſibi vendicarunt Mercurius, & Iupiter, & inanium Deorum monſtra fœdiſſima, à quib. nunc Paulus Gentes abducit. Quòd autem *via* certam aliquam Religionem, aut vitæ inſtitutum ſignificet, ſatis frequens eſt in Scriptura. Et quidem ſuprà cap. 9. Chriſtiana Religio *via* appellatur; *vt ſi quos inueniſſet huius via viros, ac mulieres, vinctos perduceret.* Et c. 13. de Elyma Mago, *non deſinis ſubuertere vias Domini.* Et Iob. 29. *Dixerunt impij Deo, recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Neq; ſatis aptè videbatur Paulus dixiſſe, Deum non ſine teſtimonio reliquiſſe ſeipſum, niſi docere voluiſſet excuſari non poſſe à culpa eos, qui Mercurio, ac Ioui diuinos honores tunc exhibebãt; & qui in multis Deorum ſimulacris ſeruierunt, ſuperſtitionéſq; omnino, & inanes, & falſas amplexi ſunt, cùm verus Deus ſeipſum non obſcuris ſuæ bonitatis, atque potentiæ veſtigiis proderet, *benefaciens de cœlo, dans pluuias*, &c. ex quibus illum noſſe poſſent, & contempto ſimulacrorum cultu venerari.

Verſ. 18. *Lapidantes Paulum traxerunt extra ciuitatem.*] Præceptum eſt 7.

Lapidatio extra ciuitatem.

Leuit. capite 24. blaſphemum lapidare extra caſtra, item idololatrã, Deut. 17. Quare Iudæi tãquam blaſphemum Chriſtum eiecerunt extra ciuitatem, vt præcipitarent, & lapidarent, Lucę 4. Imò vſitatum eſſe inter Romanos, vt illi, in quos capitali lege eſſet animaduertendum, extra ciuitatis portam efferrentur, vt multis probat Faber in Semeſtribus lib. 2 cap. 8. Ideo Iudæi, vt occurrerent Euangelio iam latè ſeſe diffundenti, eius ſtrenuo præconi Paulo vitam eripere moliuntur, & lapidibus ex lege, & ſuis, & Gentilium manibus appetunt. An verò lapidatio hæc extra ciuitatem facta fuerit nõ omnino conſtat; mihi veriſimilius eſt factam intra mœnia, vt tenent Gloſſa, Lyra, Carthuſian. Vatablus, & alij.

Paulus in ciuitate lapidatus.

Quia cùm lapidatio illa non fuerit publico, atq; legitimo iudicio decreta, ſed ab inuidia, atq; odio nonnullorũ populari ſeditione cõmota, & quia nõ à Iudęis tãtũ, ſed à Gẽtib. orta, nõ admodũ curatũ eſt quid Iudęorũ cautũ eſſet, vel Religione, vel cõſuetudine. Neq; furor, ſi paulo eſt incita

cita

Digitized by Google

citatior, quicquam habet pẽſi quid ferãt leges, quæ ſicut inter armatos plerumque, ſic etiam inter furentes ſilent. Et hoc ipſum indicat textus non obſcurè: nam pro, *lapidantes*, Græcè eſt λιθάσαντες, quod actionem præteritam deſignat, facítque maximè, quod ſtatim ſubditur, *traxerunt extra ciuitatem exiſtimantes eũ mortuum eſſe*. Quare huius loci ſententia eſt: Cùm intra ciuitatem lapidauiſſent adeò crudeliter, vt pro mortuo habuerint; deinde tanquam vile caput, & ſepultura indignum extra ciuitatem educerent, lacerandum vtique à canibus, reſtituit tamen Dominus Paulo ita iactato, vt ſitientes ſui ſanguinis animos abundè expleuerit, ſanitatem, & vires, adeò vt qui mortem mortis opinione vitarat, ſtatim vegetus, & alacer in vrbem redierit ſtipatus diſcipulis, qui ad illum fortaſſe ſepulturæ gratiâ conuenerant; eadem libenter millies ſubiturus. O egregium Apoſtolici pectoris documentum!

Verſ. 22. *Cùm conſtituiſſet illis per*
8. *ſingulas Eccleſias preſbyteros.*] Græcè χειροτονέω, quod licèt communiter *ſuffragiis eligere* ſignificet, tamen etiam *ordinare* valet: nam, vt docet Hieronymus in c. 58. Iſai. χειροτονία *ordinatio* dicitur, quod inde nomen habet, quia manus extenduntur, & imponuntur initiandis; & quia qui probatæ ſunt, & exploratæ vitæ, ex omnibus eligũtur populi ſuffragiis: id enim plerumq; eſt χειροτονέω. Electionem autem fieri populi ſuffragiis, vel certè cum eius approbatione, docet primùm Matthiæ, deinde ſeptem Diaconorum electio: quam conſuetudinem in Eccleſia ſeruatam eſſe diu conſtat ex Clem. lib. 8. cõſt. cap. 2. vbi omnino ad Epiſcoporum ordinationem populi ſuffragia requiruntur. Ex quo apparet vtrũmq; Apoſtolum Epiſcopum eſſe, quando preſbyteros conſecrare potuerunt.

Suffragia, aut probatio populi in electione Epiſcoporum

An verò hi Sacerdotes fuerint 9.
ſimplices, vel Epiſcopi, obſcurum eſt: nam primis Eccleſiæ temporibus *preſbyteri* vox vtriſque videtur eſſe communis, ſicut etiam *Epiſcopi*. De preſbytero colligitur ex epiſt. ad Titũ c. 1. vbi cùm Apoſtolus iuſſiſſet priùs, vt preſbyteros conſtituat, mox deſcribit qualiter futuri ſint Epiſcopi, illi nempe quos à Tito conſtitui priùs imperarat. Et 1. ad Timotheum cap. 4. monet Timotheum, ne negligat gratiam, quæ data eſt illi per manus preſbyterij, id eſt, chori preſbyterorum, hoc eſt, Epiſcoporum, vt communiter omnes Græci. Et infrà capite 20. qui priùs dicuntur *maiores natu*, Græcè preſbyteri, poſtea vocãtur *Epiſcopi*. Quòd etiam *Epiſcopi* nomen ad preſbyteros quoque pertineat, præter ea, quæ dicta ſunt (nam illa vtrumque confirmant) confirmatur ex epiſt. ad Philip. cap. 1. vbi Paulus ſalutat Epiſcopos, & Diaconos, qui Philippis ſunt: vbi ſine dubio preſbyteros intelligit; nam plures Epiſcopi in vna ciuitate non erant: ſicut neque Act. 20. in Epheſo. Quare incertum eſt an qui conſtituti ſunt ab Apoſtolo, Epiſcopi fuerint, an qui communi vocabulo dicuntur preſbyteri.

Duæ voces *preſbyter*, & *Epiſcopus*, cõmunes Sacerdotib. & Epiſcopis.

Verſ. 25. *Vnde erant traditi gratiæ Dei.*] Agit hîc de Antiochia Syriæ, 10.
vnde à Spiritu ſancto ſegregati fuerant ad opus, ad quod aſſumpſit eos, vbi impoſitis aliorum manibus dimiſſi ſunt; quod de ordinatione in Epiſcopos explicari poſſe diximus. Hinc duplex ex hoc loco occurrit ſenten

Digitized by Google

ſententia: prior, quia Spiritus ſanctus Dei gratia dicitur; & Spiritui ſancto Apoſtoli ſegregati dicuntur ſuprà cap. 13. *Segregate*, inquit Spiritus ſanctus, *mihi Paulum, & Barnabam*; ideo traditi dicuntur gratiæ Dei, id eſt, Spiritui ſancto relicti, vt ei regendos ſe, & verſandos omnino permitterent. Et ſanè, vt ex multis infrà conſtat, ſæpe hos Spiritus ſanctus, & mittebat in prouincias, & ciuitates, & ab aliis ſæpe reuocabat.

II. Hypallagevſitata. Altera eſt, veniſſe illos in Antiochiam, vbi erant traditi gratiæ Dei, id eſt, ordinati Epiſcopi, in qua ordinatione tradita illis erat gratia Dei, per figuram hypallagem ſatis in Scriptura frequentem, qualis eſt illa Pſal. 44. *in Sole poſuit tabernaculum ſuum*, id eſt, in tabernaculo ſuo poſuit Solem. Eſt accommodatum illud Iudic. 1. vbi vulgatus habet; *tradentes cunctam incendio ciuitatem*. Heb. eſt, *ciuitatem miſerunt in ignem*, id eſt, ignem in ciuitatem. Sed obſtat huic explicationi, quia infrà capite 15. Paulus cum Sila profectus eſſe dicitur, *traditus gratia Dei à fratribus*; ſed iam antè Paulus Epiſcopus erat. Quare placet magis expoſitio prior; niſi mauis traditos gratiæ Dei ideo dictos eſſe, quia commendati ſunt à fratribus diuinæ gratiæ fauſtis acclamationibus, & votis: quod qui bene aliis cupiunt, cùm in difficilem prouinciam abeunt, precari ſolent. Et de hoc ſecundo diſceſſu Pauli ab Antiochenis ita videtur eſſe dicendum.

Digitized by Google

COMMENTARII IN ACTVS APOSTOLORVM.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

1 *ET quidam deſcendentes de Iudæa docebant fratres: * Quia niſi circuncidamini ſecundùm morem Moyſi, non poteſtis ſaluari.*
2 ** Facta ergo ſeditione non minima Paulo, & Barnabæ aduerſus illos, ſtatuerunt vt aſcenderent Paulus, & Barnabas, & quidam alij ex aliis ad Apoſtolos, & Presbyteros in Ieruſalem, ſuper hac quæſtione.*
3 ** Illi ergo deducti ab Eccleſia pertranſibant Phœnicem, & Samariam, narrantes conuerſionem Gentium: & faciebant gau-*
4 *dium magnum omnibus fratribus. * Cùm autem veniſſent Ieroſolymam, ſuſcepti ſunt ab Eccleſia, & ab Apoſtolis, & ſenio-*
5 *ribus annunciantes quanta Deus feciſſet cum illis. * Surrexerunt autem quidam de hæreſi Phariſæorum, qui crediderunt, dicentes: Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque ſeruare*
6 *legem Moyſi. * Conuenerúntque Apoſtoli, & ſeniores vide-*
7 *re de verbo hoc. * Cùm autem magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Euangelij, & credere. * Et qui nouit corda Deus, teſtimonium perhibuit, dans illis Spiritum ſanctum, ſicut & no-*
8 *bis, * & nihil diſcreuit inter nos, & illos, fide purificans cor-*
9 *da eorum. * Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos porta*

*portare potuimus? * Sed per gratiam Domini Ieſu Chriſti* 11
*credimus ſaluari, quemadmodum & illi. * Tacuit autem om-* 12
nis multitudo: & audiebant Barnabam, & Paulum narrantes
quanta Deus feciſſet ſigna, & prodigia in Gentibus per eos. Et* 13
poſtquam tacuerunt, reſpondit Iacobus, dicens: Viri fratres au-
*dite me. * Simon narrauit quemadmodum primùm Deus vi-* 14
*ſitauit ſumere ex Gentibus populum nomini ſuo. * Et huic con-* 15
*cordant verba Prophetarum, ſicut ſcriptum eſt: * Poſt hæc re-* 16
uertar, & reædificabo tabernaculum Dauid, quod decidit: &
*diruta eius reædificabo, & erigam illud: * Vt requirant cæ-* 17
teri hominum Dominum, & omnes gentes, ſuper quas inuocatũ
*eſt nomen meum, dicit Dominus faciens hæc. * Notum à ſæcu-* 18
*lo eſt Domino opus ſuum: * propter quod ego iudico non inquie-* 19
*tari eos, qui ex Gentibus conuertuntur ad Deum, * ſed ſcribe-* 20
re ad eos, vt abſtineant ſe à contaminationibus ſimulachrorum,
*& fornicatione, & ſuffocatis, & ſanguine. * Moyſes enim à* 21
temporibus antiquis habet in ſingulis ciuitatibus, qui eum prædi-
*cent in Synagogis, vbi per omne Sabbathum legitur. * Tunc* 22
placuit Apoſtolis, & ſenioribus cum omni Eccleſia, eligere viros
ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo, & Barnaba, Iudam,
qui cognominabatur Barſabas, & Silam viros primos in fratri-
*bus, * ſcribentes per manus eorum.* APOSTOLI, *& ſenio-* 23
res fratres his, qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus
*ex Gentibus ſalutem. * Quoniam audiuimus quia quidam ex* 24
nobis exeũtes, turbauerũt vos verbis, euertẽtes animas veſtras,
*quibus non mandauimus: * placuit nobis collectis in vnum, eli-* 25
gere viros, & mittere ad vos cũ chariſſimis noſtris Barnaba, &
*Paulo, * hominibus, qui tradiderunt animas ſuas pro nomine* 26
*Domini noſtri Ieſu Chriſti. * Miſimus ergo Iudam, & Si-* 27
*lam, qui & ipſi vobis verbis referent eadem. * Viſum eſt* 28
enim Spiritui ſancto, & nobis nihil vltrà imponere vobis one-
*ris quàm hæc neceſſaria: * vt abſtineatis vos ab immolatis* 29
ſimulachrorũ, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione, à quibus

30 *cuſtodientes vos, bene agetis. Valete. * Illi ergo dimiſſi, de-*
ſcenderunt Antiochiam: & congregata multitudine tradide-
31 *runt epiſtolam. * Quam cùm legiſſent, gauiſi ſunt ſuper conſo-*
32 *latione. * Iudas autem, & Silas, & ipſi cùm eſſent Prophe-*
tæ, verbo plurimo conſolati ſunt fratres, & confirmauerunt.
33 ** Facto autem ibi aliquanto tempore, dimiſſi ſunt cum pace à*
34 *fratribus ad eos, qui miſerant illos. * Viſum eſt autem Silæ*
35 *ibi remanere: Iudas autem ſolus abiit Ieruſalem. * Paulus au-*
tem, & Barnabas demorabantur Antiochiæ docentes: & euan-
36 *gelizantes cum aliis plurimis verbum Domini. * Poſt ali-*
quot autem dies, dixit ad Barnabam Paulus: Reuertentes vi-
ſitemus fratres per vniuerſas ciuitates, in quibus prædicauimus
37 *verbum Domini, quomodo ſe habeant. * Barnabas autem*
volebat ſecum aſſumere & Ioannem; qui cognominabatur
38 *Marcus. * Paulus autem rogabat eum (vt qui diſceſſiſſet*
ab eis de Pamphylia, & non iſſet cum eis in opus) non debere re-
39 *cipi. * Facta eſt autem diſſenſio, ita vt diſcederent ab inuicem,*
& Barnabas quidem aſſumpto Marco nauigaret Cyprum.
40 ** Paulus verò electo Sila profectus eſt, traditus gratiæ Dei à*
41 *fratribus. * Perambulabat autẽ Syriam, & Ciliciã, confirmans*
Eccleſias: præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorũ, & ſeniorum.

IN CAPVT DECIMVM-QVINTVM ACTVVM APOSTOLORVM.

Verſ. 1. N*Iſi circuncidamini ſecundùm morem*
1. *Moyſis.*] Hæc ſeditio excitata eſt à Cerintho, vt tradit Epiphanius hæreſi 28. Neque eſt improbabile eos, qui circunciſionem neceſſariam eſſe dicebant, id etiam voluiſſe, vt vniuerſa quoque lex Moyſis ſeruaretur, iuxta illud Pauli ad Galat. c. 5. *Teſtificor autem rurſus omni homini circuncidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ.* Quod etiam mox indicat Petrus, qui id agere oſtendit Iudæos circunciſionis neceſſitatem obiicientes, vt vniuer-

ſæ

ſæ legis onera fidelibus imponerent. *Quid tentatis*, inquit, *Deum imponere iugũ ſuper ceruices diſcipulorũ, quod neque nos, neq; patres noſtri portare potuimus?* Certè id magis explicuerunt, qui erant de hæreſi Phariſæorum, de quibus infrà, & de his coactum eſt Apoſtolorum Concilium.

Verſ. 2. *Facta antẽ ſeditione nõ minima Paulo, & Barnabæ aduersùs illos.*]
2. Seditio idẽ quod diſceptatio. Pro *ſeditione*, Græcè eſt στάσεως, & infrà, καὶ συζητήσεως, quæ *tumultum*, & *diſceptationem* ſignificat, & quod Hiſpanicè dicitur *queſtion*, id eſt, acrior diſputatio. *Seditio* hîc nil ſignificat ab odio profectum; ſed tantùm ſtudium, atque conatum veritatis defendendæ contra impugnatorum contentionem, & vim Porrò *Paulo*, & *Barnabæ* in datiuo ſunt, & vim habent agentis perſonæ; quæ apud Latinos ſæpius in paſſiua voce in ablatiuo ponuntur. Quare ſenſus eſt, Paulum, & Barnabam contentionem ſuſcepiſſe contra eos, qui circuncisionem neceſſariã putabãt.

Verſ. 6. *Conueneruntque Apoſtoli, & ſeniores videre de verbo hoc.*]
3. Quinam conuenerint in primum illud Concilium docet Clemens lib. 6. Conſtitut. cap. 12. vbi dicit omnes adfuiſſe Apoſtolos. Baronius interfuiſſe putat tantùm ex Apoſtolis Petrum, Paulum, Ioannem, Iacobum, & Barnabam: quia horum tantùm meminit Paulus ad Galat. 2. ſed ſupponit ibi loqui Paulum de aduentu ſuo ad Concilium; cùm tamen nos ſuprà de alio quodam aduentu locutum dixerimus. Res eſt omnino incerta.

Verſ. 7. *Surgens Petrus dixit ad eos.*]
4. Cùm aliquantulùm eſſent inter ſe, qui conuenerant, tumultuati, antequam dicta eſſet ab aliquo ritè, atque legitimè ſententia, vt vſu fit in magnis hominum conuentibus, ſurrexit Petrus non ſolùm eius Concilij; ſed etiam totius Eccleſiæ caput, qui, vt authoritate Princeps, ſic etiã primus, & diſſidentes compoſuit, & quid facto opus eſſet, definiuit.

Vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Euangelij.] Ex 5.
his conſtat longè ante hoc tempus In principio Eccleſiæ conuerſus Cornelius.
conuerſum eſſe Cornelium; illud enim, *ab antiquis diebus*, ſatis indicat primum Eccleſiæ tempus. Græcè ἀρχαίων, quæ vox non ſolùm *antiquum*, ſed etiam *primum tempus*, idq; propriè ſignificat; quale ſanè non eſt nonus annus, aut decimus ab Aſcenſione, in quo ab aliquibus Cornelius conuerſus eſſe creditur, maximè in tam breui ſpatio: nam vt Baronius putat, hoc Concilium coactum eſt decimoquinto, aut decimoſexto anno ab Aſcenſione, anno nempe decimoquarto à conuerſione Pauli. Quomodo ab antiquis, ſeu à primis Eccleſiæ temporibus conuerſus eſt Cornelius, ſi ſeptimo anno ante Concilium, & nono, aut decimo ab Aſcenſione ad Eccleſiam acceſſit? An dici antiquum poteſt, quod in ſpatio adeò breui tam longè à principio; tam propè abeſt ab eo tempore, in quo ſermo eſt? Ex quo fit, in ipſo propè Eccleſiæ principio apertum eſſe aditum ad Gentes, vt latè probabimus in tractatu de aduentu Iacobi in Hiſpaniam, quem ad finem addidimus.

Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes.] Significat Petrus inter 6.
omnes Apoſtolos (id enim eſt, *in nobis*, id eſt, inter nos) electum ſe fuiſſe à Deo, qui Gentibus Euangelium annunciaret. Ex quo videtur indicare ſibi à Domino oſtenſam eſſe, aut certè oſtendi debuiſſe formã, quæ in earum conuerſione ſeruari debuerit. Indicat autem quod de

Digitized by Google

Cornelio ſuprà c. 10. ſcriptum eſt, cuius ibi teſtes videntur adfuiſſe: neque enim fruſtra dicitur, *vos ſcitis*. Ex eo verò probat circunciſionem neceſſariam non eſſe: quia non minùs in præputio Gentibus, quàm in circunciſione Iudæis Spiritus ſanctus datus eſt. Quod etiam paulo inferiùs docent Paulus, & Barnabas, dum narrant quanta Deus feciſſet in Gentibus prodigia, quæ tamen circunciſæ non erant. Quæ ſigna non videbatur Deus editurus, niſi conuerſionem illam ſine circunciſione ſatis eſſe ad ſalutem probaſſet.

Verſ. 9. *Fide purificans corda eorum.*]
7. *Fides*, pro feſſio Chriſtiana, aut Euangelium.
Suprà cap. 7. Stephanus dixerat, Iudæos incircunciſis cordibus ſemper Spiritui ſancto reſtitiſſe; corda autem magis circunciſa eſſe oportebat, quàm corpus expoliatione carnis. Nunc Petrus ſatis eſſe dicit Gentibus, ſi corda habeant circunciſa, id eſt, purificata ab eo, quod inane eſt, & ſordes allinit; id Gentes aſſecutas eſſe dicit à Spiritu ſancto. Hanc Paulus ad Coloſſ. 2. *circunciſionem* appellat *non manu factam in expoliatione corporis carnis, ſed circunciſione Chriſti. Fides* hîc pro Euãgelio videtur poſſe ſumi, aut profeſſione Chriſtiana, à qua Chriſtiani *fideles* appellantur, prout à lege diſtinguitur. Et reuerà fides circuncidit hominem, mitiùs quidem quàm lex, multo tamẽ potentiùs, atque abundantiùs; vt quæ totum hominem circuncidat, & amputato veteri, & terreno, in nouum hominem, id eſt, Chriſtum, transformet. Qua verò ratione fides purificare dicatur, & iuſtificare, vide ſuprà cap. 10. ad illud; *qui credit in eum*. Vbi, vt puto, *credere* in eo ſenſu dicitur, quo hîc *fides*.
Quomodo fides iuſtificat.
Dicuntur autem Chriſtiani fide purificati, qua ratione etiam dicuntur ſancti, quia eò fides ſpectat; & ſi quis velit operari ex fide, id tandem aſſequitur. Quòd ſi *fides* pro Euangelio ſumitur, vt in his Actis ſæpe, res eſt magis clara.

Verſ. 11. *Sed per gratiam Domini Ieſu Chriſti credimus ſaluari, quemadmodum & illi.*] Non illis, id eſt, Hebræis ſalutem attulit lex, ſed fides in 8.
Chriſtum, *qui iuſtificat circunciſionem ex fide, & præputium per fidem*; vt dicitur ad Rom. cap. 3. Vt ergo illi antiqui patres per gratiam Chriſti ſalui facti ſunt, ſic per eundem Chriſtum Gentes, quibus ſe non minùs quàm Iudęis impertit. Vide 3. cap. ad Rom. qua de re Scholaſtici latiſſimè. Et ideo Apoc. 3. Agnus dicitur occiſus ab origine mundi, quia non ſolùm tunc præfiguratus eſt ſacrificiis & à Prophetis prænunciatus; ſed etiam eius ſanguis cœpit hominum mederi vulneribus.
ad Rom. 3

Verſ. 13. *Et poſtquam tacuerunt, reſpondit Iacobus.*] Quinam fuerit Iacobus iſte, qui etiam ab Apoſtolo ad Galat. 1. *frater Domini* dicitur; & an Apoſtolus fuerit, qui Maij primo die celebratur, controuerſum eſt. Vide Turrianum in Clemen. lib. 6. Conſt. cap. 12. qui negat Apoſtolum fuiſſe. Alij affirmant, vt Baronius in Martyrologio 1. die Maij, & 1. to. Annal. anno 34. Res eſt non omnino certa, communiter tamen exiſtimatur Iacobus iſte Apoſtolus fuiſſe, qui fuit Alphæi filius, & frater Domini vocabatur. Certum eſt autem hunc fuiſſe Epiſcopum Hieroſolymitanum, & ideo iuſſum à Petro ſententiam dicere, vt ſubditorum ſibi, qui controuerſiam mouerant, ſua quoque auctoritate animos pacaret.
9. Iacobus Epiſcopus Ieruſalem, an Apoſtolus.

Verſ. 14. *Deus viſitauit ſumere ex Gentibus populum nomini ſuo.*] Pro, 10.
viſitauit, Græcè eſt ἐπεσκέψατο, quod ſignificat & *viſitare*, vt reddit vulgatus; quod cùm in vtramque partem,

&

Digitized by Google

& bonam,& malam aſſumatur, hîc
ſine dubio ſumitur in bonam; &
conſiderare,cogitare,& attendere;vnde
ἐπίσκοπος,*attentus* dicitur,& *ſpecula-
tor*. Hîc ergo vtrumque videtur ſi-
gnificare hoc ſenſu: Reſpexit Do-
minus Gentes, vt viſitaret illas, be-
nignè vtique, vt ex eis nomini ſuo,
id eſt, ſibi ipſi populum aſcriberet:
vel viſitauit ſumere,id eſt, vt ſume-
ret. Hiſpanè *puſo en ellos los ojos para
hacer los de ſu caſa*. Sic puto breuius,
11. & clarius: *ſtatuit Dominus ex Genti-
bus parare ſibi populum*. Eſt autem in
noſtro Interprete vſitatum, vt cùm
vox vna duo diuerſa ſignificet, alte-
ram ſumat ſignificationem, minùs
interdum propriam; ſed ex qua per
metalepſim ad aliam gradus fiat.
Quod etiam apud aliarum lingua-
rum principes ſæpe fit. Vide quæ di-
ximus in illud Pſalm.67. *Etenim non
credentes*. vbi exempla plurima.

Regul. Ex duabus ſignificationibus aliquando ab Interprete ſumitur minùs propria.

Verſ. 15. *Et huic concordant ver-
12. ba Prophetarum*] Cùm Iacobus, in-
quit Chryſoſtomus, non haberet ſi-
gna, quibus Deus Gentium conuer-
ſionem probauiſſet, quæ in Conci-
lio exponeret,ſicut fecerunt Petrus,
Paulus, & Barnabas, adduxit omni
ſigno firmiorem propheticum ſer-
monem, qui multo priùs hæc tem-
pora futura prædixit: licèt Clem.
lib. 6. Conſt. cap. 12. dicat à Petro
fuiſſe quoque producta Propheta-
rum teſtimonia. Sumptum verò te-
ſtimonium eſt ex Amos cap. 9. cuius
non tam verba citat Iacobus quàm
ſententiã. Narrarat priùs Propheta
ruinam domus Dauid, vaſtationem
præcipuè duarum tribuum; hîc ve-
rò ſignificat rediturum Deum ad
antiquam manſuetudinem (id enim
valet illud, *reuertar*, quod addidit Ia-
cobus, cùm non eſſet apud Amos)
& inſtauraturum, quæ ex Regio
illo tabernaculo collapſa fuerant.
Vt autem omnes iuſti filij dicuntur
Abraham (vt Chriſtus dixit Lucæ
19. qui Zachæum, qui ex multorum
ſententia Gentilis erat, filium ap-
pellauit Abraham,& Iſraël Dei vo-
cantur, qui Chriſti doctrinam am-
plexi ſunt, ad Galat. 6. & vtrumque
coniunxit Apoſtolus ad Rom. 9.
*Non omnes qui ex Iſraël, ij ſunt Iſraë-
litæ; neque qui ſemen ſunt Abrahæ, om-
nes filij: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſe-
men*, id eſt, non qui filij carnis, &c.)
ſic hoc loco domus Dauid, ſeu ta-
bernaculum eſt iuſtorum congre-
gatio. Domus verò Dauid, quocun-
que modo ſumatur, ſiue ſpirituali,
ſiue materiali ſenſu, magna ex parte
ceciderat dilapſis ad Ieroboam de-
cem tribubus; & pòſt iiſdem exter-
no domino in prædam, & ſeruitu-
tem datis. Hæc verò Euangelij tem-
pore inſtauranda dicitur facta vn-
decunque Gentium acceſſione ma-
gna, quæ domum Dauid fidelem
ingredientur, id eſt, Eccleſiam, quæ
domus Chriſti eſt. Dauidis verò no-
mine Chriſtum ſignificari nemo
dubitabit, qui nouerit typum ali-
quando ſumi pro re ſignificata; vt
nos pluribus oſtendimus c. 7. n. 50.

Quomodo inſtaurata domus Dauid Gentium acceſſione.

Quod verò hîc Amos ſumpta ex
tabernaculo metaphora oſtendit, il-
lud idem Paulus ad Rom. 11. non
minùs eleganter, & ſignificanter ex-
preſſit ſimilitudine oliuæ, quæ ſpo-
liata ramis, quos vel fregit vento-
rum vis acrior, vel decuſſit ſecuris
inimica, alienis ſurculis ex oleaſtro
ruinam illam, ac ſtragem compleuit.
Sic Gentes in Iudæorum locum, qui
ceciderunt, ſuffectæ ſunt.

Verſ. 17. *Super quas inuocatum eſt
nomē meum.*] Phraſis vſitata in Scri- 13.
ptura. Eſt autem *inuocari nomen Dei
ſuper aliquem*, per quandã hypallagē,
idem quod aliquem vocari nomine
Dei; quemadmodũ Eccl. 36. Græcus
textus

Inuocari nomen alicuius ſuper aliquem ſubiectionē indicat.

textus expreſſit: nam vbi vulgatus habet, *miſerere plebi tuæ, ſuper quam inuocatum eſt nomen tuum.* Grecè dicitur, *populum vocatum nomine tuo.* Sed eſt omnino ſenſus idem. Super illum ergo dicitur inuocari nomen Domini, qui Domino ſubiectus omnino eſt, & illius populus, & poſſeſſio. Nam qui eiuſmodi ſunt, ab eo nomẽ ſumunt, cuius obſequio ſunt addicti. Quare populus Dei dicitur Iſraël, & Gentes iam ad fidẽ vocatæ. Expreſſit hanc vim optimè Iſai. cap. 63. *Facti ſumus*, inquit, *ſicut in principio, cùm non dominareris noſtri, neque inuocatum eſſet nomen tuum ſuper nos.*

Verſ. 19. *Propter quod ego iudico.*]

14. Hinc hæretici occaſionem arripiunt potiùs inuitam, quàm aſſumunt oblatam, vt Petro primam, & ſummam authoritatem adimant in Eccleſia: quando Hieroſolymitanus Epiſcopus poſt Petrum tanquam eo in loco ſuperior definit, & Petri ſententiam moderatur, & temperat. Sed reuerà hæc Iacobi ſententia, ſiue decreti moderatio, nihil incommodat Petri authoritati: neq; enim illud, *iudico*, definientis eſt, aut aliquid decernentis quod inconcuſſæ authoritatis pondus habeat; ſed potiùs prudenter opinantis ita futurum ex vſu Eccleſiæ tunc primùm coaleſcentis ex Iudæo, atque Gentili. Verbum enim κρίνω, quo vſus eſt Lucas, & *iudico*, quod adhibuit Interpres; non ſemper eſt decernere, aut definire; vt vtriuſque linguæ peritis notum eſt: ſed etiam opinari, atque exiſtimare; ſicut etiam *iudicium* non eſt ſemper decretum, ſed interdum ſententia, vel opinio. Vnde tritum illud, *meo iudicio*, id eſt, vt ego exiſtimo, &, *vt ego iudico*, id eſt, vt mihi videtur.

Hæreticorum calũnia cõtra Petri excellentiam.

15. Laudat ergo Iacobus Petri decretum, accipítque tanquam certum, ſentit tamen non oportere ſtatim ex omni parte executioni mandari, quia imperitis illius veritatis Catholicę Iudęis offenſioni eſſe poterat, ne ad Eccleſiam accederent. Hoc verò maximè à Iacobo propoſitũ oportuit, qui Iudæorum erat Epiſcopus, eorúmque mores & præclarè nouerat, & quid eorum ſtudium in Religionem noſtram maximè retardaret, vſu didicerat.

Nil decernit Iacobus, ſed proponit quid ex vſu futurum ſit.

Quod ſanè feciſ- 16.
ſet, ac monuiſſet Petrus Iacobo etiã tacente; qui vt iis, qui ab eodem Iacobo miſſi fuerant in Antiochiam, offenſionis occaſionem præcideret, illorum ſe moribus accommodauit; qui tunc licèt mortui eſſent, non tamen mortiferi, quia neque dum omnino Synagoga ſepulta: quos tamen ſeruandos non eſſe docuerat; neque ipſe cùm inter Gẽtes ageret, ſeruaret. Vide epiſtolam ad Galat. cap. 2. Poſtea verò cùm iam vires aſſumpſit Chriſtiana Religio, omnino ſeruatum eſt, quod tunc à Petro Eccleſiæ toti propoſitum fuit. Neque, credo, Paulus tacuiſſet, ſi Iacobi non interceſſiſſet oratio, qui ne Iudæis impedimenti aliquid oſtenderet ad fidem, & vt eorum infirmitati conſuleret, multa fecit, à quibus ſciebat ſe liberum, quæq́ue ipſe poſtea ſeuerè damnauit. 1. Corinth. 9. *Factus ſum*, inquit, *Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer, iis, qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem*, &c. Ille Timotheum circuncidi fecit, vt Iudæorum opinioni ſeruiret. Act. 16. Ille caput ſibi more totondit Iudaico; infrà cap. 18. Ille Hieroſolymis ſe antiquo ritu purificauit, vt ſtudioſum legis ſe eſſe probaret Iudæis. Neque tamen hæc in Concilio exceperat Iacobus. Non ergo decretum eſt debere fideles abſtinere à ſuffocato, & ſanguine: ſed viſum eſt in aliquod tẽpus Iudæorum

Multa fecerunt Petrus, & Paulus ne Iudæos offenderent.

infir

infirmitati eſſe indulgendum; quod de circumciſione, & purificatione in aliquo articulo in vſum fore rei Chriſtianæ iudicauit Paulus. Adde quòd dubium non erat abſtinendum à fornicatione; ab illa tamen cauendum dixit Iacobus, non quidem decernens quod naturali lege præſcriptum erat; ſed ſignificans quid maximè Iudæorum animos offenderet, & quid maximè Gentibus commendatum oporteret. Rationem verò reddit Iacobus cur iniungi hæc Gentibus debeant, cùm nihil interea de Iudæis dicat; quia cùm per ſingula Sabbatha Moyſes legatur in Synagogis, id eſt, Pentateuchus, vbi lex continetur, nemo illorum eſt, qui legem ignoret, quæ de fornicatione,& immolato cauet. Cúmque alia omnia à lege interdicta execrentur Iudæi;ad hæc tamen, quæ propoſuit Iacobus, magno fa-
17. ſtidio nauſeant. Quæ cùm facilè vitari à Gentibus poſſent, non erat difficile ab illis obtinere, ſibi vt ab eorum vſu aliquandiu temperarent.

Gentes in fornicatione nullum putabant eſſe flagitium.

Fornicationis verò præcipuè meminit, quia cùm apud Gentes nulla lege interdici, nullo ſupplicio mulctari conſtaret, vel in ea non eſſe flagitium exiſtimabant. vel certè illi audaciùs, & ſæpiùs indulgebant, adeò vt caſtum virum, ac pudicum prodigij cuiuſdam inſtar ducerent. Vnde Chriſtiani quòd tantopere caſtitatem amarent, admirationi Gentibus eſſe cœperunt, vt indicat Petrus 1. epiſt. cap. 4. *In quo* (inquit) *admirantur Gentes, non concurrentibus vobis in eadẽ luxuriæ confuſionem.* Quare, vt optimè aduertit Caiet. Paulus 1. ad Theſſal. 4. Theſſalonicẽſes admonet, vt abſtineant à fornicatione, quia Gentiles exiſtimabant fornicationem non eſſe peccatum.

Viſum eſt ergo pro illa tempo- 18.
rum ratione ex vſu fore rei Chriſtianæ, ſi temporarium præceptum imponeretur Gentibus, ne ea propter Iudæorum ſcandalum facerent, quorum aliqua ſine illo omnino facere licuiſſet. Non eſt autem infrequens, vt temporũ ratio id fieri nõ ſinat,quod natura ſua cuilibet ſalua Religione permiſſum eſt. Id verò non coarctat Petri decretum, quo definit deſiiſſe iam antiquam, id eſt, Moſaïcam legem obligare; ſed cenſet id quod ab antiqua Religione vim habet nullam; à charitate propter ſcandalum habere poſſe vel maximam. Quod ergo de ſuffocato, & ſanguine Gentibus iniungitur, non antiquum, & Moſaïcum præceptum eſt,quod iam exoleuiſſe definit Concilium; ſed nouum, & Apoſtolicum. Eſſe verò hoc præceptum, & non conſilium tantùm, oſtendunt duo verba in decreto poſita, nempe *onus*, & *neceſſaria*, quæ legis indicant naturam. Vide Turrianum lib. 1. pro canonibus Apoſt. cap. 5. & P. Gab. Vaſquez to. 2. in 1. 2. diſp. 152.

Hoc verò præceptum aliquan- 19.
diu duraſſe in Eccleſia docet Tertul in Apolog. cap. 9. & Concilium Gangrẽſe cap. 2. & Aurelian. 2. can. 19. quod etiam renouatum eſt in Vormacienſi cap. 65. Tempore Aug præceptum hoc, quoad ſuffocatum, & ſanguinem, aut antiquatum erat, vt ex lib. 32. contra Fauſtum cap. 13. veriſimile fit, aut certè iam magna ex parte languebat. De immolatitiis verò cibis diuturnior vis, cuius etiam meminit Auguſt. epiſt. 154. & Leo Papa epiſt. 77. Et Longobardorum tempore aliquot Chriſtiani occiſi ſunt, eo quòd immolatis veſci noluerunt. Vide Greg. lib. 3. Dialog. cap. 27.

Quandiu in Eccleſia abſtinentia à ſuffocato, ſanguine, & immolatis.

20. *Quando ſcripta ep. 1. ad Corinth.*

Verſ. 20. *Ab idolorum contaminationibus.*] Hæc ſunt idolothyta, quæ ſordes, & abominationem traxerunt à ſordidis, & abominandis ſimulacris. De his Corinthij à Paulo quæſierunt 1. Corinth 8. & 10. Ex quo veriſimile alicui videri poſſet, epiſtolam illam ante hoc Concilium ſcriptam eſſe, ſicut ſuprà propter eandem rationem ante Concilium epiſtolam ad Galatas datam eſſe oſtendimus. Meminiſſet enim Paulus Apoſtolici decreti, in quo ſpecialiter de cibis immolatitiis definitum erat. Neque Paulus tantùm circa illos cibos facultatis tribuiſſet Corinthiis. Reſpondit enim id, quod rerum ferebat natura, non eſſe curandum an illi cibi aliquando idolorum altaria tetigiſſent; cùm idolum ſit omnino nihil, conſiderandum tamen ne infirmorum conſcientiæ damno ſit, quibus illud diuerſæ Religionis teſtimonij inſtar erit. At poſt præceptum illud Gentibus traditum, reſponderet ſanè Paulus omni ratione ab illis eſcis eſſe temperandum. Hæc profectò amplecterer libenter, neque difficultatem haberet magnam quæſtio difficilis; ſed planè conſtat ex Actis Paulum poſt Concilium adiiſſe Corinthum: nam eò profectus dicitur cap. 18. Act. cùm de Concilio coacto actum fuerit cap. 15. & Paulus ipſe 1. Corinth. 2. antequam ageret de idolothytis, refert ſe ad illos veniſſe. Neque apparet ex Pauli geſtis quo alio tempore ante Concilium inter Corinthios eſſe potuerit.

21. *Cur Paulus 1. ep. ad Cor. non meminit Cõcilij Apoſtolorum.*

Videri alicui poſſet fuiſſe quidem Apoſtolum apud Corinthios, nihil tamen illis tradidiſſe de Apoſtolicis præceptis; cùm verò abſente Paulo illa ab aliis accepiſſent, voluiſſe ea de re à Paulo communi Gentium Doctore inſtrui. Cùm verò Paulus mores illorum noſſet, & coràm inſtitui commodius putaret, quàm per literas; noluiſſe tunc proponere quid in Concilio Apoſtolis placuiſſet: ſed tantùm docuiſſe quid rerum ipſarum natura poſtularet, reliquis in aliud tẽpus magis opportunum reſeruatis. Sicut etiam in Gentibus noſtra ætate ad fidem vocatis aliqua non ſtatim ab Euangelico Doctore proponuntur, ne animi rei difficultate deterriti, horreant Euangelium, donec paulatim condocefacti mitioribus præceptis, duriora minùs quàm antea grauatè ſuſcipiant. Atque ideo neque cùm primùm ingreſſus eſt Corinthum Paulus, neque poſtea per literas quicquam egit, quia nondum apparebat ſatis apta maturitas. Hæc quidem veriſimilia ſunt, neque à Pauli inſtituto aliena, qui ſe diſcipulorum moribus, atque infirmitati attemperabat. Quare in Euangelica doctrina paruulis, quales tunc erant Corinthij, non dura propoſuit, ſed mollia, ac dulcia; non quæ repellerent, ſed quæ allicerent rudes diſcipulos, neque admodùm Euangelicæ ſeueritatis amantes. Quod ipſe in eadem epiſtola 1. indicauit cap. 3. Sic enim ad Corinthios. *Et ego fratres*, inquit, *non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus; ſed quaſi carnalibus; tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis; ſed nec nunc quidem poteſtis, adhuc enim carnales eſtis.* Ex quibus ratio videtur reddi cur prius nihil de Apoſtolicis mandatis dictum ſit; neque nunc per literas dicatur, quia nondum ad illud ſatis ſunt idonei. Hæc ſolutio non videtur eſſe contemnenda; & fortaſſe nulla magis ad veritatem

ritatem. Sed quia res obſcura eſt, adducam aliam, quam, ſi prior minùs placuerit, lector amplectatur.

22. Veriſimile eſt Paulum Apoſtolica præcepta tradidiſſe Corinthiis: nam Act. 16. dicitur. *Cùm autem pertranſiiſſent ciuitates* (Paulus, & Timotheus) *tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis.* Eſt autem veriſimile Corinthios ex eo tam ſeuero edicto ſuſpicatos eſſe, aliquid eſſe idolum, à quo id haberet immolatus cibus, vt ſumi ſine culpa non poſſet; atque ea de re à Paulo inſtitui deſideraſſe; Paulum verò de decreto nihil, quod accepiſſent antea, ſed de decreti ratione pluribus egiſſe, ſcilicet de ſcandalo; ne quia Gentilibus eſſet familiare, ac ſolemne immolatos cibos quaſi ſacratos, & auertendis malis opportunos edere, ipſi, ſi ad aliorum inuitantium preces conniuerent, vel vltrò ſumerent, eiuſdem ſuperſtitionis ſocij putarentur, probarentque, quod omni ſtudio vitandum, atque omni faſtidio reſpuendum eſſet.

23. *Eſus idolothyti quaſi profeſſio Gentiliſmi.*

Ab immolatis ſimulacrorum.] Sicut in teſtamento veteri aliquibus victimis nullus niſi Sacerdos, aut ex Sacerdotis familia veſci poterat, Leuitic. 25. vnde qui alicui eiuſmodi cibum proponi videret, non temerè exiſtimaret illum eſſe præcipua quadam ratione Deo conſecratum; ſic etiam ſi quiſpiam idolothyta ſumeret, idolorum ſe cultorem profitebatur. Illo verò tempore cùm recens ab idolorum cultu conuerſi, praua Religione antè dudum imbuti, & in fide infirmi, maximè potentiorum vrgente Tyrannide ab ea, quam nuper ſuſceperant Religione deficiebant: tum etiam quia Ethnici erroris vel leuiſſima ſpecie Iudæorum offendebantur animi, cauendum fuit ne vel leuiſſima etiam ſigna animi, vel ad idololatriam proni, vel in Religione nutantis fideles præberent. Quocirca id ſedulò curabant Epiſcopi ne quiſquam ex impiis aris oblatis cibis veſceretur. Et quia in ea cura parum erat ſtrenuus Epiſcopus Thyatiræ, quòd pateretur inter ſuos verſari quandam Iezabel, quæ doceret manducare idolothyta, grauiter à Deo reprehenditur Apoc. cap. 2.

Et ſanguine.] Multi putant hîc prohibitum eſſe homicidium. Ita Tertul. libr. de pudicitia paulo ante medium, licèt in Apolog. cap. 2. de eſu ſanguinis etiam intelligat. Cyprianus libr. ad Quirinum. *Abſtinete vos*, inquit, *ab idololatriis, & ſanguinis effuſione.* Idem Eugubinus explicans illud Geneſ. 9. *Excepto quòd carnem cum ſanguine non comedetis.* Alij ne membrum viuum ex animali abſcinderent, illúdque abſumerent. Ita Abul. Lyra, Carthuſianus in cap. 9. Geneſ. vbi alios duos modos tradunt, ac probant. Alij prohibitum eſſe putant & hîc, & Geneſ. 9. ſanguinem expreſſum ab animali, ſiue purum, ſiue alio modo conditum. Ita tres nuper citati, & Tertul. in Apolog. cap. 8. 24. *In ſanguine nõ prohibetur homicidium.*

Difficile eſt hac in re aliquid certum ſtatuere; ſed mihi non malè videtur eſſe dicturus, qui cenſeret intelligenda hæc eſſe de ſanguine è viuo corpore expreſſo, vel in membro à viuenti animali amputato; vel etiam de ſanguine quouis alio modo hauſto, ſeu comeſo: hæc enim omnia vſitata in Gẽtibus. De ſanguine è vulneribus recenter effuſo, &, vt ita dicam, viuo, 25. *Veriſimile eſt tempore N. T. prohibitũ eſſe ſanguinem è viuo corpore expreſſum.*

Multi ſanguine victitant è viuis corporibus expreſſo.

teſtis eſt Tertul.ſuprà, qui docet humanum ſanguinem in fœdere pangendo bibi, quod non ſolùm familiare Scythis, vt tradit Herodotus, & nationibus aliis incultis, & barbaris vt docet Solinus, & Mela; ſed etiã Romanis vrbanis, & omni genere humanitatis excultis, vt de Catilina tradit Salluſtius; & in Belſonę ſacris initiari humano ſanguine tradit Minutius in Octauio, non longè à principio. *Iam*, inquit, *de initiandis tyrunculis fabula tam deteſtanda, quàm nota eſt. Infans farre contectus, vt decipiat incautos, apponitur ei, qui ſacris imbuitur; is infans à tyrunculo farris ſuperficie quaſi ad innoxios ictus prouocato cacis, occultiſque vulneribus occiditur. Huius prolis nefas ſitienter ſanguinem lambunt, huius certatim membra diſpertiunt.* Deinde non longè à fine agens de Bellona, dicit eius ſeruum hauſtu humani cruoris imbui. Deinde, vt erant ferini Gentilium mores, ab eo accepti qui à principio homicida eſt, ſanguinem ferarum more lãbebant, vt ait Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi 4. De aliis gentibus alia ſunt externorum teſtimonia. De Biſaltis, & Gelonis Vergil. 3. Georgic.

——————Inter
Ima ferire pedis ſalientem ſanguine venam
Biſalta quo more ſolent, acérque Gelonus,
Cùm fugit in Rhodopem, atque in deſerta Getarum;
Et lac concretum cum ſanguine potat equino.

De Sarmatis Plinius lib. 18. cap. 10. *Sarmatarum quoque gentes hac maximè pulte aluntur, & cruda etiam farina equino lacte, vel ſanguine è cruris venis admixto.* De iiſdem Clemens libr. 3. Pædag. *Homo Scytha equum capit, eóque incenſo geſtatur, & ſi fame conflictetur, equum cibariam poſcit: & ille venas exhibet, quémque ſolum poſſidet, domino ſuo ſanguinem impendit.* Et Martial. in Amphitheatro.

Venit & epoto Sarmata paſtus equo.

De Moſchis, & Sauromatis Sidonius in Panegyrico ad Auctum. De Maſſagetis Claudianus lib. in Ruffinum.

Et qui cornipedes in pocula vulnerat audax
Maſſagetes.——————

Eadem Seneca in Oedipode, & Lucanus lib. 3. & de Concanis, qui putantur eſſe Cantabriæ populi, iuxta Ptolomæum libr. 2. in deſcriptione Hiſpaniæ Tarraconenſis, Horatius lib. 3. Ode 4.

Et lætum equino ſanguine Concanum.

De hoc ſanguine recente adhuc, & pene viuo, aut de membro cum ſanguine à viuente abſciſſo, aut clariùs ex viua carne, accipit Caietanus illud Gen. 9. *Excepto quòd carnẽ cum ſanguine non comedetis.* Nam cùm integrum ibi feciſſet Noë, vt ſuo arbitratu omnia, quæ viuunt, & mouentur in terra, ad cibum adhiberet, excepit *carnem cum ſanguine*; pro quo in Hebr. eſt, *tantùm carnem in anima eius* (id eſt, dum eſt cum anima, & viuit) *ſanguine ipſius, non comedetis*, id eſt, cum anima, quæ ſanguis eius eſt, quia per ſanguinem animalis vita conſeruatur. Et idem placet P. Gabrieli Vaſquez 2. tom. in 12. diſput. 182. cap. 9. Ex eo verò loco videtur deriuatum eſſe præceptum, & deinde confirmatum Leuitic. 17. vbi ratio redditur; *quia anima carnis in ſanguine eſt.* Vbi Caietanus: *quia vita animalis conſiſtit in ſanguine, perinde eſt comedere ſanguinem, ac*

como

Digitized by Google

comedere vitam animalis, & comedere animal viuum more ferino. Idem etiã putat Eugubinus in Geneſ.9. licèt in metaphoricum ſenſum trahat, & pro homicidio ſumat. Qui ſenſus indicari videtur Deut. 12. *Caue ne ſanguinem comedas, ſanguis enim pro anima eſt, & ideo non debes animam comedere cum carnibus.*

Hinc ſæpe in Scriptura ſanguis pro vita ſumitur, qua ratione dicitur ab eo requirendus, qui alium occidit. Id verò apud externos frequens, qui ſanguinem eſſe animam, aut eſſe in ſanguine exiſtimarunt. Vnde illud Maronis libro 11. Æneid.

Purpuream vomit ille animam.——

26. Qui viuis paſcuntur hominũ, & aliorũ animaliũ carnibus.

Sed putabit fortaſſe non nemo, ſi cum Caietano, vt ſanè vero quamſimillimum eſt, præceptum illud traditum Geneſ.9. de carne viua interpretemur, otioſum omnino præceptum videri. Quis enim vnquam niſi fera viuis paſtus eſt carnibus? cur Deus præciperet id, à quo vſque adeò abhorreret natura ipſa? imò ad quod niſi vim adhibeas, nemo ſanus adigi poteſt? Dum in his hærerem (nam & hoc mihi minùs lege coërcendum videbatur) ſuſpicari cœpi prima illa ſæcula, quæ Noëticum diluuium anteceſsêre, fuiſſe vſque adeò in belluinos mores efferata, vt quæ cum Religione, & pudore, humanitatis quoque ſenſum exuiſsẽt, vt ferino quoque modo, & victu vitam propagarent. Vt enim quoad intemperantiam, & libidinem ætas illa corruperat viam ſuam, ſic etiam non eſt improbabile in omnem crudelitatem, & feritatem fuiſſe proiectam. Certè Ioſephus lib. Ant.1. cap. 4. talia commemorat patrata à Gigantibus, quos ætas illa ſuperior tulit, qualia ſuis etiam Gigantibus eſſe ſuſcepta fabulantur Poëtæ. Hi verò, vt de Polyphemo tradit Homerus Odyſſ.10. & de Leſtrigonibus Plinius lib.7. humanis carnibus, iiſdémque crudis, atque ſtillantibus ſanguine veſcebantur. Et ſicut fabuloſa plurima à ſacris literis deſumpta antiqui Poëtæ in ſuas fabulas incluſerunt; ſic fortaſſe hoc de viuis hominum, aut aliorum animalium carnibus in cibum adhibitis. Quod etiam apertè dicunt, qualicunque illi authoritate ſint, Beroſus, & cum eo Ioannes Annius de illius ſæculi Gigantibus: neque valdè diſſimilia Philo de Antiquitatibus Biblicis tradit de Lamech. Neque deſunt eius feritatis aliquot in Scriptura veſtigia, maximè in iracundia aduerſùs eos, in quos noſtrum dolorem vlciſci, & furorem exaturare volumus.

27. Reg. Rebus mutatis, loquendi tamẽ modus retẽtus.

Ad quod obſeruandum, loquendi modos in poſteriorem ætatem inductos ex eo plerumque ſumi, quod in vſu frequens apud antiquos fuit; etiamſi noſtro ſæculo prorſus exoleuerit. Quare *appendere* dicimus, & *metiri*, vel *mercedem operæ*, vel *pretium* eius, quod à nobis emitur, illud ab ære, & libra, quibus æs quõdam rude pendebatur, hoc à frumento, & ſale, aut etiam vino, quod pretium erat ſeruilis operæ; vnde etiam ſalarium, & congiarium dictum eſt. Ex illarum ergo gentium feritate, quas hoſtium ſanguine, & carnibus vindictæ famem, & ſitim expleuiſſe veriſimile eſt, deducta eſt illa dicendi figura, qua dum aliquem ardere odio, & vindictæ appetentiſſimum eſſe ſignificamus, eundem velle comedere dicimus carnes inimici. Iob. cap.19. *Quare perſequimini me ſicut Deus, & de carnibus meis ſaturamini?* & cap.31. *Quis det de carnibus eius, vt ſaturemur?* Quod natum eſſe ex graui offenſione, atque odio

Digitized by Google

docent Greg. Philippus, Hugo, Eugubinus, Vatablus. Clariùs Pſal. 26. *Appropiant ſuper me nocentes, vt edát carnes meas.* Iſai. cap. 49. *Et cibabo hoſtes tuos carnibus ſuis, & quaſi muſto ſanguine ſuo inebriabuntur*, id eſt, mutuis vulneribus alter alterius ſanguinem fundet. Et Zachar. 9. vbi de hoſtium ſtrage ſermo eſt; *bibentes inebriabuntur quaſi à vino.* L x x. *bibent ſanguinem eorum ſicut vinum.* Et Rab. Salomon in illud Cant. 4. *Dentes tui ſicut greges*; dicit allegoriam eſſe de fortibus Iſraël, *qui excindebant, & deuorabant hoſtes ſuos dẽtibus ſuis.* Quod genus dicendi vſitatum etiam fuit externis. Ouid. 13. Meta.

——— Licèt execrère, meúmque
Deuoueas ſine fine caput, cupiáſque dolenti
Me tibi fortè dari, noſtrumq́; haurire cruorem.

Fuiſſe verò in vſu apud Chananæos, regionéſque vicinas, & paſci ſanguine ex venis iumentorum expreſſo, & membris è viuentibus animalibus abſciſſis, leonino, ſeu canino more, non eſt improbabile. Alterum docet S. Metodius de Iſmaëlitis 2. to. Bibliothecæ: alterum quidam ex Doctoribus Hebræorum, qui, vt in cap. Geneſ. 37. tradit Abulenſis, putant crimen illud peſſimum, de quo Ioſephus accuſauit fratres, fuiſſe, quia è viuis arietibus detractos teſticulos comedebant. Quod, licèt verum non putet Abulenſis, ſignum tamen eſt, ſimilia antiquiſſimis illis temporibus fieri ſolita.

28. Facit præterea hoc maximè probabile, quia aliis temporibus poſt diluuium, quæ minùs erant barbara, atque cruenta, in omni fermè ætate fuerunt homines Anthropophagi, ea feritate, vt figura tantùm videantur à belluis differre, quales nunc in orbe recèns inuento occurrunt multis in locis. Sanè Hieronymus ſua ætate tradit quoſdam non modò ſanguine, ſed carnibus etiam viuentium paſci: ſic enim lib. 2. contra Iouinianum. *Quid loquar de cæteris nationibus, cùm ipſe adoleſcentulus in Gallia viderim Scotos, gentem Britannicam humanis veſci carnibus; & cùm per ſyluas porcorum greges, & armentorum, pecudumq́; reperiant, paſtorum nates, & fœminarum papillas ſolere abſcindere, & has ſolas ciborum delicias arbitrari?*

Ex his omnibus mihi perſuadeo ante diluuium Noëticum, barbarum illud ſæculum, non modò animalium crudis, ſed etiam viuis carnibus veſci ſolitum, & permiſſum eſſe Noë vſum carnium, modò ne ad ferinum illum modum; id enim valet, vt antea explicuimus, illud Geneſ. 9. *Excepto quòd carnem cum ſanguine non comedetis.* Quod ſtatim Deus ipſe videtur oſtendere dum ſubdit: *Sanguinem enim animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum, & de manu hominis, & de manu viri, & de manu fratris eius requiram animam hominis.* Neque video quis alius ſenſus poſſit eſſe cõmodior, aut quæ magis apta connexio, quàm ſi dicamus, vt alibi dentem pro dente, oculum pro oculo, ſic etiam nunc animam pro anima, & ſanguinem pro ſanguine eſſe requirendum. Illud verò, *de manu cunctarum beſtiarum*, &c. Hebraiſmus eſt: notum eſt enim יד *iad*, id eſt, *manus*, elegantiæ gratiâ, ab Hebræis adhiberi ſolitum, quod otioſum eſſet apud Latinos; vt, *per manus Prophetarum*, id eſt, per Prophetas; *iuxta manum alicuius*, id eſt, iuxta aliquem. Et eiuſmodi exempla paſſim ſunt obuia. Eſt ergo ſenſus huius loci: Si comederitis carnem cum ſanguine, id eſt, carnem animatam ferino more;

29. Gen. 9.

more,ſiue hominum, ſiue belluarũ, luetis tantam feritatem, & ingluuiem veſtro etiam ſanguine;quem à vobis exigam,vel per feras, vel per homines, atque etiam per fratres veſtros.Nam illud, *de manu*, inſtrumentum ſignificat, Heb. יד, aut cauſam efficientem. Qua ratione Latini dicunt,*ſoluo tibi ab illo*, id eſt, per illum. Hiſpanè, *libro te la deuda en hulano*, vel,*pagarte he por mano de hulano.* Siue potiùs hic, qui mihi probatur magis: *Quando ego tanti facio ſanguinem veſtrum, vt illum requiram ab omnibus,qui illum effundere voluerint, ſiue fera ſit, ſiue homo, ſiue etiam frater veſter,& vos debetis plurimi etiam facere,& hominum, & ferarum ſanguinem, atque ideo nolite carnem cum ſanguine comedere.* In hunc ferme ſenſum accipit hunc locum Iuſtinus Martyr q. 145. ad Orthodoxos. Cum enim quæſiſſet cur eſum carnis permittat Deus,ſanguinem prohibeat? Reſpondet; vt in hoc ſeparet nos Deus à ſimilitudine beſtiarum, quæ cum eſu carnis lambunt etiam ſanguinem eorum, quorum carnes comedunt.

30. Cùm aliqua vetã tur,proxima, aut vicina prohiberi etiã ſolet. Hæc itaque Deus videtur vetuiſſe,ne ad immanium Gigantum modum Noë poſteri paſcerentur carnibus.Sed quia quæ vicina ſunt niſi ab his etiam caueamus, in grauia trahunt incommoda;(vnde,qui tuti eſſe ſtudent à lapſu, ipſum quoque horrent proximum præcipitio locum: & quia graue Nazaræis erat, vinum bibere, interdicta quoque ſunt quæ cum vino aliquid affinitatis habent) ſic etiam quia periculũ erat,ne homines ad antiquam illam intemperantiam redirent, exprimeréntque ſanguinem è venis animantis viui,aut,quod immanius eſt,membrum amputarent,edictum eſt omnino poſteris Noë, vt ſibi à ſanguinis eſu temperarent; ſiue ille purus eſſet,& liquidus, ſiue etiam aliis cibis permixtus, atque confuſus. Ita Tertul. Apolog.contra Gentes, ſignificat ſuo etiam tempore ſeruari. *Chriſtiani*, inquit, *qui ne animalium quidem ſanguinem in epulis eſculentum habemus;qui propterea quoque ſuffocatis, & morticinis abſtinemus, ne quo modo ſanguine contaminemur,vel intra viſcera ſepulto. Denique inter tentamenta Chriſtianorum botulos etiam cruore diſtentos admouetis certiſſimi ſcilicet illicitum eſſe penes illos, per quod exorbitare eos vultis.*Et Leo Imperator in Nouella conſtitutione 58. reuouauit hanc legem, & ſtatuit pœnas contra eos, qui ſanguinem mixtum cum aliis, & concretum in farciminibus comedebant.

A ſuffocato.]Multi hanc partem 31. Suffocatũ eſt, à quo ſanguis non eſt effuſus.
ſuſtulerunt è textu. Irenæus lib. 3. cap. 12. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum. Aug. lib. 32. contra Fauſtum cap. 13.per interpretationem addidiſſe videtur;ſic enim legit.*Vt abſtineatis vos ab immolatis,& fornicatione, & ſanguine.*id eſt,ait Auguſtinus, *ne quicquam ederent carnis, cuius ſanguis non eſſet effuſus.*Verùm omnes Patres Græci eo modo legunt, qui eſt in vulgata:neque aliter intelligunt Patres alij,qui dum ſanguinem prohibitum eſſe dicunt;illum intelligunt, qui vel effuſus eſt,vel in corpore incluſus.Neque, vt conſtat Leuit. 17. veſci Iudæi poterant feris, aut auibus laqueo captis, niſi ſanguis funderetur priùs.Eſt autem ſuffocatum hoc loco quidquid interit non expreſſo ſanguine,ſiue id contingat in morticino,ſiue in eo quod ſtrangulatum eſt laqueo.De morticino præceptum erat Leuit 17. Animal verò perfectè debuit à ſanguine purgari. Quare 1. Reg. cap. 14 accuſati ſunt apud Saül quidam Iudæorum,quòd

carnes

Digitized by Google

carnes comediſſent, in quibus aliquid reliquum eſſet ſanguinis: tulerant enim oues, & boues ex præda, quos cùm in terra mactauiſſent, in loco ſcilicet plano, effluere omnino ſanguis non potuit. Quocirca Saül erigi ibidem lapidem iuſſit, & in eo mactari oues, vt pendente iugulo è ſuperiori loco totus ex animali funderetur ſanguis.

32. Cur verò Apoſtoli de immolato, ſanguine, & ſuffocato præcepta dederint, multi multa dicunt; ſed dicendum videtur, id voluiſſe Apoſtolos, vt & Gentes hoc modo à Gentibus ſecernerent; & cum Iudæis in vnum Eccleſiæ corpus aggregarent. Quare ne remanerent aliquæ antiquæ ſuperſtitionis reliquiæ, neque intercederet aliquid Chriſtianis cũ idololatris commune, & quaſi vinculum, ab idolothytis cauere iuſſerunt: vt verò commune aliquid haberent cum Iudæis, quo aptiùs angulari lapide vterque coniungeretur paries, aliquod præceptum iniunctum eſſe oportuit natura ſua facile, & omnium antiquiſſimum, vtpote à tempore diluuij receptum, & ſeruatum ab iis, qui ex poſteris Noë in Dei hæreditatem, & populum ſeruabantur. Et ſanè ſi Gentes ad fidem conuerſæ ſuffocato veſcerentur & ſanguine, vt hæc Iudæi nauſeanti ſtomacho auerſabantur, ſic ad illas non minori faſtidio nauſearent.

33. *Animaliũ ſãguis dæmoni oblatus.* Accedit quòd, vt tradit S.Thom. 1.2.quæſt.102.art.3. victimarum ſanguis accepriſſimus exiſtimabatur Gentilium Diis; & ideo illis conſecrabatur, & ſuffocata dæmonum cibus credebantur, vt tradit Origenes lib. 8. contra Celſum; & de Indis Strabo lib.15 Geographiæ, vbi ſcribit victimas aliquas diis mactari ſolitas defoſſas in foueis, & ſcrobibus, & ibi ſuffocatas, dicíque ſacrificium pretioſum, quia totum animal cum ſanguine offerebatur. Acceperunt, credo, Gentiles hanc ſacrificandi formam ab Hebræis, à quibus, vt è regionibus nuper inuentis conſtat, diabolus talia extorſit ſacrificia, qualia Deus ſibi à ſuis fieri voluit. Ab holocauſto, in quo totum animal Deo conſecratur, illam rationẽ præſcripſit diabolus totum ſibi animal conſecrandi. Et quia Deus animalium ſanguinem offerri ſibi voluit, quia in eo animalis vita, quæ in ſanguine eſt, conſecratur, Leuit. 17. *Anima carnis in ſanguine eſt, & ego dedi illum vobis, vt ſuper altare meum expietis pro animabus veſtris, & ſanguis pro anima piaculo ſit*; ideo etiam ſanguinem ſibi dæmon libari voluit. Quare genus quoddam videbatur ſuperſtitionis, ſanguine, atque ſuffocato veſci. Vide Turrianum libro 1. capite 5. canon. Apoſtol.

Sed occurrunt hîc duo breuiter expedienda; alterum, cur Apoſtoli præcipiunt, quod à naturali lege expreſſum eſt hominibus, vt ſcilicet abſtineant à fornicatione, quod videtur otioſum. Alterum, cur cùm moriente Chriſto antiqua quoque lex eſſet moritura, inſtaurantur ab Apoſtolis præcepta Moſaïca, quod videtur eſſe ſuperſtitioſum, neque decerni ſanctè potuiſſe. Ad primum breuiter dico, multa etiam à natura ipſa impreſſa, aut certè de quibus alio modo, ac tempore leges datæ ſunt, inſtitui de nouo poſſe, quia, vt in hoc caſu eſt veriſimile, illa quantumuis altè inuſta à natura, à praua tamen conſuetudine inueterata diu exuri potuerunt: vt enim bene Cicero 3. Tuſcul. *igniculos ad virtutem à natura datos, ſic mali mores, opinioneſq; deprauata reſtinguunt, vt natura lumen* 34. *Quod prius inſtitutũ, vel à natura expreſſũ, præcipi iterũ poteſt.*

lumen nunquam appareat. Et hæc eadem Apoſtolorum decreta, quia negligenter ſeruabantur, inſtaurata poſtea ſunt in Concilio Aurel & Vormacienſi. Et multæ aliæ leges iniunctæ erant antiquis Patribus, quæ poſtea per legem Moyſis præſcriptę ſunt Iudęis; vt hoc ipſum præceptum de abſtinentia ab eſu ſanguinis, quod primùm accepit Noë; deinde renouatum Leuit. cap. 17. oblatio decimarum, ſuſcitatio ſeminis fratris ſine liberis defuncti, adulterij pœna capitalis. Sic ergo cùm propter impunitatem flagitij, & inueteratam corruptelam Gentibus fornicatio non exiſtimaretur eſſe culpa, cùm tamen adulterio ſeueriſſima eſſet propoſita pœna; neceſſarium viſum eſt Apoſtolis, legẽ ferre, quæ liberam illam intemperantiam coërceret.

35. Inſtitui poſſũt an tiquæ cæremoniæ, quæ non ſignificãt Chriſtum venturũ. Ad ſecundum dico, duplicia fuiſſe præcepta cæremonialia in antiqua lege; quædam quæ venturum Chriſtum adumbrabant, vt ſacrificia, circuncisio, &c. quædam quæ munditiam quandam continebant, & Religioſum cultum: illa omnino inſtitui non poterant, aut inſtaurari, quia indicarent Meſſiam eſſe expectandum; hæc verò, ſi ſancta ſunt, & Religioſum cultum in ſe continent, & ſeruari poſſunt, ſi inſtituta ſunt, & ſi collapſa fuerint, renouari; imò de nouo ſtabiliri, ſicut etiam aliæ cęremoniæ quotidie nouæ in Eccleſiam inducuntur. Vide Vaſquez to. 2. in 12. diſput. 182. cap. 9.

Verſ. 21. *Moyſes enim habet à temporibus antiquis in ſingulis ciuitatibus,*
36. &c.] Cuius hîc ratio reddatur non ſatis certum; probabile eſt quod ſuprà indicauimus. & docet hîc Chryſoſtomus, ideo hæc à Iacobo dici, quia non putabat iſtorum Iudæos admonendos, quia cùm hæc aſſidua lectione didiciſſent in Synagogis, quæ in lege Moyſis continentur, non erat cur deinde ruſus admonendi viderentur. Sed ſanè hæc ratio non videtur omnino ſatisfacere: nam imprimis de idolorhytis non erat adeò expreſſum, ſed tantùm obſcurè inſinuatum præceptum Exod. 34. num. 15. Et neceſſariũ erat, vt omnes Iudæi noſſent liberos ſe iam eſſe à legis onere. Quare placet quod Interlinearis docet, nempe vt mittantur literæ, quæ eodem modo legantur in Eccleſia fidelium, quo Moyſes, id eſt, Moſaïca lex in Synagogis per ſingula Sabbatha legi cõſueuit. Et ita ſanè factum eſt; nam non modò Apoſtolicæ literæ; ſed aliorum quoque Sanctorum publicè legebantur in Eccleſiis, etiam inter Miſſarum ſolemnia: ſeu certè iis verbis oſtendit Iacobus nefas eſſe, vt à Moſaïcæ legis Doctoribus vincantur Doctores Euãgelici: vt enim illi in proponenda, explicandáque lege ita ſunt ſolliciti, vt ſingulis Sabbathis eam ob rem in Synagogas conueniant; ſic etiam oportere, vt dogmata Euangelica, atque Apoſtolica ſæpius in Eccleſiis proponãtur.

Verſ. 22. *Iudam qui cognominatur Barſabas, & Silam.*] Ex eo cœtu, qui 37.
conuenerat, eliguntur ex primariis duo, qui literas perferant cum Paulo, & Barnaba; ne illi Antiocheni Iudaizantes minùs crederent Paulo, aduersùs quem antea fuerat excitata ſeditio. Porrò hic Iudas idem eſſe creditur, qui cum Matthia propoſitus eſt Eccleſiæ, vt in Iudæ locum ſufficeretur, & nomen Barſabæ fuerit: ſed coniectura leuis eſt, & nihil certum. De Sila, quòd ſit ille Syluanus, qui in principio 1. ad Theſſal. legitur, maior fides ab authorum nobilitate, & numero. Sentit Hieronymus epiſtol. 143. ad Damaſum,

Digitized by Google

Gloſſa ordinaria in 1. ad Theſſal. & ibi S.Thom Caiet.in 2.ad Corinth. & ibi Lyra. Et nos idẽ probauimus, & bonam coniecturam adduximus in Præfatione, vbi etiam oſtendimus Lucam eſſe illum, qui à Paulo aliquãdo vocatur Lucius.

Verſ. 28. *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.*] Locus hic ſæpe vſurpatus eſt, & explicatus ab iis, qui de authoritate Conciliorum diſputant; neque noua indiget explicatione. Vide Bellarminum, & Salmeronem hîc.

Verſ. 37. *Barnabas autem volebat*
38. *ſecum aſſumere & Ioannem.*] Suprà c. 13. Ioànnes aut laboribus fractus, aut miniſterij difficultate, & periculo deterritus ab Apoſtolis diſceſſerat. Rurſus magnitudine, & gloria, tum etiam rei Chriſtianæ promouendæ ſtudio commotus eorum ſocietatẽ ambiebat. Recuſabat Paulus, qui cùm conſtantiæ in ipſius Eccleſiæ incunabulis extare vellet documentum aliquod, iudicabat eum, qui defeciſſet ad ſocietatem glorioſi laboris admitti non oportere: vel cùm à Deo didiciſſet quanta ſibi eſſent pro Ieſu Chriſti nomine ſubeunda, coniectarétque prudenter, quem minora antè terruiſſent, ac fregiſſent, eidẽ maioribus eſſe ſuccumbendum, cauendum eſſe exiſtimauit & Ioannis infirmitati, & Eccleſiæ opinioni. Non ergo ex odio, & acerbitate nata fuit in Paulo illa, quæ videri poterat vel offenſio, vel inclementia; ſed ex zelo Apoſtolici miniſterij, & charitate, ne illi labori, atque certamini Ioannem exponeret, ad quod tolerandum non ſatis afferret viriũ, atque conſtantiæ. Barnabas autem, qui cenſebat ſupplicem repellendũ non eſſe, & eius operam ſuis conſiliis fore ſuſpicabatur non inutilem, admittendum cenſebat. Inter quos cùm de Ioanne non ſatis conueniret, ſic agente Spiritu ſancto, qui ſibi Paulum, & Barnabam ſegregarat, in diuerſa non tam animo, quàm ſententia diſtracti, in alias, atque alias prouincias diſceſsère, Paulus Sila, Barnabas Ioanne in glorioſi certaminis ſocietatem aſſumptis.

Cæterùm hîc conſiderandum 39.
quàm grauiter Paulus Ioannis incõſtantiam tulerit, quámque prudenter cauerit, ne tunc naſcenti Eccleſiæ damno foret; cùm enim conſtare vellet Eccleſiis, quæ Ioannem in præclaro illo curſu defeciſſe nouerant, quàm eſſet non probanda infirmitas illa in Apoſtolico pectore; monuit Eccleſias ne illum vllo modo reciperent, qui fœdam illam notam Apoſtolico nomini inuſſerat. Sed vbi opera Euangelio præclarè nauata deleuit maculam, admiſſus eſt ad priorem gratiam; vt conſtat ex illo ad Coloſſ. 4. *Salutat vos Marcus Barnabæ conſobrinus, de quo mandata accepiſtis, vt ſi venerit, eum ſuſcipiatis.* Ità Oecumenius hîc, & ad Coloſſ. ſuprà, & ibidem Interlinearis, S. Thomas, Carthuſianus, Salmeron, & alij. Illa autem mandata, quæ accepiſſe dicuntur Coloſſenſes, vt ſentiunt S. Thom. & Anſelmus ad Coloſſ. ſuprà, fuerunt, ne vllo modo Marcum, qui & Ioannes, hoſpitio reciperẽt, aut quouis alio modo honeſtè tractarent, cùm in cauſa Euangelij tam parum ſe geſſiſſet ſtrenuè.

Quàm grauiter Paulus Marci inconſtantiam puniërit.

COM

COMMENTARII IN ACTVS APOSTOLORVM.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

PEruenit autem Derben, & Lyſtram. Et ecce 1
diſcipulus quidam erat nomine Timotheus,
filius mulieris Iudææ fidelis, patre Gentili.
* Huic teſtimonium bonum reddebant qui 2
in Lyſtis erant, & Iconio fratres. * Hunc 3
voluit Paulus ſecum proficiſci: & aſſumens circumcidit eum
propter Iudæos qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes quòd
pater eius erat Gentilis. * Cum autem pertranſirent ciuitates, 4
tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſto-
lis & ſenioribus, qui erant Ieroſolymis. * Et Eccleſiæ quidem 5
confirmabantur fide, & abundabant numero quotidie. * Tranſ- 6
euntes autem Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetati ſunt à
Spiritu ſancto loqui verbum Dei in Aſia. * Cùm veniſſent 7
autem in Myſiam, tentabant ire in Bithyniam: & non permi-
ſit eos Spiritus Ieſu. * Cùm autem pertranſiſſent Myſiam, 8
deſcenderunt Troadem: * & viſio per noctem Paulo oſten- 9
ſa eſt: Vir Macedo quidam erat ſtans, & deprecans eum, &
dicens: Tranſiens in Macedoniam, adiuua nos. * Vt autem 10
viſum vidit, ſtatim quæſiuimus proficiſci in Macedoniam, certi
facti quòd vocaſſet nos Deus euangelizare eis. * Nauigantes 11
autem à Troade, recto curſu venimus Samothraciam, & ſe-
quenti die Neapolim: * & inde Philippos, quæ eſt prima par- 12
tis Macedoniæ ciuitas, colonia. Eramus autem in hac vrbe die-

Digitized by Google

13 *bus aliquot,conferentes * Die autem Sabbathorum egreſſi ſu-*
mus foras portam iuxta flumen, vbi videbatur oratio eſſe: &
14 *ſedentes loquebamur mulieribus,quæ conuenerant. * Et quedã*
mulier nomine Lydia,purpuraria ciuitatis Thyatirenorum colẽs
Deum,audiuit:cuius Dominus aperuit cor intendere his,quæ di-
15 *cebantur à Paulo. * Cùm autem baptizata eſſet, & domus*
eius, deprecata eſt,dicens:Si iudicaſtis me fidelem Domino eſſe,
16 *introite in domum meam,& manete.Et coëgit nos. * Factum*
eſt autem euntibus nobis ad orationem, puellam quandam ha-
bentem ſpiritum Pythonem obuiare nobis,quæ quæſtum magnum
17 *præſtabat dominis ſuis diuinando. * Hæc ſubſequuta Paulum,*
& nos,clamabat dicens:Iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt, qui
18 *annunciant vobis viam ſalutis. * Hoc autem faciebat multis*
diebus.Dolens autem Paulus,& conuerſus,ſpiritui dixit:Præci-
pio tibi in nomine Ieſu Chriſti exire ab ea.Et exiit eadem hora.
19 ** Videntes autem domini eius quia exiuit ſpes quæſtus eorum,*
apprehendentes Paulum, & Silam perduxerunt in forum ad
20 *Principes: * & offerentes eos magiſtratibus,dixerunt:Hi ho-*
21 *mines conturbant ciuitatem noſtram,cùm ſint Iudæi: * & an-*
nunciant morem, quem non licet nobis ſuſcipere,neque facere,
22 *cùm ſimus Romani. * Et cucurrit plebs aduerſus eos, & magi-*
23 *ſtratus,ſciſſis tunicis eorum,iuſſerunt eos virgis cædi. * Et cùm*
multas plagas eis impoſuiſſent,miſerunt eos in carcerem, præci-
24 *pientes cuſtodi, vt diligenter cuſtodiret eos. * Qui cùm tale*
præceptum accepiſſet,miſit eos in interiorem carcerem,& pedes
25 *eorum ſtrinxit ligno. * Media autem nocte Paulus,& Silas*
orantes, laudabant Deum: & audiebant eos,qui in cuſtodia
26 *erant. * Subitò verò terræmotus factus eſt magnus, ita vt*
mouerentur fundamenta carceris. Et ſtatim aperta ſunt omnia
27 *oſtia:& vniuerſorum vincula ſoluta ſunt. * Expergefactus*
autem cuſtos carceris,& videns ianuas apertas carceris,euagi-
nato gladio volebat ſe interficere, æſtimans fugiſſe vinctos.
28 ** Clamauit autem Paulus voce magna, dicens: Nihil tibi*

mali

Digitized by Google

mali feceris: vniuerſi enim hîc ſumus. * *Petitóque lumine, in-* 29
trogreſſus eſt, & tremefactus procidit Paulo, & Silæ ad pedes:
* *& producens eos foras, ait: Domini, quid me oportet facere,* 30
vt ſaluus fiam? * *At illi dixerunt: Crede in Dominum Ieſum:* 31
& ſaluus eris tu, & domus tua. * *Et locuti ſunt ei verbum* 32
Domini cum omnibus qui erant in domo eius. * *Et tollens eos* 33
in illa hora noctis, lauit plagas eorum: & baptizatus eſt ipſe, &
omnis domus eius continuò. * *Cúmque perduxiſſet eos in do-* 34
mum ſuam, appoſuit eis menſam, & lætatus eſt cum omni domo
ſua credens Deo. * *Et cùm dies factus eſſet, miſerunt magi-* 35
ſtratus lictores, dicentes: Dimitte homines illos. * *Nunciauit* 36
autem cuſtos carceris verba hæc Paulo: Quia miſerunt magi-
ſtratus vt dimittamini, nunc igitur exeuntes, ite in pace. * *Pau-* 37
lus autem dixit eis: Cæſos nos publicè, indemnatos, homines Ro-
manos miſerunt in carcerem, & nunc occultè nos eiiciunt? Non
ita: ſed veniant, * *& ipſi nos eiiciant. Nunciauerunt autem* 38
magiſtratibus lictores verba hæc. Timuerúntque audito quòd
Romani eſſent: * *& venientes deprecati ſunt eos, & educen-* 39
tes rogabant vt egrederentur de vrbe. * *Exeuntes autem de* 40
carcere, introierunt ad Lydiam: & viſis fratribus conſolati ſunt
eos, & profecti ſunt.

IN CAPVT DECIMVM-
SEXTVM ACTVVM APO-
STOLORVM.

Verſ. 3. *HVnc voluit Paulus ſecum proficiſci, & aſſumens circuncidit.*]

1. Nondum cum honore ſepulta erat Synagoga, atque adeò ſi rei Chriſtianæ ratio poſtularet, fas erat illa adhibere, quæ cum Chriſto mortuo ipſa quoque iam erant mortua. Subierat Paulus Lyſtris multorũ odia, neque tutò poterat in datas ſibi partes incumbere; quare neceſſarium iudicauit aditum ſibi aliquem pa-

Cur circũciſus Timotheus.

tare ad Lyſtrenſium beneuolentiam. Id verò vt perficeret, Timotheum, quem ſecum habere ſtatuerat Apoſtolici miniſterij ſocium, quémque, vtpote Gentili patre natum, eſſe conſtabat in præputio, circuncidit. Eo igitur in illud munus aſſumpto, per ſingulas ciuitates Apoſtolica dogmata promulgabat; quibus & confirmabantur animi magis, & ad Eccleſiam fiebat noua in dies ſingulos acceſſio.

Verſ. 6. *Vetati ſunt à Spiritu ſancto loqui verbum Dei in Aſia.*] Regebar Spiritus ſanctus Pauli conſilia, atque ſtudia, atque ideo prohibuit nunc in Aſia, ſcilicet minori, & paulo pòſt in Bithynia prædicare Euangelium. Cur verò intentus ille curſus impeditus fuerit, altioris eſt cõſilij, quàm vt nos ſcrutari debeamus. Miſericordiæ diuinæ tribuit Greg. hom. 12. in Ezech. ne grauiùs de contempta prædicatione mali auditores iudicari mererentur. Illi autem nondum erant diſpoſiti, vt cœleſte ſemẽ vtiliter exciperent, vt dicit Origenes hom. 9. in Leuit. Et eandem ob cauſam dictum eſt ab eodem Spiritu Paulo Act. 22. *Feſtina, & exi velociter ex Ieruſalem, quoniam non recipient teſtimonium tuum de me.* Et veriſimiliter ob eandem cauſam prohibitum ſe Paulus ſcribit, ſdque ſæpe, ne Romam veniret, ad Rom. cap. 1. Qua de re vide collationem Abbatis Moyſis c. vltimo, vbi propter auditorum merita languere dicit prædicatorum ſtudia, & verba aut exanimari, aut deficere.

2. Beneficiũ eſt aliquã do non conferre beneficiũ

Verſ. 7. *Tentabant ire in Bithyniam, & non permiſit eos Spiritus Ieſu.*] Multa exemplaria non habent *Ieſu*, & in his Regia, & Complutenſia Græca, tamen communiter in Latinis, & nunc in emendatis à Sixto, & in nonnullis Græcis reperitur. Spiritus autem Ieſu non permiſit, vt verbum ſuum alicui eſſet damnationis occaſio; neque voluit margaritas ante porcos proiici, qui antè dolenter exclamarat, cùm vidit maximam ſeminis Euangelici partem periiſſe. Cur verò Spiritus Ieſu volentes in Bithyniam proficiſci reuocauerit, non alia videtur eſſe ratio, quàm quæ proximè à nobis adducta eſt. Neque enim mitiſſimus Ieſu Chriſti Spiritus paſſus eſt, vt opera illa Apoſtolorum ſtrenuè quidem, infructuosè tamen locata, cuiquam eſſet damno. Eodem omnino Spiritu Exod. 33. dixit Deus nolle ſe ire ſimul cum Hebræis per deſertum, ne Gens illa pluribus officiis ingrata, durius aliquid ab offenſo Deo pateretur, *Non aſcendam*, inquit, *tecum, quia populus duræ ceruicis es; ne fortè diſperdam te in via.*

3.

Spiritus Ieſu mitis non vult ſua dona eſſe damnationis occaſionẽ

Verſ. 9. *Vir Macedo quidam erat ſtans.*] Hìc exiſtimatur eſſe Angelus Macedoniæ, qui Pauli operam ad commendatæ ſibi prouinciæ cõuerſionem vocabat. Neque contrà facit *viri* nomen; nam Angeli quoque vocãtur viri Act. 1. Vide quæ de Angelis prouinciarum cuſtodibus tradunt Theologi, de quibus nos in cap. 1. Zachariæ. 4.

Verſ. 10. *Statim quæſiuimus proficiſci in Macedoniam.*] Hìc iam ſe Lucas Paulo, ſociiſque Silæ, atque Timotheo coniunxerat; quare quatuor ſimul proficiſcebantur. Quod ex eo liquet, quià hinc iam Lucas prima perſona vtitur, vt de ſe etiam loquatur: ait enim, *quæſiuimus proficiſci, venimus Samothraciam*, &c. 5.

Lucas hinc Pauli ſocius.

Verſ. 12. *Quæ eſt prima partis Macedoniæ ciuitas, Colonia.*] Philippi duplici ex cauſa prima dicitur 6.

Philippi Romanorum Colonia. tur ciuitas; & quia prima occurrit Paulo è Samothracia, Neapoliſque ſoluenti; vt ex Geographia planum fit; & quia nobiliſſima ciuitas, & Regni caput; vel certè partis alicuius Macedoniæ. Nam Regna in partes diſtribui ſolent, vt Gallia olim in tres; in totidem Hiſpania, in plures Palæſtina; & ideò dicitur; *prima ciuitas partis Macedoniæ.* Illud verò *Colonia,* quæ etiam eſt in Græco textu, nomen Latinum eſt, & quaſi adiectiuum adiunctum ciuitati; & ſignificat ciuitatem illam militari præſidio teneri, vtique Romanorum, qui illam occuparant; vt ſatis ex his, quæ deinde dicuntur, conſtat. Nam à Romanis coniectus dicitur in carcerem Paulus, & Romani nominis immunitate Romanis incuſſiſſe metum. De origine, inſtitutóque Coloniarum ſatis multa ab his qui de Romana Republica ſcripſerunt.

7. Oratoria Iudæis extra ciuitatem. Verſ. 13. *Vbi videbatur oratio eſſe.*] Græcè προσευχή. Hæc verò ſignificat non ſolùm *orationem*, ſed etiam *orationi deſtinatum locum*. Ita Ioſephus in Vita ſua longè poſt medium. *Sequenti*, inquit, *die populus conuenit in proſeuchas, quam vocant precationis domum amplam,*&c. Idem Philo de Vita Moyſis. *Apud Iudæos*, inquit, *deſtinata oppidatim ſacris precatoribus loca, quæ proſeuchas vulgus nominat.* Et Epiphanius hæreſi 80.in principio. *Fuerunt*,inquit, *antiquitùs orationum loci,tum inter Iudæos extra ciuitatem, tum inter Samaritas.* Et talem dicit eſſe eum,de quo Lucas hîc. Apparet autem proſeucham Romæ habuiſſe Iudæos ex eo Iuuenalis Satyr.5.

Ede vbi conſiſtas? in qua te quæro proſeucha?

Vbi ſordidum hominum genus indicat Poëta, quale tunc apud Romanos erat Iudæorum. Sumitur autem Latinorũ more *oratio* pro orationis loco, qua ratione *deambulatio,& cœnatio* pro ſpatiis ſumuntur, vbi homines deambulare, & cœnare ſolent. Porrò hæc Oratoria, ſiue proſeuchas tantùm abeſſe ab vrbe diximus ſuprà cap. 1. quantùm percurri poſſet ſalua religione Sabbathi. Neque enim fruſtra ſperabat Paulus die illo Sabbathi futurum in illum locum Iudæorum conuentum. Cùm ergo dies eſſet Sabbathorum, id eſt, religioſa Iudæis, & ibi iuxta fluuium appareret orationis domus, eò egreſſus Paulus cum ſociis Iudæorum conuentum expectabat. Conuenerunt autem præcipuè mulieres,ſed ex eo numero vna tãtùm fœmina,nomine Lydia, conuerſa eſt. *Purpuraria*,non quæ tingeret, ſed quæ venderet purpuram. Græcè enim eſt πορφυρόπωλις, & ſic exponit Epiphanius ſuprà.

Quidam fatentur *orationem* hîc eſſe orationis domum; negant tamen à Iudæis extructam,ſed à Gentibus. Ita Salmeron hîc, & Toletus in illud Ioan.cap. 4. *Venit autem mulier de Samaria.* Sed ſi ita eſſet, cur Paulus expectaret diem Sabbathorum, in quo, vt Philo ſuprà, Iudæi ſuas proſeuchas frequentabant? 8.

Verſ. 14. *Aperuit cor.*] Singulare oſtenditur Dei auxilium, quo non ſolùm poſſet credere: nam id etiam aliis datum eſt; ſed etiam vt crederet. Et ſicut ex electione diuina ſuprà datum eſt, vt crederent ij, qui præordinati fuerant, cùm tamen aliis, vt credere poſſent, ſatis eſſet auxilij præſtitum: ſic nunc hæc purpuraria fœmina plus ſatis habuit à diuina liberalitate. 9.

Verſ. 16. *Habentem ſpiritum Pythonem.*]

10. *Quid ſpiritus Pythonicus.* *thonem.*] Pytho dicitur ſpiritus quidam fatidicus, quia apud Gentiles Apollo, qui edebat oracula, Pythius dicebatur. In cuius templo puella erat vocata Pytho, quæ afflata, & exagitata à dæmone futura prædicebat; qualis à Virgilio deſcribitur 6. Æneid. De huius oraculi, ac Pythonis origine vide Diodorum Siculum. Vnde arioli, & diuini, Pythones, & fœminæ Pythoniſſæ dicuntur, quia inſtar Apollinis Pythij oracula fundebant. Et quemadmodum Pythij Apollinis templum, vt tradit Strabo libr. 9. plenum erat omnium Regum, ac populorum amplisſimis donis, propter concurſum, qui ex omnibus pene locis ſciſcitandi gratiâ Delphos fiebat; ſic etiam quæſtum capiebant maximum domini huius puellæ inſtinctæ à Pythonico ſpiritu; quibus erat pro Apolline Delphico hæc puella Pythia, aut occulta prodens, aut futura vaticinans. Notandum hîc, eos, qui hoc ſpiritu Pythonico, ac fatidico arrepti ſunt, Græcè vocari ἐγγαστριμύθους, quaſi qui à ventre verba promant; & ita vocat hanc puellam Auguſt. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 23. quia verba edunt obſcura; neque tam à lingua expreſſos, & formatos, quàm à ventre oppreſſos, & informes ſonos; & quia ore clauſo loqui videntur, & muſſare fœdè, & ſpumis inuoluere ſtridorem quendam quaſi à ventre tranſmiſſum. Quomodo verò has puellas Pythonicus ſpiritus inuadat, ac ſubeat, ſiue quæ in tripode ſederent in templo Delphico, ſiue alias, quæ alibi alienis potiùs, quàm ſuis loquerentur vocibus, vide Oecumenium hîc, & Scholiaſtem Ariſtophanis in Pluto.

Verſ. 20. *Offerentes eos Magiſtratibus.*] Græcè στρατηγοῖς, id eſt, *Ducibus.* Vnde apparet quare ſuprà Philippi dicti ſint *Colonia*; nam in Coloniis, quia ibi ſtatio militaris eſt, Magiſtratuum nomina, ac tituli à caſtris ſumuntur, vt ſcribit Cicero in Oratione pro Sextio. 11.

Verſ. 22. *Sciſſis tunicis eorum.*] Dubium eſt an ſciſſæ tunicæ Apoſtoli ſint, & ſociorum; an aliorum, qui in eorum ignominiam, & cædem exarſerunt. Nam vox *eorum* ambigua eſt. Mihi veriſimilius eſt Apoſtolorum eſſe, vt etiam putat hiſtoria Scholaſtica, Hugo, Carthuſianus, & Lyra: nam & hîc vox nulla eſt audita, quæ Iudæis videri poſſet blaſphemia, vt ideo veſtes lacerarent ſuas: neque præterea omnes erant Iudæi; imò fortaſſe nullus. Quia domini puellæ Iudæi non erant, cùm ignominiæ causâ Paulum, & ſocios Iudæos vocent, & ipſi ſe Romanos eſſe fateantur; & Magiſtratus, quorum exiſtimari poſſent laceratæ tunicæ, Romani erant, apud quos inſolitum eiuſmodi edere ſiue Religionis violatæ, ſiue offenſionis ſigna. Conſciſſæ ergo ſunt à furente populo tunicæ Pauli, vt nudus exciperet expeditas virgas; quaſi enim multùm poneretur moræ in exuendis veſtibus, compendio vtuntur in lacerandis. Ex quo conſtat furore hæc agi potiùs quàm conſilio. Porrò Apoſtolus ſecunda ad Corinthios 11. ter dicit ſe virgis cæſum, vtique à Romanis; quia horum erant virgæ. Vbi iterum hoc ſupplicium ſubierit ex Actis nõ habemus, neque ipſe dicit; ſed multa à Luca prætermiſſa ſunt; & imprimis totum illud ſpatium, quod interceſſit inter illud biennium, quod in ſuo conductu vixit Paulus, 12. *Paulus virgis cæſus.*

Act.

Actor. cap. vlt. & ipſius mortem, in quo plurima ſuſtinuit incommoda. Sed quæ in 2. ad Corinthios cõmemorantur, antequam Romam proficiſceretur Paulus, contigerunt; quia illa epiſtola prius Epheſo data eſt. Quare ante illud tempus quinquies à Iudæis, ter à Romanis flagellatus eſt. Hîc Paulus Romanorũ more nõn quadragenas plagas, ſed multò plures accepit, eáſque adeò immaniter inflictas, vt carceris cuſtos vulnera lauerit. De quibus Paulus ipſe ſuprà; *in plagis ſupra modum.* Neque enim adhibita eſt in fuſtuario moderatio vlla, ſiue plagarum numerum, ſiue etiam acerbitatem ſpectes.

Verſ. 24. *In interiorem carcerem.*]
13. Plures eſſe in cuſtodiis receſſus, diximus ſuprà cap. 12. in Petri cuſtodia, vbi ante infimum, penitiſſimũque carcerem vnam, & alteram cuſtodiam ſtatuimus; ſimiliter hîc Paulus, ſicut illîc Petrus, in intimũ carcerem incluſus eſt.

14. *Et pedes eorum ſtrinxit in ligno.*] Hoc lignum Hieronymus in cap. 20. Ierem. *neruum* vocat: dicit enim tale ſubiiſſe ſupplicium Paulum, & Silam in Actib. Apoſt. quale Ieremias ſubiit c. 20. vbi pro *neruo* Heb. eſt מהפכת *mahpecheth*; quam vocem Lxx. & Theodotion verterunt *cataractem*, id eſt, foſſam profundam, & locum ſubterraneum, vt exponit Theodoretus, Symmachus βασανιστήριον, ſeu στρεβλωτήριον, quod tormenti genus, aut inſtrumentum eſt. Vulgatus *neruum* vertit; quo nomine ſignificari compedes, ſeu vinculum ferreum, quo pedes, vel ceruices impediuntur, docet Feſtus, & ex ipſo Iſidorus. Sed Hebræi cõmuniter vertunt *cippum*, quod nos *cepo*, vel *brete* dicimus. Formam tradit Rab. Dauid ex ſententia patris ſui Ioſeph Kimhi, vt refert, & probat Mardochai, qui cenſet inſtrumentum eſſe ex duob. lignis ex aduerſo coëuntibus, quæ diſtincta foraminibus vinctorum collum impediebant. Vatablus in locum Ierem. ſuprà dicit tria habuiſſe foramina, vnum in quod inſerebatur collum; duo, quæ manus binas coërcerent. Non diſſimile videtur hoc in quod Paulus cum ſociis dicitur eſſe cõſtrictus, nam licèt pedes tãtùm eorũ conſtricti eſſe tradantur, fieri potuit, vt eorum quoque colla lignum illud includeret. Sed, credo, id non tacuiſſet Lucas, qui pedum tantùm meminit, ſed etiamſi cõſtrinxiſſet tantùm pedes neruus, nihilominùs non erat illud ſeu vinculi, ſeu tormenti genus parum crudele. Nam, vt obſeruat Baronius in annotationibus ad Martyrologium hoc, quod hîc *lignum*, alibi *neruus*, & *numella* dicitur, certis foraminibus, ac notis diſtinguebatur. Vincti autem quibus lignum, aut neruus non ſolum vinculo, atque cuſtodiæ, ſed etiam dolori, atque tormento futurum erat, pro ſcelerum meritis, aut Tyrannorum libidine, ſic diſtinguebatur foraminum ſpatiis, vt crura ſupra naturalem modum diſiuncta laxarentur; vnde frequens in Sanctorũ cruciatibus auditur extendi ad quartum, vel ad quintum foramen. Vide Euſebium lib. 5. cap. 1. & lib. 6. cap. 32. De Origene ſcribit, in ligneos compedes habuiſſe intruſos pedes, & ad quartum foramen diſtentos. Et lib. 8. capite 11. idem propè refert de Martyribus, qui paſſi ſunt Alexandriæ. Et Prudentius hymno 4. de S. Vincentio.

In hoc Barathrum coniicit
Truculentus hoſtis Martyrem,

Lignũ, & neruus tormenti genus.

Neruus, ſeu lignũ diſtinctũ foraminibus.

Lignóque plantas inſerit,
Diuaricatis cruribus.

Tale tormentum ſubiiſſe Paulum cum ſociis non eſt improbabile, cùm tam in illum crudeliter priùs inimicorum furor bacchatus ſit.

Verſ. 37. *Non ita, ſed veniant,*
35. *& ipſi nos eiiciant.*] Prudenter hîc Paulus, & ſuæ exiſtimationi, & Euangelij cauſæ conſuluit: nam qui publica authoritate Apoſtolos in vincula coniectos eſſe nouerant, niſi publica etiam authoritate liberatos ſcirent, tanquam heſterna ignominia, & fuſtuario indignos, facilè ſibi perſuaderent furente maximè illorum odio, quos Pythonici lucri iactura inflammabat, non innocentes abſolutos à vinculis, ſed nocentiſſimos grauioris ſupplicij metu vitæ ſuæ nocturna fuga perfracto carcere prouidiſſe. Simili conſilio vſus fuit Socrates, vt tradit Plato in Crito, ne occulta illa quaſi fuga reum potiùs ſe conuinceret, quàm innocentem declararet.

COM

Digitized by Google

COMMENTARII IN ACTVS APOSTOLORVM.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

CVm autem perambulaſſent Amphipolim, & 1
Apolloniam, venerunt Theſſalonicam, vbi
*erat Synagoga Iudæorum. * Secundùm con-* 2
ſuetudinem autem Paulus introiuit ad eos,
& per Sabbatha tria diſſerebat eis de Scri-
*pturis, * adaperiens, & inſinuans quia Chriſtum oportuit* 3
pati, & reſurgere à mortuis: & quia hic eſt Ieſus Chri-
*ſtus, quem ego annuncio vobis. * Et quidam ex eis credide-* 4
runt, & adiuncti ſunt Paulo, & Silæ, & de colentibus, Gen-
tilibúſque multitudo magna, & mulieres nobiles non paucæ.
** Zelantes autem Iudæi, aſſumentéſque de vulgo viros quoſ-* 5
dam malos, & turba facta concitauerunt ciuitatem: & aſſi-
*ſtentes domui Iaſonis quærebant eos producere in populum. * Et* 6
cùm non inueniſſent eos, trahebant Iaſonem, & quoſdam fra-
tres ad principes ciuitatis, clamantes: Quoniam hi, qui vrbem
*concitant, & huc venerunt, * quos ſuſcepit Iaſon, &* 7
hi omnes contra decreta Cæſaris faciunt, regem alium di-
*centes eſſe Ieſum. * Concitauerunt autem plebem, &* 8
*principes ciuitatis audientes hæc. * Et accepta ſatisfactio-* 9
*ne à Iaſone, & à cæteris dimiſerunt eos. * Fratres verò* 10
confeſtim per noctem dimiſerunt Paulum, & Silam in
Berœam. Qui cùm veniſſent, in Synagogam Iudæorum
*introierunt. * Hi autem erant nobiliores eorum, qui ſunt* 11
Theſſalonicæ, qui ſuſceperunt verbum cum omni aui-

ditate quotidie, ſcrutantes Scripturas, ſi hæc ita ſe haberent.
12 * Et multi quidem crediderunt ex eis, & mulierum Genti-
13 lium honeſtarum, & viri non pauci. * Cùm autem cogno-
uiſſent in Theſſalonica Iudæi, quia & Berœæ prædicatum eſt à
Paulo verbum Dei, venerunt & illuc commouentes, & tur-
14 bantes multitudinem. * Statimque tunc Paulum dimiſerunt
fratres, vt iret vſque ad mare: Silas autem, & Timotheus re-
15 manſerunt ibi. * Qui autem deducebant Paulum, perduxe-
runt eum vſque Athenas, & accepto mandato ab eo ad Silam,
& Timotheum, vt quàm celeriter venirent ad illum, profecti
16 ſunt. Paulus autem cùm Athenis eos expectaret, incitabatur
ſpiritus eius in ipſo, videns idololatriæ deditam ciuitatem.
17 * Diſputabat igitur in Synagoga cum Iudæis, & colentibus,
18 & in foro, per omnes dies ad eos, qui aderant. * Quidam au-
tem Epicurei, & Stoici Philoſophi diſſerebant cum eo, & quidam
dicebant: Quid vult ſeminiuerbius hic dicere? Alij verò: Nouo-
rum dæmoniorum videtur annunciator eſſe, quia Ieſum, & Re-
19 ſurrectionem annunciabat eis. * Et apprehenſum eum ad Areo-
pagum duxerunt, dicentes: Poſſumus ſcire quæ eſt hæc noua, quæ
20 à te dicitur, doctrina? * noua enim quædam infers auribus no-
21 ſtris: volumus ergo ſcire quidnam velint hæc eſſe. (* Athe-
nienſes autem omnes, & aduenæ hoſpites, ad nihil aliud va-
22 cabant niſi aut dicere, aut audire aliquid noui.) * Stans au-
tem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienſes per omnia
23 quaſi ſuperſtitioſiores vos video. * Præteriens enim, & vi-
dens ſimulachra veſtra, inueni & aram, in qua ſcriptum erat:
IGNOTO DEO. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio
24 vobis. * Deus, qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt,
hic cæli, & terræ cùm ſit Dominus, non in manufactis templis
25 habitat, * nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cùm
26 ipſe det omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia: * fecit-
que ex vno omne genus hominum inhabitare ſuper vniuerſam
faciem terræ, definiens ſtatuta tempora, & terminos habita-
tionis

*tionis eorum, * quærere Deum ſi fortè attrectent eum, aut in-* 27
*ueniant, quamuis non longè ſit ab vnoquoque noſtrûm. * In* 28
ipſo enim viuimus, & mouemur, & ſumus: ſicut & quidam
veſtrorum Poëtarum dixerunt: ipſius enim & genus ſumus.
** Genus ergo cùm ſimus Dei, non debemus æſtimare auro, aut* 29
argento, aut lapidi, ſculpturæ artis, & cogitationis hominis, Di-
*uinum eſſe ſimile. * Et tempora quidem huius ignorantiæ de-* 30.
ſpiciens Deus nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique pæ-
*nitentiam agant, * eò quòd ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt* 31
orbem in æquitate, in viro, in quo ſtatuit, fidem præbens omni-
*bus ſuſcitans eum à mortuis. * Cùm audiſſent autem Reſurre-* 32
ctionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò
*dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. * Sic Paulus exiuit de* 33
*medio eorum. * Quidam verò viri adhærentes ei, credide-* 34
runt: in quibus & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Da-
maris, & alij cum eis.

IN CAPVT DECIMVM-SEPTIMVM ACTVVM APO-STOLORVM.

1. Verſ. 9 E*T accepta ſatisfactione à Iaſone, & cæteris dimiſerūt.*] Pro *ſatisfactione* Græcè eſt ἱκανὸν, quod variè accipitur. Quidam interpretantur *mulctam*, quam Iaſon, & alij ſiue in corpore luerunt, ſiue in pecunia. Ita Hugo. Alij *legitimam excuſationem, propter quam digni viſi fuerint venia, aut indigni ſupplicio*: quòd homines exceperint peregrinos, quos repelli nulla humanitas patiebatur; quòd nihil contra Cæſarem molirentur, vtpote quorum ſermo non de Imperio, ſed de Religione totus. Caietanus *fideiuſſionem* interpretatur, de ſeruanda fidelitate erga Cæſarem. Idē pene Gagneius ex ſententia Budæi, qui in Commentariis linguæ Græcæ illud ἱκανὸν *ſatiſdationem* vertit.

Digitized by Google

Hos omnes ſenſus admittit Latina vox & Græca. Quid ſequar, incertũ; in hoc poſtremũ magis inclino.

Verſ. 16. *Incitabatur ſpiritus eius in ipſo.*] Cùm Paulus in vrbe ſcientia-
2. tum altrice, ex qua reliquæ, vt ſapiẽtiæ, ſic etiam Religionis documenta hauriebãt, honores diuinos multis ſimulacris deferri videret, angebatur animo, & ardens zelo vix ſibi imperare poterat, quominùs erũperet in omnium oculos. Magnum aliquid latet in illo, *incitabatur ſpiritus*; nimirum ęſtuans dolore patiebatur Paulus id, quod Dauid, qui Pſal. 118. dicebat: *Vidi præuaricantes, & tabeſcebam*; & quod Ieremias c. 20. *A ſermone*, inquit, *Domini factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans, clauſúſque in oſſibus meis, & defeci ferre non ſuſtinens.*

Vidẽs idololatriæ deditam ciuitatẽ.]
3. Pro, *idololatriæ deditam*, Græcè eſt κατείδωλον, quod nomen, credo, à Luca excogitatum eſt, quia alibi nõ reperitur. Significat autem ciuitatem captam, occupatam, & oppreſſam ab idolis, adeò vt tota ciuitas nihil aliud ſit, quàm idolorum domicilium, & poſſeſſio. Quid ergo mirum ſi in tanto Apoſtolo, támq; amanti, & diuini honoris, & hominum ſalutis, incitetur ſpiritus, & totus æſtuet? Vt verò in ſinu contineri ignis, aut abſcondi non poteſt; ſic neque ille non minùs acer, qui Pauli cõficiebat præcordia. Erupit ergo ſtatim in Synagogas, & forum, vt ibi cum Iudęis; hîc verò cũ omnibus diſputaret diebus ſingulis.

Verſ. 18. *Seminiuerbius.*] Gręcè σπερ-
4. Seminiuerbius quid. μολόγος; quæ vox ad ignominiam intorta. Quo nomine vocatur ignobilis quædam auicula, quæ ſemina in triuiis ſparſa legit, quæ, vt dicit Oecumeni⁹, vilis eſt, & exigua, neq; ad eſum, neque ad oblectationẽ idonea. Ex qua Prouerbiali figura dicuntur σπερμολόγοι homines ſordidi, & nulla æſtimatione digni. Idem pene Euſtathius in lib. 5. Odyſſeæ, niſi quòd cauſam compellationis ſordidæ peti exiſtimat ex hominib. qui in foris, & emporiis illa ſibi ad victum comparant, quæ ex ſaccis, & cophinis à venditoribus putria, & vilia, & porcis magis apta, quàm hominibus proiiciuntur, quaſi frugum talium collectores. Sed vim aliam habet hæc vox, eámque huic loco magis accommodatam, quam optimè expreſſit noſter Interpres: ſignificat enim *hominem loquacem, & garrulum, qui verba ſpargit temere ſine arte Rhetorica* (quæ apud Athenienſes magno erat in pretio) *quique verba fundit inania, & vacuos quoſdã ſonos, & ſine mente.* Nimirum homines Philoſophi, ſeque ipſos valdè in ſua doctrina, & ingenio amantes, ſine mente putabant id, quod ſuam mentem, & ſapientiam longè fugiebat. Ideo Paulus dicebat Chriſtũ crucifixum Gentibus eſſe ſtultitiam. Lege Auguſtinum tractatu de Epicureis, & Stoicis cap. 2. vbi optimè tractat hunc locum.

Nouorum dæmoniorum videtur annunciator.] Grauiter ferebant Athe- 5. Varij apud
nienſes ſi qua fieri tentaretur ab ali- Gentes
quo Religionis mutatio; ſiue quis Dij.
nouos Deos induceret, ſiue ab vrbe repelleret antiquos. Teſtes ſunt Diagoras, Anaxagoras, Protagoras, qui variè mulctati ſunt, quia violatæ, aut mutatæ Religionis rei: quo nomine Socrates capitali mulcta violatæ Religionis pœnas dedit. Dicitur verò nouorum dæmoniorum annunciator, vt putat Oecumenius, & Salmeron, & textus ipſe indicat non obſcurè, quia Ieſum, & Reſur-

rectionem annunciabat. Reſurrectionem autem cùm audiebant, Deã putabant aliquam dictam *ἀνάστασιν*, juxta Atticæ, & Romanæ Religionis moré, quæ ſingulis propè actionibus Deum aſſignat, aut miniſterium. Quare Deus præponitur infanti naſcenti primùm, alius vagienti, reptanti alius, alius dormienti, atque morienti; & actionibus longè leuioribus, alij ex promiſcua Deorum turba non pauci. Vide Aug. lib. 4. de ciuitate Dei cap. 11. Sic ergo & homini ſuſcitando præfici *ἀνάστασιν* Deam à Paulo ſuſpicabantur; ideo nouorum dæmoniorum, id eſt, Deorum dicunt illum annũciatorem, Ieſu videlicet, & *ἀναστάσεως*, id eſt, *Reſurrectionis*. Neque incommodat huic expoſitioni, quòd Paulus ſatis explicatè egerit de Reſurrectione, quia ipſi aut non attendebant animum, aut parum curabant, quid Paulus diceret, cùm ſeminiuerbium appellarent; & res magnas plerumque & admirabiles non hominum viribus, ſed Deorum virtuti tribuerẽt. In admirandis verò omnino Reſurrectio eſt, quæ à Paulo annunciabatur.

Verſ. 19. *Et apprehenſum eum ad*
6. *Areopagum duxerunt.*] Graue hoc erat tribunal, in quo magnis de rebus quæſtiones erant: de quo ſatis multa à prophanis. Vide Sigonium de Republica Athenienſi. Eò verò tractus eſt Apoſtolus, non tã vt alios doceret, vt author eſt Chryſoſt. & Oecumenius, quàm vt ab eo nouæ doctrinæ & ratio exigeretur, & pœna: ibi enim capitalia exercebantur iudicia.

Verſ. 22. *Quaſi ſuperſtitioſiores vos*
7. *Superſtitio quid.* *video.*] Illud *quaſi*, non ſimilitudinẽ indicat, ſed rei veritatem. Græcè *ὡς*, ſicut illud Ioan. c. 1. *gloriam quaſi vnigeniti à Patre.* Hoc ſenſu: in omnibus intueor vos vt ſuperſtitioſiores altis. *Superſtitioſus*, Græcè *δεισιδαίμων*, eſt qui nimis anxiè Deos colit, idq; non tam volens adductus religione, quàm metu, & inuitus. Ita Plutarchus in lib. de *δεισιδαιμονία*. Idem pene Clemens Alex. lib. 2. Strom. capite 4. Veruntamen, quia aliquando hæc vox in bonam partem aſſumitur, & *accuratam Religionem* ſignificat, credo hîc viros Athenienſes eo nomine commendari; neque enim neſcius erat Apoſtolus in beneuolentia maximum eſſe momentum ad perſuadendum. Et qui alibi ſæpe principio dicendi beneuolentiam conciliauit; ſic nunc feciſſe exiſtimandus eſt: Nam licèt in eo conuentu abſtinendum eſſet à proœmiis, & perorationibus, non tamen verbis contumelioſis viros tantos irritari ſani eſſet conſilij. Appellat verò ſuperſtitioſiores, quia non ſolùm Deos patrios, & cognitos, ſed etiam externos, & incognitos colerent: vnde ſubditur; *tranſiens vidi*, &c.

Verſ. 23. *Ignoto Deo.*] Hiſtoria Scholaſtica exiſtimat arã iſtam 8. *Ara cur erecta ignoto Deo.*
eſſe conſecratam, ex quo miraculoſa contigit Eclipſis in Paſſione Domini: nam cùm eius nulla ratio inueniri poſſet à Philoſophis, pati crediderunt naturæ Deum. Neque diſplicet Salmeroni; nam licèt ante tempus illud ignotorum, & peregrinorum Deorum titulo aræ excitatæ fuerint, de quibus Pauſanias lib. 1. & Philoſtratus lib. 6. cap. 2. tamen veriſimile eſt ignoto illi Deo, quem pati ſuſpicati fuerant, Dionyſij opera illuſtriorem aliquam aram excitatam fuiſſe ab Athenienſibus, apud quos, vt ait Chryſoſtomus, nullus Deus [illegible] erat.

erat ſine honore. Ille verò magnus putabatur, cui natura admirabili mutatione parentaſſe videbatur.

9. Aliqua Gētib. cognitio de vero Deo. Sunt qui dicant aræ illius titulum non eſſe, *Ignoto Deo*, ſed, *Diis Aſiæ, Europæ, & Libyæ, Diis ignotis, & peregrinis*. Ita Hieronymus in epiſt. ad Titum cap. 1. vbi etiam dicit Paulũ ſingulari numero vſum fuiſſe, quia ad ſuum inſtitutum vno tantùm indigebat, *Ignoto Deo*. Sed mihi dubiũ nō eſt fuiſſe aliquam aram vni Deo, eidémque ignoto conſecratam: ſiue Chriſto propter Solis defectum, & naturæ luctum, ſiue Iudæorum Deo, qui ſub nomine Iehoua ab ipſis Gẽtibus ex Hebræorum conſuetudine ineffabilis, incōprehenſibilis, & incognitus dicebatur. Nouerant autẽ Athenienſes vel ex Sibyllarum oraculis, vel ex Philoſophis, qui ſacros libros abſque dubio legerunt (legerunt autem illos Plato, atque Pythagoras, & ante horum tempora complures alij, quando in ſuas fabulas multa ex Scripturę veriſſimis hiſtoriis incluſerunt. Quas puto iam multis eſſe familiares, aut propter neophytos ex omni natione, aut poſtquam Ptolomæi opera in Græcam linguam Biblia ſacra conuerſa ſunt. Quare Lucanus libro 2. Hebræorum Deum, incertum vocat, id eſt, incognitum.

Incerti Iudæa Dei.———

Neque ita occultum erat nomẽ Tetragrammaton eſſe ineffabile inter Iudæos, vt Athenienſes rerum externarum curioſi indagatores ignorare exiſtimādi ſint; aut reſpuiſſe Iudęorum Deum, de quo tam multa, atq; admirabilia audiiſſent, qui omnium Gentium Deos eſſent amplexi. Et quidem quòd aliqua ara fuerit cum hac epigraphe, *Ignoto Deo*, oſtendit Lucianus in Philopatri, vbi per Athenis ignotum Deum iurat: non per ignotos Deos. Neque argumentum Pauli multùm haberet virtutis, ſi tantùm ignotis Diis in plurali cōſecrata eſſet ara, cùm ipſe vnum prędicaret Deum: neque auſus eſſet in eo Religioſorum, & Philoſophorum conuentu mutare aliquid de ararum inſcriptione. Cur verò ignotis, & peregrinis Diis aram Athenienſes erexerint, vide Chryſoſtomum, & Oecumenium hîc.

Verſ. 24. *Deus qui fecit mundum.*] 10. Pauli prudentia. Singulari artificio, & ſapientia plānè diuina apud Philoſophos maximus Philoſophorum Paulus oſtendit, quiſnam ſit ille Deus, quem Athenienſes ignorantes colunt, quem omnium creatorem eſſe docet, omniúmque Dominum. Quare nō eſt cur quiſquam illum vel alliget idolis, & ſtatuis, vel includat in tẽpla, ita vt ibi ipſius virtus, & potentia circumſcripta ſit. Neque eſt cur hinc efficiant hæretici templorum otioſam eſſe, & inutilem cu- Templorũ dignitas. ram; nam licèt vbique nobis occurrat Deus, ibi tamen præcipua quadã, atque ſpeciali veneratione colitur, quam in prophanis, atque communibus locis exhiberi parum eſſet pium. Ille ergo Deus, vt qui omniũ Dominus, & author ſit, non indiget, ſicut quæ Athenienſibus Religioſa ſunt idola, hominum manu, vt confletur ex auro, aut doletur ex ligno, aut à rubigine, & ſordibus tergatur; quia hæc potiùs homines à Deo capiunt, quàm ab hominibus Deus.

Pro eo quod in vulgato eſt, *manibus colitur*, Græcè eſt θεραπεύεται, id eſt, *miniſtratur ei à manibus hominum*. Vbi indicatur anxia quædam colendi Deos ſuperſtitio, quibus pręſtabat deluſa Gentilitas non modò ingenua, & honeſta, ſed vilia etiam, & ſordida miniſteria. Vide Auguſt.

Auguſt. de ciuit. Dei libr. 6.cap.10. vbi ex Seneca plurima adducit miniſteria, quæ in Deorum cultu Gentes adhibent. Ex multis pauca hæc accipe. *In Capitolium* (inquit Seneca) *perueni, pudebit publicata dementia, quod ſibi vanus furor attribuit officij. Alius nomina Deo ſubiicit, alius horas Ioui numerat, alius lictor eſt, alius vnctor, qui vano motu brachiorum imitatur vngentem. Sunt quæ Iunoni, ac Mineruæ capillos diſponant longè à templo, non tantùm à ſimulacro ſtantes, digitos mouent, orantium modo. Sunt, quæ ſpeculum teneant, ſunt qui ad vadimonia ſua Deos aduocent, ſunt, qui libellos offerant*, &c. Hoc puto eſſe hominum manibus coli Deum.

Porrò occaſione tituli, *Ignoto Deo*, videtur docuiſſe Apoſtolus Deum hominibus ignotum eſſe nõ poſſe; nam quæ ab ipſo facta ſunt opera, omnino diuinam vim, & naturam produnt, ſicut ſuprà dixerat Deum non ſe reliquiſſe ſine teſtimonio.

Verſ. 26. *Feciſque ex vno omne genus hominum inhabitare ſuper vni-*
12. *uerſam faciem terræ.*] Illud, *ex vno*, videri poſſet alicui ſignificare omnes homines à Deo fuiſſe creatos, ſicut etiam ad vnum omnes aliquid feciſſe dicimus, quando ſignificamus nullum eſſe reliquum. Sed quominùs hæc expoſitio placeat, facit quia in textu Græco eſt ἐξ ἑνὸς αἵματος, id eſt, *ex vno ſanguine*. Quare ſenſus eſt, ab vno Adam omnes homines originem traxiſſe: nam ab ipſo Eua etiam formata eſt. *Sanguinem* verò ſumi pro ſemine, ex quo formatur animal, ſatis eſt apud prophanos vſitatū; vnde etiã & pro genere, atque familia paſſim. Illud verò, *inhabitare*, & *quærere*, Helleniſmus eſt, prò, vt inhabitarent, & quærerent.

Definiens ſtatuta tempora, & termi-
nos habitationis eorum.] Statuta tem- 13.
pora non puto eſſe vitæ ſpatia: ſed temporum viciſſitudines, & conuerſiones, quas ſubeunt anni, in mẽſes, dies, ac noctes digeſti Græcè enim non eſt χρόνος, qui *durationem*, ſed καιρὸς, qui *opportunitatem* ſignificat. Deus ergo qui tempora diſtinxit, atque diſpoſuit, ille idem, & terræ terminos definiuit, & vtrumque hominum vſibus attẽperauit. Quare diuino, atque inſcrutabili conſilio hos in Atticam, illos in Ægyptum, quoſdam in Palæſtinæ fines diſperſit. Quibus verbis ſicut alia Philoſophorum dogmata conuellit, ſic præcipuè Epicureorum, qui caſu omnia fieri, ac ferri nugabantur. Et tacitè Athenienſium vanitatem coarguit, qui ſe dicebant αὐτόχθονας, id eſt, *terrigenas*, quaſi ex ea terra, quam incolebant, natos, & ibi nutritos; de quibus Cicero in oratione pro Flacco. *Vrbs Athenienſium vetuſtate ea eſt, vt ipſa ex ſeſe ſuos ciues genuiſſe dicatur, & eorum eadem terra parens, & altrix eſſe dicatur.* Quare cicadas pro ſuæ antiquitatis inſigni geſtabant, quæ ſedem non mutant, ſed eodem loco, & vitam nactæ, & mortem ſortitæ. Contra hos Paulus inquit mortalibus Deum ſpiritum dediſſe, & loca deſignaſſe ad habitandum; omnes ex eiſdem ortos eſſe parentibus, & diuino conſilio alios in alias prouincias eſſe diſtractos, omnibus tamen vbique terrarum datum eſſe, quo in Dei cognitionem deduci poſſint.

Verſ. 27. *Quærere Deum, ſi fortè*
attrectent eum.] Dedit Deus homi- 14.
nibus nobile vitæ genus, rationis particeps, qua & veritatem inquirerent, & occultam Dei naturam inueſtigarent. Hæc Athenienſes adduxit, vt quoniam, quæ ſpecta-

Temporum diſpenſator Deus.

Atheniẽſium de ſua antiquitate opinio.

Cur Gentibus tot Deorum turba.

bant oculis, videbântque in terra admirabilia, ad illam infinitam propè Deorũ ſuorum turbam cogi non poſſent, ignotum alium eſſe Deum exiſtimarent, cuius ſapientia, atque virtute illa adminiſtrarentur. Vſus eſt autem voce *attrectent*, quæ cæcorum aut hallucinantium eſt, qui palpando aliquid quærunt, quibúſque pro oculis manus ſunt. Attrectabant autem Athenienſes tanquam cæci, dum aliud eſſe numen exiſtimant præter patrios Deos; atque adeò externum aliquod, & peregrinum numen aduocant, cùm videant à domeſticis Deis cuncta regi non poſſe. Addit autem *ſi fortè*, quia multis ſæpe contingit, vt quod Dei gratia cõſequi aliquis poſſit, ſua voluntate non inueniat; quia ſenſu reuocatur ab iis, ad quæ ratio vocat. Eſt autem vſitatum, vt quæ à voluntate noſtra pendent, & ex parte mutari poſſunt, per vocem *fortè* ſignificentur. Ita docent Hieronymus, & Chryſoſtomus in illud Mat. 21. *verebuntur filium meum* v. 22. Significat præterea vox dubitationem aut difficultatem in obtinenda re, atque ideo vt attrectandi Dei difficultatem eleuaret, ſtatim ſubdit. *Quamuis non longè abſit ab vno quoque noſtrũm.*

Deus ſe cognoſcē dum præbet.

Verſ. 28. *In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus, ſicut & quidam veſtrorum Poëtarum dixerunt.*] Quemadmodum quando cum Iudæis agebat Paulus Scripturæ teſtimoniis, quam & ipſi cognorant, & religioſè ſeruabant, ſic modò cum Gentibus, quibus hæc minùs nota, neque adeò grauis erat, teſtimoniis agit ex illorum monumẽtis depromptis. Quæ ſanè teſtimonia non ſunt vnius, aut alterius Poëtæ, ſed multorum, vt ipſe Paulus planè oſtendit. Imò exiſtimo hęc omnia quę hîc dicũtur de Dei immenſitate, mundi, rerúmque omnium molitione, animatione, ac motu, ex variis Poëtis à Paulo fuiſſe contexta, quorum nomina adhiberi neceſſariũ non fuit; cùm nota eſſent auditoribus, Philoſophis nempe, & Religioſis viris, quibus hęc tam grauia de Deo ignota eſſe non poterant. De Dei immenſitate, qui complet omnia, Aratus ſtatim in principio.

15. Præclara antiquorum de Deo teſtimonia.

———Fora ſunt Iouis omnia plena;
Compita cum pagis, omnes & cum æquore portus,
Omnibus atque vtimur Ioue nos ex partibus omnes.

Et duo antiquiſſimi Poëtæ Euphorion, & Æſchylus, vt refert Clem. Alex. libr. 5 Stromatum ſic de Deo loquuntur.

Iuppiter eſt æther, eſt terra Iuppiter,
Cœlúmque, & omnia Iuppiter, & ſi quid ſupra.

Et Orpheus ab eodem citatus Clemente.

Oceani ad fines expanſa eſt, & manus illi
Vndique dextera, ſub pedibus ſubiectáque terra eſt.

Quòd verò in ipſo viuamus, moueamur, & ſimus; dixit ex eodem Clemente Xenophanes Colophonius, vbi etiam docet nos eſſe genus Dei.

Verum videatur progignere homines Deos,
Horúmque veſte, vocéque, & corpore vtier.

Et Orpheus in eandem ſententiam.

Imperium vnum eſt, vnus dæmon lumine replens
Cœlum, facta in eo ſunt, in quo & cuncta mouentur,
Ignis, aqua, & tellus.———

Et eſt ſatis nota illa ſententia ex ſenariis.

ò πᾶς

ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ἐστὶν ἐν ἑκάστῳ.
Τὸ γὰρ τρέφον με, τοῦτ᾽ ἐγὼ κρίνω θεόν.

Quæ ſic interpretor.

Deus anima cuilibet noſtrûm eſt.
Quod enim alit me, id ego Deum puto.

Quòd Deus non contineatur loco, ſic Euripides.

Conſtructa ab architectis quæ queat domus
Corpus Dei plexu cohibere mœniũ?

Quòd ex vno Deo omnia facta; quò fortaſſe alluſit Paulus dum dixit, *fecitque ex vno omne genus hominum*; dixit Orpheus apud Clemẽtem ſuprà.

Vnus perfectus per ſe, ex vno omnia facta.

16. Teſtimonium Arati. Ad hæc omnia exiſtimo eſſe referẽdum illud; *ſicut quidam veſtrorum Poëtarum dixerũt.* Deinde verò ſubiungit teſtimonium notiſſimum Arati, *Ipſius etenim genus ſumus*; quod ſtatim explicabimus magis. Vbi illud (*enim*) non reddit rationem eorum quæ præceſſerunt; ſed omnino materialiter ſumitur: quia etiã erat in teſtimonio, quod Paulus hîc fideliter ex Arato recitat. Sic enim Aratus, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, id eſt, *ipſius etenim genus ſumus.*

17. Quæ cognitio Dei capi ex creaturis poſſit. Hæc ergo omnia teſtimonia quędam ſunt, & monumẽta hominibus oblata, vt his quaſi ducibus aliquà ad Dei cognitionem perueniant; quæ erit ſanè obſcura, ſicut veſtigia ab animali impreſſa, ſigna ſunt animalis, rudia tamen, & imperfecta Et quòd cæcus manu contrectat, cognoſcit quidem, obſcurè tamen, atque confusè: ſic planè capere cognitionem aliquam Dei obſcuram non eſt difficile illi, qui non ſe totum, ſicut mutum animal, & ignobile, ad paſtum abiecit. Sicut difficile non eſt cæco deprehendere, & contrectare manu, cognitionémque obſcuram, & informem ſumere ex rebus quæ ita proximè, & frequenter circumſtant, vt in eas incautus & inuitus incurrat. Et ideo Apoſtolus poſtquam dixerat. *Si forte attrectent eum*, ſubdidit; *quamuis non longe ſit ab vno quoque noſtrûm.* Quaſi diceret, id non eſſe difficile: ſic enim nobis Deus proximus eſt, vt qui cæci ſunt, neque dum altiori lumine illuſtrati, aliquo tamen modo deprehendant. Sicut cæcus ſi in ſyluis erret denſiſſimis, aut in ciuitate frequentiſſima, ſi modò ſe vel leuiter commoueat, in arbores impinget, & parietes: ſic etiam ei, qui mentem excitare voluerit, vbique occurſat, imò vbique, vt ita dicam, incurſat Deus. Cùm.n. in ipſo moueamur, viuamus, & ſimus, non ſolùm prope nos, ſed intra nos Deus eſt. Quare niſi à ſe ipſo homo prorſus abeat, quod facit peccator, qui in quadrupedum, & reptantium naturam degenerauit, in ſeipſo Deum inueniet. Quis enim ſi ſpiritum in ſe, ſi vitam, ſi denique ſe aliquid eſſe conſiderat; maximè, cùm id qua ratione fiat, non intelligat; non reputet aliquid eſſe intra ſe, quod admirabiles illos motus cieat, illam vitam tueatur, illam tot organis inſtructam, tot caſibus obnoxiam fabricam moderetur?

Ipſius etenim genus ſumus.] Genus hîc P. Vaſquez non pro progenie, & ſobole, ſed pro opere Dei, aut creatura ſumi putat 1. tom. in 1. part. diſputatione vigeſimaoctaua, num. 17. Quod etiam ſenſiſſe videtur Clemens Alexandr. libr. 5. Stromatum prope finem, vbi explicãs hæc Arati verba. *Ipſius etenim genus ſumus*; addit, *ſcilicet creatione.* Neque vox ipſa hanc ſignificationem reſpuit; nam γεννάω nõ ſolùm *gigno*, ſed etiam *produco* ſignificat. Vnde liber Geneſeos dictus propter terræ 18. Quomodo homo Dei genus. Generatio idẽ quod creatio.

creationem; & à generante dicitur lapis moueri, id eſt, ab eo qui produxit. Ariſt. libr. 8. Phyſicorum cap. 4. Et ſi Deus imbrem generare dicitur, & gelu. Iob. 38. procul dubio eadem forma imber genus Dei dici poteſt; & tunc ſenſus facilis eſt, & vis rationis maxima. Si nos qui ſumus Dei opus; ſumus ligno, lapide, atque auro longè ſuperiores, non debemus exiſtimare illis Deum eſſe ſimilem, à quibus tam longè eſt, vt nos eorum opus eſſe poſſimus, vt ipſa aurea, aut marmorea ſimulacra opus ſint manuum noſtrarum.

19. *Genus, idẽ quod ſoboles.*

Sed ſi *genus* pro ſobole ſumatur, vt communiter omnes accipiunt, & homínes dicantur à Deo geniti, qua ratione Poëtæ dicũtur διογενεῖς, id eſt, *Iouis proles*, item Reges, & viri clari (quod ſanè mirandum non eſt à Paulo dici, cùm non ex ſua, ſed ex Græcorum Philoſophorum ſententia loquatur accommodatè ad illud, quod de Deo Athenienſes aut audierant, aut conceperant) non minor eſt vis. Certum eſt enim eum, qui ab aliquo genus, & vitam trahit, ab eodem quoque trahere ſimilitudinem, & formam, vt in omniũ ſenſibilium, plantatúmque genere exploratum eſt. Quare à ſeipſo homo diſcet ſtirpis ſuæ nobilitatem, & naturam. Sic ergo ſi genus Dei ſumus, vel ex nobis diſcamus Deum non eſſe aliquid ex auro, vel argento conflatum, cùm ex horum naturis nihil in nobis deprehendamus, neque ſupra nos aliquid in auri, atque argenti ſplendore exiſtimemus. Quo modo verò homo melior, atque nobilior ſit idolis, vide Sapientiæ c. 25. & Baruch c. vltimo. Quòd ſi ridemus, aut indignamur potiùs, ſi quiſpiam eſſe nos aſſerat imaginem quandam ex ligno, lapide, aut etiam ex auro artificum manibus expreſſam, quia moles quædam eſt ...tionis expers, & ſenſus: ſic etian ſi ab ea imagine nos prognatos eſſe ...icat, quia à metallo, aut lapide rati...nalis animæ nobilitas non ducitur. Non ergo, inquit Paulus, ſi genus ...mus Dei, debemus æſtimare auro, ...tque argento diuinum eſſe ſimile.

Porrò illud (*enim*) vt dix...mus, nihil hîc ſignificat: tantùm eni...n adducitur à Paulo, vt fideliter re...itare videatur Arati teſtimoniũ. Ve... certè in Scriptura *enim*, aut *etenim* non ſemper cauſales ſunt, ſed cop...latiuæ particulæ; vt conſtat ex Pſ...l. 67. *etenim non credentes inhabitare Dominum Deum.* & 97. *etenim ſagittæ tuæ tranſeunt.* & 138. *etenim manus tua deducet me.* Quare hîc ratio non redditur ſuperiorum; ſed noua ratio adiungitur ad ſuperiora. 20.

Verſ. 30. *Et tempora quidem huius ignorantiæ deſpiciens Deus.*] Qua ratione Deus dicatur neglexiſſe ſuperiora tẽpora, diximus c. 14. ad illud, *dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas.* Græcè pro, *deſpiciens*, eſt ὑπεριδών, quod etiam *diſſimulans* valet: eodem tamen ſenſu, ac ſi Deus ita ſe cum Gentilibus geſſerit, quaſi diſſimulauerit eos ad ſuam prouidentiam pertinere. Cæterùm illud *deſpiciens* in aoriſto eſt, & tempus iam præteritum indicat, hoc ſenſu: cùm iam antea Gentes Deus deſpexiſſet, nunc iam annunciat, &c. 21. *Quo ſenſu Deus ſuperiora tempora neglexerit.*

Nunc annunciat hominibus,] Qui Gentes hactenus deſpexiſſe videbatur, iã benignior, quàm antea, eiſdẽ viam ad ſalutem magis explicatam aperit, oſtendítque quomodo & admiſſa cognoſcant peccata, & ab eis ſe per pœnitentiam vindicent.

Verſ. 31. *Eo quòd ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem in æquitate.*] Vſitatum fuit Apoſtolis, maximè cùm ad Gentes agerẽt, diſputare de 22.

iudi

iudicio, tum quia ea dè re præceptum habebant à Domino, vt diximus ad illud cap. 2. *& dabo prodigia*, tum etiam quia res illa maximè cõmouere ſolet barbarorum etiam animos. Quare Petrus in priori oratione poſt Spiritus ſancti deſcenſum, & poſtea cum Cornelio; & Paulus nunc, & deinde coram Felice de iudicio ſermonem inſtituit.

23. Pauli prudentia. *In viro, in quo ſtatuit.*] Admirabili quodam artificio, vt notauit Origenes tract. 1. in Matth. Paulus cùm deducere vellet Athenienſes in Chriſti cognitionem, non Deum illum nominat, ne rei nouæ admiratio Doctori inuidiam, atque contemptum pareret; ſed virum, ita tamen vt in eo aliquid eſſe ſupra virũ cõciperent. Et ita videntur accepiſſe quando nouorum dæmoniorum annunciator eſſe dicitur paulo antè. Quare *in viro*, id eſt, per virum iudicaturum Deum orbem docet; *in quo ſtatuit*, id eſt, quem ſtatuit ſcilicet omnium Iudicem. Vbi obſeruo in Græco eſſe ἐν ἀνδρὶ ᾧ ὥρισε. vbi relatiuum ᾧ eſt in datiuo, quia apud Græcos relatiuum in caſu cum antecedenti conſentit. Seruauit autem ſuo more noſter Interpres Helleniſmum; vertiſſet autem clariùs ſi dixiſſet, *quem ſtatuit.*

Fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum à mortuis.] Origenes tractatu 1. in Matth. ſic explicat hunc locum. 24
Statuit Deus per Chriſtum oſtendere omnibus fidem. Sed in hanc ſententiam duriuſculè trahuntur verba. Faciliùs ſic interpretabere cum Chryſoſtomo, & Caietano, ſatis graue teſtimonium dediſſe Deũ, fidéque omnino dignum, quòd Iudex omnium futurus eſſet Chriſtus, quando illum à mortuis ſuſcitauit. Facit ad hæc quòd pro, *præbens*, & *ſuſcitans*, Græcè eſt in aoriſtis παρασχὼν, ἀναστήσας. Vnde ſenſus eſt; ſuſcitato Chriſto ſatis oſtendit Deus, datam illi iudicandi poteſtatem, cui datum eſt, vt ad viuos redierit.

Verſ. 34. *In quibus & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris.*] De Dionyſio multa ab hiſtori- 25
cis dicta. Vide Baronium in Annalibus. Damarim quidam vxorem eſſe putant Dionyſij. In his eſt Ambroſ. libro 10. epiſt. 82. & Chryſoſtomus libro 4. de Sacerdotio. Sed nihil eſt certum. Vox γυνὴ & *mulierem* ſignificat, & *vxorem*; modus tamen loquendi non tam *vxorem* indicat, quàm *mulierem*.

COMMENTARII IN ACTVS APOSTOLORVM.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

1 POſt hæc egreſſus ab Athenis, venit Corinthu:
2 * & inueniens quendam Iudæum nomine
Aquilam, Ponticum genere, qui nuper vene-
rat ab Italia, & Priſcillam vxorem eius (eo
quòd præcepiſſet Claudius diſcedere omnes Iu-
3 dæos à Roma) acceſſit ad eos. * Et quia eiuſdem erat artis, ma-
nebat apud eos, & operabantur (erant autem ſcenofactoriæ ar-
4 tis.)* Et diſputabat in Synagoga per Sabbathum, interponens
5 nomen Domini Ieſu, ſuadebátque Iudæis, & Græcis. * Cùm
veniſſent autem de Macedonia Silas, & Timotheus, inſtabat
6 verbo Paulus, teſtificans Iudæis eſſe Chriſtum Ieſum. * Con-
tradicentibus autem eis, & blaſphemantibus, excutiens veſti-
menta ſua, dixit ad eos: Sanguis veſter ſuper caput veſtrum:
7 mundus ego, ex hoc ad Gentes vadam. * Et migrans inde,
intrauit in domum cuiuſdam, nomine Titi Iuſti, colentis Deum,
8 cuius domus erat coniuncta Synagogæ. * Criſpus autem archi-
ſynagogus credidit Domino cum omni domo ſua: & multi Co-
9 rinthiorum audientes credebant, & baptizabantur. * Dixit
autem Dominus nocte per viſionem Paulo: Noli timere, ſed lo-
10 quere, & ne taceas: * Propter quòd ego ſum tecum: & nemo
apponetur tibi, vt noceat te: quoniam populus eſt mihi multus in
11 hac ciuitate. * Sedit autem ibi annum, & ſex menſes, docens
12 apud eos verbum Dei. * Gallione autem Proconſule Achaiæ,
inſur

inſurrexerunt vno animo Iudæi in Paulum, & adduxerunt
eum ad tribunal, * dicentes: Quia contra legem hic perſuadet 13
hominibus colere Deum. * Incipiente autem Paulo aperire os, 14
dixit Gallio ad Iudæos: Siquidem eſſet iniquum aliquid, aut fa-
cinus peſſimum, ô viri Iudæi, rectè vos ſuſtinerem. * Si verò 15
quæſtiones ſunt de verbo, & nominibus, & lege veſtra, vos ipſi
videritis: Iudex ego horum nolo eſſe. * Et minauit eos à tribu- 16
nali. * Apprehendentes autem omnes Soſthenem principem 17
Synagogæ, percutiebant eum ante tribunal: & nihil eorum Gal-
lioni curæ erat. * Paulus verò cùm adhuc ſuſtinuiſſet dies mul- 18
tos, fratribus valefaciens, nauigauit in Syriam (& cum eo
Priſcilla, & Aquila) qui ſibi totonderat in Cenchris caput: ha-
bebat enim votum. * Deuenitque Epheſum, & illos ibi reli- 19
quit. Ipſe verò ingreſſus Synagogã, diſputabat cum Iudæis.* Ro- 20
gantibus autem eis, vt ampliori tempore maneret, non conſenſit,
* ſed valefaciens, & dicens: Iterum reuertar ad vos Deo vo- 21
lente, profectus eſt ab Epheſo. * Et deſcendens Cæſaream, aſcẽ- 22
dit (&) ſalutauit Eccleſiam, & deſcendit Antiochiam. * Et fa- 23
cto ibi aliquanto tempore profectus eſt, perambulans ex ordine
Galaticam Regionem, & Phrygiam, confirmans omnes diſcipu-
los. * Iudæus autem quidam, Apollo nomine, Alexandrinus 24
genere, vir eloquens, deuenit Epheſum, potens in Scripturis.
* Hic erat edoctus viam Domini: & feruens ſpiritu loqueba- 25
tur, & docebat diligenter ea, quæ ſunt Ieſu, ſciens tantùm ba-
ptiſma Ioannis. * Hic ergo cœpit fiducialiter agere in Synago- 26
ga. Quem cùm audiſſent Priſcilla, & Aquila, aſſumpſerunt eũ,
& diligentiùs expoſuerunt ei viam Domini. * Cùm autem 27
vellet ire Achaiam, exhortati fratres, ſcripſerunt diſcipulis, vt
ſuſciperent eum. Qui cùm veniſſet, contulit multùm his, qui
crediderant. * Vehementer enim Iudæos reuincebat publicè, 28
oſtendens per Scripturas, eſſe Chriſtum Ieſum.

Digitized by Google

IN CAPVT DECIMVM-OCTAVVM ACTVVM APOSTOLORVM.

Verſ. 1. **P***Oſt hæc egreſſus ab Athenis venit Corinthum.*]Non conſtat
1. Quandiu Paulus moratus Athenis. quandiu Paulus moratus ſit Athenis: eſt tamen veriſimile non fuiſſe diu,quia,vt aliis ferme in locis, aut feciſſet,aut paſſus fuiſſet plura. Fuit tamen aliquot diebus,vt oſtendit & conuerſio Damaris, quæ cùm in Areopago, id eſt, virorum conuentu non interfuerit,neceſſe fuit, vt alibi Paulum concionantem audierit;& quòd paulo antequam dicatur in Areopagum adductus, diſputaſſe dicitur in Synagoga cum Iudæis, & colentibus, & in foro per omnes dies ad eos,qui aderant. Adde quòd aliquot dies expectauit Timotheũ, & Silam, quos à Berrœa ſubſequi, & Athenas ad ſe venire præceperat, & antequam Athenis diſcederet, Theſſalonicam remiſit;vt ipſe Paulus ſcribit 1.ad Theſſalon.3. *Placuit nobis remanere Athenis ſolis, & miſimus Timotheum fratrem noſtrum.*

2. Huic tamen ſententiæ illud videtur obſtare, quia ſtatim Silas, & Timotheus ad Paulum veniſſe dicuntur,cùm eſſet Corinthi.Propter hoc mihi videtur dicendum, aut Paulum, cùm Athenas attigit,mutaſſe conſilium, aut cùm audiſſet Theſſalonicenſes, qui fidem ſuſceperãt,ab aliis turbari,rémque Chriſtianam in diſcrimen adduci, præcepiſſe Timotheo, vt interim omiſſis Athenis Theſſalonicam remitteret,& Chriſti cauſam acriter ab aliis concuſſam confirmaret.Et ideo ad Theſſal. ſuprà dicit ſe manſiſſe Athenis ſolũ: vel certè vbi primùm Timotheus Athenas venit,cùm docuiſſet quo in ſtatu eſſet res Theſſalonicenſis,redire iuſſus eſt. Neque de hoc aduentu agitur hoc cap. 18. quia cùm moratus Athenis non fuerit Timotheus, cenſetur ibi non fuiſſe.Et hoc mihi videtur veriſimilius.Suſpicor autem eodem tempore cum Timotheo diſceſſiſſe Silã, ſiue ad Berrœnſes, ſiue ad Philippenſes,ſiue ad locum,qui ſimili verſaretur in periculo (nam ad Theſſalonicenſes non puto; quia ad illos ſuprà miſſus dicitur eſſe Timotheus,vtiq; ſolus)quia ſtatim Timotheus, & Silas Corinthum veniſſe dicuntur ad Paulum ex Macedonia. Quo ex loco colligitur epiſtolam priorem ad Theſſalonicenſes non eſſe miſſam Athenis, ſed Corintho; nam ſcripta dicitur ſuprà poſt Timothei reditum. Ex quo etiam fit, non eſſe veriſimile id, quod argumentum illi epiſtolæ præfixum habet,miſſam eſſe Athenis per Oneſimum, & Tychicum. Nam illa epiſtola ſcripta eſt,aut prima, vt nonnulli volunt, aut certè inter primas; Oneſimus verò tunc conuerſus eſt, quando Romæ erat Paulus: tunc enim in vinculis genitus ſcribitur in epiſtola ad Philemonem.

Verſ. 2. *Eo quòd præcepiſſet Claudius diſcedere omnes Iudæos à Roma.*] De hac expulſione Iudæorum ab 3.
vrbe

Claudius Iudæos Roma expellit. vrbe vide Suetonium in Claudio cap. 25. vbi Chriſto impulſore eiectos eſſe tradit Iudæos. Quam verò ob cauſam Oroſius ſe ignorare fatetur lib. 7. cap. 6. Eſt autem veriſimile, ſicut alibi Chriſtiani infenſiſſimos ſuæ Religioni Iudæos habuerunt, & ab iis variè exagitati ſunt; ſic etiam hoc idem contigiſſe Romæ. Quare cùm inter vtroſque contentiones eſſent aſſiduæ de Religione, vt ſeditionibus occurreret Claudius, Iudæos, puto etiam Chriſtianos, ab vrbe iuſſit excedere. Dicuntur autem à Suetonio impulſore Chriſto relegati; quia Religionis à Chriſto traditæ cauſa cōtentiones illæ excitabantur, propter quas ab vrbe relegati ſunt. Hiſtoria Scholaſtica tradit Iudęos Roma iuſſos eſſe diſcedere, quia Agrippina Claudij vxor ſic ad Iudæos afficiebatur, vt eorum Religionem amplexura videretur.

4. Ars ſcenofactoria. Verſ. 3. *Erant enim ſcenofactoria artis.*] Docuit ſæpe Paulus ſe nemini fuiſſe grauem, licèt operarius mercede ſua dignus ſit. Quare licèt Apoſtolico miniſterio tractādo defeſſus, ſuum tamē ſibi victum manu, & arte quærebat. Accidit ergo commodum inueniſſe Aquilam eiuſdem artis hominem, apud quem diuerſatus arti ſuæ nauaret quidquid eſſet reliquum ab Euangelij ſtudio. Quę ſit ars ſcenofactoria, non omnino certum. Eraſmus, & Vatablus interpretantur artē conficiendi aulęa; reliqui ferme omnes artē eſſe putant conficiēdi tabernacula. Et hoc mihi longè veriſimilius eſt: neque enim Paulus, qui tantopere crucem cōmendabat, quiq; voluptati iam bellum indixerat implacabile, credendus eſt in conficiendis aulæis ſeruiſſe voluiſſe hominum ſiue vanitati, ſiue deliciis. Tabernacula verò vtilia erant iis qui in agris agerent. Sicut etiam Chriſtus arte fabrili, quam cū nutritio Ioſeph coluiſſe creditur, non alia eiuſdem artis opera ad vanitatem, ſeu delicias efficiebat, ſed aratra, & iuga, vt dicit Iuſtinus Dialogo cum Tryphone: ea nimirum, quæ laborioſa ſunt inſtrumenta, & apta Euangelici viri ſymbola. Sed adhuc, quia tabernacula ex pellibus fieri, & ex camelorū, caprarúmque pilis texti ad arcendas pluuias, cœlique ſæuitiam ſolent, dubium eſt quam præſertim materiam arte ſcenofactoria verſaret Paulus. Plerique veriſimilius putant pelles ad tabernaculorum vſum à Paulo concinnari. Ita Beda. Origenes homil. 17. in Num. Chryſoſt. hom. 2. in epiſt. ad Rom. & hom. de S. Paulo *σκηνοῤῥάφον* vocat Paulum, ideſt, *ſutorem tabernaculorum.*

5. Nomina multa ex Latino, Græcóq; cōpoſita. Porrò (*ſcenofactoria*) vox eſt compoſita ex Gręca, Latináque dictione, quod rarum eſt, vitióque dant, qui nimis ſcrupuloſè ad ſeueras leges nominum compoſitionem exigūt. Vſitatum tamen aliquando hoc eſt, neque tantùm ſacris, Eccleſiaſticíſque, vt, *Epiſcopus*, *compreſbyter*, *bigamus*, *ſubdiaconus*; ſed aliis aliarum facultatum authoribus, vt, *concentricus*, *protomedicus*, *protonotarius*, *monoculus*, *chryſoclauus*, *pultiphagus*, *ſemizonarius.* Et in hac voce peculiaris ratio eſt, quia vox *σκηνὴ*, pro qua Latinus *ſcena*, ſignificat *tabernaculum*, ſeu *tentorium.* Ex voce autem Latina longū componeretur nomen, & inſuaue, vt, *tabernaculofactorium*, aut, *tentoriofactorium*; præſertim quia vox *ſcena* pro tabernaculo propter Dramatum frequentem vſum non minùs eſt vſitata Latinis, quàm *σκηνὴ* Græcis.

Sed dubitabit hîc aliquis quomodo Paulus, vir, vt apparet, non ignobilis, eruditione clarus, & in ea quærēda maximè, ac diu occupatus 6

Qui Iudæorum ſcholas obibant, artificio aliquo viuebant.

artem aliquam diſcere, eámque cómodè exercere potuerit? Reſpódeo; quòd ad Paulum attinet, qui ſcholas Iudæorum obiit, nemini eorum, qui Scripturæ operam nauarent, licuiſſe doctrinæ gratiâ ſcholas, ſeu Synagogas inire, ni priùs artem aliquam didiciſſet. Sic docent Hebrçorum magiſtri, vt docet Baronius 1.to. Annal. anno 52. & inter alios Scemacaia, & Athaliō præſcriptam legem eſſe tradunt his , qui ſacras vellent literas profiteri, vt manuale aliquod ac mechanicum opificium addiſcerent, quo victum pararent; eámque proponi in lectione prima primæ hebdomadis Azymorum. Rabbi quoq; Gamaliel in doctrina fratrum, quæ inſcribitur *Haad*, vehementer commendat, vt ſacratum literarum ſtudioſi opus aliquod manuale exerceant, quod qui facere recuſarent, procliuiores ad peccandum habebantur. Et inter alios nobiles Rabbinos leguntur Rabbi Iochanna, & Rabbi Iudas artibus mechanicis operam nauaſſe, ille ſutoriæ, hic piſtoriæ. Hanc legem ſeruaſſe credendus eſt Paulus, qui tam auidè in ſacrarum literarum ſtudium incubuit.

7. Apoſtoli manu ſibi & arte victum parabant.

Sed quòd nunc artem exercuerit, victúmque manu atque labore quçſierit, alia ratio eſt Paulo cum aliis Apoſtolis cómunis. Nam ne Apoſtoli aliis occaſionem darent oblatrandi; ac exiſtimādi Euangelij prædicationem quaſi ars quædam eſſet, ad quæſtum conferre, ita vitæ rationem inſtituerunt, vt quod otij nacti eſſent, perfuncti Apoſtolico miniſterio, id ad parandum ſibi victum alicui artificio impenderent. Cóſtat ex Clemente lib. 6. Conſtit. cap. 67. vbi hæc traditur Apoſtolica conſtitutio. *Qui in Eccleſiis iuuenes eſtis, curate in omnibus rebus neceſſariis ſedulò miniſtrare: cū omni ſanctitate operi veſtro vacate, vt omni tempore & vobis & Gentibus ſuppeditare poſſitis, ne Eccleſiam Dei oneretis. Etenim nos quoque vacantes verbo Euāgelij ſucceſſiuas operas non negligimus. Alij enim ex nobis piſcatores ſunt, alij ſcenarum artifices, alij agricolæ, ne vnquam otioſi ſimus.* Et de fratrib. Domini refert Euſeb. lib. 3. hiſtoriæ cap. 5. ex Ægeſippo, coram Domitiano vocatos tanquā à ſanguine Dauidico, id eſt, Regio prognatos, quos extinguere decreuerat, oſtenſis manibus partim callis obtritis, partim laceris mechanico labore, ereptos fuiſſe morti. Quòd verò Paulus ante, & poſt hæc tempora victum ſibi quæſierit, ipſe docet. Primùm cùm eſſet Theſſalonicæ. 1. ad Theſſalonicenſes c. 2. & cùm eſſet Epheſi. 2. Theſſalon. c. 3. quod feciſſe ſecum quoque Barnabam indicat 1. Cor. 9. Idipſum Apoſtolorum exemplo feciſſe olim plurimos Sacerdotes tradit Epiphan. hæreſi 80.

Verſ. 6. *Excutiens veſtimenta ſua.*] Cap. 13. diximus quid ſignificaret excuſſus puluis, ſiue ex veſtimentis, ſiue ex calceis.

Sanguis veſter ſuper caput veſtrum, mundus ego.] Cùm aliquis innocens 8.

Lauandis manib. innocentia ſignificatur.

videri vellet, ſanguinem à ſe in alienū caput expiabat, aut contra eum qui ſe reum alicuius ſceleris faciebat, in ſuum caput homicidij ſanguinem precabatur. i. ſuſcipiebat in ſe culpam, cui debitum erat ſanguinis ſupplicium. Prioris exemplum eſt Dan. c. 13. *mundus ego ſum à ſanguine huius.* & 2. Reg. 3. *mundus ego ſum à ſanguine Abner, &c. & veniat ſuper caput Ioab.* Et Pilatus ſecutus ſiue Romanorum, ſiue Hebræorū cóſuetudinem, lauit manus ſuas, & ſe dixit innocentem à ſanguine iuſti. Credo id feciſſe potiùs Hebraico, quàm Romano ritu: nam Deut. 21. dicitur, vt qui ſe innocentem eſſe

oſten

Digitized by Google

oſtenderet ab alicuius nece, lauet manus ſuas, ponátque ſuper cæſam vitulam, ac dicat, *Manus noſtræ non effuderunt ſanguinem hunc.* Poſterioris exemplum eſt illud Iudæorum, qui Chriſti ſanguiné ſuper caput cadere petierunt. Qui loquendi, aut imprecandi modus vſitatus quoque Romanis. Refert Seneca lib. 4. de beneficiis de Mamerco, qui contumelioſum verbum in Pollionem iecerat, vt illi ſatisfaceret, dixiſſe. *Quicquid malè dixi, mihi, & capiti meo.* Et Tibullus ſimili ſatisfactionis forma vſus eſt.

Satisfactio pro verbo contumelioſo.

Et mala, ſi qua tibi dixit dementia noſtra,

Ignoſcas, capiti ſint precor illa meo.

Quam etiam conſuetudinem familiarem eſſe Græcis tradit Scholiaſtes Ariſtophanis in illud Acharn. εἰς κεφαλὴν τρέποιτ' ἐμοί. id eſt, *in caput conuertatur meum.* Vide Muretum lib. 12. var. cap. 4.

9. Hoc ergo loco Paulus teſtimonium aliquod extare voluit muneris à ſe fideliter obiti, dum excuſſum puluerem apud Iudæos relinquit, & ſe ab illorũ ſanguine immunẽ teſtatur. Videtur autem, vt notauit Salmeron hîc, reſpexiſſe ad illum locũ Ezechiel. 33. *Sanguinem eius de manu tua requiram.* Quaſi diceret: clamaui iam, & quod meum erat, præſtiti, ſi quid vobis aduerſum accidat, veſtræ obſtinationi tribuite. Ecce iam ad Gentes vadam, &c.

10. Verſ. 10. *Populus enim eſt mihi multus in hac ciuitate.*] Quemadmodum Spiritus ſanctus ſuprà ſæpe Paulum abduxit ab iis ciuitatibus, ad quas iter moliebatur, ne ardens eius opera inanis excideret, ſic etiam nunc, quia videbat ex Pauli labore colligendum eſſe non exiguum fructum, illum hortatur bono animo vt ſit, & ſuum auxilium pollicetur.

Verſ. 11. *Sedit autem ibi annũ vnum, & ſex menſes.*] Quid hoc tempore Paulus egerit, non ſcripſit Lucas, ſed eſt omnino certum tempus illud neque otioſum fuiſſe, neque infructuosè poſitum à Paulo. Coniectari autẽ aliquid licet ex epiſt. 2. ad Cor. cap. 12. Illud obſeruandum, aut lapſum memoria Chryſoſtomum, aut illum, qui Chryſoſtomo Præfationem appoſuit in Præfatione ad 1. Corinth. ſcripſiſſe Paulum Corinthi poſuiſſe duos annos, & quædam ibi feciſſe, quæ facta eſſe poſtea Epheſi tradit Lucas. De his plura ſtatim. 11.

Verſ. 12. *Gallione autem Proconſule Achaiæ.*] Achaia regio Græciæ eſt tota litoralis, quare Ægialus etiam vocatur, & in ea Corinthus. Huic præerat Gallio Senecæ germanus frater, vt ipſe reſtatur in Præfatione lib. 4. qq. natur. Ad quem ſcripſit librum de remediis fortuitorum; & alterũ de vita beata; quíque de ipſius profectione ex Achaia meminit epiſt. 101. Cur autem Gallio cauſam de Religione iudicare noluerit, ſed Hebræorum concilio diſceptandam permiſerit; vide quæ ſuprà pluribus diximus ad illud cap. 12. *Erant enim dies Azymorum.* Præſides autem Romani aut nõ poterant, aut, quod veriſimilius eſt, cùm poſſent, non ſolebant cauſas de Religione nationũ iudicare, ſed de his, quæ fieri vetabant Romanorum leges. Quare coram Romano Præſide Iudæi Chriſtum accuſant, quòd ſeducit turbas, & negat tributum dare Cæſari, & quòd ſe Regem fecit. 12

Præſides Romani cauſas de Iudæorum Religione non ſuſcipiebant.

Verſ. 17 *Apprehendentes omnes Soſthenem Principem Synagogæ, percutiebant eũ.*] Incertũ quis fuerit hic Soſthenes. Quidam binomium putant, & eundem eſſe cum Criſpo. Sed oppoſitum tenendum; nam hos duos diſtinguit Martyrologium Roma- 13.

Digitized by Google

num. Alij Soſthenem putant nondum conuerſum, & in accuſatione Pauli actorem fuiſſe apud Gallionē; percuſſum autem à Gentilibus qui aderant, & habitum ludibrio, quia repulſam tulerat à Prçſide. Vſu enim plerumque euenit, vt iuuenilis, atque inurbana turba illum ſibilis, & interdum pugnis exagitet, quem per ludibrium ab aliis malè acceptū viderit. Ita Caietanus, Lyra, & Interlinearis, atque hiſtoria Scholaſtica. Alij conuerſum putant Soſthenem, & eius ſtudium in Paulū, rémque Chriſtianam notam eſſe Iudæis, vel quia illi antea fauerat, vel quia illi apud Gallionem tunc auxilio fuit. Quare Iudæi vt malè à Gallione accepti irrogatam iniuriā vlciſcerētur, iram à Paulo, quem lædere non poterant, in Soſthenem conuertunt, de cuius fide non dubitabant. Ita Oecumenius. Et hoc mihi videtur veriſimilius: nam illa percuſſio ante tribunal, id eſt, locum, vel ſua dignitate, vel Præſidis authoritate ſuſpiciendum, non videbatur oriri potuiſſe niſi ex magno dolore, vel offenſione, quæ conſiliū interdum eripiunt vel prudentiſſimis hominibus. Alij verò præſente Præſide, quos non inſtimulabat aut dolor, aut pudor, non, credo, voluptatis gratiâ rem tentaſſent eo loco, & Præſide, adde etiam, & Archiſynagogo indignam. Neque verò audiendi vllo modo ſunt, qui putant à fidelibus percuſſum eſſe Soſthenem, in quibus eſt Hugo: neque enim id decebat Chriſtianam modeſtiam; neq; illis abſoluto Paulo erat cur ita afficerentur acerbè, vt in vnum hominem, cúmque, vt par eſt, ætate venerabilem adeò immoderatè baccharentur. Græcus textus habet *Ἐπιλαβόμενοι δὲ πάντες οἱ ἕλληνες*, id eſt, *apprehendentes omnes Græci.* Sed forſan vox ἕλληνες in textū irrepſit, alioqui noſter Interpres non omiſiſſet. Aut ſi Græci ſunt, non quidem illi Gentiles, ſed Iudæi, qui Græci etiam dicuntur, vt ſæpe vidimus.

Non ſolùm Soſthenem, ſed etiam Paulum verberatū eſſe coram Gallione dicit Chryſoſtomus in Præfatione prioris ad Corinth. Sed credo Præfationem illam non eſſe Chryſoſtomi: multa enim ſunt ibi quæ cum hiſtoria omnino non conſentiunt, quæque Epheſi facta narrat Lucas, ea Corinthi contigiſſe tradit illa Præfatio. Vide quot contra hiſtoriam vna tantùm clauſula contineat: ſic enim inquit. *Multa in hac ciuitate* (ſcil. Corintho) *Paulus perpeſſus eſt. In hac Chriſtus ei apparuit dicens, noli tacere, ſed loquere, quoniam populus eſt mihi multus in hac ciuitate. Idcirco manſit hîc duos annos* (Lucas, annum vnum, & ſex menſes) *in hac dæmon eiectus eſt, quem cùm Iudæi adiurarent, peſſimè ab eo tractati fuerant. In hac coactos Magorum libros pœnitentia ducti cremarunt, ad millia quinquaginta.* (hæc Epheſi contigiſſe docet c. 19.) *In hac ante tribunal coram Gallione Proconſule Paulus virgis cæſus eſt.* Vt ergò plurima alia cum ſacra hiſtoria non conſonant; ſic omnino puto neque poſtremum hoc de Pauli fuſtuario coram Gallione. 14.

Verſ. 18. *Qui ſibi totonderat in Cenchris caput, habebat enim votum.*] In 15.
quibuſdam codicibus eſt *totonderāt*; ſed correctiores codices habent in ſingulari, conſentaneè ad Græcum textum, qui habet *κειράμενος*. An verò hîc ſermo ſit de Paulo, an de Aquila, non omnino certum. Sed de Paulo videtur probabilius. Ita Hieronymus epiſt. 11. Auguſt. in epiſt. 19. Beda, & alij communiter. Cenchræ verò ſunt illa Corinthi pars, quæ ad Orientem ſpectat, & Ægæum mare in ſinum excipit, vt tradit Strabo lib. 18. Illud verò votum, quod emiſerat

Nazareorum voti perpetui, & temporarium.

Paulus,

Paulus,ſine dubio Nazaræorum eſt; quorum duo erant genera, vel ſtatus. Quidam enim perpetuo ſe obligabant voto, ita vt nunquam aut tonderent caput,aut vinum biberēt, ſumerentque quidquid ex vite naſcitur, qualis erat Samſon. Alij verò temporario, quo expleto liberum erat communem cum alijs vitam agere. Vide Numer.cap.*6*. Si verò Nazaræus pollueretur mortuo aliquo coram ipſo, repentè radebat cæſariem, & ab eo die conceptum votum, etiamſi iam propè abeſſet à fine, deintegro incipiebat implere; vnde fiebat nonnunquam,vt obſeruauit Abul.in cap.*6*.Numer.q. 12.vt qui vnius anni votum emiſerat, annis 20.non ſolueret; quia vicies, & ſæpius contingebat pollui. Hoc verò votum ſiue perpetuum, ſiue aliquo tempore definitum, tam erat vſitatum apud Hebræos,tantique ab omnibus fiebat, vt iam ἀντονομαστικῶς votum pro Nazaręorum vſurpetur voto. Quare Num.*6*.vbi dicitur; *vir, ſiue mulier cùm fecerit votum*; de Nazaræatu apertè ſermo eſt. Quare hoc loco,vbi Paulus votum habere dicitur,de Nazarętu eſt intelligendū; ſicut & c.21. infrà quatuor viri, qui dicuntur habuiſſe votum. Tale quidem votum habebat Paulus, ſed ad certum tempus, alioqui non totódiſſet caput.Emiſerat fortaſſe ante conuerſionem, quo tempore inſectari cœpit fideles Hieroſolymis, pro felici ſuſceptæ prouinciæ exitu; quando egreſſus eſt cum Pontificis literis, vt fidem iam longè propagari cœptam opprimeret. Fieri verò potuit,vt tot annos Nazarętus pōdus ſuſtinuerit, quia interruptum ſæpe votum eſt ſubitò coram cadēte mortuo. Nunc verò ſine dubio ideo tonſus eſt in Cenchris, quia repentino caſu alicuius mortui pollutus erat,& ex lege Num.*6*.tonderi debuit,ne aliis, cùm ex prolixa coma,vitæque inſtituto ſe Nazaræū profiteretur, ſcandalo eſſet,quem à mortuo pollutum,neque tamen ideo tonſum eſſe vidiſſent. Quod etiā colligitur apertè, quia Paulus iterū in templo ſe oſtendit cap.21.impleto nimirum voto,neque eo impleto alibi tonderi licebat, niſi in templo. Quare,vt dicit Abul. in 4.Reg. cap. 25.q.31. neque tempore captiuitatis Babyloniex, neque etiam nunc tale votum fit,quia templum non eſt, in quo ſolùm per legem fas eſt comam deponere. Vt ergo Paulus cap.21.Iudæis probaret legem à ſe non eſſe contemptam, totondit ſe, ac purificauit in templo, ſic etiam hîc ob eādem cauſam.Tunc verò fas erat ſeruare illā cæremoniam, quia neque dum ſepulta erat cum honore lex: neque cæſaries intonſa venturum Chriſtum adumbrabat, ſed potiùs ad Dei cultum, & corporis mortificationem pertinebat.Eſt enim graue prolixam geſtare cæſariem,quam vltra annum, auream licèt, geſtare non poterat Abſalon. 2 Reg.14. *Semel enim in anno tondebatur, quia grauabat eum cæſaries*:& abſtinere ab eo, quod vitis generat, non omnino iucundum.

Nazaræus pollutus quomodo purificandus.

18. *Paulus Nazaręus ad tempus.*

Purificatio in templo.

COMMENTARII IN ACTVS APOSTOLORVM.

CAPVT DECIMVMNONVM.

1 *FActum eſt autem, cùm Apollo eſſet Co-*
rinthi, vt Paulus peragratis ſuperioribus
partibus veniret Epheſum, & inueniret
2 *quoſdam diſcipulos: * dixitque ad eos: Si*
Spiritum ſanctum accepiſtis credentes? At
illi dixerunt ad eum: Sed neque ſi Spiritus ſanctus eſt, au-
3 *diuimus. * Ille verò ait: In quo ergo baptizati eſtis? Qui*
4 *dixerunt: In Ioannis baptiſmate. * Dixit autem Paulus:*
Ioannes baptizauit baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens: In
eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, vt crederent, hoc eſt,
5 *in Ieſum. * His auditis, baptizati ſunt in nomine Domi-*
6 *ni Ieſu. * Et cùm impoſuiſſet illis manus Paulus, venit*
Spiritus ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & pro-
7 *phetabant. * Erant autem omnes viri ferè duodecim. * In-*
8 *trogreſſus autem Synagogam, cum fiducia loquebatur per*
9 *tres menſes, diſputans, & ſuadens de regno Dei. * Cùm au-*
tem quidam indurarentur, & non crederent, maledicen-
tes viam Domini coram multitudine, diſcedens ab eis, ſe-
gregauit diſcipulos, quotidie diſputans in ſchola Tyranni cu-
10 *iuſdam. * Hoc autem factum eſt per biennium, ita vt*
omnes, qui habitant in Aſia, audirent verbum Domini, Iu-
11 *dæi, atque Gentiles. * Virtuteſque non quaſlibet faciebat Deus*
12 *per manum Pauli: * ita vt etiam ſuper languidos defer-*
rentur à corpore eius ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant

ab

Digitized by Google

eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur. * Tentaue- 13
runt autem quidam & de circumeuntibus Iudæis Exorciſtis,
inuocare ſuper eos, qui habebant ſpiritus malos, nomen Domi-
ni Ieſu, dicentes: Adiuro vos per Ieſum, quem Paulus prædicat.
* Erant autem quidam Iudæi Sceuæ principis ſacerdotum ſe- 14
ptem filij, qui hoc faciebant. * Reſpondens autem ſpiritus 15
nequam dixit eis: Ieſum noui, & Paulum ſcio: vos autem qui
eſtis? * Et inſiliens in eos homo, in quo erat dæmonium peſ- 16
ſimum, & dominatus amborum, inualuit contra eos, ita vt
nudi, & vulnerati effugerent de domo illa. * Hoc autem no- 17
tum factum eſt omnibus Iudæis, atque Gentilibus, qui habitant
Epheſi: & cecidit timor ſuper omnes illos, & magnificabatur
nomen Domini Ieſu. * Multique credentium veniebant con- 18
fitentes, & annunciantes actus ſuos. * Multi autem ex eis, qui 19
fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt
coram omnibus: & computatis pretiis illorum, inuenerunt pe-
cuniam denariorum quinquaginta millium. * Ita fortiter cre- 20
ſcebat verbum Dei, & confirmabatur. * His autem exple- 21
tis, propoſuit Paulus in ſpiritu, tranſita Macedonia, & Achaia
ire Ieroſolymam, dicens: quoniam poſtquam fuero ibi, oportet me
& Romam videre. * Mittens autem in Macedoniam duos ex 22
miniſtrantibus ſibi, Timotheum, & Eraſtum, ipſe remanſit
ad tempus in Aſia. * Facta eſt autem illo tempore turbatio non 23
minima de via Domini. * Demetrius enim quidam nomine, ar- 24
gentarius, faciens ædes argēteas Dianæ, præſtabat artificibus non
modicum quæſtum: * quos conuocans, & eos, qui huiuſmodi 25
erant opifices, dixit: viri, ſcitis quia de hoc artificio eſt nobis ac-
quiſitio. * & videtis, & auditis quia non ſolùm Epheſi, 26
ſed pene totius Aſiæ, Paulus hîc ſuadens auertit multam tur-
bam, dicens: Quoniam non ſunt dij, qui manibus fiunt. * Non 27
ſolùm autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem ve-
nire, ſed & magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur, ſed
& deſtrui incipiet maieſtas eius, quam tota Aſia, & orbis co-
lit.

Digitized by Google

28 *lit. * His auditis repleti ſunt ira, & exclamauerunt, dicen-*
29 *tes: Magna Diana Epheſiorum. * Et impleta eſt ciuitas con-*
fuſione, & impetum fecerunt vno animo in theatrum rapto
30 *Caio, & Ariſtarcho Macedonibus, comitibus Pauli. * Paulo au-*
tem volente intrare in populum, non permiſerunt diſcipuli.
31 ** Quidam autem & de Aſiæ principibus, qui erant amici eius,*
32 *miſerunt ad eum rogantes ne ſe daret in theatrum: * alij autem*
aliud clamabant. Erat enim Eccleſia confuſa: & plures neſcie-
33 *bant qua ex cauſa conueniſſent. * De turba autem detraxe-*
runt Alexandrum, propellentibus eum Iudæis. Alexander au-
tem manu ſilentio poſtulato, volebat reddere rationem populo.
34 ** Quem vt cognouerunt Iudæum eſſe, vox facta vna eſt omniũ,*
quaſi per horas duas clamantium: Magna Diana Epheſiorum.
35 ** Et cùm ſedaſſet Scriba turbas, dixit: Viri Epheſij, quis enim*
eſt hominum, qui neſciat Epheſiorum ciuitatem cultricem eſſe
36 *magnæ Dianæ, Iouiſque prolis? * Cùm ergo his contradici non*
37 *poſſit, oportet vos ſedatos eſſe, & nihil temerè agere. * Addu-*
xiſtis enim homines iſtos, neque ſacrilegos, neque blaſpheman-
38 *tes Deam veſtram. * Quòd ſi Demetrius, & qui cum eo ſunt*
artifices, habent aduersùs aliquem cauſam, conuentus forenſes
39 *aguntur, & proconſules ſunt, accuſent inuicem. * Si quid autem*
40 *alterius rei quæritis; in legitima Eccleſia poterit abſolui. * Nam*
& periclitamur argui ſeditionis hodiernæ, cùm nullus obnoxius
ſit (de quo poſſimus reddere rationem) concurſus iſtius. Et cùm
hæc dixiſſet, dimiſit Eccleſiam.

IN

IN CAPVT DECIMVM-NONVM ACTVVM APOSTOLORVM.

1. Baptiſmus Ioānis.

Verſ.3. *IN quo ergo baptizati eſtis?*] Vt præcedēti capite dictum eſt, Apollo Epheſi multos commouetat, vt qui apprimè Scripturarum doctus eſſet, & ſpiritu feruens, & eloquentia potens. Hic tantùm Baptiſma Ioannis nouerat, & eius Baptiſmo, vt apparet, Epheſiorum aliquos luſtrauerat; nam etiamſi Baptiſmus ille ab vno Ioanne conferretur, vtpote præcurſore, vt dicit Cyrillus 2. in Ioan. cap. 57. & Aug. tract. 5. in Ioan. & 5. de Baptiſmo c. 13. tamen fieri potuit, vt ſublato Ioanne alij ignorantes illius Baptiſmi inſtitutionem, & cauſam illum contulerint. Siue ergo ab Apollo proximè, ſiue multo antè à Ioanne, aliquot Epheſij Baptiſmum illum imperfectum ſuſceperant. Qui tamen hîc vocantur diſcipuli; quia & ipſi, quæ ad ſalutem pertinent, diſcere, atque amplecti ſtudebant. Hos ergo Paulus cùm per Sacramentum Cōfirmationis Spiritum ſanctum conferre vellet, quos baptizatos nouerat, rogat an Spiritum ſanctum accepetint; illis autem reſpondentibus, neque Spiritus ſancti nomen ſibi notum, rogat iterum in quo baptizati fuerant.

2. Baptiſmus Chriſti in nomine triū perſonarum.

Ex quo patet, vt ſuprà cap. 2. vidimus, in ipſis quoque Eccleſiæ primordiis Baptiſmum dari ſolitum nō in Chriſti nomine, id eſt, Chriſto tantùm nominato; ſed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Neque enim ſine cauſa miratur Paulus, quòd Baptiſmo luſtrati Spiritus ſancti nomen non audierint. Quare reſpondent Epheſij baptizatos ſe quidem, non tamen Chriſti, ſed Ioannis Baptiſmate, in quo S. Spiritus nomen non audiebatur. An verò Baptiſmus Ioannis ſine vlla certa forma datum ſit, vt volunt Sotus d. 2. q. 2. art. 1. Durand. Gabr. Franc. Suarez, an ſub hac, vel alia ſimili. *In nomine Chriſti venturi*; vt vult S. Thomas 3. p. q. 38. art. 6. ad 5. cum aliis multis; non noſtri, ſed Scholaſtici negotium eſt. Ex hac Epheſiorum reſponſione ortum exiſtimo illud Hiſpanicum Prouerbium, quo Hiſpani vtimur, quando cum illis agimus qui ſunt rerum ignorantiſſimi, earum maximè, quarum illos ſcientes putabamus: tunc enim dicimus *loqui ad Epheſios*, id eſt, minùs aptè ad rem, vel perſonam. Prouerbium Hiſpanicū.

Verſ.5. *His auditis baptizati ſunt in nomine Ieſu.*] Ex hoc loco, credo, manifeſtum fit, quando Apoſtoli dicuntur baptizaſſe in nomine Ieſu Chriſti, feciſſe id inuocato nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; nā cùm Paulus baptizaret hos Epheſios Baptiſmo, in quo Spiritus ſancti nomen eſſet inuocandum, baptizaſſe tamen dicit in nomine Ieſu; eo nempe ſenſu, qui à nobis traditus eſt cap. 2.

Verſ.6. *Erant autem omnes viri ferè*

3. *duodecim.*] Cùm magna multitudo
eſt, perfectúſque numerus, ac ple-
nus ponitur, adhiberi aliquando ſo-
let particula *ferme*, aut *quaſi*, & ſimi-
les, vt cap. 1. diximus: qua ratione
Chriſtus fuiſſe dicitur quaſi annorū
duodecim; & iterum quaſi annorū
triginta. Hîc verò cùm exiguus ſit,
& facilè iniri numerus poſſit; imò
& imperfectus ſubiectus ſit (nam
denario, qui perfectus eſt numerus,
additus eſt binarius) non apparet
cur vox *fere* addi debuerit. Hiſtoria
Scholaſtica ait, illud *fere* additum
eſſe ad temperamentum. Idem Car-
thuſ. Et ita videtur reſponderi poſſe:
nam Spiritus ſanctus hominum cō-
ſuetudini ſeſe accommodat, qui
modeſtiæ gratiâ, ne videantur auda-
cter aliquid aſſeuerare, addere ſo-
lent *fere*, *circiter*, & ſimilia. Sed pla-
cet magis ſi dicamus eo tempore
iam duodenarium numerum eſſe
perfectum, poſt ſacratum Apoſtolo-
rum numerum. Et nobis duodena-
rius numerus loco perfecti eſt. Vnde
per dodecades numeramus, Hiſpa-
nè *por docenas*. Quare apud Hiſpa-
nos frequens, *caſi vna docena*. Ali-
quando *fere* explendæ, atque ornādę
orationis gratiâ ponitur: ſicut Græ-
cè ὡσεὶ, vt norunt mediocriter eru-
diti.

Verſ. 9. *In ſchola Tyrāni cuiuſdam.*]
4. Editio Syra Tyrannum nomen pu-
tat eſſe proprium. Idem Montanus.
Interlinearis locum eſſe cenſet, vbi
docebat Tyrannus. Alij communi-
ter virum potentem interpretantur.
Quidam ſcholam putant ſuburba-
nam, domum, aut locum, in quem
Tyrannus ille ſecederet cùm animū
laxare vellet ab vrbanis, & moleſtis
negotiis. Nam *ſchola* otium ſignifi-
cat, & opportunum à laboribus di-
uerticulum. Hiſpanè, *caſa de recrea-
cion*. Res planè incerta.

Verſ. 12. *Ita vt etiam ſuper langui-
dos deferrentur à corpore eius ſudaria,
& ſemicinctia.*] Quidam has voces 5.
ſynonymas eſſe putant: ſed certè, vel Sudarium quid.
ex ipſo genere orationis apparet eſſe
diuerſas. Sed quid quælibet harum
vocum ſignificet non conſtat inter
authores. Et vt à *ſudario* incipiamus,
omnes ferme conueniunt linteum
eſſe ad tergendum ſudorem, ſeu la-
crymas, & hoc ſatis oſtendit nomi-
nis notatio; quod eſſe apud Hebręos
in vſu, cùm laborioſæ arti operam
darent, veriſimile eſt; ſicut nunc etiā
fit apud noſtrates opifices. Neque
ſolùm *ſudarium* dicitur, quod à no-
ſtris *pañuelo*, quia ad tergendum
ſudorem adhiberi ſolet; ſed etiam
pannus linteus ad eius ſimilitudi-
nem, quacunque magnitudine, & ad
quemcumque vſum comparatus, ſi-
cut Hiſpani, *paño de manos* vocant
quodcumque linteum, quod eius ſi-
militudinem, & formam habuerit,
licèt longè habeat diſſimiles vſus,
quoniam præcipuè ad abluendas
manus adhiberi ſolet. Quare Sueto-
nius in Nerone cap. 51. *Ligato*, inquit,
*circum collum ſudario prodiit in publi-
cum*. Quem locum explicans Dion
σουδάριον vertit: & Martialis lib. 11.
Epigr. 40. *ſudarium* vocat linteum
illum pannum, quem tonſores adhi-
bent ad excipiēdos pilos, qui ex tō-
ſione decidunt.

*Iam mihi nigreſcunt tonſa ſudaria
barba.*

Hoc autem ſudarium credo in ca-
pite geſtari ſolitum, vt etiam docuit
Oecumenius; vnde etiam natum eſt,
vt ſudaria dicantur, quæ capita ve-
lant mortuorum, vt de Chriſto con-
ſtat Ioan. capite 2. & de Lazaro ca-
pite 11.

Addo his, videri mihi maximè 6.
probabile, illud tegumentum quod
in capite pro pileo geſtant, Hebræi,
ſi mo

Digitized by Google

Probabile eſt ſudariū tegumentū eſſe capitis.

ſi modò aliquid geſtant in capite,ſiue illud expanſum ſit,vt velum,ſiue rugatum, & nodis impeditum, & flexibus, quo iam maiori artificio, atque elegantia viuntur Turcæ,& à nobis *turbante*,ſiue *triumpha* vocantur;vocari etiam ſudarium:nam ſudarium in capite à Iudæis geſtari docet Oecumenius ; & hiſtoria Scholaſtica capitis ornamentū appellat,licèt adeò obſcurè,vt neſcias an de ſudario loquatur, vel de ſemicinctio.Certè Beda in retractationibus ſuper Acta dicit Gregorium Magnum reſpondiſſe cuidam , qui rogarat ex Britannia , quid eſſet ſemicinctium ; eſſe quoddam ſudarij genus à Iudæis in capite geſtari ſolitum.Hæc mihi de ſudariis videntur poſſe probabiliter dici;ſi modò aliquod Hebræis eſt capitis velamentum;& hoc nunc à nobis expediendum eſt.

7. Iudæos tectū habuiſſe caput putat Abulēſis.

Abul.in cap.13. Leuit.q.10. affirmat Hebræos tecto fuiſſe capite, probariſque putat,quia ibi leproſus, vt à reliquis diſtinguatur , iubetur aperto eſſe capite. Deinde, quia Iudæi olim velato capite orationi vacabant quod obſeruari modò dicit in Synagogis ; & quidem hoc de Sacerdotibus dubitari non debet,quibus ad ſua miniſteria mitra,& cidaris datæ. De aliis videtur poſſe probari ex 1. Corinth c. 11. vbi monet Paulus , ne viri tecto orent capite, quaſi antiquam damnaret conſuetudinem.

8. Magis probabile nudum habuiſſe caput.

Sed quicquid ſit de ætatis noſtræ Iudæis,qui vt multa alia ab his Regionibu ,in quibus agūt,acceperūt, ſic etiā,vt reor,vt operto ſint capite, variè quidem pro varia Gentium conſuetudine. Certè de antiquis nihil auſim affirmare ; nam primùm non video communis pilei,aut velamenti capitis vllum in Scriptura nomen , aut veſtigium ; imò potius coniecturæ multæ ſunt, quæ vrgent in contrarium. In conuiuiis enim ſæpe dicuntur vngi conuiuarum capita;& in caput Chriſti effuſum eſt alabaſtrum vnguenti,quod ſanè,neque vrbanè fieret operto capite. Neque, credo , Abſalon Regius puer vſus eſt pileo , qui tam placebat ſibi in longa , atque flauente coma, neque è cæſarie implexa penderet è quercu, niſi illam haberet apertam, & ſolutam. Adde quòd, vt tradit Ioſephus lib.8.Ant.cap. 7. adoleſcentes elegantes , & nobiles Salomonis tempore , prolixo capillitio conſpicui ramentis auri capillos quotidie ſpargebant,vt ad Solarium radiorū contractum fulgor è capitibus eorū reflecteretur ; quod lenocinium , ac fucus otioſa planè eſſent in operto capite.

Phariſæos nudo fuiſſe capite indicat Hieronymus in cap.23. Matth. quia Deut 6.inquit. *Scriptum eſt,ligabis præcepta mea quaſi ſignum in manu tua,& mouebuntur inter oculos tuos, legem in membranis ſcribebant , & eas complicantes ligabant in fronte , aut in modum coronæ capiti circumponebant.* Hæc Hieronymus. Quòd ſi aliquid geſtarent in capite , commodiùs in eo implicari membranulæ,aut affigi poterant,& honeſtiùs geſtari,vt pote non tectæ pileo,quod vt capiti,ſic etiam eſſet impoſitum membranis, id eſt,phylacteriis.

Accedit quòd quemadmodum nationes aliæ in mœrore , ac luctu mutato habitu, atque cultu corporis ſpecimen aliquod, & argumentum præbent doloris ſui ; ſic etiam Hebræi. Illud verò haud dubiè eſt capitis velatio. Ex quo conſequens eſt aliis temporibus fuiſſe nudum. Qua de re exempla multa ſunt. Ierem.cap.14. *Luxit*, inquit, *Iudæa*, & 9.

Caput in luctu tegebant,& tondebāt Iudæi.

clamor Ieruſalem aſcendit, &c. *confuſi ſunt, & afflicti, & operuerunt capita ſua* & ſtatim. *Quia non venit pluuia in terram, confuſi ſunt agricolæ, operuerunt capita ſua*. & 2. Reg. 15. quaſi ſpeciale ac nouum de Dauid, totóque populo, qui illum ſequebatur, ſcribitur. *Porrò Dauid aſcendebat cliuum oliuarum, ſcandens, & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite: ſed & omnis populus qui erat cum eo, operto capite aſcendebat plorans.* Quod fuiſſe inter Hebræos antiquiſſimum indicat Chaldæus: nam vbi vulgatus Exod. 14. habet. *At illi egreſſi erant in manu excelſa*, ipſe legit, *capite diſcooperto*. Ac ſi diceret egreſſos eſſe non mœſtos, non vt fugitiuos, ſed alacres, more videlicet non fugientium ad alienas, vt extorres, ſed commorãtium in regionibus ſuis. Quæ conſuetudo in aliis quoque nationibus viguit: nam de Aman inter Perſas cùm damnatus eſt morte, dicitur Eſther cap. 7. *& ſtatim operuerunt faciem eius.* De Romanis docet Plutarchus in quæſtionibus problemate 13. vbi tradit in parentum funere filios tecto eſſe capite, filias verò nudo.

10. Hanc conſuetudinem caput operiendi in mœrore, & luctu ortam exiſtimo ex alia non minùs Hebræis familiari, qui in graui aliqua calamitate, & mœrore tondebant caput, ad cutem, opinor, ita vt capiti caluitium inducerent, quod fecit Iob c. 1. qui audita morte filiorum *tonſo capite corruit in terrã*. Iſai. cap. 15. *in cunctis capitibus eius caluitium, & omnis barba radetur.* & Micheæ cap. 1. *Decaluare, & tondere* (ô Iſraël) *ſuper filios deliciarum tuarum: dilata caluitiũ tuum ſicut aquila, quoniam captiui ducti ſunt ex te.* Quod adeò vſitatum erat in ipſo etiam Iſraëliticæ Reipublicæ principio, vt Deus ſuper mortuo caluitiũ fieri vetuerit Deut. cap. 14. Cùm ergò nudatum caput naturali capillorum veſtitu nó poſſet non grauiter affici à temporis inclementia, conſequens erat vt tegumento muniretur foris aſcito. Neque leue argumentum eſt Hebræos nudo inceſſiſſe capite, inſtar Romanorum, quia ſicut horum antiquiſſimæ imagines, ſic etiam illorum nunquam niſi aperto capite inueniuntur.

Neque contra hæc rationes Abulenſis plurimùm faceſſunt negotij. 11.

Cur in oratione caput aperiendum.

Nam primùm à Sacerdotibus ad aliorum cultum, & ornatum nulla, aut nonniſi admodùm leuis trahi poteſt coniectura; vt enim in illis multa propria fuêre, maximè in toto externo corporis apparatu, ſic etiam quod de velato capite in oratione dicitur. Quòd ſi verũ eſt alios quoque in orando ſolitos eſſe caput obnubere; quod tamẽ vnde ex Scriptura ſumi poſſit, non video, ideo profectò eſt, quia ſupplices veniunt, & ſubiectos ſe eo corporis habitu profitentur. Quid verò Paulus velit 1. Corinth. 11. longioris eſt negotij. Nunc breuiter dico voluiſſe Corinthiis edicere ne Gentium ritu, aut orarent, aut ſacrificarent. Orare verò ſolitos eſſe viros operto capite tradit Plutarchus problemate 10. Puto autem & fœminas nudo frequenter: nam feciſſe aliquãdo, imò & capillis pauimentum verriſſe, ſatis conſtat ex communi ſupplicatione, ac luctu, vbi fœminæ panſis, ac laceris crinibus inducuntur iram nummis placaturæ. Vide Liuium lib. 3. Decade 1. vbi in communi malo ciuitatis. *Stratæ*, inquit, *paſſim matres crinibus templa verrentes veniam irarum cœleſtium, finemq́; peſti expoſcunt.*

Neque illud de leproſis admodùm 12.

Leproſi cur aperto capite. dùm vrget: nã,vt diximus,cùm miſeri,ac lugentes,ex more caput operirent, leproſi, qui propter fœdum morbum, hominúmque faſtidium, & quia ab vrbe,atq; à caſtris excluſi omnino miſeri,ex mœrentium conſuetudine operto eſſe capite deberent,iubet Deus vt aperto ſint capite,& ne id quidẽ faciant,quod aliis in afflictione,ac pudore Hebræorũ conſuetudo permittit. Seu certè, quemadmodum Romani,qui in vrbe nudo erant capite, in agro cauſia vtebantur, aut galero: ſic fortè in agro Hebræi aliquo tegumento caput defendebant à Sole, aut ab alia temporis iniuria: quare ſatis nudato capite in agris leproſus ſecernebatur ab aliis.

13. Sudarium in capite. Hæc mihi valdè probabilia ſunt, neque tamen in re vſque adeò dubia quicquam definio. Quòd ſi ita eſt, ſudarium crediderim eſſe pannum lineum, quo opifices vtuntur ad puluerem, ſudorémque tergendum,quo caput non tam ligatur,aut includitur, quàm velatur. Aut fortaſſe linteum quoddam eſt, quo capilli cohibentur, ne defluant, atque inuolitent oculis,quod fieri neceſſe eſt, cùm capilli prolixi ſunt, quales erant Hebręorum,& aliquis eſt corporis motus, & inclinatio capitis, quod laborãtes euitare nõ poſſunt. Quod omnino accidere debuit Paulo,qui manu, atque arte parabat ſibi victum, & lõgam habebat comã, quia votum habebat Nazaręatus,& iam tertius exactus erat annus, aut eo amplius,ex quo in Cẽchris ſe totonderat. Habuiſſe verò Iudæos capillos, qui ante oculos caderent, & neceſſariò impedimento futuri eſſent,conſtat ex Deut. c. 14. nam vbi vulgatus habet, *nõ facietis caluitium*, in textu Hebraico eſt; *non facietis caluitium inter oculos veſtros*, id eſt, vt ibi bene Abul. nõ tondebitis illam partem capitis, quæ ſupra frontem eſt, & capillos ad oculos demittit. Et reuera pars illa depilata, ac glabra caluitium dicitur. Sin autem aliquod Hebræis erat capitis tegumentum, quod ſanè improbabile non eſt; verum eſſe exiſtimo, quod antea dixi, illud eſſe ſudarium.

De ſemicinctio res eſt non minùs obſcura. Oecumenius ſudarium eſſe putat, quod non in capite geſtatur, ſed in manibus. Gregorius, vt refert Beda in retractationib. in capite geſtari dicit. Alij veſtem eſſe putant, quæ dimidiam corporis partem, nempe anteriorem tegit, à cingulo videlicet ad pedes, qua ad opus, ex quo aliquid ſordium veſtibus allini ſolet, vtuntur opifices; quæ & deponi ſolet,& aptari facilè; vulgò *delantal.* Quod placet Salmeroni. Mihi veriſimilius eſt *ſemicinctium* cingulum eſſe, aut zonam, ad quam qui expediti eſſe volunt, ſinus reducunt fluentes, & laxos. Ita videtur ſentire Iſidorus libr. 19.& Imol. *Cinctus*, inquit, *eſt lata zona, & minùs lata ſemicinctum, & vtriſque minima cingulum.* Idem colligitur ex epiſtola Nicephori Epiſcopi Conſtantinopolitani, qui ſcribens ad Leonem III. Pontif. Max. cui Sacerdotalia miſit ornamenta, ſic inquit; *miſimus tunicam candidam, & penulam caſtaneam* (id eſt, planetam, ſeu caſulam) *inconſutilem ſtolam, & ſemicinctia auro variegata.* Quæ epiſtola inſerta eſt in Actis Concilij Epheſini tom. 5. cap. 22.& refert Baronius 1. to. Annal. anno 58. Petronius idem non obſcurè indicat, dum ait quendam, qui de ſuſpendio cogitabat, ad illud paraſſe ſemicinctia, quæ illigari collo, hominémque ſuſpẽdere optimè poſſunt, ſi cingula ſunt; nullo verò modo ſi ſint id, quod alij cenſent. 14. Semicinctiũ quid.

Inclusus inquit, *ego ſuſpendio vitam finire conſtitui: & iam ſemicinctio ſtanti ad parietem ſponda me vinxeram, ceruicemq́; nodo cond ebam.* Heſychius *ſemicinctia* dicit eſſe φακέλια, ζωνάρια, ..., quæ omnia *faſciam* ſignificāt & *cingulum*. Sed, meo iudicio, colligitur apertè ex illo Martialis in Apophoreto 153. cuius titulus eſt *Semicinctium*

Det tunicam locuples, ego te præcingere poſſum:
Eſſem ſi diues, munus vtrumque darem.

Vbi ſemicinctium cum tunica coniungit, ac dicit; cùm ſit pauper, neq; tunicā in Saturnalibus donare poſſit, quod faciunt diuites, donare ſe quod pauperis donum eſt, quo poſſit oblatam ab aliis tunicam præcingere. Eſt autem præcingere ſe, aut ſtringere laxam tunicam, aut fluentes lacinias ad cingulum colligere. Neque ſi veſtis eſſet ad ſordida miniſteria, ſatis eſſet vrbanus, & bellus, qui illam ad amicum dono mitteret. Adde quòd ſemicinctium inter illa apophoreta numeratur, quæ non ab vno, aut altero; ſed communiter amicis honoris, ac beneuolentiæ gratiâ in Saturnalibus mittuntur. Hîc etiam facit quod inter opifices, qui ea laborant, quæ lautæ, & elegantes fœminæ ſibi dari petunt; connumerantur à Plauto in Aulularia, Scena *Narraui*. ſemizonarij, qui ſine dubio ſunt à quibus ſemicinctia fiunt. At elegantes fœminæ non tam optant veſtes ad ſordidum miniſterium, quàm ad munditiam, & nitorem.

15. Hebræorum laxæ tunicæ. Hebræos autem conſtat laxas habuiſſe tunicas, atque ideo illis opus fuiſſe cingulo, cùm ſeſe ad opus expedirent. Quare Chriſtus præcinxit ſe Ioan. 13. vt pedes lauaret. Et Lucæ c. 12. dicitur; *ſint lūbi veſtri præcincti:* & ſuprà Petro dixit Angelus, *præcinge te.* Quare ſine dubio Paulus cùm eſſet in ergaſterio præcingebat ſe ſemicinctio, adhibebatq; ſudariū, vt ſudorem abſtergeret, qui ex ea laboris contentione ſtillabat. Vbi verò ſe ad vrbanum, atque politicum congreſſum inſtruebat, laxatiſque rurſus tunicis ſemicinctium, & ſudariū relinquebat; illa ad infirmos, inſcio, vt reor, Paulo deferebantur.

Verſ. 13. *Tentauerunt autem quidā & de circumeūtibus Iudæis Exorciſtis*] Fuiſſe apud Iudæos Exorciſtas, qui ab obſeſſis corporib. dęmonia pellerēt, docet Ioſephus lib. 8. Ant. c. 11. vbi dicit Exorciſmos quoſdā à Salomone traditos ad eam rē potentiſſimos. Idē de Exorciſtis indicat Chriſtus Mat. c. 12. *Filij veſtri in quo eiciūt?* Licèt multi exiſtiment hîc loqui Chriſtū de Apoſtolis, qui in nomine Ieſu obſeſſos à dęmone liberabāt, quod non puto. De Iudæorū Exorciſtis vide plura apud Abul. in c. 12. Mat. vbi tradit paucos tunc eſſe Exorciſtas, & parum poſſe. Ex quo fiebat, vt & multi eſſent energumeni, & mirarentur omnes, ſi quādo dæmonium expulſum eſſe audirent. 16. Exorciſtæ inter Iudæos.

Dicuntur verò iſti Exorciſtæ *circumeuntes*; Græcè περιερχόμενοι, qui ſanè circulatores, atque impoſtores eſſe videntur, non admodùm diſſimiles iis, qui præſtigiis quibuſdam ſtultam, atque mirabundam plebeculam ludificant, & tenent: nam περιέρχεσθαι *decipere* etiam, & *circumuenire* ſignificat. Hi verò carminibus quibuſdam, & ſuperſtitionibus, aut dæmones immittebāt in humana corpora, aut etiam euocabant. De quibus Perſius Satyra 5. in fine. 17. Exorciſtæ olim malè audiebant.

Tunc grandes Galli, & cum ſiſtro luſca Sacerdos
Incuſſêre deos inflantes corpora. ——

Et nunc apud Iaponios, aliaſque regiones

giones nuper inuenias frequentiſſimum. Quare & illis olim, & his nūc maximo honori, & quæſtui eſt. Ex quo Exorciſtarum nomen malè audire cœpit, de quo Vlpianus *l.1.ff.de var.& extraord.cognit.* *Non tamē*, inquit, *ſi incantauit, ſi imprecatus eſt, ſi (vt vulgari verbo impoſtorum vtar) exorcizauit, non ſunt iſti medicinæ genera, tametſi ſint, qui hoc ſibi profuiſſe cum prædicatione affirment.* Fuiſſe autē plurimos, qui hanc ſiue artem, ſiue quęſtū inſtituerent, docet Iuſtinus Martyr in Oratione ad Gentiles. Ex horum numero fuiſſe puto eos qui nūc *Iudæi circumeuntes* appellantur. Et perſuadet quod ſtatim ſubditur, multos libros, ſine dubio magicos, attuliſſe, &c.

Adiuro vos per Ieſum, quem Paulus
18. *prædicat*] Græcus textus habet; *Adiuramus vos.* Sed cùm hîc ponatur Exorciſmi forma, qua illi pſeudoexorciſtę vtebantur, parum refert quo numero exprimatur. Cùm hi non tā ad Dei gloriā, quàm curioſitatis, ac vanitatis gratiâ per Ieſu nomen adiuraſſent dæmonia, id effecerunt vt illa per Ieſu nomen adiurata profeſſa manifeſtè fuerint graue ſibi eſſè Ieſu nomen, & Pauli (id enim valet *Ieſum noui, & Paulum ſcio*) illos tamē Exorciſtas nihil à ſe fieri. Quare illos grauiter, & ignominioſè mulctarunt detractis veſtibus, & inflictis plagis; neque enim digni erant quorum vanitati diuini nominis imploratio ſeruiret. Longè, vt videtur, alia mens erat eius, qui propoſita eiuſdē nominis maieſtate dæmonium eiiciebat, de quo Lucas c.9. *Præceptor*, inquiunt Apoſtoli ad Chriſtum, *vidimus quendam in nomine tuo eiicientem dæmonia; & prohibuimus eum, quia non ſequitur nobiſcum: & ait ad illos Ieſus; nolite prohibere*, &c.

Verſ. 16. *Et dominatus amborū inualuit contra eos.*] Septem erant Sce- 19. Ambo de
uę Sacerdotis filij, & in duos videtur pluribus.
inſiluiſſe is, qui à dæmone obſidebatur. Fortaſſe illi duo, aut ſoli, aut audaciùs inſtabant. Græcè αὐτῶν: ſed fortaſſe noſter Interpres legit ἀμφῶν, ſiue ἀμφοτέρων. Sed eſt adhuc aliquid durius: nam illud *amborum* relatiuū eſt, atque adeò antecedentis, id eſt, duorum nomen præceſſiſſe oportuit. Fortaſſe hîc aliquis Helleniſmus eſt; nam vt apud Græcos forma dualis plurali numero adiungitur; ſic etiam eadē pluraliter ſignificat. Noſter autē Interpres, qui phraſim Græcam interdum in vertendo ſeruat; *ambo* pro pluribus.i.pro ſeptem Sceuæ filiis adhibuit. Et tunc ſenſus eſt; dominatus eſt eorum. Neque id omnino inauditū eſt apud Latinos: nam Virgilius pluſquam duobus accommodauit, nempe tribus, Menelao, Agamemnoni, & Priamo. Sic. n. 1. Æneid.

Atridas, Priamúmque, & ſæuum
ambobus Achillem.

Verſ. 18. *Multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus*
ſuos.] Hoc loco dubitant aliqui, an 20.
confeſſio hæc ſacramentalis fuerit; Confeſſio hæc ſacra
an verò generalis quædam profeſ- mentalis.
ſio, ac publica, qua ſe aliquis in genere peccatorem profitetur? Caietanus hoc vltimum putat, & talem fuiſſe dicit hanc confeſſionem, qualis illorum fuit, qui ad Ioannem accedebant Marci cap. 1. profitentes pœnitentiam vitæ præteritæ, propter quod malè accipitur à Catharimo. Idem ſentit Vega libro 13. de Iuſtificatione cap.28. Neque ab his longè abeſt Arias Montanus. Sed contrarium communiter tenent tam antiqui Patres, quàm recentes ſcriptores.

Salme.

Salmeron, Baronius, P. Sotus, Caſtro, Valentia, Bellarminus tom 2. Controu. 5. lib. 2. cap. 4. Stapletonus in Acta, qui ibi de hac quæſt. latè. Et quidem nihil hîc video aut quod ad ſacramentalem confeſſionem deſit, aut quod cùm illa non conueniat. Nam qui confeſſi dicuntur, fideles erant, & baptizati; dicuntur enim *credentes*, quod nomen olim habuiſſe Chriſtianos conſtat ſupra Act. 4. *Multitudinis autem credentium erat cor vnum.* & 1. Theſſ. 1. *Ita vt facti ſitis formæ omnibus credentibus in Macedonia.* Neque eſt quod aliquis obiiciat, *credentes* dici, quia tunc edocti Exorciſtarum ſupplicio credere cœperunt; quia Græcè in præterito eſt πεπιστευκότων, id eſt, *qui crediderunt:* quod per participium præſentis reddidit vulgatus, ſicut alibi ſæpe, quia nullum habuit participium actiuũ, quod actionem præteritam ſignificaret. Et illud, *confitentes actus ſuos*, ſatis indicat, non eſſe confeſſionem in genere; neque alio modo Scriptura ſolet complecti peccata omnia. Matth. cap. 9. *Remittũtur tibi peccata tua.* Et in hac ipſa materia Iacobi 5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra.* Sed illud nonnullis videtur durum, quòd fideles, ſeu credentes ad illud vſque tempus retinuerint ſuperſtitioſos libros, & magicæ diſciplinæ, quos hîc dicuntur combuſſiſſe edocti Exorciſtarum ſupplicio. Qui ſanè ſi Chriſtiani fuiſſent, & priùs ab Apoſtolis edocti, abiecturi fuiſſe videbantur. Sed qui hac mouentur coniectura, vt contrà ſentiant, quàm parum attentè textum illum legerint, apertè produnt. In quo duo ſatis diſtinctè apparet hominum genera; alterum eorum, qui iam crediderant, & hi edocti iam de Sacramento Pœnitentiæ, dicuntur actus ſuos Apoſtolis confeſſi: alterum illorum, qui eamdem cum filiis Sceuæ artem profeſſi magicam, eorum plagis, & ignominia perterriti, artem abiiciunt impiam, & libros comburunt. Quare alij ſunt, qui libros, & artem incendio, alij qui actus ſuos confeſſione abolent; & hoc omnino vel mediocriter attentis affert textus ipſe. *Multique credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus ſuos: multi autem ex iis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt.* Illud (*autem*) ſatis diſtinguit confeſſos ab iis, qui libros abiiciunt, & perdunt flammis.

Verſ. 19. *Multi autem ex eis qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros.*] Exorciſtarum illorum igno- 21.
minia; & plagæ admirationi multis fuerunt, & quibuſdam terrori. qui fortaſſe eandem, quam Sceuæ filij artem ſectabãtur. Quare accurrunt omnes, ſéque in eadem culpa fuiſſe profitentur; & libros adducunt, vt apparet, magicos, quibus aut inuocarent dæmones, aut euocarent. Attulerunt ergo plurimi libros artis maleficæ; quod omnino facere debuerunt, ſi modò ſine fuco ad fidem conuerſi, combuſſerúntque; ex quibus, ſi venales eſſent propoſiti, vis pecuniarum maxima redigi potuiſſet. Dicuntur autem, qui artem exercẽt præſtigiatoriam, & magicam, *curioſa ſectari*, quia ars illa curioſis, & otioſis hominibus pabulum præbet prorſus inutile. Cui arti Epheſinam ciuitatem impenſè fuiſſe deditam præter cæteras tradit Hieronymus in Præfatione epiſtolę ad Epheſios. Ibi, vt tradit Philoſtratus lib. 4. Apolonius Tianæus eodem pene tempore, in quo Apoſtolica verſatur hiſtoria, magicæ doctrinæ ludum aperuit; qui ſuis præſtigiis ſic deluſit, ac cepit Epheſinos, vt non ſolùm ſtatua-

Ars magica apud Epheſios.

ſtatua donatus, ſed etiam pro Deo
Litera Epheſia. habitus fuerit. De Epheſiarum literarum prodigioſis effectibus vide Prouerbium, *Litera Epheſia.* Quemadmodum per illas dęmones ab obſeſſis corporibus exacti, vide Plutarchum in ſympoſiacis, q.5. lib. 7. Porrò Iudæi, qui norant hac arte dæmones pelli ſolitos, Mat. c.12. obiecêre Ieſu, quòd in Beelzebu principe dæmoniorum eiiceret dæmonia.

21. Verſ.21. *Ire Hieroſolymã.*] Vt votũ Nazaræi perſolueret; nã expleto Nazaræatu neceſſe erat comã deponere, quod in templo tantùm fieri legitimè poterat. Quare, vt diximus, poſt euerſum templum à Veſpaſiano; & toto captiuitatis tempore hoc votum nuncupatum non eſt; quia alibi quàm in templo tonderi nefas erat: aut ſi non expleuiſſet, vt ſe purificaret, quia pollutus fuerat à repentina morte alterius, à qua ſe alibi, quàm in templo purificare non poterat. Seu certè, vt ſicut antea fecerat, collectam ferret in Ieruſalem, quam ex Achaia, & Macedonia coëgiſſet. Eo verò conſilio adductum eſſe Paulum, vt profectionem illam inſtitueret, videtur ſumi poſſe ex 1. epiſt. ad Corinth. quam hoc tempore Epheſi ſcriptam eſſe facilè colligitur ex c.16. vbi dicit ſe venturũ ad Corinthios cùm Macedoniam pertranſiret, manſerúntque Epheſi vſq; ad Pentecoſtem. In ea verò epiſtola collectæ meminit deducendæ in Ieruſalem. Vide totum cap.16.

Verſ.23. *Demetrius quidam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas*
23. *Dianæ.*] *Argentarius* nomen eſt ambiguum: nam *menſarium*, ſeu *trapezitam* ſignificat, & *argenti elaborandi artificem*. Poſteriorem ſignificationẽ probat hoc loco Græca vox ἀργυροκόπος, id eſt, *argentum cudens*, aut *incidens*. Pro *ædibus argenteis*, Græcè ναοὺς ἀργυροῦς, id eſt, *templa argentea.* Quæ verò ſint ædes iſtæ, nõ omnes idem.
Quidam tabulas putant, ſeu lami- Vota in templis ſuſpenſa.
nas, in quibus periculi depulſi Deorum beneficio monumẽtum in templis de more ſuſpendit ur; quod apud Gentes frequentiſſimum; vt docuit Horatius lib.1. Ode 5. & Cicero Act. 7. in Verrem, tabularum pictarum, & argẽti benefacti meminit. Quod etiam in vſu fuiſſe apud Palæſtinos argumento ſunt mures, & ani aurei, qui cum Arca in capſulis incluſi expiãdi criminis gratiã miſſi ſunt. Talia ergo vota, ſeu monumenta periculi, aut morbi depulſi Soſpitali Dianæ conſecrata ex argento cælabat Demetrius.

Alij putant eſſe capſas, aut locu- 24.
lamenta quædam, quibus includuntur, & continentur imagines, quæ ſi ſtabiles ſint, vt in templi fabricis, aut ararum pęgmate ſignis inſtructæ, *nichos* dicuntur; ſi mobiles, quęque à collo ſuſpenſę circunferuntur, *lipſanotheca* vocantur, vulgò *relicarios*. Et ita putat Lyra, & Chryſoſtomus, qui ciboria appellat, id eſt, arculas, ſeu thecas. In his mihi veriſimile eſt aliquid, aut religionis cauſâ, aut pro amuleto geſtari ſolitum, Amuleta Gentiliũ.
quod à Diana, id eſt, à dæmone turbæ deluſæ, & nimiùm credulæ Sacerdotes impertiebantur. Quales ſunt literæ Epheſiæ, quæ non minùs potentes, ac quæſtuoſæ putabantur, quàm aut virga Mercurij, aut Orci galea. Et hæc optimè vocari poſſunt iuxta nominis vim, *templa*; quia ſicut in templis coluntur, & continentur ſacra; ſic in illis quaſi paruis templis à Dianæ aris, aut manibus accepta ſacra ſiue ad abigenda maleficia, ſiue ad obtinenda bonæ fortunæ dona includebantur. Quæ, meo iudicio, ναΐδια vocari poſſent,

id eſt, *exigua templa.*

25. Imagines rerum religioſarũ geſtari ſolitæ.

Hæc ſententia, prout à me explicata eſt, ſatis videtur eſſe probabilis: ſed addo aliam mihi non improbabilem, quæ alicui fortaſſe placebit magis. Magna erat olim gloria templi Dianæ Epheſiæ, & propter antiquam religionem, & propter nobilitatem materiæ, artiſque præſtantiam; de quibus multa à prophanis hiſtoricis: adeò vt vnum haberetur è cantatiſſimis ſeptem orbis miraculis. Vſus autem fert omnium penè gẽtium, vt res vel hominum pietate, aut arte celebres expreſſas ſecũ geſtent, aut cælatas in laminis, aut conflatas ex metallo; vt docet Lauratanę virginis, & mõtis Serrati domus, quas homines pij religionis ergo, aut domi habent in ſacrariis, aut ſecum circunferunt. Quare vbi auguſta illa templa ſunt, aſſidere ſolent artifices, qui aut ex ebore, aut alia nobili materia fingunt, aut ex auro conflant illas effigies, quas deinde peregrinis hominibus venales proponunt. Sic Demetrius iſte, homo, vt apparet, copioſus artificum apud ſe familiam habebat, qui aut fingendis, aut cõflandis magni templi, Dianæque Epheſiæ ſimulacris operam dabant; quod illi opus, & quæſtui erat & gloriæ. Cui explicationi fauet nomen ναὸς, quod *templum* ſignificat. Solere autem Gentiles Deorum imagines, aut eorũm ſymbola ferre ſecum, viarũm, periculorúmque comites diximus ad illud cap. 1. Cant. *Faſciculus myrrhæ.* & cap. 7. ad illud, *Vmbilicus tuus.* & Pſ. 67. ad id. *Qui probati ſunt argento.* Cùm ergo videret Demetrius ſuggillata à Paulo, imò & ſublata ab Epheſiis arte magica, & imminuto magna ex parte Deorum cultu periturum eſſe quæſtum, quia aut neque *ναΐδια*, id eſt, *thecæ*, facienda eſſent, quibus includerentur aut Epheſiæ literæ, aut magicæ ſuperſtitionis inſtrumenta; neque fingenda Epheſij templi ſimulacra, turbas illas mouit.

Verſ. 32. *De turba autem detraxerunt Alexandrum.*] Græcè προεβίβασαν, id eſt, *patronum inſtituerunt,* aut, *produxerunt, qui cauſam ageret.* Sed noſter Interpres videtur in magis correcto codice legiſſe προεβίασαν, id eſt, *propulerunt,* ſeu, *detraxerunt de turba.* Incertum eſt autem an detractus fuerit Alexander ab iis, qui eius incolumitati cauerent, ne videlicet opprimeretur ab incitata plebe, cùm ſe vellet opponere pro Paulo, aut aliam ob cauſam; vel ab eius ſeditionis authoribus, ne vllus eſſet qui turbas ſedaret, cùm per ſeditionem, & tumultum ſtuderent opprimere, quem legitimo iudicio non poterant: neque enim conſtat an Paulo faueret Alexander, vel ſecus. Noluerunt tamen illum audire, quia Iudæus cùm eſſet, non videbatur cauſam ſuſcepturus Epheſiæ Dianæ; quemadmodum pòſt ſedato animo audierunt Scribã Epheſium nempe, qui collaudata primùm Diana facilè obtinuit, vt ardens illa populi flamma reſtingueretur. Porrò Scribam iſtum, ſeu Doctorẽ Epheſium (nam Doctor, aut Philoſophus Hebræorum more Scriba dicitur) vſum eſſe mendacio certum eſt, officioſo tamen, ſi quicquam in mendacio officij eſſe conceditur. Ait enim nihil blaſphemaſſe Paulum in Gentiũ nempe Deos, nihil locutum contra Dianam: nam toto biennio, & eo amplius, quo Epheſij moratus eſt, multa contra inania Deorum ſimulacta, contra vaniſſimæ religionis inſaniam proculdubio dixiſſe credendus eſt, qui vnum Deum colendum eſſe docuerit; ita vt iam Demetrius 26.

trius

trius re ipſa expertus fuerit ex Pauli doctrina Deorum religione contempta petire ſibi quæſtum. Neque eſt cur hominem à noſtra Religione alienum, quique opportunum mendacium non admodùm horreret, ab hac nota vindicare laboremus.

27.
Simulacrum Dianæ è cœlo lapſum mentiuntur fabulę

Verſ. 35. *Iouiſque prolis.*] Satis vſurpatum in fabulis, Dianam Iouis ſatu conceptam. In textu Græco, quem nunc habemus, eſt τοῦ διοπετοῦς, id eſt, *à Ioue delapſa.* Sed noſter Interpres legiſſe videtur Διὸς παιδὸς, id eſt, *Iouis filia.* Si tamen Græci textus ſenſum teneamus, ſanè illud τοῦ διοπετοῦς ad Dianam non pertinet, quia generis eſt non fœminei; refert ergo Dianæ ſimulacrum, quod è cœlo delapſum putabatur. Vt enim ait Suidas in voce διοπετές, quo maiorem authoritatem Deorum ſimulacris artifices conciliarent, illa à Deo miſſa, ſiue de cœlo lapſa mentiebantur. Qua re ſignum Palladis, id eſt, Palladium, quod fuiſſe exiſtimabatur Ilij præſidium, & ornamentum, deſcendiſſe credebatur è cœlo. Et, vt refert Suidas ſuprà, Ptolomæus, vt Dianæ ſimulacrum à Ioue miſſum Alexandrinis perſuaderet, artifices, qui illud elegantiſſimè effinxerant, inuitatos ad conuiuium, & humanitatis ſpecie deceptos per fraudem in occultam foueam impulſos extinxit, ne Dianæ ſimulacrum humano artificio elaboratum crederetur. Refert autem ibidem Suidas huius Epheſiæ Dianæ effigiẽ exiſtimari de cœlo miſſam.

Simulacris falsò affictа religio ad aliorum fraudem.

Quanta Epheſi Paulus paſſus fuerit, licèt à Luca prætermiſſa fuerint, ſcripſit tamen ipſe Paulus ad Corinthios epiſt. 1. cap. 15. & epiſt. 2. cap. 1. & cap. 11. Quæ epiſtolæ ex Epheſina ciuitate miſſæ ſunt. Vide Baronium t. 10. anno 58.

COMMENTARII IN ACTVS APOSTOLORVM.

CAPVT VIGESIMVM.

1 *POſtquam autem ceſſauit tumultus, vocatis*
Paulus diſcipulis, & exhortatus eos, valedi-
xit, & profectus eſt vt iret in Macedoniam.
2 ** Cùm autem perambulaſſet partes illas, &*
exhortatus eos fuiſſet multo ſermone, venit
3 *ad Græciam: * vbi cùm feciſſet menſes tres, factæ ſunt illi in-*
ſidiæ à Iudæis nauigaturo in Syriam: habuitque conſilium vt
4 *reuerteretur per Macedoniam. * Comitatus eſt autem eum*
Sopater Pyrrhi Berœenſis, Theſſalonicenſium verò Ariſtarchus
& Secundus, & Gaius Derbeus, & Timotheus: Aſiani verò
5 *Tychicus, & Trophimus. * Hi cùm præceſſiſſent, ſuſtinuerunt*
6 *nos Troade: * nos verò nauigauimus poſt dies Azymorum*
à Philippis, & venimus ad eos Troadem in diebus quinque, vbi
7 *demorati ſumus diebus ſeptem. * Vna autem Sabbathi cùm*
conueniſſemus ad frangendum panem; Paulus diſputabat cum
eis profecturus in craſtinum, protraxitque ſermonem vſque in
8 *mediam noctem. * Erant autem lampades copioſæ in cœnacu-*
9 *lo, vbi eramus congregati. * Sedens autem quidam ado-*
leſcens nomine Eutychus ſuper feneſtram, cùm mergere-
tur ſomno graui, diſputante diu Paulo, ductus ſomno ceci-
10 *dit de tertio cœnaculo deorſum, & ſublatus eſt mortuus. * Ad*
quem cùm deſcendiſſet Paulus, incubuit ſuper eum, & com-
plexus dixit: Nolite turbari, anima enim ipſius in ipſo eſt.
11 ** Aſcendens autem, frangénſque panem, & guſtans,*
ſatiſque

Digitized by Google

*ſatiſque allocutus vſque in lucem, ſic profectus eſt. * Addu-* 12
xerunt autem puerum viuentem, & conſolati ſunt non mini-
*mè. * Nos autem aſcendentes nauem, nauigauimus in Aſſon,* 13
inde ſuſcepturi Paulum: ſic enim diſpoſuerat ipſe per terram
*iter facturus. * Cùm autem conueniſſet nos in Aſſon, aſſum-* 14
*pto eo, venimus Mitylenen. * Et inde nauigantes, ſequenti* 15
die venimus contra Chium, & alia applicuimus Samum, &
*ſequenti die venimus Miletum: * propoſuerat enim Pau-* 16
lus tranſnauigare Epheſum, ne qua mora illi fieret in Aſia. Fe-
ſtinabat enim, ſi poſſibile ſibi eſſet, vt diem Pentecoſtes faceret
*Ieroſolymis * A Mileto autem mittens Epheſum, vocauit ma-* 17
*iores natu Eccleſiæ. * Qui cùm veniſſent ad eum, & ſimul* 18
eſſent dixit eis: Vos ſcitis à prima die, qua ingreſſus ſum in
*Aſiam, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim, * ſer-* 19
uiens Domino cum omni humilitate, & lacrymis, & tentatio-
*nibus, quæ mihi acciderunt ex inſidiis Iudæorum: * quomodo* 20
nihil ſubtraxerim vtilium, quominùs annunciarem vobis, &
*docerem vos publicè, & per domos, * teſtificans Iudæis, at-* 21
que Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum
*noſtrum Ieſum Chriſtum. * Et nunc ecce alligatus ego Spiritu* 22
vado in Ieruſalem: quæ in eà ventura ſint mihi, ignorans:
** niſi quòd Spiritus ſanctus per omnes ciuitates mihi proteſta-* 23
tur, dicens, quoniam vincula, & tribulationes Ieroſolymis me
*manent. * Sed nihil horum vereor: nec facio animam meam* 24
pretioſiorem quàm me, dummodò conſummem curſum meum,
& miniſterium verbi, quod accepi à Domino Ieſu, teſtificari
*Euangelium gratiæ Dei. * Et nunc ecce egò ſcio quia ampliùs* 25
non videbitis faciem meam vos omnes, per quos tranſiui præ-
*dicans regnum Dei. * Quapropter conteſtor vos hodierna* 26
*die, quia mundus ſum à ſanguine omnium. * Non enim ſub-* 27
terfugi quominùs annunciarem omne conſilium Dei vobis.
** Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus* 28
ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit

29 *ſanguine ſuo. * Ego ſcio quoniam intrabunt poſt diſceſſionem*
30 *meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. * Et ex vo-*
bis ipſis exurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant diſci-
31 *pulos poſt ſe. * Propter quod vigilate memoria retinentes:*
quoniam per triennium nocte, & die non ceſſaui, cum lacrymis
32 *monens vnumquemque veſtrûm. * Et nunc commendo vos*
Deo, & verbo gratiæ ipſius, qui potens eſt ædificare, & dare hæ-
33 *reditatem in ſanctificatis omnibus. * Argentum, & aurum,*
34 *aut veſtem nullius concupiui, * ſicut ipſi ſcitis: quoniam ad ea,*
quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt miniſtrauerunt
35 *manus iſtæ. * Omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes,*
oportet ſuſcipere infirmos, ac meminiſſe verbi Domini Ieſu,
36 *quoniam ipſe dixit: Beatius eſt magis dare, quàm accipere. * Et*
cùm hæc dixiſſet, poſitis genibus ſuis orauit cum omnibus illis.
37 ** Magnus autem fletus factus eſt omnium: & procumbentes*
38 *ſuper collum Pauli, oſculabantur eum, * dolentes maximè in*
verbo, quod dixerat, quoniam ampliùs faciem eius non eſſent
viſuri. Et deducebant eum ad nauem.

IN CAPVT VIGESIMVM ACTVVM APOSTOLORVM.

Verſ.7. V*Na autem Sabbathi cùm cõueniſſemus ad frangendum panẽ.*]

1. Panis Euchariſticus. *Vna Sabbathi* more Hebręorum pro prima die hebdomadis ſumitur, id eſt, Dominica die. Panis verò qui hîc dicitur frangi, videtur eſſe Euchariſticus, vt ſentit Auguſt. epiſt. 86. & cum eo è recentioribus plurimi. Cui ſententiæ argumento ſunt imprimis fidelium conuocatio, de diuinis rebus inſtitutus ſermo, dies Dominica, quæ primis temporibus fere ad Euchariſtiam concurrebant. Vide Iuſtinum Apolog. 2. in fine, vbi optimè de ritu olim ſeruato in Euchariſtia. Vide quæ diximus cap. 2. ad illud, *frangentes panem.*

Verſ.9. *Cecidit de tertio cœnaculo.*] Docebat Paulus in tertio cœnaculo; 2.
&

& puer Eutychus in feneſtra eiuſ-
dem cœnaculi ſedebat, qui graui
merſus ſomno lapſus eſt, non quidẽ
in eum locum, vbi cum Paulo erat
fidelium cœtus; ſed foras in domus
aream, aut in callem. Ideo enim
Paulus deſcendiſſe dicitur ad pue-
rum, quod neceſſariò non eſſet, ſi
intra cœnaculum cecidiſſet, neque
de tertio cecidiſſet cœnaculo ado-
leſcens, ita vt lapſu trium cœnacu-
lorum ſpatia metiretur. Ideo autem
Lucas tertij cœnaculi meminit, vt
oſtenderet è ſublimi loco fuiſſe prę-
cipitem.

Verſ. 11. *Anima enim ipſius in ipſo*
3. *eſt.*] Mortuum fuiſſe puerum ſatis ex
textu liquet; dicit tamen Paulus in
ipſo eſſe animam, id eſt, non eſſe ex-
tinctum. Fortaſſe id dictum quando
iam fuerat reuocatus ad vitam. Et
hoc veriſimilius, quia antequam pa-
uidis, ac ſollicitis de repentino caſu
turbationem eriperet, iam ſuper il-
lum incubuerat, iam fuerat ample-
xus, & illa quaſi incubatione dereli-
ctum à ſpiritu corpus animarat. Sed
etiamſi hæc dicta eſſent à Paulo an-
te animatum, & rediuiuum puerum,
nihil diceret falſum iuxta Scripturę
morem, quæ, quod proximũ eſt vt
fiat, iam factum eſſe dicit, ſicut etiã
vulgò homines loquuntur; quorum
conſuetudinem in loquendo Scri-
ptura ſequitur. Vt enim qui proxi-
mus eſt morti, mortuus, aut pro
mortuo communiter habetur; ſic
qui non longè abeſt à vita, eodem
modo viuus appellari poteſt. Quo
ſenſu Chriſtus Matth. 9. de puella
mortua dixit; *non eſt mortua puella, ſed
dormit*; quia mors illi fuit inſtar ſom-
ni, à qua ſic excitata eſt, ſicut à ſom-
no aliquis ſuſcitari ſolet. Qui lo-
quendi modus, vt reor, naſcitur ex
Hebræorum conſuetudine, apud
quos ſæpe ſimilitudinis nota ſiletur;

Reg. Quod proximũ eſt vt fiat, factum dicitur.

Reg. Notæ ſimilitudinis, & particulæ, *quaſi*, *ferme*, & ſimiles aliæ ſubaudiuntur.

qua ratione Iuda dicitur *catulus leo-
nis*, Iſſachar *aſinus fortis*, Dan *coluber*,
id eſt, ſicut catulus leonis, &c. ſic hoc
loco, *anima ipſius in ipſo eſt*, perinde
eſt ac ſi eſſet anima in ipſo; & puel-
la eſt quaſi non mortua, ſed quaſi
dormiens. Vide quæ diximus in il-
lud Cant. 1. *Introduxit me Rex.*

Verſ. 17. *Vocauit maiores natu Ec-*
cleſiæ.] Græcè πρεσβυτέρους. Noſter In- 4.
terpres videtur ſpectaſſe potiùs vim
nominis, quàm id cui nomen accõ-
modatum eſt; neque id abs re, quia
fortaſſe qui ætate maiores, maiori
etiam dignitate præditi erant in Ec-
cleſia: nam etiam in presbyteris alij
aliis maiores ſunt. Hos verò infrà
vocat Epiſcopos. Quemadmodum
olim Epiſcopi vocarentur presby-
teri, & contrà, vide quæ diximus c.
14. ad illud, *cùm conſtituiſſet per ſingu-
las Eccleſias presbyteros.* Eſt autem in
Scriptura frequens vt explicatio no-
minis pro re vſurpetur, quæ nomini
ſubiicitur. Vide Commentaria no-
ſtra in illud Cant. 6. *ſuauis, & de-
cora.*

Seniores, Sacerdotes, & Epiſcopi.

Verſ. 21. *Teſtificans Iudæis, atque*
Gentilibus in Deum pœnitentiam, &
fidẽ in Dominum.] Teſtificari aliquid 5.
grauius eſt, & ſolẽne magis, quàm
annunciare, aut prædicare; nam prę-
ter hoc importat etiam obiti mini-
ſterij, aut annunciati Euangelij te-
ſtium fidem, aut imploratam, aut ex-
hibitam. Qualis fuit excuſſus à pe-
dibus puluis. Vide quæ ſuprà notata
ad id capitis 13. *at illi excuſſo puluere.*
Hæc verò teſtificatio ideo fit, vt ha-
berent Iudæi, atque Gentiles, quo
auditi Euangelij, atque contempti
rei arguerentur, & Euangelicus ſpe-
culator, ac præco liber eſſet ab eorũ
ſanguine. Quare Paulus ſtatim ſub-
iicit, *conteſtor vos hodierna die, quia
mundus ſum à ſanguine omnium.* Agit
autem Apoſtolus hoc loco humano
more,

Digitized by Google

more, ſicut Deus cùm à pedibus pulverem excuti iubet. Neque enim Deus illo indiget teſtimonio, vt homines propter illud damnet, aut abſoluat; ſed homines ea ratione contemptus puluis, & ſudor Apoſtolorum appellat reos Euangelij contempti, ſicut ſanguis Abel fratrem homicidij patrati.

6. Fortaſſe ea ratio eſt cur Paulus toties vtatur verbo *teſtificor*, aut *teſtor*, quia, vt ipſe fatetur Act. 26. conſtitutus eſt miniſter, & teſtis eorum, quæ vidit, & audiuit. Et ita teſtificatus eſt pœnitentiam, & fidem, quia nomine Chriſti illa prædicabat, tanquam teſtis, qui audiſſet à Deo. Quaſi dicat teſtem ſe eſſe, quòd Deus illa ab hominibus exigeret. Sed magis in priorem explicationẽ inclino.

7. Porrò priùs Apoſtolus meminit pœnitentiæ quàm fidei, cùm tamen fides initium ſit ſalutis. Qua ratione Petrus ſuprà cap. 2. pœnitentiam iuſſit agere auditores ſuos, deinde baptizari, in quo fidem videtur indicaſſe: quia Sacramentum fidei Baptiſmus eſt; vel quia in eo fides infunditur, ſeu, quod ad præſens inſtitutum magis facit, per illum homo ad fidem vocatur, non quidem ad eam, quæ virtus eſt Theologica, ſed ad Eccleſiam, id eſt, ad vnam fidei profeſſionem, à qua Chriſtiani, & tunc plerumque, & nunc etiam *fideles* appellantur, qui ad Eccleſiam pertinent. Sed veriùs, meo iudicio, dici poſſet *fidem* hoc loco virtutem eſſe, proponſque ſummam doctrinæ Pauli, eámque eſſe, dolendum de peccatis, corrigendam vitam, & credendum in Dominum Ieſum Chriſtum. Neque quicquam refert quòd priori loco ponatur pœnitentia, quę ſine fide vacua eſt: nam ſcriptores ſacri neque rerum dignitatem, neque temporis ordinem ſemper in narrando ſeruant. Vide quæ capite 2. notauimus ad illud capitis 2. *& dabo prodigia in cœlo ſurſum*.

Cur pœnitentiæ priùs, quã fidei meminerit Paulus.

Verſ. 22. *Et nunc ecce ego alligatus Spiritu vado in Ieruſalem.*] Qui alterius voluntati adeò ſtudioſè obſequitur, vt ab ea neque velit, neque ſanctè poſſit recedere, ille alligatus dicitur; non quia coactus imperiũ ſubeat, ſed quia ſibi vltrò neceſſitatem illam impoſuit, quam libens ſubit, & ad quam, vbi ſe primùm aperuerit, ſtatim aduolat. Sic Paulus, qui Spiritui ſancto voluntatem alligarat ſuam, eíque ſe totum omnino manciparat, alligatum ſe dicit proficiſci in Ieruſalem, quia à Spiritu ſancto didicerat placere ſibi illam Hieroſolymitanam profectionem; quam ille alacer arripuit, quãuis noſſet parata ſibi eſſe Hieroſolymis pericula, eáque non leuia. Poſſet etiam hic locus aliter accipi, ita vt ibi *Spiritus* non ſit increatus, ſed ſpiritus Pauli, hoc ſenſu. Quia à Spiritu ſancto didici quanta me incommoda, atque pericula maneant in Ieruſalem, eáque antea, & concepi in animo, & in cogitatione mecum, atque animo fero, alligatus proficiſcor in Ieruſalem: cùm enim vincula iam inſtent, perinde mihi ſunt, atque ſi iam illis ſim alligatus. Neque huic expoſitioni parum fauet, quod ſtatim ſubdit. *Quod Spiritus ſanctus per omnes ciuitates mihi proteſtatur, dicens, quoniam vincula, & tribulationes Hieroſolymis me manent.* Vbi notandum priori loco *ſpiritum*, poſteriori *Spiritum ſanctum* dici; vnde nonnulla coniectura eſt hunc ab illo eſſe diuerſum. Neque hæc poſterior explicatio diſplicet, magis tamen in priorem inclino. His autem verbis videtur Paulus aliis edice

8. *Vera obedientia, & zelus viri Apoſtolici.*

Conſtantia contra difficultates.

Digitized by Google

ediceere, qui de illo periculoſo di-
ſceſſu dolebant, diſſuaſúrique vi-
debantur durum illud iter, ne mo-
leſti eſſent,& obedirent potiùs Spi-
ritui ſancto,à quo ad vincula,& tri-
bulationes agebatur.

Verſ. 24 *Nec facio animam meam*
9. *Anima pro vita.* *pretioſiorem quàm me.*] *Anima* hîc pro
vita ſumitur,ſicut Ioan.c.12.*qui amat*
animam ſuam perdet eam. In textu
Græco non eſt *pretioſiorem*, ſed *pre-*
tioſam. ὐδ᾽ ἔχω τὴν ψυχὴν μϰ̃ ἐμαυτῷ,
hoc ſenſu, non habeo mihi pretio-
ſam vitam, vt conſummem curſum
meum, id eſt, non eſt mihi vita in
aliquo pretio dummodò, &c. Qui-
bus verbis oſtendit ſibi pretium,
aut amorem vitæ impedimento nō
futurum, quominùs durū illud iter
aggrediatur.Grecè additur μετὰ χά-
ρας,id eſt, *cum gaudio.* Quæ inſignis
ponderatio eſt charitatis Pauli.No-
ſter Interpres legiſſe videtur ταμιω-
Zelus,& obediētia τέραν ἐμαυτῦ.Sed ſenſus idem eſt.Hîc
ponderandus dicendi modus, quo
Paulus vitam ſuam ſe ipſo pretio-
ſiorem non habet. Se verò putat
miniſterium ſibi à Domino datum;
ita vt Paulus ſit non tam, qui cor-
pore conſtet,& anima, quàm Euan-
gelij miniſter, quandoquidem vitā
inferiorem habet Euāgelij miniſte-
rio,id eſt,ſeipſo;vitam itaque ſuam,
quaſi alienum quid putat à ſe. Tunc
verò à ſe deficit, quando ab Euan-
gelij curſu deficit, quia Paulus non
eſt ille Paulus, qui ſibi,ſed qui Euā-
gelio ſeruit,& viuit.

Euangelium gratiæ Dei.] Eodem
ſenſu cap.14. dicitur *verbum gratiæ*
10. *Dei*,quia in eo gratia & promittitur,
& cōfertur copioſè. Optimum epi-
thetum, *Euangeliū gratiæ*, quia ſtillat
totum gratia,ab eo nempe traditum
in cuius labiis diffuſa gratia eſt.

Verſ. 26. *Conteſtor vos hodierna die,*

quia mundus ſum à ſanguine omnium.]
Profecturus ad vitæ periculū, quod 11. *Periculū Prelatorū.*
extremum Paulus ſuſpicari poterat
tanquam peruigil ſpeculator, à quo
ſi taceret,ſciebat requirendum eſſe
ſanguinem,conteſtatur eos,quibuſ-
cum egerat, quòd munus legitimè
obierit ſuum; neque pepercerit la-
bori, aut vitæ. Sicut Moyſes exceſ-
ſurus è vita Deut. 32.conteſtatus eſt
cœlos, quòd Iſraëlitis,id eſt, popu-
lo ſibi credito loquatur verba Do-
mini.Et abiturus à Regia,ſeu Regię
proxima dignitate Samuël,quòd in-
nocēter vixerit, totius populi fidem
obteſtatus eſt 1.Reg.cap.12.

Verſ.28.*In quo vos Spiritus ſanctus*
poſuit Epiſcopos.] Epiſcopos vocat
eos, qui priùs dicti ſunt presbyteri.
Vide ſuprà c.14. vbi de harum vo-
cum vſu in Eccleſiæ primordiis.

Quam acquiſiuit ſanguine ſuo.]Lo- 12.
quitur Paulus de Eccleſia, quaſi de *Eccleſia*
Chriſti ſponſa: hæc verò Hebræorū *quaſi ſpō-*
more acquiritur,& emitur à ſponſo. *ſa à Chri-*
Quare Oſeas vxorē emit ſibi quin- *ſto coēm-*
decim argenteis, & coro, & ſemi- *pta.*
coro hordei. Iacob Rachel,& Liam
dura multorum annorum ſeruitu-
te. Dauid Michol centum præputiis
Philiſtinorum; & Chriſtus Eccle-
ſiam ſanguine ſuo. Vide Commen-
taria in 1.cap. Cant.ad illud, *Vineam*
meam non cuſtodiui. Huc alluſit Pau-
lus 1.Cor.5.vbi docet quanti Chri-
ſto ſteterit hoc matrimonium. *Viri*
(inquit) *diligite vxores veſtras,ſicut &*
Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum
tradidit pro ea.

Commendo vos Deo, & verbo gra-
tiæ ipſius.] Quid ſit *verbum gratiæ* 13.
dictum eſt cap.14.ad illud, *vbi erant* *Verbum gratia.*
traditi gratiæ Dei. Huius verò loci
hæc videtur commoda ſentētia: Cō-
mendo vos Deo, & verbo gratiæ, id
eſt, diuinæ promiſſioni, quæ gratiā

Digitized by Google

omnibus liberaliter offert. Ac ſi dicat; obſecro Dominum vt ipſe vobis tribuat quod ſuis promiſit, hæreditatem ſcilicet ſuam, his qui ſanctificantur. Hoc verò nihil aliud eſt quàm petere vt illi, à quib. diſcedebat Paulus, ita ſanctificentur, vt digni ſint, quibus Deus præſtet verbũ gratiæ, id eſt, gratiam verbo, id eſt, Euangelio promiſſam; ſeu verbum gratioſum. Fortaſſe hîc *verbum gratiæ* pro Chriſto ſumitur, quia verbũ eſt à quo gratia in homines copiosè diffunditur. Sicut ex Athanaſij ſententia oratione 4. contra Arrianos, per *verbum veritatis* Dei Filius intelligitur, hoc ſenſu: Commendo vos Deo Patri, & Filio eius gratioſo. Sed placet magis explicatio prior.

14. Euangelij filius. Tu vide an hîc locum habere poſſit expoſitio alia; vt quemadmodum magiſtro commendamus diſcipulos, vt illos inſtruat, formet, reddátque dignos magiſtratu, atq; dignitate; ſic etiam Paulus diſcipulos commendet Euãgelio, vt ab ipſo formẽtur non ſolùm ſicut à magiſtro in ſcholis; ſed etiam ſicut à genitrice in vtero, vt ſint verè Euangelij filij. *Per Euangelium*, inquit alibi Paulus, *ego vos genui*; vt ea ratione ædificatis, id eſt, formatis ab Euangelio hæreditas conferatur talibus promiſſa.

15. Regul. Genus Græcum ſeruat Interpres. Verſ. 32. *Qui potens eſt.*] Illud *qui* refero ad *verbum*, nõ ad *Deum*, quia propiùs eſt, & apud Græcos λόγος eſt generis maſculini. Eſt autem vſitatum noſtro Interpreti, vt in Latina lingua genus ſeruet, quod vox quam Latinam facit, habuit in proprio idiomate. Apoc. 11. *duo candelabra* dicuntur *ſtantes*, quia Græcè legitur λυχνίαι, generis fœminei: & c. 10. *deuora librum, & erit dulce*, reſpexit ad βιβλιαρίδιον generis neutrius: & Act. cap. 10. *poſt Baptiſmum, quod prædicauit*; illud *quod*, Baptiſma neutrum refert. Sic etiam hoc loco *qui* λόγον refert maſculinum, non *verbum* neutrum. Si quis tamen ad Deum referat, non improbo, & eſt omnino ſenſus idem.

Dare hæreditatẽ in ſanctificatis omnibus.] Helleniſmus eſt. Græcè ἐν τοῖς ἡγιασμένοις, id eſt, *inter ſanctificatos*, aut *ſanctos*. Notũ autem eſt præpoſitionem ἐν Græcam ſignificare *inter*. Eodem ſenſu dixit Paulus ad Coloſſ. 1. *qui dignos nos fecit in partem ſortis Sãctorum*. nam *ſors* idem eſt, quod *hæreditas*.

Verſ. 35. *Omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos.*] Quæcumque Paulus in digreſſu commendat, exemplo ſuo ſatis antè docuerat; nempe ei, qui rẽ Chriſtianam curat; labori, ac periculo non eſſe ſuccumbendum; neq; committendum vnquam, vt vrgentibus malis ipſi in labore torpeant. Sed ad extremum ſuo etiam exemplo cõmendat, ne ſua auaritia alios à Chriſtianæ vitæ ſtudio deterreant, dum intenti lucro graues eſſe volunt his quos ad frugalem vitam, & ad Euangelicum inſtitutum vocant. Pro, *ſuſcipere*, Græcè eſt ἀντιλαμβάνεσθαι. Vatablus huius verbi vim eſſe putat, *porrecta manu retinere lapſurum alioqui, aut abiturum*. Et ſanè experientia magis compertum eſt, quàm Chriſtianam pietatẽ deceret, in tranſmarinis regionibus, quib. noſtra ætate Euangelij lux primùm affulſit, magno impedimento eſſe Parochorũ auaritiã, quominùs & plures, & libentiùs Chriſtianam Religionem amplectantur. Cùm enim cogantur miſelli aliquid pendere, imò fortaſſe multùm de re ſua, quam habent anguſtam, & tenuem, videántque illos, qui animarum Paſtores,

16. Quæ charitate tractandi hi, quibus annũciatur Euangelium.

Digitized by Google

ſtores,atque cuſtodes videri volunt, non tam, quæ Chriſti ſunt, quàm ſua quærere, dum imperatam pecuniam aut non poſſunt, aut durum eſſe putant dependere, abhorrent ab ea Religione, quæ cùm ſit humaniſſima, & charitatis plena, illi tamen Paſtorum cupiditas auaritiæ, & inhumanitatis ſuſpicionem allinit. Longè aliter cõſultum eſſet miſerorum ſaluti, atque Euangelij exiſtimationi, ſi iuxta hoc Apoſtolicum documentum Euangelij Doctores vel ſuis manibus laborarent (quod fecêre noſtra ætate, faciúntque cum bono Euangelij odore nõnulli) ne graues eſſent eis, quos paupertas grauat, aut alia quauis ratione, quàm pauperum incommodo de victu ſibi, & cultu prouiderent. Nã licèt eorum mercede, quorum ſaluti vacãt, ſuſtentari poſſint; vbi tamẽ genti & inopi, & rudi, hoc ad ſalutem impedimento eſt, aliam rationem ſuadebat charitas, & animarum zelus.

Beatius eſt magis dare, quàm accipere.] Decet Paſtores porrectis eſſe potiùs ad largiendum manibus, quã ad rapiendum aduncis. Hæc autem verba, cùm dicta ſint à Domino, vnde tamen deprompta fuerint, non conſtat: ſed dixiſſe Chriſtum multa, quæ ab aliis citantur præter ea, quæ in Euangeliis prodita, diximus ſuprà cap. 1. ad illud. *Quia Ioannes quidem baptizauit aqua.* 17.

Verſ. 36. *Poſitis genibus ſuis orauit.*] Solẽne hoc videtur Apoſtolis fuiſſe, vt in diſceſſu flexis orarent genibus, quod capite etiã ſequenti fecit Paulus in litore maris. Et ſanè optima forma dimittẽdi amicos eſt, eo modo in digreſſu ſecũdum iter precari. 18. *In diſceſſu q; aſſle getima oratio.*

Digitized by Google

COMMENTARII IN ACTVS APOSTOLORVM.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

1 *CVm autem factum eſſet vt nauigaremus ab-*
ſtracti ab eis, recto curſu venimus Coum,
& ſequenti die Rhodum, & inde Pataram.
2 ** Et cùm inueniſſemus nauem transfretan-*
tem in Phœnicem, aſcendentes nauigaui-
3 *mus. * Cum apparuiſſemus autem Cypro, relinquentes eam*
ad ſiniſtram, nauigauimus in Syriam, & venimus Tyrum:
4 *ibi enim nauis expoſitura erat onus. * Inuentis autem diſcipu-*
lis, manſimus ibi diebus ſeptem: qui Paulo dicebant per Spi-
5 *ritum ne aſcenderet Ieroſolymam. * Et expletis diebus pro-*
fecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum vxoribus, &
filiis vſque foras ciuitatem: & poſitis genibus in litore, ora-
6 *uimus. * Et cùm valefeciſſemus inuicem, aſcendimus na-*
7 *uem: illi autem redierunt in ſua. * Nos verò nauigatione ex-*
pleta à Tyro deſcendimus Ptolemaidam: & ſalutatis fratri-
8 *bus, manſimus die vna apud illos. * Alia autem die profecti,*
venimus Cæſaream. Et intrantes domum Philippi Euangeliſtæ,
9 *qui erat vnus de ſeptem, manſimus apud eum. * Huic au-*
10 *tem erant quatuor filiæ virgines prophetantes. * Et cùm mo-*
raremur per dies aliquot, ſuperuenit quidam à Iudæa Pro-
11 *pheta nomine Agabus. * Is cùm veniſſet ad nos, tulit zo-*
nam Pauli: & alligans ſibi pedes, & manus dixit: Hæc dicit
Spiritus ſanctus: Virum, cuius eſt zona hæc, ſic alligabunt in
12 *Ieruſalem Iudæi, & tradent in manus Gentium. * Quod*

cùm

Digitized by Google

*cùm audiſſemus, rogabamus nos, & qui loci illius erant ne aſ-
cenderet Ieroſolymam. * Tunc reſpondit Paulus, & dixit:* 13
*Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? Ego enim non
ſolùm alligari, ſed & mori in Ieruſalem paratus ſum propter
nomen Domini Ieſu. * Et cùm ei ſuadere non poſſemus, quie-* 14
*uimus, dicentes: Domini voluntas fiat. * Poſt dies autem iſtos* 15
*præparati, aſcendebamus in Ieruſalem. * Venerunt autem* 16
*& ex diſcipulis à Cæſarea nobiſcum, adducentes ſecum
apud quem hoſpitaremur Mnaſonem quendam Cyprium, anti-
quum diſcipulum. * Et cùm veniſſemus Ieroſolymam, liben-* 17
*ter exceperunt nos fratres. * Sequenti autem die introibat Pau-* 18
*lus nobiſcum ad Iacobum, omnéſque collecti ſunt ſeniores. * Quos* 19
*cùm ſalutaſſet, narrabat per ſingula quæ Deus feciſſet in Genti-
bus per miniſterium ipſius. * At illi cùm audiſſent, magnifica-* 20
*bant Deum, dixerúntque ei: Vides frater, quot millia ſunt
in Iudæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores ſunt legis.
* Audierunt autem de te quia diſceſſionem doceas à Moyſe* 21
*eorum, qui per Gentes ſunt, Iudæorum: dicens non debere eos
circumcidere filios ſuos, neque ſecundùm conſuetudinem ingre-
di. * Quid ergo eſt? vtique oportet conuenire multitudinem:* 22
*audient enim te ſuperueniſſe. * Hoc ergo fac quod tibi dici-* 23
*mus: Sunt nobis viri quatuor, votum habentes ſuper ſe. * His* 24
*aſſumptis, ſanctifica te cum illis: & impende in illis vt ra-
dant capita: & ſcient omnes quia quæ de te audierunt, falſa
ſunt, ſed ambulas & ipſe cuſtodiens legem. * De his autem* 25
*qui crediderunt ex Gentibus, nos ſcripſimus, iudicantes vt ab-
ſtineant ſe ab idolis, immolato, & ſanguine, & ſuffocato,
& fornicatione. * Tunc Paulus, aſſumptis viris, poſtera die* 26
*purificatus cum illis intrauit in templum, annuntians expletio-
nem dierum purificationis, donec offerretur pro vnoquoque eo-
rum oblatio. * Dum autem ſeptem dies conſummarentur, hi,* 27
*qui de Aſia erant, Iudæi, cùm vidiſſent eum in templo, conci-
tauerunt omnem populum, & iniecerunt ei manus, clamantes.*

*28 * Viri Iſraëlitæ, adiuuate: hic eſt homo qui aduersùs popu-
lum, & legem, & locum hunc, omnes vbique docens, inſuper
& Gentiles induxit in templum, & violauit ſanctum locum
29 iſtum. * Viderant enim Trophimum Epheſium in ciuitate cum
ipſo, quem æſtimauerunt quoniam in templum introduxiſſet
30 Paulus. * Commotáque eſt ciuitas tota, & facta eſt concurſio
populi. Et apprehendentes Paulum, trahebant eum extra tem-
31 plum: & ſtatim clauſæ ſunt ianuæ. * Quærentibus autem
eum occidere, nunciatum eſt tribuno cohortis: Quià tota con-
32 funditur Ieruſalem. * Qui ſtatim aſſumptis militibus, & centu-
rionibus, decurrit ad illos. Qui cùm vidiſſent tribunum, &
33 milites, ceſſauerunt percutere Paulum. * Tunc accedens tri-
bunus apprehendit eum, & iuſſit eum alligari catenis duabus,
34 & interrogabat quis eſſet, & quid feciſſet. * Alij autem aliud
clamabant in turba. Et cùm non poſſet certum cognoſcere præ
35 tumultu, iuſſit duci eum in caſtra. * Et cùm veniſſet ad gra-
36 dus, contigit vt portaretur à militibus propter vim populi. * Se-
37 quebatur enim multitudo populi clamans: Tolle eum. * Et cùm
cœpiſſet induci in caſtra Paulus, dicit tribuno: Si licet mihi lo-
38 qui aliquid ad te? Qui dixit: Græcè noſti? * Nónne tu es
Ægyptius, qui ante hos dies tumultum concitaſti, & eduxiſti
39 in deſertum quatuor millia virorum ſicariorum? * Et dixit ad
eum Paulus: ego homo ſum quidem Iudæus à Tarſo Ciliciæ, non
ignotæ ciuitatis municeps. Rogo autem te, permitte mihi loqui
40 ad populum. * Et cùm ille permiſiſſet, Paulus ſtans in gradi-
bus, annuit manu ad plebem, & magno ſilentio facto, allocu-
tus eſt lingua Hebræa, dicens.*

Digitized by Google

IN CAPVT VIGESIMVM-PRIMVM ACTVVM APOSTOLORVM.

Verſ.4. *Qui Paulo dicebãt per ſpiritum ne aſcenderet Hieroſolymam.*]Hinc ſe-
1. Pauli cõſtantia. ſe prodit admirabilis Pauli conſtãtia, atque animus ad rerum omniũ diſcrimina planè adamantinus; qui cùm toties admoneretur vel à Spiritu ſancto, vel à Prophetis imminere ſibi Hieroſolymis vincula, nihil tamen de incitata, atque ardenti animi contentione remittebat. Neque ſolùm nunc Tyri, à diſcipulis, & poſtea Cæſareæ, ab Agabo de vinculis admonitus eſt, & à filiab. Philippi, vt ſentit hiſtoria Scholaſtica (neque enim ſine cauſa dicuntur nõ *propheteſſes*, ſed *prophetãtes*) ſed etiam in plurimis ciuitatibus: ſic enim ille cap. 20. *Spiritus ſanctus in omnibus ciuitatibus mihi proteſtatur dicens, quoniam vincula, & tribulationes Hieroſolymis me manent.* & 2. Cor. 1. dicit ſe mortis habuiſſe reſponſum. Hoc ergo ipſum per Spiritum ſanctum dicerant diſcipuli, à quibus nunc Paulus ab Hieroſolymitanæ profectionis ſtudio reuocabatur: ignorabant tamen, vt veriſimile eſt, id Spiritum ſanctũ velle. Quare non per Spiritum ſanctum, ſed per ſuum ſpiritum, vt dicit Carthuſ. dicebant ne aſcenderet in Ieruſalem. Sed norat Paulus id Spiritui ſancto placere; atque ideo perſtitit in ſuſcepto conſilio contra amicorum preces, & lacrymas; quorum vnus erat Lucas, vt ipſe ſatis indicat, & cõtra tot ærumnarum propoſitos fluctus.

Verſ. 8. *Philippi Euangeliſtæ.*]Hic erat è Diaconorum numero, vt habes è textu. Dicitur tamen Euangeliſta, non quia Euangelium ſcripſerit, ſed quia aliis annunciauerit, vt Samaritis, & Eunucho, & quia illius inter Diaconos alios in Euangelio prædicando opera fuit illuſtris. Neque tunc, opinor, *Euangeliſtæ* nomen Euangelij ſcriptorib. datũ erat. Quòd verò Euangelij miniſter Euãgeliſta dicatur, docet Paulus ad Timotheum; *Prædica verbum*, &c. *opus fac Euangeliſtæ.* Et ad Epheſ. 4. ait. quoſdam eſſe in Eccleſia Euangeliſtas; qui ſanè ſunt Euangelij annunciatores. Vide Interpretes. 2. Euangeliſta nõ ſolùm, qui ſcribit, ſed etiam qui annũciat Euangelium.

Verſ. 20. *Vides frater, quot millia ſunt in Iudæis qui crediderũt.*]Iacobus Ieroſolymorum erat Epiſcopus, vbi maiori Religioñe Moſaïca præcepta colebantur. Hic ergo cùm animaduerteret durum videri Iudæis, ſi lex à Deo tradita, probata toties, ac tãdiu à maioribus, viriſq; ſanctiſſimis ſeruata cõtemneretur; curauit priùs in concilio, vt c. 15. vidimus, vt præcepta quædam Gentib. imponerentur cum Hebræis cõmunia. Et nunc eodem ille conſilio Iudæorum ſiue Religioni, ſiue infirmitati indulgẽs, id agit, ne Paulus videatur aut ipſe contemnere, aut aliis edicere, vt quæ tradita ſunt à Moyſe inſtituta contemnantur. Quo nomine apud 3. Occurrendum ſcãdalo & offenſioni infirmorũ

apud zelatores Iudæos laborabat, quaſi omnes à lege, & Moyſe prorſus auerteret. Monet ergo, & cum ipſo ſeniores alij fratres Paulũ, quò Iudæorum ſuſpicionem eleuet, gratiámque ineat ab offenſo populo, vt documentum aliquod edat non cõtemptæ legis. Illud verò viſum eſt opportunũ valdè, vt cum aliis, qui ſe Nazaræatus voto deuinxerant, publicè in templo comam deponat, quod fieri ſuprà diximus cap. 18. expleto voto. Vide Num. cap. 6. vbi modus traditur, quo purificatur Nazaręus, quid ſit offerendum, quę impenſa facienda: quæ omnia ritè peracta eſſent à Paulo cum aliis item Nazaræis, cùm hæc aliis documento eſſe voluerit ſeruatæ legis, ſi per vim, & ſeditionem Iudęorum licuiſſet.

4. Paulus cur purificatus in tẽplo.

Eſt autem incertum, an hæc tonſio, purificatio, atque oblatio expleto voto facta fuerit: vel quia ſubito alicuius interitu pollutus cenſeretur; nam & tunc tondenda cæſaries eſt, & offerenda oblatio. Mihi probabilius eſt hoc ſecundo modo cõtigiſſe; nam purificatus dicitur hîc Paulus, vtique quia pollutus: neque priori modo adhiberi pręcipitur purificatio. Neq; obſtat quòd propter eandẽ cauſam caput raſerit Cēchris: nam alia tunc omiſſa fuerant, quæ fieri niſi in Hieroſolymitano tẽplo non poterant: item quia ſeptem dierum mentio ſatis indicat pollutum eſſe Nazaręum; non expletum votũ. Adde quòd nimis eſſet opportunũ expleri à Paulo in eo tẽporis articulo Nazaræatus votum; quod ſi non eſſet impletum, impiũ eſt exiſtimare mentitum eſſe Paulũ. Quod ſanè dicendũ eſt, ſi ante tempus ſoluti voti documentũ ederet. Quare mihi certius eſt adhibitum eſſe ritum illum à Paulo polluto potiùs, quàm ſoluto à religione voti.

Verſ. 24. *Sanctifica te cum illis.*] Sanctificare ſe, eſt purificare: quia pollutus ſanctitatem non habet, nẽpe legalem. Quare Chriſtus ad Hebræos 7. dicitur *ſanctus*, Græcè ὅσιος, id eſt, *purus*, *& expers labis*. Quod ſtatim explicatur magis, dum vocatur *impollutus*. Sed eſt exemplũ optimum 1. Reg. c. 21. nam cùm Achimelech Sacerdos rogaſſet, *Si mundi ſunt pueri, maximè à mulieribus? Reſpondit David: Equidem ſi de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri, & nudius tertius, quando egrediebamur; & fuerũt vaſa puerorum ſancta* (nam immunditia ex legitimo concubitu contracta tãtùm durabat ad veſperam. Leuit. cap. 24.) *Porrò via hæc polluta eſt, & ipſa quoque ſanctificabitur in vaſis.* vbi *ſanctum* pro *mundo*, & *ſanctificare* pro *purificare* ſumitur. Et quidem ἁγιάζω, quo verbo vtitur Lucas, ſæpe in ea ſignificatione vſurpatur. Ex quo etiam colligitur pollutum fuiſſe Paulum, non ſolutum à voto. 5. Sanctificare idẽ quod purificare.

Et impende in illis.] Græcè ἐπ' αὐτοῖς. 6.
Quidam *in illis* nõ ad quatuor viros, ſed ad oblationes, & ſacrificia referunt, quæ ſoluto voto, aut peracta purificatione fiunt. Ita Montanus; ſed eſt ſenſus extortus à litera, non oblatus. Alij ad quatuor viros, ita vt cum illis ſimul offerat. Ita Lyranus, & Gloſſa interlinearis, & Hugo. Quod ſanè admitterem, ſi illud *in illis* eſſet à præpoſitione Græca ἐν, & non ab ἐπὶ; nam ἐν *inter* ſignificat, ſicut etiam *in* Latinum. Quare ſenſus eſſe poſſet, inter illos, vel cum illis. Sed hoc non admittit ἐπὶ. Eſt ergo ſenſus, vt Paulus non ſolùm ipſe caput radat, ac pro ſe offerat, quod lex iubet; ſed etiam, quò maius præ ſe ferat ſtudium ſeruandæ legis, ex ea pecunia, quam ad pauperum vſus collegerat, pro quatuor illis, quos

proba

probabiliter pauperes fuiſſe putat Caietanus, expenſas faciat. Et ita exponit Syrus.

6. *Vt radant capita.*] Ex hoc loco putat Caietanus non tonſum eſſe Paulum, quia cùm fratres illi ſeniores cum illo loquerentur non dixerunt, *vt radatur*, ſed, *vt radant*, quatuor nempe viri, ita vt Paulus futurus illis fuerit quaſi patrinus. Sed multa ſunt quæ contrarium ſuadent. Primùm, quia Paulus ſe cum illis purificauit, eo nimirum modo, quo purificari debuit Nazaræus pollutus. Deinde, quia ſeptem dies poſiturus erat in ea purificatione, imò, vt mox dicetur, iam ferme poſuerat. Tertiò, quia illud de patrino non reperitur in lege de purificando Nazaræo. Neque eſt cur nos cõmouere debeat, quòd non ſit *radatis*, ſed *radant*: quia ſatis ex adiunctis colligitur radendum eſſe Paulum, cùm de ipſius purificatione dictum ſit. Illud verò tanquam extraordinarium commendatur, vt quò legitimè alij radant ſe, illis impendat tantùm pecuniæ, quantùm ſiue ex lege, ſiue ex conſuetudine offerri ſolet. Docet autem hoc apertè Paulus cap. 26. vbi refert comprehenſum ſe à Iudæis in templo cùm faceret oblationes, & vota, vota, inquam ſua, non aliorum. Nam eorum causâ dicit ſe veniſſe Ieruſalẽ.

Paulus raſit caput.

Hæc coma à Nazaræis expleto voto, & fortaſſe in purificatione depoſita (quanquam de hoc poſteriori nihil expreſſum eſt Num. cap. 6.) ponebatur ſuper ignem, qui eſt ſuppoſitus ſacrificio pacificorum. Hanc legem offerendi Deo comam ideo latam fuiſſe à Moyſe putat Cyrillus citatus à Gagneio, & Salmerone, vt tolleret impiam Gentilium conſuetudinem, qui comam, aut barbã

7. Coma Nazaræorũ oblata.

nutriebãt, vt illam poſtea idolis cõſecrarent. Sanè notum eſt ſolitos eſſe antiquos Diis ſuis conſecrare cæſariem. De Ægyptiis tradit Diodorus lib. 2. cap. 4. vota ſolitos eſſe concipere morbo affectos, vt ſi ex morbo conualeſcerent, deſectum crinem alicui Deo conſecrarent. Eandem ob cauſam ab Hebræis detonſam ex voto, & oblatam comam tradit Ioſephus libro 2. capite 15. de bello. De Athenienſibus Plutarchus in Vita Theſei ſcripſit illum comæ ſuæ primitias conſecraſſe Apollini Delphico, cúmque eſſe apud Athenienſes morem. De Romanis apertè Martialis lib. 1. Epigr. 88. de coma Eucolpi; & lib. 9. Epigr. 17. de coma Æarini; & Statius lib. 3. Sylua 4. Et Suetonius in Nerone capite 12. prodit illum in aurea pyxide barbam conſecraſſe Capitolino Ioui. Vide Commentaria Brodæi in lib. 6. Epigrammatum Græcorum titulo *de iuuenibus*. vbi tradit comas præcipuè ſolitas eſſe dedicari fluminibus. Hæc quidẽm vera ſunt, ſed non puto à Gentilibus Iudæos hunc accepiſſe morem, quia ante illorum heroica, & politiora tempora fuit Moyſes, cui de Nazaræorum capillis lex tradita fuit. Imò fuiſſe aliquem vſum tondendi, & conſecrandi capillos, indicat benedictio Ioſephi cap. 49. vbi de vertice Nazaræi mentio fit; licèt alio ſenſu, vt reor. Sed eſt veriſimilius hęc, vt plurima alia, Gentiles à Iudæis ſumpſiſſe; & quæ ab his piè, & ſanctè ſeruata, ab illis hæc eadem prauè diſtorta, ſuperſtitiosè, atque impiè fuiſſe ſuſcepta: neque enim eius cõſuetudinis veſtigium aliquod extare video ante Moyſis tempora. Adde quòd ritus illi & nutriendæ priùs, & poſtea conſecrandæ comæ myſticos

Item Gentium.

Digitized by Google

habent,& arcanos ſenſus, quos ille
Hebræorum populus ex figuris hiſce
externis habuit familiares.

Verſ. 26. *Tunc Paulus aſſumptis*
viris, poſtera die purificatus cum illis
8. *intrauit in templum.*] Aſſumpſit Pau-
lus viros illos quatuor non tanquã
patrinus, aut patronus, vt putat Ca-
ietanus, ſed tanquam dux inter illos,
qui non ſolùm ipſe purificari vellet,
ſed etiam author eſſet aliis, & mo-
nitor, vt idem facerent. Poſtero er-
go die, qui primus fuit illorum ſeptẽ
in quibus totum purificationis ne-
gotium peragebatur, iuxta ritum
Num. *6.* traditum, purificauit ſe, id
id, totondit comam; nam bis Naza-
ræi polluti tondebantur, tempore
purificationis ſtatim primo die, de-
inde rurſus poſtremo illius hebdo-
madis dierum; licèt multi negent,
dicántque tantùm in fine purifica-
tionis deponi cæſariem; quibus fa-
uet plurimùm textus Hebræus, &
verſio Lxx. Sed dicit expreſsè verſio
vulgata his verbis. *Sin autem mortuus*
fuerit ſubitò quiſpiam coram eo, polluetur
caput conſecrationis eius, quod radet il-
licò in eadem die purgationis ſuæ, &
rurſus ſeptima. Imò exiſtimo interdũ
caput ter radi ſolitum, quando ſcili-
cet longè à templo contingeret talis
pollutio; neque legitima eſſe pote-
rat purificatio cũ his oblationibus,
quas lex præſcribit. Tunc enim, vt in
Cenchris fecit Paulus, ibi caput ra-
debat Nazaræus, vbi repentina ali-
cuius morte polluebatur. Eſt ergo
ſenſus; cùm totondiſſet caput Pau-
lus cũ aliis, & eo ſe modo purificaſ-
ſet, ingreſſus eſt in templũ. Cur verò
in principio purgationis ante in-
greſſum templi radi iubeatur pollu-
ti coma, ea videtur eſſe ratio, quia
pollutus ſanctè templum ingredi nõ
poterat, niſi aut aliqua intercederet
mora, aut aliqua antegrederetur pu-

Quãdo, & quoties coma raditur à Nazaræo polluto.

Cur ante ingreſſũ tẽpli coma depoſita.

rificatio, vt ſatis cõpertum eſt. Quia
verò cadente mortuo coram Naza-
ræo caput illius polluebatur (vt enim
nuper, *polluetur caput conſecrationis*
eius) cùm pollutum eſſet caput, eo
tonſo fiebat purificatio, quæ pollu-
tos ad reliqua in templum induce-
bat; & hanc Paulus adhibuit.

Annuncians expletionem dierum
purificationis, donec offerretur pro vno-
quoque eorum oblatio.] Hîc nobis, opi- 9.
nor, diuinandũ eſt, quia ex Scriptura
nihil habemus, quod huic obſcuri-
tati præluceat. Fortaſſe aliqua fuit
Hebræorum conſuetudo, quam hîc
indicat Lucas, de qua mihi hactenus
nihil liquet. Cui Paulus nunciauerit
expletionem dierum, omnino incer-
tum; nam tribus videtur potuiſſe
nunciare, primùm Iudæis omnibus,
qui contemptam à Paulo Moſaïcã
legem ſuſpicabantur, quibus nũcia-
uit purificatum iri ſe ſeptem diebus
in templo, donec offerretur oblatio,
id eſt, ad octauum vſque diem. De
illo enim dicitur Num. *9. In octaua*
autem die offeret duos turtures, vel duos
pullos columbæ Sacerdoti. Secũdò, aliis
Nazaræis pollutis, ita vt illos horta-
tus fuerit, deinde edixerit quid fa-
ciendum, quantùm ponendum tẽ-
poris in ea luſtratione, quid tandẽ
offerendum; vt illius purificationis
princeps, & author videatur. Ad ex-
tremum Sacerdoti, qui tali præerat
purgationi; vt noſſet quantùm tẽ-
poris, vel commorandum in tẽplo,
vel quoties obeundum, & quo die
expectanda eſſet à purificãdis obla-
tio. Quid horum ſpectarit Paulus
non definio, tantùm ea, de quibus
poterat eſſe quæſtio, propono.

Verſ. 27. *Dum autem ſeptem dies cõ-*
ſummarentur.] Obſcurum eſt an ſe- 10.
ptem hi dies numerandi ſint ab ad-
uentu in Ieſuralem, vel ab incepta
Pauli purgatione. De priori intelli-
git

Digitized by Google

git Lyra, & Vatablus; de poſteriori Beda, Carthuſianus, & Gloſſa. Quod magis mihi videtur veriſimile, tum quia ſeptenarius numerus cum purificatione magis congruit, quæ nonniſi expleto circulo dierum ſeptem abſoluebatur:tum quia ratio illa quæ in aliam ſententiam inducere potuit, parum meo iudicio, efficit. Cùm enim à die, quo captus eſt Paulus, donec veniret Cæſaream, tres interceſſiſſent dies, vt conſtat ex cap.22.& 23. inde ad concionem habitam coram Felice quinque ex cap. 24 ſi his addas ſeptem dies purificationis, erunt quindecim dies ab ingreſſu templi; Paulus verò tantùm dicit interceſſiſſe duodecim cap.24. Ex ea inquam ratione non efficitur hîc agi de aduentu in vrbem, non de ingreſſu in templum: nam primùm illa ſententia putat totos ſeptem dies purificationis exactos iam eſſe, quando vis allata fuit Paulo; quod quidem non colligitur, aut certè nō conuincitur ex textu. Sed tunc, vt optimè ait Beda, agebatur ſeptem dierum curſus, & expectabatur cōſummatio. Quare ſenſus eſt; dū perageretur ſolemnis illa ſeptem dierū purificatio. Et planè textus Græcus indicat ſeptem illos dies non eſſe abſolutos: ſic enim habet, ὡς δὲ ἔμελλον αἱ ἑπτὰ ἡμέραι συντελεῖσθαι, id eſt, *cùm futurum eſſet vt implerentur dies ſeptem.* vbi indicatur peragi cœpta, non peracta purificatio.

Verſ.28. *Et Gentiles induxit in tē-*
11. *plum.*] Notum eſt Gentilibus non eſſe liberum aditum in omnem tēpli partem; neque fortaſſe in illam, quæ à Paulo ad Hebr.9. *ſanctum* vocatur *ſæculare.* Eſt enim veriſimile non ideo *ſæculare* dici, quia Gentilibus, id eſt, ſæcularibus patebat; ſed quia ſæculi, id eſt mundi figuram referebat: vel quia munditiam quandam legalem & externam, & quaſi mundanam requirebat. Eſſe tamen extra templum locum tradit Ioſephus lib.15. Ant.cap. 14. & de bello lib.6.cap.6. ad quem accedere Gentibus permittebatur. Nam Gentiles etiam ad templum Religionis gratiâ veniſſe conſtat Ioan.12. Quòd ſi quis in vlteriorē partem conaretur irrumpere, capitale ſupplicium proponebatur; idque ne quis neſciret, Latinis, Græciſque literis in colūnis inciſum; eiúſque criminis accuſabatur Paulus, quòd contra loci ſanctitatem, conſuetudinémque iā olim conſeruatam, Gentiles ſecum induxiſſet in templum. Quod an verum fuerit, ipſi accuſatores videtint, ego non puto; ſed ipſum Epheſium Trophimum ſua ſponte, idque inſcio Paulo, in partem templi ſibi prohibitam penetraſſe. Neque enim qui ſolemni purificationis cæremonia ſtudioſum ſe Iudaicæ Religionis profitebatur, admittere debuit, vt alienigena in templum inducto, illam apertè contempſiſſe videretur.

An Gentibus in templum liber ingreſſus.

Et iuſſit eum ligari catenis duabus.]
Eo, puto, modo alligatus eſt Paulus, 12.
quo Petrus ſuprà cap.12. inter duos milites, qui eadem ſimul catena vinciebātur: nam id vſitatum eſſe apud Romanos, qui illud exercebant iudicium, docet Seneca ſuprà, vbi de Petri cuſtodia. Fortaſſe vſitatū erat apud Romanos, vt rei duabus ligarentur catenis; ex quorum conſuetudine dixiſſe videtur Propertius lib.8.Eleg. in quēdam Lyodamum, cui erat infenſus.

—Pedibus vincula bina trahat.

Quandiu Paulus vinctus fuerit, & nunc Hieroſolymis, & poſtea Cæſareæ, donec ad Cæſarem mitteretur, nihil eſt certum. Videtur autem tādiu nunc egiſſe in vinculis, quandiu poſtea Romæ, nempe biennium;

12 *veni Damaſcum.* * *Ananias autem quidam, vir ſecundùm*
legem teſtimonium habens ab omnibus cohabitantibus Iudæis,
13 * *veniens ad me, & aſtans dixit mihi; Saule frater reſpice. Et*
14 *ego eadem hora reſpexi in eum.* * *At ille dixit: Deus patrum*
noſtrorum præordinauit te, vt cognoſceres voluntatem eius, &
15 *videres iuſtum, & audires vocem ex ore eius:* * *quia eris te-*
16 *ſtis illius ad omnes homines eorum, quæ vidiſti, & audiſti.* * *Et*
nūc quid moraris? Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua,
17 *inuocato nomine ipſius.* * *Factum eſt autem reuertenti mihi in*
18 *Ieruſalem, & oranti in templo, fieri me in ſtupore mentis,* * *&*
videre illum dicentem mihi: Feſtina, & exi velociter ex Ieru-
19 *ſalem: quoniam non recipient teſtimonium tuum de me.* * *Et*
ego dixi: Domine ipſi ſciunt, quia ego eram concludens in car-
20 *cerem, & cædens per Synagogas eos, qui credebant in te:* * *&*
cùm funderetur ſanguis Stephani teſtis tui, ego aſtabam, & con-
ſentiebam, & cuſtodiebam veſtimenta interficientium illum.
21 * *Et dixit ad me: Vade: quoniam ego in nationes longè mittā*
22 *te.* * *Audiebant autem eum vſque ad hoc verbum, & le-*
uauerunt vocem ſuam, dicentes: Tolle de terra huiuſmodi: non
23 *enim fas eſt eum viuere.* * *Vociferantibus autem eis, & pro-*
iicientibus veſtimenta ſua, & puluerem iactantibus in aërem,
24 * *iuſſit tribunus induci eū in caſtra, & flagellis cædi, & torqueri*
25 *eum, vt ſciret propter quam cauſam ſic acclamarent ei.* * *Et*
cùm aſtrinxiſſent eum loris, dicit aſtanti ſibi Centurioni Paulus:
Si hominem Romanum, & indemnatum licet vobis flagellare?
26 * *Quo audito, Centurio accedit ad tribunum, & nunciauit ei,*
dicens: Quid acturus es? hic enim homo ciuis Romanus eſt.
27 * *Accedens autem tribunus, dixit illi: Dic mihi ſi tu Romanus*
28 *es? At ille dixit: Etiam.* * *Et reſpondit tribunus: Ego multa*
ſumma ciuilitatem hanc conſecutus ſum. Et Paulus ait: Ego autē
29 *& natus ſum.* * *Protinus ergo diſceſſerunt ab illo, qui eum tor-*
turi erant. Tribunus quoque timuit poſtquam reſciuit, quia ciuis
30 *Romanus eſſet, & quia alligaſſet eum.* * *Poſtera autem die*
volens

Digitized by Google

volens ſcire diligentiùs qua ex cauſa accuſaretur à Iudæis, ſoluit eum, & iuſſit ſacerdotes conuenire, & omne concilium, & producens Paulum, ſtatuit inter illos.

IN CAPVT VIGESIMVM-SECVNDVM ACTVVM APOSTOLORVM.

Verſ. 5. *Sicut Princeps Sacerdotum mihi teſtimonium reddit.*] Seruabat, credo,
1. Paulus literas, quas habuit à Pōtifice ſeruauit. Paulus literas ſibi à Pontifice, & concilio traditas, tum quia ad hæc tempora periculoſa, & dubia magno ſibi vſui fore exiſtimabat; tum vt oſtenderet quanta eſſet Chriſti benignitas, qui illum vſque adeò largè, atque amanter eſſet complexus, quem viderat ſibi, ſuíſque adeò eſſe infenſum, vt ardens in ſe, ſuóſque odium, & ſpirantem minarum animum publica authoritate munierit.

Verſ. 14. *Et videres iuſtum, &*
2. *audires vocem de ore eius.*] Quæ hîc commemorātur de admirabili Pauli conuerſione, expoſita ſunt cap. 9. Hîc obſeruandum ex his Ananiæ verbis non leuem eſſe coniecturam verè, & propriè in via Chriſtum apparuiſſe Paulo. Nam ſicut propriè Paulus vocem audiuit ex ore Chriſti; ſic etiam Chriſtum propriè vidit. Chriſtum verò ſignificari *Iuſti* nomine, ſatis frequens eſt in Scriptura: ſic etiam vocatur ſuprà cap. 3. & c. 7. Quòd autem nunc coram Tribuno, populóque de ſuo olim in Chriſtum odio refert, facit iterum cap. 26. coram Agrippa, & in epiſtolis aliquando. Quia & hæc mira ſunt, & fidem faciūt orationi ipſius, & teſtimonio. Quis enim non crederet ei, qui tam ſe priùs inimicum oſtenderat Chriſti nomini, deinde verò mutato animo pro ipſius gloria tot ſe periculis obieciſſet?

Verſ. 17. *Fieri me in ſtupore mentis.*] Quando cōtigerit ſtupor hic mentis, ſeu extaſis in Ieruſalem, non cōſtat, neque de ea alibi mentio fit. Eſt tamen veriſimile tunc accidiſſe cùm tertio iam à conuerſione anno Hieroſolymam rediit; ad Gal. cap. 1. vbi Gentium conſtiturus eſt Doctor. Nam hoc nomen, & munus illi datum eſſe non dudum à conuerſione, ſatis indicat, quia non dudum ab illa Apoſtolicam operam Gentibus nauauit. Cùm ergo Paulus ſic eſſet affectus in fratres, id eſt, Iudæos, vt pro ipſis anathema eſſe cuperet, ad Rom. cap. 9. *Optabam*, inquit, *ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundùm carnem*; veriſimile eſt conferre voluiſſe ſtudium ſuum in eorum ſalutem. Quare cùm oraret in templo pro fratrum ſuorum fortaſſe conuerſione,

3. Zelator Paulus ſalutis Iudæorum.

COMMENTARII IN ACTVS APOSTOLORVM.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

1 *CVm autem factum eſſet vt nauigaremus ab-*
ſtracti ab eis, recto curſu venimus Coum,
& ſequenti die Rhodum, & inde Pataram.
2 ** Et cùm inueniſſemus nauem transfretan-*
tem in Phœnicem, aſcendentes nauigaui-
3 *mus. * Cùm apparuiſſemus autem Cypro, relinquentes eam*
ad ſiniſtram, nauigauimus in Syriam, & venimus Tyrum:
4 *ibi enim nauis expoſitura erat onus. * Inuentis autem diſcipu-*
lis, manſimus ibi diebus ſeptem: qui Paulo dicebant per Spi-
5 *ritum ne aſcenderet Ieroſolymam. * Et expletis diebus pro-*
fecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum vxoribus, &
filiis vſque foras ciuitatem: & poſitis genibus in litore, ora-
6 *uimus. * Et cùm valefeciſſemus inuicem, aſcendimus na-*
7 *uem: illi autem redierunt in ſua. * Nos verò nauigatione ex-*
pleta à Tyro deſcendimus Ptolemaidam: & ſalutatis fratri-
8 *bus, manſimus die vna apud illos. * Alia autem die profecti,*
venimus Cæſaream. Et intrantes domum Philippi Euangeliſtæ,
9 *qui erat vnus de ſeptem, manſimus apud eum. * Huic au-*
10 *tem erant quatuor filiæ virgines prophetantes. * Et cùm mo-*
raremur per dies aliquot, ſuperuenit quidam à Iudæa Pro-
11 *pheta nomine Agabus. * Is cùm veniſſet ad nos, tulit zo-*
nam Pauli: & alligans ſibi pedes, & manus dixit: Hæc dicit
Spiritus ſanctus: Virum, cuius eſt zona hæc, ſic alligabunt in
12 *Ieruſalem Iudæi, & tradent in manus Gentium. * Quod*

cùm

Digitized by Google

cùm audiſſemus, rogabamus nos, & qui loci illius erant ne aſ-
cenderet Ieroſolymam. * Tunc reſpondit Paulus, & dixit: 13
Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? Ego enim non
ſolùm alligari, ſed & mori in Ieruſalem paratus ſum propter
nomen Domini Ieſu. * Et cùm ei ſuadere non poſſemus, quie- 14
uimus, dicentes: Domini voluntas fiat. * Poſt dies autem iſtos 15
præparati, aſcendebamus in Ieruſalem. * Venerunt autem 16
& ex diſcipulis à Cæſarea nobiſcum, adducentes ſecum
apud quem hoſpitaremur Mnaſonem quendam Cyprium, anti-
quum diſcipulum. * Et cùm veniſſemus Ieroſolymam, liben- 17
ter exceperunt nos fratres. * Sequenti autem die introibat Pau- 18
lus nobiſcum ad Iacobum, omnéſque collecti ſunt ſeniores. * Quos 19
cùm ſalutaſſet, narrabat per ſingula quæ Deus feciſſet in Genti-
bus per miniſterium ipſius. * At illi cùm audiſſent, magnifica- 20
bant Deum, dixerúntque ei: Vides frater, quot millia ſunt
in Iudæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores ſunt legis.
* Audierunt autem de te quia diſceſſionem doceas à Moyſe 21
eorum, qui per Gentes ſunt, Iudæorum: dicens non debere eos
circumcidere filios ſuos, neque ſecundùm conſuetudinem ingre-
di. * Quid ergo eſt? vtique oportet conuenire multitudinem: 22
audient enim te ſuperueniſſe. * Hoc ergo fac quod tibi dici- 23
mus: Sunt nobis viri quatuor, votum habentes ſuper ſe. * His 24
aſſumptis, ſanctifica te cum illis: & impende in illis vt ra-
dant capita: & ſcient omnes quia quæ de te audierunt, falſa
ſunt, ſed ambulas & ipſe cuſtodiens legem. * De his autem 25
qui crediderunt ex Gentibus, nos ſcripſimus, iudicantes vt ab-
ſtineant ſe ab idolis, immolato, & ſanguine, & ſuffocato,
& fornicatione. * Tunc Paulus, aſſumptis viris, poſtera die 26
purificatus cum illis intrauit in templum, annuntians expletio-
nem dierum purificationis, donec offerretur pro vnoquoque eo-
rum oblatio. * Dum autem ſeptem dies conſummarentur, hi, 27
qui de Aſia erant, Iudæi, cùm vidiſſent eum in templo, conci-
tauerunt omnem populum, & iniecerunt ei manus, clamantes.

28 * *Viri Iſraëlitæ, adiuuate: hic eſt homo qui aduersùs popu-*
lum, & legem, & locum hunc, omnes vbique docens, inſuper
& Gentiles induxit in templum, & violauit ſanctum locum
29 *iſtum. * Viderant enim Trophimum Epheſium in ciuitate cum*
ipſo, quem æſtimauerunt quoniam in templum introduxiſſet
30 *Paulus. * Commotáque eſt ciuitas tota, & facta eſt concurſio*
populi. Et apprehendentes Paulum, trahebant eum extra tem-
31 *plum: & ſtatim clauſæ ſunt ianuæ. * Quærentibus autem*
eum occidere, nunciatum eſt tribuno cohortis: Quià tota con-
32 *funditur Ieruſalem. * Qui ſtatim aſſumptis militibus, & centu-*
rionibus, decurrit ad illos. Qui cùm vidiſſent tribunum, &
33 *milites, ceſſauerunt percutere Paulum. * Tunc accedens tri-*
bunus apprehendit eum, & iuſſit eum alligari catenis duabus,
34 *& interrogabat quis eſſet, & quid feciſſet. * Alij autem aliud*
clamabant in turba. Et cùm non poſſet certum cognoſcere præ
35 *tumultu, iuſſit duci eum in caſtra. * Et cùm veniſſet ad gra-*
36 *dus, contigit vt portaretur à militibus propter vim populi. * Se-*
*quebatur enim multitudo populi clamans: Tolle eum. * Et cùm*
37 *cœpiſſet induci in caſtra Paulus, dicit tribuno: Si licet mihi lo-*
38 *qui aliquid ad te? Qui dixit: Græcè noſti? * Nónne tu es*
Ægyptius, qui ante hos dies tumultum concitaſti, & eduxiſti
39 *in deſertum quatuor millia virorum ſicariorum? * Et dixit ad*
eum Paulus: ego homo ſum quidem Iudæus à Tarſo Ciliciæ, non
ignotæ ciuitatis municeps. Rogo autem te, permitte mihi loqui
40 *ad populum. * Et cùm ille permiſiſſet, Paulus ſtans in gradi-*
bus, annuit manu ad plebem, & magno ſilentio facto, allocu-
tus eſt lingua Hebræa, dicens.

IN

IN CAPVT VIGESIMVM-PRIMVM ACTVVM APOSTOLORVM.

Verſ. 4. QVi Paulo dicebãt *per ſpiritum ne aſcenderet Hieroſolymam.*]Hinc ſe-

1. Pauli cõſtantia.

ſe prodit admirabilis Pauli conſtãtia, atque animus ad rerum omniũ diſcrimina planè adamantinus; qui cùm toties admoneretur vel à Spiritu ſancto, vel à Prophetis imminere ſibi Hieroſolymis vincula, nihil tamen de incitata, atque ardenti animi contentione remittebat. Neque ſolùm nunc Tyri, à diſcipulis, & poſtea Cæſareæ, ab Agabo de vinculis admonitus eſt, & à filiab. Philippi, vt ſentit hiſtoria Scholaſtica (neque enim ſine cauſa dicuntur nõ *prophetides*, ſed *prophetãtes*) ſed etiam in plurimis ciuitatibus: ſic enim ille cap. 20. *Spiritus ſanctus in omnibus ciuitatibus mihi proteſtatur dicens, quoniam vincula, & tribulationes Hieroſolymis me manent*, & 2. Cor. 1. dicit ſe mortis habuiſſe reſponſum. Hoc ergo ipſum per Spiritum ſanctum dicerant diſcipuli, à quibus nunc Paulus ab Hieroſolymitanæ profectionis ſtudio reuocabatur: ignorabant tamen, vt veriſimile eſt, id Spiritum ſanctũ velle. Quare non per Spiritum ſanctum, ſed per ſuum ſpiritum, vt dicit Carthuſ. dicebant ne aſcenderet in Ieruſalem. Sed norat Paulus id Spiritui ſancto placere; atque ideo perſtitit in ſuſcepto conſilio contra amicorum preces, & lacrymas; quorum vnus erat Lucas, vt ipſe ſatis indicat, & cõtra tot ærumnarum propoſitos fluctus.

2. Euangeliſta nõ ſolùm, qui ſcribit, ſed etiam qui annũciat Euangelium.

Verſ. 8. *Philippi Euangeliſtæ.*] Hic erat è Diaconorum numero, vt habes è textu. Dicitur tamen Euangeliſta, non quia Euangelium ſcripſerit, ſed quia aliis annunciauerit, vt Samaritis, & Eunucho, & quia illius inter Diaconos alios in Euangelio prædicando opera fuit illuſtris. Neque tunc, opinor, *Euangeliſtæ* nomen Euangelij ſcriptorib. datũ erat. Quòd verò Euangelij miniſter Euãgeliſta dicatur, docet Paulus ad Timotheum; *Prædica verbum*, &c. *opus fac Euangeliſtæ.* Et ad Epheſ. 4. ait. quoſdam eſſe in Eccleſia Euangeliſtas; qui ſanè ſunt Euangelij annunciatores. Vide Interpretes.

3. Occurrendum ſcãdalo & offenſioni infirmorũ

Verſ. 20. *Vides frater, quot millia ſunt in Iudæis qui crediderũt.*] Iacobus Ieroſolymorum erat Epiſcopus, vbi maiori Religione Moſaïca præcepta colebantur. Hic ergo cùm animaduerteret durum videri Iudæis, ſi lex à Deo tradita, probata toties, ac tãdiu à maioribus, viriſq; ſanctiſſimis ſeruata cõtemneretur; curauit priùs in concilio, vt c. 15. vidimus, vt præcepta quædam Gentib. imponerentur cum Hebræis cõmunia. Et nunc eodem ille conſilio Iudæorum ſiue Religioni, ſiue infirmitati indulgẽs, id agit, ne Paulus videatur aut ipſe contemnere, aut aliis edicere, vt quæ tradita ſunt à Moyſe inſtituta contemnantur. Quo nomine

apud

Digitized by Google

apud zelatores Iudæos laborabat, quaſi omnes à lege, & Moyſe prorſus auerteret. Monet ergo, & cum ipſo ſeniores alij fratres Paulũ, quò Iudæorum ſuſpicionem eleuet, gratiámque ineat ab offenſo populo, vt documentum aliquod edat non cõtemptæ legis. Illud verò viſum eſt opportunũ valdè, vt cum aliis, qui ſe Nazaræatus voto deuinxerant, publicè in templo comam deponat, quod fieri ſuprà diximus cap. 18. expleto voto. Vide Num. cap. 6. vbi modus traditur, quo purificatur Nazareus, quid ſit offerendum, quę impenſa facienda: quæ omnia ritè peracta eſſent à Paulo cum aliis item Nazaræis, cùm hæc aliis documento eſſe voluerit ſeruatæ legis, ſi per vim, & ſeditionem Iudęorum licuiſſet.

4. Paulus cur purificatus in tēplo. Eſt autem incertum, an hæc tonſio, purificatio, atque oblatio expleto voto facta fuerit: vel quia ſubito alicuius interitu pollutus cenſeretur; nam & tunc tondenda cæſaries eſt, & offerenda oblatio. Mihi probabilius eſt hoc ſecundo modo cõtigiſſe; nam purificatus dicitur hîc Paulus, vtique quia pollutus: neque priori modo adhiberi pręcipitur purificatio. Neq; obſtat quòd propter eandẽ cauſam caput raſerit Cēchris: nam alia tunc omiſſa fuerant, quæ fieri niſi in Hieroſolymitano tẽplo non poterant: item quia ſeptem dierum mentio ſatis indicat pollutum eſſe Nazareum; non expletum votũ. Adde quòd nimis eſſet opportunũ expleri à Paulo in eo tẽporis articulo Nazaræatus votum; quod ſi non eſſet impletum, impiũ eſt exiſtimare mentitum eſſe Paulũ. Quod ſanè dicendũ eſt, ſi ante tempus ſoluti voti documentũ ederet. Quare mihi certius eſt adhibitum eſſe ritum illum à Paulo polluto potiùs, quàm ſoluto à religione voti.

Verſ. 24. *Sanctifica te cum illis.*] 5. Sanctificare ſe, eſt purificare: quia pollutus ſanctitatem non habet, nẽpe legalem. Quare Chriſtus ad Hebræos 7. dicitur *ſanctus*, Græcè ὅσιος, id eſt, *purus*, *& expers labis*. Quod ſtatim explicatur magis, dum vocatur *impollutus*. Sed eſt exemplũ optimum 1. Reg. c. 21. nam cùm Achimelech Sacerdos rogaſſet, *Si mundi ſunt pueri, maximè à mulieribus? Reſpondit David: Equidem ſi de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri, & nudius tertius, quando egrediebamur; & fuerũt vaſa puerorum ſancta* (nam immunditia ex legitimo concubitu contracta tãtùm durabat ad veſperam. Leuit. cap. 24.) *Porrò via hæc polluta eſt, & ipſa quoque ſanctificabitur in vaſis.* vbi *ſanctum* pro *mundo*, & *ſanctificare* pro *purificare* ſumitur. Et quidem ἁγιάζω, quo verbo vtitur Lucas, ſæpe in ea ſignificatione vſurpatur. Ex quo etiam colligitur pollutum fuiſſe Paulum, non ſolutum à voto.

Sanctificare idẽ quod purificare.

Et impende in illis.] Græcè ἐπ᾽ αὐτοῖς. 6.
Quidam *in illis* nõ ad quatuor viros, ſed ad oblationes, & ſacrificia referunt, quæ ſoluto voto, aut peracta purificatione fiunt. Ita Montanus; ſed eſt ſenſus extortus à litera, non oblatus. Alij ad quatuor viros, ita vt cum illis ſimul offerat. Ita Lyranus, & Gloſſa interlinearis, & Hugo. Quod ſanè admitterem, ſi illud *in illis* eſſet à præpoſitione Græca ἐν, & non ab ἐπὶ; nam ἐν *inter* ſignificat, ſicut etiam *in* Latinum. Quare ſenſus eſſe poſſet, inter illos, vel cum illis. Sed hoc non admittit ἐπὶ. Eſt ergo ſenſus, vt Paulus non ſolùm ipſe caput radat, ac pro ſe offerat, quod lex iubet; ſed etiam, quò maius præ ſe ferat ſtudium ſeruandæ legis, ex ea pecunia, quam ad pauperum vſus collegerat, pro quatuor illis, quos

proba

probabiliter pauperes fuiſſe putat Caietanus,expenſas faciat.Et ita exponit Syrus.

6. *Vt radant capita.*]Ex hoc loco putat Caietanus non tonſum eſſe Paulum, quia cùm fratres illi ſeniores cum illo loquerentur,non dixerunt, *vt radatis*, ſed, *vt radant*, quatuor nempe viri,ita vt Paulus futurus illis fuerit quaſi patrinus. Sed multa ſunt quæ contrarium ſuadent. Primùm,quia Paulus ſe cum illis purificauit, eo nimirum modo, quo purificari debuit Nazaræus pollutus. Deinde, quia ſeptem dies poſiturus erat in ea purificatione, imò,vt mox dicetur,iam ferme poſuerat.Tertiò,quia illud de patrino non reperitur in lege de purificando Nazaræo. Neque eſt cur nos cómouere debeat, quòd non ſit *radatis*, ſed *radant*: quia ſatis ex adiunctis colligitur radendum eſſe Paulum,cùm de ipſius purificatione dictum ſit.Illud verò tanquam extraordinarium commendatur, vt quò legitimè alij radant ſe, illis impendat tantùm pecuniæ, quantùm ſiue ex lege, ſiue ex conſuetudine offerri ſolet. Docet autem hoc apertè Paulus cap. 26. vbi refert comprehenſum ſe à Iudæis in templo cùm faceret oblationes,& vota, vota,inquam ſua, non aliorum. Nam eorum causâ dicit ſe veniſſe Ieruſalē.

Paulus raſit caput.

Hæc coma à Nazaræis expleto voto,& fortaſſe in purificatione depoſita(quanquam de hoc poſteriori nihil expreſſum eſt Num.cap.6.)ponebatur ſuper ignem,qui eſt ſuppoſitus ſacrificio pacificorum. Hanc legem offerendi Deo comam ideo latam fuiſſe à Moyſe putat Cyrillus citatus à Gagneio,& Salmerone, vt tolleret impiam Gentilium conſuetudinem, qui comam, aut barbā nutriebāt,vt illam poſtea idolis cōſecrarent. Sanè notum eſt ſolitos eſſe antiquos Diis ſuis conſecrare cæſariem. De Ægyptiis tradit Diodorus lib. 2. cap. 4. vota ſolitos eſſe concipere morbo affectos, vt ſi ex morbo conualeſcerent, deſectum crinem alicui Deo conſecrarent. Eandem ob cauſam ab Hebræis detonſam ex voto,& oblatam comam tradit Ioſephus libro 2.capite 15.de bello.De Athenienſibus Plutarchus in Vita Theſei ſcripſit illum comæ ſuæ primitias conſecraſſe Apollini Delphico, cúmque eſſe apud Athenienſes morem. De Romanis apertè Martialis lib. 1. Epigr. 88. de coma Eucolpi;& lib.9.Epigr. 17 de coma Æarini; & Statius lib. 3.Sylua 4.Et Suetonius in Nerone capite 12.prodit illum in aurea pyxide barbam conſecraſſe Capitolino Ioui. Vide Commentaria Brodæi in lib. 6.Epigrammatum Græcorum titulo *de iuuenibus*.vbi tradit comas præcipuè ſolitas eſſe dedicari fluminibus. Hæc quidē vera ſunt, ſed non puto à Gentilibus Iudæos hunc accepiſſe morem, quia ante illorum heroica,& politiora tempora fuit Moyſes, cui de Nazaræorum capillis lex tradita fuit. Imò fuiſſe aliquem vſum tondendi, & conſecrandi capillos, indicat benedictio Ioſephi cap. 49. vbi de vertice Nazaræi mentio fit; licèt alio ſenſu, vt reor.Sed eſt veriſimilius hęc,vt plurima alia,Gentiles à Iudæis ſumpſiſſe; & quæ ab his piè, & ſanctè ſeruata, ab illis hæc eadem prauè diſtorta, ſuperſtitioſè, atque impiè fuiſſe ſuſcepta:neque enim eius cōſuetudinis veſtigium aliquod extare video ante Moyſis tempora. Adde quòd ritus illi & nutriendæ priùs,& poſtea conſecrandæ comæ myſticos

7. Coma Nazaræorū oblata.

Item Gentilium.

habent,& arcanos ſenſus, quos ille Hebręorum populus ex figuris hiſce externis habuit familiares.

Verſ. 26. *Tunc Paulus aſſumptis viris, poſtera die purificatus cum illis*
8. *intrauit in templum.*] Aſſumpſit Pau-
lus viros illos quatuor non tanquã patrinus, aut patronus, vt putat Caietanus, ſed tanquam dux inter illos, qui non ſolùm ipſe purificari vellet, ſed etiam author eſſet aliis, & monitor, vt idem facerent. Poſtero ergo die, qui primus fuit illorum ſepté in quibus totum purificationis negotium peragebatur, iuxta ritum Num. 6. traditum, purificauit ſe, id id, totondit comam; nam bis Nazaræi polluti tondebantur, tempore purificationis ſtatim primo die, deinde rurſus poſtremo illius hebdomadis dierum; licèt multi negent, dicántque tantùm in fine purificationis deponi cæſariem; quibus fauet plurimùm textus Hebræus, & verſio LXX. Sed dicit expreſsè verſio vulgata his verbis. *Sin autem mortuus fuerit ſubitò quiſpiam coram eo, polluetur caput conſecrationis eius, quod radet illicò in eadem die purgationis ſuæ, & rurſus ſeptima.* Imò exiſtimo interdũ caput ter radi ſolitum, quando ſcilicet longè à templo contingeret talis pollutio; neque legitima eſſe poterat purificatio cũ his oblationibus, quas lex præſcribit. Tunc enim, vt in Cenchris fecit Paulus, ibi caput radebat Nazaræus, vbi repentina alicuius morte polluebatur. Eſt ergo ſenſus; cùm totondiſſet caput Paulus cũ aliis, & eo ſe modo purificaſſet, ingreſſus eſt in templũ. Cur verò in principio purgationis ante ingreſſum templi radi iubeatur polluti coma, ea videtur eſſe ratio, quia pollutus ſanctè templum ingredi nõ poterat, niſi aut aliqua intercederet mora, aut aliqua antegrederetur purificatio, vt ſatis cõpertum eſt. Quia verò cadente mortuo coram Nazaręo caput illius polluebatur (vt enim nuper, *polluetur caput conſecrationis eius*) cùm pollutum eſſet caput, eo tonſo fiebat purificatio, quæ pollutos ad reliqua in templum inducebat; & hanc Paulus adhibuit.

Quãdo, & quoties coma raditur à Nazaræo polluto.

Cur ante ingreſsũ tẽpli coma depoſita.

Annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro vno-
quoque eorum oblatio.] Hîc nobis, opi- 9.
nor, diuinandũ eſt, quia ex Scriptura nihil habemus, quod huic obſcuritati præluceat. Forraſſe aliqua fuit Hebræorum conſuetudo, quam hîc indicat Lucas, de qua mihi hactenus nihil liquet. Cui Paulus nunciauerit expletionem dierum, omnino incertum; nam tribus videtur potuiſſe nunciare, primùm Iudæis omnibus, qui contemptam à Paulo Moſaïcã legem ſuſpicabantur, quibus nũciauit purificatum iri ſe ſeptem diebus in templo, donec offerretur oblatio, id eſt, ad octauum vſque diem. De illo enim dicitur Num. 9. *In octaua autem die offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ Sacerdoti.* Secũdò, aliis Nazaræis pollutis, ita vt illos hortatus fuerit, deinde edixerit quid faciendum, quantùm ponendum tẽporis in ea luſtratione, quid tandẽ offerendum; vt illius purificationis princeps, & author videatur. Ad extremum Sacerdoti, qui tali præerat purgationi; vt noſſet quantùm tẽporis, vel commorandum in tẽplo, vel quoties obeundum, & quo die expectanda eſſet à purificãdis oblatio. Quid horum ſpectarit Paulus non definio, tantùm ea, de quibus poterat eſſe quæſtio, propono.

Verſ. 27. *Dum autem ſeptem dies cõ-*
ſummarentur.] Obſcurum eſt an ſe- 10.
ptem hi dies numerandi ſint ab aduentu in Ieſuralem, vel ab incepta Pauli purgatione. De priori intelligit

Digitized by Google

git Lyra, & Vatablus; de poſteriori Beda, Carthuſianus, & Gloſſa. Quod magis mihi videtur veriſimile, tum quia ſeptenarius numerus cum purificatione magis congruit, quæ nonniſi expleto circulo dierum ſeptem abſoluebatur:tum quia ratio illa quæ in aliam ſententiam inducere potuit, parum meo iudicio, efficit. Cùm enim à die, quo captus eſt Paulus, donec veniret Cæſaream, tres interceſſiſſent dies, vt conſtat ex cap.22.& 23. inde ad concionem habitam coram Felice quinque ex cap. 24 ſi his addas ſeptem dies purificationis, erunt quindecim dies ab ingreſſu templi; Paulus verò tantùm dicit interceſſiſſe duodecim cap.24. Ex ea inquam ratione non efficitur hîc agi de aduentu in vrbem, non de ingreſſu in templum: nam primùm illa ſententia putat totos ſeptem dies purificationis exactos iam eſſe, quando vis allata fuit Paulo; quod quidem non colligitur, aut certè nō conuincitur ex textu. Sed tunc, vt optimè ait Beda, agebatur ſeptem dierum curſus, & expectabatur cōſummatio. Quare ſenſus eſt; dū peragetur ſolemnis illa ſeptem dierū purificatio. Et planè textus Græcus indicat ſeptem illos dies non eſſe abſolutos: ſic enim habet, ὡς δὲ ἔμελλον αἱ ἑπτὰ ἡμέραι συντελεῖσθαι, id eſt, *cùm futurum eſſet vt implerentur dies ſeptem.* vbi indicatur peragi cæpta, non peracta purificatio.

Verſ.28. *Et Gentiles induxit in templum.*]

11. *An Gentibus in templum liber ingreſſus.* Notum eſt Gentilibus non eſſe liberum aditum in omnem templi partem; neque fortaſſe in illam, quæ à Paulo ad Hebr.9. *ſanctum* vocatur *ſæculare.* Eſt enim veriſimile non ideo *ſæculare* dici, quia Gentilibus, id eſt, ſæcularibus patebat; ſed quia ſæculi, id eſt mundi figuram referebat: vel quia munditiam quandam legalem & externam, & quaſi mundanam requirebat. Eſſe tamen extra templum locum tradit Ioſephus lib.15. Ant.cap.14. & de bello lib.6.cap.6. ad quem accedere Gentibus permittebatur. Nam Gentiles etiam ad templum Religionis gratiâ veniſſe conſtat Ioan.12. Quòd ſi quis in vlteriorē partem conaretur irrumpere, capitale ſupplicium proponebatur; idque ne quis neſciret, Latinis, Græciſque literis in colūnis inciſum; eiúſque criminis accuſabatur Paulus, quòd contra loci ſanctitatem, conſuetudinémque iā olim conſeruatam, Gentiles ſecum induxiſſet in templum. Quod an verum fuerit, ipſi accuſatores viderint, ego non puto; ſed ipſum Epheſium Trophimum ſua ſponte, idque inſcio Paulo, in partem templi ſibi prohibitam penetraſſe. Neque enim qui ſolemni purificationis cæremonia ſtudioſum ſe Iudaicæ Religionis profitebatur, admittere debuit, vt alienigena in templum inducto, illam apertè contempſiſſe videretur.

Et iuſſit eum ligari catenis duabus.]
Eo, puto, modo alligatus eſt Paulus, 12.
quo Petrus ſuprà cap.12. inter duos milites, qui eadem ſimul catena vinciebātur: nam id vſitatum eſſe apud Romanos, qui illud exercebant iudicium, docet Seneca ſuprà, vbi de Petri cuſtodia. Fortaſſe vſitatū erat apud Romanos, vt rei duabus ligarentur catenis; ex quorum conſuetudine dixiſſe videtur Propertius lib.8.Eleg. in quēdam Lyodanium, cui erat infenſus.

—Pedibus vincula bina trahat.

Quandiu Paulus vinctus fuerit, & nunc Hieroſolymis, & poſtea Cæſareæ, donec ad Cæſarem mitteretur, nihil eſt certum. Videtur autem tādiu nunc egiſſe in vinculis, quandiu poſtea Romæ, nempe biennium;

quod Lucas ipſe videtur indicare c. 24. v. 27. cùm dicit. *Biennio autem expleto accepit ſucceſſorem Felix Portiū Feſtum.* Quod biennium numerandum eſſe à Pauli cuſtodia ſermonis filum ſatis oſtendit, & ita putant Oecumenius, & Beda: alij aliter cēſent; mihi, quod dixi, magis videtur ad narrationis textum.

Verſ. 36. *Iuſſit eum duci in caſtra.*]

13. Caſtra ſunt vbi milites agunt, aut ſtatiua, quales ſunt arces, & quę vulgò dicuntur præſidia; aut quæ pro bellorum, locorúmque opportunitate mouentur, quæ caſtra communiter nominantur. Caſtra hæc Romana, in quæ cuſtodiæ gratiâ Paulus adductus eſt, ſine dubio erant in loco ſupra templum edito; nam decurriſſe inde Tribunus dicitur; & gradus per quos è templo in arcem aſcendebatur, non obſcurè indicāt. Sunt qui putent arcem hanc fuiſſe in ciuitate Dauid. i. in ſummo Sionis faſtigio ſitam, & in his eſt Caietanus, & Salmeron: nam & locus ipſe ad continendum in fide, atque officio ſubiectum populum opportunus erat, & moles ipſa, atque conſtructio militaribus ſtudiis accommodata. Quod probant ex 1. Machab. 1. vbi Antiochus ædificaſſe dicitur ciuitatem Dauid, & vallaſſe muro magno, ac firmo, & turribus firmis muniiſſe, & habuiſſe arcem. Sed eſt longè veriſimilius fuiſſe turrim, ſeu arcem potiùs Antoniā: hæc enim, vt tradit Ioſephus lib. 6. de bello cap. 6. erat coniuncta templo, ea magnitudine, vt ciuitas videretur apta caſtris, & caſtrum quoddam impoſitum templo, vbi ſemper reſidebant Romani milites, & cū armis appoſiti cuſtodes. Quod vt mihi perſuadeam facit loci vicinitas (neque ex arce Sion tam citò Tribunus audiiſſe tumultū, & præſidio eſſe Paulo potuiſſet) & gradus, in quibus conſtitiſſe dicitur Paulus, vt verba faceret: nam per gradus ex illa turri ad templum affixa. ad templum ipſum deſcenſum eſſe tradit Ioſephus ſuprà. Et ſanè Ægeſippus libro 1. de excidio cap. 6 turrim illa caſtrum vocat, quam priùs dicit nominatam Barim, poſtea verò Antoniam. In hac, credo, ſuas agebant præſidiarias excubias, qui dicebantur magiſtratus tēpli. Vide quid de his, & de Antonia turri diximus c. 4. ad illud, *& magiſtratus templi.*

Caſtra, turris Antonia adiūcta tēplo.

Verſ. 38. *Nónne tu es Ægyptius?*]

De hoc Ægyptio impoſtore, qui ſeductos homines coēgit, armauitque contra Ieruſalem, quem deleuit Felix, latè Ioſephus 2. de bello cap. 12. & lib. 20. Ant. cap. 6. & Euſebius lib. 2. hiſt. cap. 20 Sed differunt hi à narratione Tribuni; quia hic quatuor ſicariorum millia ſeducta dicit, illi triginta millia. Fortaſſe quatuor tātùm millia ſecum per deſertum ex Ægypto traduxerat: reliqua verò multitudo à Iudæis collecta fuit. Vel in tota illa multitudine ſicariorum quatuor millia fuêre. i. hominum inſigniter impudentium, & ad quidlibet audendum proiectorū. Tribunus verò id videtur obieciſſe Paulo, quia Iudæi ad maiorem conflandam inuidiam, Paulo inſignem illam audaciam, & ſeditionem aſcripſerunt. Cùm autem iam illam opinionem imbibiſſet, audiſſetque ſecum loquentem Græcè, admiratus quòd Græcè ſciret, quem Ægyptiū putabat, atque adeò Græci ſermonis imperitum, dixit. *Græcè noſti?* &c. 14.

COM

Digitized by Google

COMMENTARII IN ACTVS APOSTOLORVM.

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

VIri fratres, & patres, audite quam ad vos 1
*nunc reddo rationem. * Cùm audiſſent au-* 2
tem quia Hebræa lingua loqueretur ad illos,
*magis præſtiterunt ſilentium. * Et dicit: Ego* 3
ſum vir Iudæus, natus in Tarſo Ciliciæ, nu-
tritus autem in iſta ciuitate ſecus pedes Ga-
maliel, eruditus iuxta veritatem paternæ legis, æmulator legis,
*ſicut & vos omnes eſtis hodie: * qui hanc viam perſecutus* 4
ſum vſque ad mortem, alligans & tradens in cuſtodias viros ac
*mulieres, * ſicut princeps Sacerdotum mihi teſtimonium reddit,* 5
& omnes maiores natu, à quibus & epiſtolas accipiens, ad fra-
tres Damaſcum pergebam, vt adducerem inde vinctos in Ieru-
*ſalem, vt punirentur. * Factum eſt autem, eunte me, & ap-* 6
propinquante Damaſco media die, ſubitò de cælo circumfulſit
*me lux copioſa: * & decidens in terram, audiui vocem dicen-* 7
*tem mihi: Saule, Saule, quid me perſequeris? * Ego autem re-* 8
ſpondi: Quis es Domine? Dixitque ad me: Ego ſum Ieſus Na-
*zarenus, quem tu perſequeris. * Et qui mecum erant, lumen* 9
quidem viderunt, vocem autem non audierunt eius, qui loque-
*batur mecum. * Et dixi: Quid faciam, Domine? Dominus* 10
autem dixit ad me: Surgens vade Damaſcum: & ibi tibi di-
*cetur de omnibus, quæ te oporteat facere. * Et cùm non vide-* 11
rem præ claritate luminis illius, ad manũ deductus à comitibus,

12 *veni Damaſcum. * Ananias autem quidam, vir ſecundùm*
legem teſtimonium habens ab omnibus cohabitantibus Iudæis,
13 ** veniens ad me,& aſtans dixit mihi;Saule frater reſpice.Et*
14 *ego eadem hora reſpexi in eum. * At ille dixit: Deus patrum*
noſtrorum præordinauit te,vt cognoſceres voluntatem eius,&
15 *videres iuſtum, & audires vocem ex ore eius: * quia eris te-*
16 *ſtis illius ad omnes homines eorum,quæ vidiſti,& audiſti. * Et*
nũc quid moraris? Exurge,& baptizare, & ablue peccata tua,
17 *inuocato nomine ipſius. * Factum eſt autem reuertenti mihi in*
18 *Ieruſalem,& oranti in templo,fieri me in ſtupore mentis, * &*
videre illum dicentem mihi: Feſtina,& exi velociter ex Ieru-
19 *ſalem: quoniam non recipient teſtimonium tuum de me. * Et*
ego dixi: Domine ipſi ſciunt,quia ego eram concludens in car-
20 *cerem, & cædens per Synagogas eos,qui credebant in te: * &*
cùm funderetur ſanguis Stephani teſtis tui,ego aſtabam,& con-
ſentiebam, & cuſtodiebam veſtimenta interficientium illum.
21 ** Et dixit ad me: Vade: quoniam ego in nationes longè mittã*
22 *te. * Audiebant autem eum vſque ad hoc verbum, & le-*
uauerunt vocem ſuam,dicentes: Tolle de terra huiuſmodi: non
23 *enim fas eſt eum viuere. * Vociferantibus autem eis,& pro-*
iicientibus veſtimenta ſua, & puluerem iactantibus in aërem,
24 ** iuſſit tribunus induci eũ in caſtra,& flagellis cædi, & torqueri*
25 *eum, vt ſciret propter quam cauſam ſic acclamarent ei. * Et*
cùm aſtrinxiſſent eum loris, dicit aſtanti ſibi Centurioni Paulus:
Si hominem Romanum, & indemnatum licet vobis flagellare?
26 ** Quo audito, Centurio accedit ad tribunum, & nunciauit ei,*
dicens: Quid acturus es? hic enim homo ciuis Romanus eſt.
27 ** Accedens autem tribunus, dixit illi: Dic mihi ſi tu Romanus*
28 *es? At ille dixit: Etiam. * Et reſpondit tribunus: Ego multa*
ſumma ciuilitatem hanc conſecutus ſum. Et Paulus ait: Ego autẽ
29 *& natus ſum. * Protinus ergo diſceſſerunt ab illo,qui eum tor-*
turi erant. Tribunus quoque timuit poſtquam reſciuit, quia ciuis
30 *Romanus eſſet, & quia alligaſſet eum. * Poſtera autem die*
volens

Digitized by Google

volens ſcire diligentiùs qua ex cauſa accuſaretur à Iudæis, ſoluit eum, & iuſſit ſacerdotes conuenire, & omne concilium, & producens Paulum, ſtatuit inter illos.

IN CAPVT VIGESIMVM-SECVNDVM ACTVVM APOSTOLORVM.

Verſ. 5. *Sicut Princeps Sacerdotum mihi teſtimonium reddit.*] Seruabat, credo,

1. Paulus literas, quas habuit à Pōtifice ſeruauit.

Paulus literas ſibi à Pontifice, & concilio traditas, tum quia ad hæc tempora periculoſa, & dubia magno ſibi vſui fore exiſtimabat; tum vt oſtenderet quanta eſſet Chriſti benignitas, qui illum vſque adeò largè, atque amanter eſſet complexus, quem viderat ſibi, ſuíſque adeò eſſe infenſum, vt ardens in ſe, ſuóſque odium, & ſpirantem minarum animum publica authoritate munierit.

Verſ. 14. *Et videres iuſtum, & audires vocem de ore eius.*] Quæ hîc
2. commemorãtur de admirabili Pauli conuerſione, expoſita ſunt cap. 9. Hîc obſeruandum ex his Ananiæ verbis non leuem eſſe coniecturam verè, & propriè in via Chriſtum apparuiſſe Paulo. Nam ſicut propriè Paulus vocem audiuit ex ore Chriſti; ſic etiam Chriſtum propriè vidit. Chriſtum verò ſignificari *Iuſti* nomine, ſatis frequens eſt in Scriptura: ſic etiam vocatur ſuprà cap. 3. & c. 7. Quòd autem nunc coram Tribuno, populóque de ſuo olim in Chriſtum odio refert, facit iterum cap. 26. coram Agrippa, & in epiſtolis aliquando. Quia & hæc mira ſunt, & fidem faciũt orationi ipſius, & teſtimonio. Quis enim non crederet ei, qui tam ſe priùs inimicum oſtenderat Chriſti nomini, deinde verò mutato animo pro ipſius gloria tot ſe periculis obieciſſet?

Verſ. 17. *Fieri me in ſtupore mentis.*] Quando cõtigerit ſtupor hic mentis, ſeu extaſis in Ieruſalem, non cõ- 3.
ſtat, neque de ea alibi mentio fit. Eſt tamen veriſimile tunc accidiſſe cùm tertio iam à conuerſione anno Hieroſolymam rediit; ad Gal. cap. 1. vbi Gentium conſtitutus eſt Doctor. Nam hoc nomen, & munus illi datum eſſe non dudum à conuerſione, ſatis indicat, quia non dudum ab illa Apoſtolicam operam Gentibus nauauit. Cùm ergo Paulus ſic eſſet affectus in fratres, id eſt, Iudæos, vt pro ipſis anathema eſſe cuperet, ad Rom. cap. 9. *Optabam*, inquit, *ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundùm carnem*; veriſimile eſt confeerre voluiſſe ſtudium ſuum in eorum ſalutem. Quare cùm oraret in templo pro fratrum ſuorum fortaſſe conuerſione,

Zelator Paulus ſalutis Iudæorum.

ne, à Deo iuſſus eſt cogitationes ſuas ad Gentes conuertere. Cùm autem ad hæc Paulus obiiceret nulli ſuam operam magis futuram ex vſu quàm populo Iudaico, qui probè nouerat quanto ipſe ſtudio inſectaretur Chriſti nomen, atque adeò ſine diuina virtute fieri non potuiſſe tantam mutationem; reſpondit tamen Chriſtus omnino ab Hieroſolymis abeundum, quia iam ipſius laborem, atque ſtudium nationibus aliis deſtinarat. Adducit verò Paulus iſta, explicátque fusè, ne videretur Iudæis, quorum in ſe animos armatos norat, aut illorum odio, aut quòd minùs illorum ſalutem curaret, aliò refugiſſe, cùm non tam ſua, quàm diuina voluntate, atque imperio inter Gentes tandiu verſatus fuerit.

Verſ. 22. *Audiebant autem eum*
4. *vſque ad hoc verbum.*] Continuerant ſe Iudæi ad hunc vſque locum, quia cætera quæ dicebantur à Paulo, inania putabantur, & ad ſe non pertinere: vbi verò eò deductus ſermo eſt, vt Gentes indicarentur aliqua ratione prælatæ, quibus à Petro, vt in Cornelio vidimus, communicatum eſſe Euangelium ipſi etiam fideles ex circuncifione tulerunt ægrè (vſque adeò gens illa aut aliorum commodis inuidebat, aut deberi ſibi omnia exiſtimabat) exarſit tunc furor, erupítque adeò vehementer, vt aduocaret arma omnia, quæ rabies, & dolor furiis agitatus miniſtrare ſolet. Clamant ergo indignum eſſe hac luce, qui talia cogitarit, iactant in eum puluerem, veſtimenta proiiciunt, quod ſummæ offenſionis argumentum eſt; neque abſtinerent, credo, à telo, ſi quod eſſet ad manum: nam geſtare gladium, ſicut Romanis non permiſſum à lege; ſic neque Iudæis permiſſum erat à Romanis rerum dominis.

Tolle de terra.] Metaphoram eſſe 5. *Tolli de terra, metaphora à plantis.*
credo ſumptam ab arboribus, quæ mortuæ dicuntur cùm à terra auulſæ; & viuæ, ſi radicibus terram amplexæ ſunt, etiamſi è gremio terræ eradicatæ, modò cum terra. Quare Virgil. 2. Georg. plantas, quæ cum terra è ſeminariis in alium locum tranſmutantur, viuas appellat.

——*& viua* (ait) *ſua plantaria terra.*

Hinc ſumptæ locutiones in Scriptura. Pſalm. 51. *Emigrabit radicem ſuam de terra viuentium.* Iob. 31. *& progenies mea eradicatur.* Quæ etiam verborum formæ prophanis vſitatæ. Niſi fortè quis putet *tolli de terra*, eſſe in altum, id eſt, in crucem agi; quo ſenſu contra Chriſtum antea Iudæi clamarant, *tolle, tolle, crucifige.* Sed in priorem expoſitionem magis inclino.

Verſ. 23. *Proiicientibus veſtimenta ſua, & puluerem iactantibus in aërem.*] Cur in eo articulo, atque 6. *Veſtes, & puluis cur proiiciuntur.*
in ea offenſione animorum veſtes proiecerint Iudæi, incertum mihi eſt. Scindi veſtimenta in graui dolore, & cùm auditur blaſphemia, ſatis obuium in Scriptura; proiici in alicuius plauſu, ac triumpho notum eſt ex hiſtoria Iehu 4. Reg. 9. & ingreſſu Saluatoris noſtri in Ieruſalem palmarum die; & in externis hiſtoriis non rarum. Nam & Plutarchus de Catone tradit in eius Vita, ſtratas eſſe à militibus veſtes per ea loca, quæ ipſe pedibus calcaturus erat: quod honoris genus refert Imperatoribus impendi ſolere. Et in Deorum ſuorum quibuſdam ſacris, dum illos feſta prompa traducerent, ſterni ſolitas eſſe veſtes ſcribit

ſcribit idem Plutarchus in Alcibiade, dum agit de Athenienſium ſacris, quæ *Plinteria* vocantur, & de ſacris Iunonis Ouid. 3. Amor. Eleg. 12 Athen. lib. 12. cap. 9. Quid tamen ſit in offenſione, ſtudióque vindictæ veſtes proiicere, obſcurum valdè eſt. Caietanus putat proiectas eſſe veſtes à Iudæis, vt liberiùs puluerem in cœlum iactarent; iactatione verò pulueris ſignificari cœli, terræque turbatorem eſſe Paulum. Chryſoſtomus vtrumque ideo factum putat, vt Tribunus ſeditionis ſpecie perterritus, ſeditionis illius authorem tolleret Paulum. Neque hoc videtur abs re dictum: nam Tribunus ſtatim Paulum ligari iuſſit, & plagis cædi. Lyra proiectas veſtes, doloris, iactatum puluerem, deteſtationis ſignum eſſe vult; Interlinearis mœroris, Dionyſius furoris, & turbulentiæ ſignum arbitratur.

7. *Puluis in capite ſignum doloris.* Probabilia hæc ſanè, & in re adeò dubia non contemnenda. Sed non video quod fundamentum aut in Scriptura, aut in externis authoribus, aut in apta etiam aliqua ſignificatione proiectæ veſtis, aut iactati pulueris eſſe potuerit, vt putemus in illis ſignificari dolorem. Signum eſſe doloris in veſte, non tamen proiecta, ſed diſciſſa: item in puluere, non tamen iactato, ſed inſperſo capiti, ſatis notum; quod inter externos vſitatum docet Virgil. Æneid. 10.

Canitiem multo deformat puluere.———

Et Catul. in Argonautis.

Canitiem terra, atque inſperſo puluere fœdans.

De Hebræis tradit Philo de legatione ad Caium; & in Scripturis obuium. At in iactato ſurſum puluere quid vſquam ſimile? Ideo placet magis ſententia Chryſoſtomi; quia ibi ſpecies eſt, & imago ſeditionis, & pugnæ, quam ſublato Paulo cauere debuit Tribunus. Sed addam ego hîc quoque meam coniecturam. Oſtendiſſe videntur hîc Iudæi proiectis veſtibus, & ſurſum iactato, atque euentilato puluere, & Tribuno, quid ſtatuere in Paulum debeat, & Paulo, quid ipſi illius vitæ moliantur; nempe vt tanquam blaſphemus, & legis, Religionîſque contemptor lapidibus appetitus intereat: cuius optima ſignificatio eſt veſtis poſitio, & pulueris iactatio. Nam in lapidatione veſtis deponitur, vt hîc Paulus ipſe narrat in Stephani cæde; & lapides mittuntur, cuius optima imago ventilatio pulueris. Oſtendunt ergo ſe paratiſſimos eſſe Paulum lapidibus opprimere, quo verò id minùs in præſentia faciant, obſtare quòd & lapidibus careant, vtpote intra ambitum templi, quorum loco puluis eſt; & quòd in media ſit turba: quare ſine aliorum periculo lapidibus appeti nòn poterat. Ad quam ſignificationem lapidationis faciendam induxit fortaſſe eius mortis genus, quod ſubiiſſe Stephanum proximè Paulus commemorarat. Quaſi illi re magis, quàm verbo iubeant, vt meminerit cur Stephanus lapidatus fuiſſe dicatur, cur veſtes depoſitæ lapidantium, & ab illo ſeruatæ; quare cùm ipſius culpæ ſocius fuerit, non oportere, vt in ſupplicij modo, generéque diſſentiat. Cùm ergo blaſphemiæ, & ſacrilegij accuſaretur Paulus, ſicut antè Stephanus, eiúſque rei ipſi teſtes eſſent, ſe primos miſſuros lapides minabantur, cuius tunc ſpeciem aliquam oſtendebant.

Verſ. 24. *Vt ſciret propter quam cauſam ſic acclamarent ei.*] Hîc in Tribuno Chryſoſtomus æquitatem requirit, qui flagellis, & tormentis extorquere voluerit à Paulo, cur populus clamauerit; cùm æquius fuerit id exquirere à turba. Sed maluit homo timidus, & iniuſtus cum Paulo ligato, atque inermi, de cuius cauſa nihil dum cognouerat, certare, quàm cum infenſo, & odiis armato populo.

Verſ. 25. *Si hominem Romanum, & indemnatum licet vobis flagellare?*] Quomodo Romani ciues immunes eſſent à flagrorum ignominia, res ſatis nota, & à multis tractata. Romanæ ciuitatis ius, & nomen habuiſſe Paulum certum eſt, quia Tarſus, vbi natus, priuilegium illud à Romanis obtinuerat. Vide Plinium lib. 5. cap. 17. & Dionem Caſſium lib. 47. Cædendum autem flagris ſolitum eſſe ligari, docet nota formula. *I lictor, colliga manus, cædito, &c.* 8. Romani ciuis immunitas.

IN

COMMENTARII IN ACTVS APOSTOLORVM.

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

INtendens autem in concilium Paulus ait: 1
Viri fratres, ego omni conſcientia bona con-
uerſatus ſum ante Deum vſque in hodier-
*num diem. * Princeps autem Sacerdotum* 2
Ananias præcepit aſtantibus ſibi percutere os
*eius. * Tunc Paulus dixit ad eum: Percu-* 3
tiet te Deus, paries dealbate. Et tu ſedens iudicas me ſecundùm
*legem, & contra legem iubes me percuti. * Et qui aſtabant* 4
*dixerunt: Summum Sacerdotem Dei maledicis? * Dixit au-* 5
tem Paulus: Neſciebam fratres quia Princeps eſt Sacerdotum.
*Scriptum eſt enim: Principem populi tui non maledices. * Sciẽs* 6
autem Paulus quia vna pars eſſet Sadducæorum, & altera
Phariſæorum, exclamauit in concilio: Viri fratreſ, ego Phari-
ſæus ſum, filius Phariſæorum, de ſpe, & reſurrectione mortuo-
*rum ego iudicor. * Et cùm hæc dixiſſet, facta eſt diſſenſio inter* 7
*Phariſæos, & Sadducæos, & ſoluta eſt multitudo. * Sadducæi* 8
enim dicunt non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque ſpi-
*ritum: Phariſæi autem vtraque confitentur. * Factus eſt au-* 9
tem clamor magnus. Et ſurgentes quidam Phariſæorum, pugna-
bant, dicentes. Nihil mali inuenimus in homine iſto: quid ſi Spi-
*ritus locutus eſt ei, aut Angelus? * Et cùm magna diſſenſio fa-* 10
cta eſſet, timens tribunus ne diſcerperetur Paulus ab ipſis, iuſſit
milites deſcendere, & rapere eum de medio eorum, ac dedu-

11 *cere eum in caſtra. * Sequenti autem nocte aſſiſtens ei Domi-*
nus, ait: Conſtans eſto: ſicut enim teſtificatus es de me in Ieru-
12 *ſalem, ſic te oportet & Romæ teſtificari. * Facta autem die*
collegerunt ſe quidam ex Iudæis, & deuouerunt ſe, dicentes,
neque manducaturos, neque bibituros donec occiderent Paulum.
13 ** Erant autem plus quàm quadraginta viri, qui hanc coniu-*
14 *rationem fecerant, * qui acceſſerunt ad Principes Sacerdo-*
tum, & ſeniores, & dixerunt: Deuotione deuouimus nos nihil
15 *guſtaturos, donec occidamus Paulum. * Nunc ergo vos no-*
tum facite tribuno cum concilio, vt producat illum ad vos tam-
quam aliquid certius cognituri de eo. Nos verò priùs quàm ap-
16 *propiet, parati ſumus interficere illum. * Quod cùm audiſſet*
filius ſororis Pauli inſidias, venit, & intrauit in caſtra, nuncia-
17 *uitque Paulo. * Vocans autem Paulus ad ſe vnum ex Cen-*
turionib. ait: Adoleſcentem hunc perduc ad tribunum, habet
18 *enim aliquid indicare illi. * Et ille quidem aſſumens eum*
duxit ad tribunum, & ait: Vinctus Paulus rogauit me hunc
adoleſcentem perducere ad te, habentem aliquid loqui tibi.
19 ** Apprehendens autem tribunus manum illius, ſeceſſit cum eo*
ſeorſum, & interrogauit illum: Quid eſt, quod habes indicare
20 *mihi? * Ille autem dixit: Iudæis conuenit rogare te, vt cra-*
ſtina die producas Paulum in concilium, quaſi aliquid certius
21 *inquiſituri ſint de illo: * tu verò ne credideris illis; inſidian-*
tur enim ei ex eis viri ampliùs quàm quadraginta, qui ſe deuo-
uerunt non manducare, neque bibere donec interficiant eum: &
22 *nunc parati ſunt, expectantes promiſſum tuum. * Tribunus*
igitur dimiſit adoleſcentem, præcipiens ne cui loqueretur quo-
23 *niam hæc nota ſibi feciſſet. * Et vocatis duobus Centurioni-*
bus, dixit illis: Parate milites ducentos vt eant vſque Cæſaream,
& equites ſeptuaginta, & lancearios ducentos à tertia hora no-
24 *ctis: * & iumenta præparate, vt imponentes Paulum, ſaluum*
25 *perducerent ad Felicē Præſidem. * (Timuit enim ne fortè rape-*
rent eum Iudæi, & occiderēt, & ipſe poſtea calumniā ſuſtineret,
tanquam

Digitized by Google

tanquam accepturus pecuniam.) * *ſcribens epiſtolam conti-* 26
nentem hæc: CLAVDIVS *Lyſias optimo Præſidi Felici ſa-*
lutem. * *Virum hunc comprehenſum à Iudæis, & incipien-* 27
tem interfici ab eis, ſuperueniens cum exercitu eripui, cognito
quia Romanus eſt: * *Voléſque ſcire cauſam, quam obiicie-* 28
bant illi, deduxi eum in concilium eorum. * *Quem inueni* 29
accuſari de quæſtionibus legis ipſorum, nihil verò dignum
morte, aut vinculis habentem criminis. * *Et cùm mihi per-* 30
latũ eſſet de inſidiis, quas parauerant illi, miſi eum ad te: denun-
cians & accuſatoribus, vt dicant apud te. Vale. * *Mili-* 31
tes ergo ſecundùm præceptum ſibi, aſſumentes Paulum, duxe-
runt per noctem Antipatridem. * *Et poſtera die dimiſſis* 32
equitibus vt cum eo irent, reuerſi ſunt ad caſtra. * *Qui* 33
cùm veniſſent Cæſaream, & tradidiſſent epiſtolam Præſidi,
ſtatuerunt ante illum & Paulum. * *Cùm legiſſet autem, &* 34
interrogaſſet de qua prouincia eſſet: & cognoſcens quia de Ci-
licia. * *Audiam te, inquit, cùm accuſatores tui venerint.* 35
Iuſſitque in prætorio Herodis cuſtodiri eum.

IN CAPVT VIGESIMVM-TERTIVM ACTVVM APOSTOLORVM.

Verſ. 1. EGo *omni conſcientia bona cõuerſatus ſum.*] Innocentiam ſuam profitetur Paulus, dum ſignificat id egiſſe ſe, vt Dei cauſam vbique fideliter adminiſtraret, neque conſcium ſe eſſe alicuius, in quo populum læſerit, & propter quod vinculis alligari debeat.

Verſ. 2. *Princeps autem Sacerdotũ Ananias.*] Sunt qui putent non hunc eſſe Sacerdotem ſummum; nam hic à Paulo ignorari non poterat, vel ex habitu, vel ex primo loco in eo conſeſſu: ſed aliquem ex his, qui Principes Sacerdotum appellantur. Hi verò erant plures, tot nempe quot eſſent Sacerdotum vices, & ordines, qui in templo miniſtrabant. Erant autem 24. vt conſtat ex 1. lib.

I. Ananias ſummus Sacerdos.

Paralip. cap. 24. & Ioſepho lib. 2. cõtra Apionem. Appellantur autem Principes Sacerdotum, qualis dicitur Sceua ſuprà cap. 19. & ſummi Sacerdotes, quia in vice ſua, atque ordine ſummi. Quare in hiſtoria Paſſionis Seruatoris ſæpe dicuntur cõueniſſe Principes Sacerdotum, & ſummi Sacerdotes: ſed dicendum eſt Ananiam Sacerdotem eſſe ſummũ, id eſt, omnium ordinum Principem, & caput: nam paulo pòſt ſummus appellatur, & hîc tanquam ſummus loquitur, præcepitque Paulo plagã infligi, quod inferior aliquis ſummo non auderet. Præcepit autem iis, qui ſibi aſſiſtebant, id eſt, forenſi, vt ita dicam, miniſterio; quod ſanè Sacerdotibus aliis, niſi ſummo adeſſe non ſolebat. Et infrà idem Ananias contra Paulum ad Felicem profectus eſt cum Senioribus, nimirum tanquam concilij Princeps. Adde quòd Ioſephus libro 20. Ant. capite 5. Ananiam Pontificem ſummum in hoc tempus conijcit; cur verò à Paulo cognitus non ſit, ſtatim dicetur.

2. *Paulus in ore cæſus.* Hic ergo Ananias, quia Paulum ita vidit loquentem liberè, vel, vt Carthuſianus putat, quia ſtatim Oratorum more nõ eſt illuſtri aliquo titulo compellatus, temperare non potuit tumorem illum Pontificium; quominùs iuberet clara itique voce, vt quæ à Paulo etiam audita ſit, vt aſtantium aliquis os Pauli percuteret. *Os* verò non ſignificare hoc loco faciem, oſtendit vox Græca ϛόμα. At Paulus, qui in iudicium adductam cauſam videbat, & cõtra iudicij leges, & conſuetudinẽ cuncta turbari, ſeque per ſummam contumeliam, atque iniuriam percuti iuſſum, non quidem vindictæ ſtudio, homo in laborum tolerantia non ſolùm patiens, ſed etiam alacer; ſed quia interuerti cauſæ defenſionem videbat per ſummam Pontificis iniquitatem, ex vſu ſuo fore arbitrabatur, ſi aliis conſtaret ſe iniuſtè percuti, & Sacerdotem illum iniquitatis plenum eſſe, & externa tantùm ſanctitatis ſpecie fucatum, dixit, *Percutiet te*, &c.

Hîc obſerua ſatis ex ſacra Scriptura videri probabile, damnatum iudicio hominem expoſitum eſſe ludibriis hominum, & iniuriis; vt nos alibi oſtendimus ad illud Iſaiæ 58. *Et percutitis pugno impiè.* vbi cùm præceſſiſſet. *Omnes debitores veſtros repetitis, ecce ad lites, & contentiones ieiunatis* (agebat autem cum illis, qui nimiùm crudeliter, & auarè vſuras à debitore repeterent) addidit, *& percutitis pugno impiè.* vbi oſtenditur quemadmodum ſuperato in iudicio, damnatóque debitori permiſſum eſſet, non tam, credo, à lege, quàm à conſuetudine, quæ interdũ inſtar obtinet legis, impingere colaphum, aut aliam infligere contumeliam. Vbi autem nos habemus in illo Iſaiæ loco *impiè*, Heb. eſt רשע *reſagh*, quæ vox etiam *condemnatum* valet: & poteſt eſſe non minùs aduerbium, vt habet vulgatus, quàm nomen, vt alij ferme omnes reddiderunt. Tigurina ſic vertit; *vt percutiatis pugno adiudicatum*. Lxx. *& percutitis pugnis humilem*. Dicitur autem humilis, qui inferior eſt, aut conditione, vt ſeruus, & pauper, aut cauſa, & iudicio, quia damnatus eſt, & qui potentiori ſuccubuit. Qua ratione, qui ſuperatus eſt & oppreſſus ab altero, familiari Hebræorum ſermone, humiliatus dicitur.

Colaphi quibus impingi ſoliti. Exiſtimo autem vſitatum eſſe inter Iudæos, vt debitores ſuos, non ſolùm iure, atque iudicio anguſtè perſequerentur; ſed etiam manu crudeliter vexarent, vt docuit parabola

Digitized by Google

Matth. 18 bola Matth. 18. in qua inducitur durus, & ſeuerus exactor, qui cùm in debitorem incidiſſet; *tenens ſuffocabat eum, dicens, redde quod debes*. Parabola verò ſumi plerumque ſolet ab eo quod frequenter accidit. Imò exiſtimo in reum, maximè cùm iam eſſet damnatus, ſolitos eſſe Iudæos infeſtis manibus, & impactis palmis eiuſmodi ludibria, atque iniurias inurere. Id imprimis indicat Chriſti cauſa, qui cùm iam haberetur pro damnato, à miniſtro Pontificis alapa percuſſus eſt. Ioan. 18. v. 22. & cla-
Matth. 26 riùs Matth 26. v. 67. Nam cùm concilium contra Chriſtum clamaſſet, *reus eſt mortis. Tunc* (inquit) *exspuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt: alij autem palmas in faciem eius dederunt*. Idem etiam accidit Paulo hîc, qui cùm iuſſu Ananiæ Pontificis alapam accepiſſet, dixit; *contra legem iubes me percuti*, id eſt, vt videtur veriſimile, percuti iubes me nondum damnatum; imò neque auditum. Scio alias eſſe horum locorũ explicationes; verùm hæc neque aliena videtur, neque parum ad noſtram coniecturam idonea.

Verſ. 3. *Percutiet te Deus*.] Paucis verbis Pontificis iniquitatem amplificat hoc modo: legum te patronum, & cuſtodem ſimulas, dum ex lege hîc iudicaturus ſedes, contra legem reo, & defenſionis facultatem eripis, & indemnato, imò & nondum defenſionem aggreſſo plagam impingis.

3. Paulus nõ imprecatur malum, ſed denũciat. Hîc in Paulo non nemo aut patientiam deſiderabit, aut fidem. Hâc quidem, quia 1. Corinth. cap. 4. dicit. *Maledicimur, & benedicimus, perſecutionem patimur, & ſuſtinemus, blaſphemamur, & obſecramus*. Patientiam verò, quia iuxta Dominicum præceptum Matth. 5. *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*, debuit potiùs eo temporis articulo percutiendam offerre maxillam, quàm percutienti aliquid aduerſum imprecari.

Cui difficultati facilè occurret, qui viderit futurum hîc eſſe tempus indicatiui, non imperatiui, aut optatiui, vt Græcus habet textus; τύπτειν σὲ μέλλει, id eſt, *corripiet te*. & ex Latinis magis correcti codices, & in his Sixtianus. Quare non tam optat Paulus malum Ananiæ, quàm futurum prædicit. Ita Auguſt. lib. 1. de ſermone Domini in monte cap. 32. Quomodo 2. ad Timoth. 4. ait. *Alexander ærarius multa mihi mala oſtendit, reddet illi Dominus in illa die iuſtus Iudex*. Et alia eiuſdem generis non pauca. Seu certè eo ſenſu percutiendum dicit Ananiam, quo id quod fieri dignum eſt, futurum dicimus, vulgato Scripturæ more, vt alibi diximus, & ſtatim aliquot exẽpla proferemus. Ac ſi dicat: qui Iudex ſedes legum, & æquitatis vindex, legibus, atque æquitate proditis, me iubes ignominioſè cædi, dignus es, quem Deus vltor illorum, qui à potentioribus opprimuntur, percutiat. Aut ſanè oſtendit Paulus quomodo iniqui Iudices, qui peruertũt potiùs miſerorum cauſam, quàm tuentur, mulctari ſoleant.

Nunc videndum quodnam malũ Sacerdoti ſummo prædixerit Paulus. Et quidem ſi, vt quidam volunt, de ſummo, aut de antiquæ legis Sacerdotio loqueretur Paulus (quod non credo, cùm Paulus neget nouiſſe ſe Ananiam eſſe Pontificem) prædixiſſe videri poſſet percutiendũ eſſe Sacerdotium antiquum. i. ceſſaturum, & aperiendam eſſe ignominiam, quæ candido tanquam parietis tectorio. i. hypocriſi tegebatur, & propter quam huiuſmodi homines à Chriſto *ſepulchra dealbata* vocati ſunt. 4.

ſunt. Quod re ipſa factum eſt. Cùm autem Paulus non cum Sacerdotum Principe, quà talis erat, cùm illum talem eſſe nō noſſet, loqueretur: ſed cum illo à quo iuſſus eſſet cædi, eidē prædixit futurum, vt ipſe quoque ſimilem, aut maiorem etiam ignominiam ſubiret. Quod an contigerit, mihi incompertum eſt. Sed eſt veriſimile incommoda tuliſſe non leuia, cùm à Quadrato Syriæ præfecto Romam vinctus eſt miſſus, vt tradit Ioſephus lib. 20. Ant. c. 8. Licèt meritò notetur à Baronio, quòd ſub Claudio ſcripſerit, potiùs quàm ſub Nerone Pōtificatū habuiſſe Ananiā.

5. *Prouerbium. Sacerdotis hypocriſis.*

Paries dealbate.] Adagiū eſſe credo hoc inter Hebræos; ſicut *ſepulchrum dealbatū*. Venerat Sacerdos hic Pōtificio inflatus nomine, plenus arrogantiæ, plenus doli, ferēs præ ſe ſingularem quādam ſpeciē Religionis; quaſi vindex eſſet, & cuſtos paternarū legum, & antiquæ ſanctitatis: ſub hac tamen ſpecie, & incruſtatione honeſta, & cādida tegebatur luteus, informis, & ruinoſus paries. i. inuidia, arrogantia, auaritia; & quæ à Iudicibus abeſſe omnino debet, iniquitas, & iniuſtitia. Quæ tūc ſe quaſi ex integumento prodidit, quando ſuæ potiùs offenſioni quàm legibus obſecutus, contra legē iuſſit pugnos infligi indēnato Paulo. Hoc omnino ſibi vult Paulus, qui rationē reddit eius, quæ videri poterat maledictio. *Et tu ſedens*, inquit, *iudicas me ſecundùm legē, & contra legem iubes me percuti?* Ac ſi dicat: prętexis tuis conſiliis legū ſanctitatē, & nihil minùs quàm de legibus curas, quas apertè violas.

6. *Maledictio nō ſolùm eſt imprecatio, ſed etiam reprehēſio.*

Verſ. 4. *Summū Sacerdotē Dei maledicis?*] Hoc *maledicentis* verbū ab aſtātibus obiectum, quod nō negat Paulus, imò concedit, dum ſtaticò reſpondet, ignoraſſe ſe illum eſſe Pōtificē, alioqui non maledicturū; videtur incōmodare noſtræ ſententię, quæ Paulo tribuit prophetiam, execrationem remouet. Sed ſi quid *maledictio* valeat, intelligatur, vaneſcet prorſus tota difficultas. Græcè eſt λοιδορέω priori loco, poſteriori verò κακῶς ἐρῶ, neutrum ſignificat *optare*, aut *precari alicui malum*, ſed vel *iactare conuitium*, vel, *aliquid obiicere, quod graue alicui ſit, & doloris aliquid, vel ruboris afferat*. Hoc ſignificat Latina vox *maledicere* apud prophanos; & interdum etiam apud ſacros ſcriptores. Nam maledictiones Semei 2. Reg. 16. non tam erant imprecationes, quàm cōuitia quædam. *Ita autem loquebatur Semei cùm malediceret Regi. Egredere, egredere vir ſanguinum, & vir Belial. Reddidit tibi Dominus vniuerſū ſanguinē domus Saül: quoniā inuaſiſti Regnū pro eo; & dedit Deus Regnum in manum Abſalō filij tui, & ecce premunt te mala, quoniam vir ſanguinum es.* In his nulla apparet imprecatio. Cùm Leuit. 20. & Exod. 21. dicitur. *Qui maledixerit patri ſuo.* & Leuit. 19. *Non maledices ſurdo*; ibi *male dicere*, ſubſannare eſt, & irridere: & Leuit. 24. qui blaſphemat, dicitur *maledicere Deo*. In omnibus his locis eſt קלל. i. *detrahere*, vel, *conuitiari*. Et quidem ſi qui Pontifici aderant, cùm iidem infenſi eſſent Paulo, execrationem audiiſſent, non obiecíſſent λοιδορίαν, quæ aliquid ſonat multo leuius.

Sed facit cōtrà, quia ex reſpōſione 7.
Pauli colligitur execrationem illam fuiſſe; dum enim depellit à ſe obiectum crimen, quia nō noſſet Pōtificē, adducit illud Exod. 22. *Principem populi tui non maledices*. vbi verbū eſt ארר. quod *execrari* ſignificat. Reſpōdeo, hoc quoque verbum ſignificare *detrahere*, aut, *cōuitiari*. Et in hoc loco videtur certū. quia ſtatim atq; dixit. *Diis nō detrahes*; addidit per epexegeſim

Exod. 22.

ſim familiarem Hebræis, *& Principem populi tui non maledices*. Ita vt poſterius hemiſtichium explicatio ſuperioris ſit. Et ita putat Mardochai, qui מארה ab eadem radice, dicit eſſe קללה, id eſt, *contemptum*.

8. Verſ. 5. *Neſciebam fratres, quia Princeps eſt Sacerdotum.*] Multa hîc multi dicunt. Quidam eo ſenſu dicunt ignoraſſe Paulum ſummum Sacerdotem eſſe Ananiam, quo homines dicũt ſe nõ agnoſcere aliquẽ Iudicem, qui à lege talis, aut conſuetudine non eſt. Quomodo apud Ciceronẽ 3. de Oratore dicit Craſſus, *non eſſe ſibi illum Conſulem, cui ipſe non eſſet Senator.* Legitimus autẽ Sacerdos Ananias non erat; cùm iã ſummum illud Sacerdotium à ſummo Sacerdote Chriſto eſſet abrogatum. Sed oppugnat omnino hanc expoſitionem Pauli reſponſio: ait enim; *Neſciebam fratres.* Ac ſi dicat: Neſciebam eſſe Pontificem, atque ideo maledixi; ſi ſcirem, vt nũc ſcio, non maledixiſſem.

Quomodo Pontifex ignotus Paulo.

Alij credunt Paulum ideo neſciiſſe, quia iampridem aberat ab vrbe. Quare licèt noſſet à quo iuſſus eſſet percuti, non tamen nouerat illum eſſe Pontificem. Ita Chryſoſtomus, Lyra, Caietanus. Sed certè hoc mihi difficile eſt: homo enim qui diu Hieroſolymis egerat, quíque conuentum illum ſacrum familiariter antea nouerat, facilè ex ſedendi ordine, & loco, ex habitu, & honore dignitatem noſſet Pontificiam.

9. Quare mihi veriſimilius eſt audiiſſe quidem Paulum vocem emiſſam ab aliquo ex his, qui ad iudicandũ ſederant (nam veniſſe Sacerdotes, & omne concilium conſtat ex c. 22. in fine) neque tamen ſciuiſſe à quonam illorum profecta fuerat. Cur verò à Pontifice profecturam non crediderit, in cauſa fuiſſe Pontificis authoritatem, à qua tam immoderata, & præceps offenſionis ſignificatio non edenda; & ſanctitatem ſaltem ſimulatam, à qua tam iniqua vox non videbatur eruptura. Accedit quòd cõcilium illud coactum non fuit in locum conſuetum, vbi definitus iudicantium, ſeu deliberantium ordo pro cuiuſq; dignitate, ac meritis; ſed prope arcem, quò accerſitum fuerat à Tribuno, & vbi Paulus erat. Quod indicat illud præcedentis capitis, *iuſſit Sacerdotes conuenire*; pro quo Græcè ἐλθεῖν, id eſt, *venire*. Audiuit ergo Paulus vocem in turba, & illi à quo emiſſa eſt denunciauit paratũ eſſe à Domino malum; nam qui cũ Pontifice venerant, omnes ad iudicandum ſedebant.

Verſ. 6. *Sciens autem Paulus quia*
vna pars eſſet Phariſæorum, altera Sad-
ducæorum.] De duabus his ſectis nõ- 10.
nihil dicẽdum eſt. De Sadducæis agit
Ioſephus lib. 18. Ant. c. 2. Epiphanius
hæreſi 14. & nos ſuprà c. 4. in princi-
pio. De Phariſæis Ioſeph. idem lib.
13. Ant. c. 8. & 9. & lib. 18. cap. 2. &
Epiphanius hæreſi 15. Hieronym. in
c. 23. Matth. vbi refert in hyacin-
thinis veſtimentorum fimbriis in-
ſeruiſſe ſpinas, quibus inter incedẽ-
dum ſic pungebantur, vt tibiæ, ac
pedes apparerent aſperſi ſanguine;
qui vt viderentur etiam legum ob-
ſeruantiſſimi, cùm legiſſent Deut. 6.
Ligabis præcepta mea quaſi ſignum in
manu tua, & mouebuntur inter oculos
tuos; legem in membranis ſcribebãt,
& eas complicantes ligabant in frõ-
te, aut in modum coronæ capiti cir-
cumponebant. Hæc Hieronymus.
Quibus maximè rebus duæ iſtę ſe-
ctæ inter ſe diſſentirent, ſatis docet
textus ipſe. *Sadducæi*, inquit, *dicunt*
non eſſe Reſurrectionem mortuorum, ne-
que Angelum, neque ſpiritum; Phariſæi
autem vtraque confitentur.

Qui Phariſęi, & in quo à Sadducæis diuerſi.

Digitized by Google

Cùm vidiſſet Paulus ad vim rem
11. *Pauli prudentia.* deduci potiùs quàm ad legẽ, & rationem, conſilium iniit illi temporis articulo perquàm opporunum. Cóuenerant in illum locum Phariſæi ſimul, & Sadducæi, quorum diuerſæ opiniones, & ſtudia id egerunt, vt animis quoque diſſiderent. Hos ergo committit inter ſe Paulus inducto de mortuorum Reſurrectione ſermone. Quo audito ſic turbatus videtur fuiſſe Ananias, qui & ipſe Sadducæus erat (vt nõnulli putant) aut ſaltem vt tradit Euſebius lib.11.hiſt.c.23 illorum ſectæ acerrimus patronus; certè ſic eſt turbatum concilium, vt potiùs ſententia illa de Reſurrectione in quæſtionẽ, quàm Pauli cauſa in iudiciũ deducta fuerit. Sic ergo Sadduceis, ac Phariſæis in ſuam cauſam defendendam diſtractis, cauſa Pauli nõ tam à Iudicibus diſceptata, & cognita, quàm ab inimicis furioſis erepta eſt. In huiuſmodi autem caſibus ſeditionẽ ferere, maximè vbi peccatum non eſt (quia illa diſſenſio, modò ne metas excedat, opinionum erat, non animorum) docet S.Th.2.2.q.37.ar.2.ad 1.& Greg.34.Moralium cap.4. & 3.p.Paſt.cap.24.

12. *Paulus non inſtituto, ſed opinione & ſecta Phariſæus.* Verſ.6. *Ego Phariſæus ſum.*] Non ſignificat Paulus ſe ita eſſe Phariſæum, vt eius ordinis hominum inſtitutum, & mores ſequeretur, de quibus Hieronymus nuper; ſed ſecta, & profeſſione, quia Angelos eſſe, & ſpiritus, & Reſurrectionem fatebatur. Quo ſenſu ad Philip.3. dicit ſe fuiſſe ſecta Phariſæum, quod in ſui commendationem adducit. Et ſtatim cap. 26. dicit ſe Phariſæum vixiſſe ſecundùm probatiſſimam ſectam Religionis. Neque enim cũ Phariſæorum ſecta conferri poterant aliæ, nempe Eſſenorum, Sadducæorum, Herodianorum. Hanc ſecutus eſt quondam à Gamaliele Phariſæo doctus; & nunc etiam eorum placita amplectebatur, quæ nõ aduerſarentur Euangelio. Dum ergo oſtendit ſe Phariſæum eſſe, & quæ illi ordini probarentur, ſibi quoq; probari, ſic leniuit, mutauítq; Phariſæorum animos, vt qui priùs ardentes odio in illum conuenerant, iam æquiores dixerint. *Nihil mali inuenimus in homine iſto. Quid ſi ſpiritus locutus eſt ei, aut Angelus? Neque* (vt eſt in textu Græco, & legit Chryſoſt. & Oecumenius) *oportere amplius cum Deo pugnare.*

De ſpe, & Reſurrectione mortuorum ego iudicor.] Locus hic difficilis eſt, 13. *Defenditur Paulus à mẽdacio.* neque facilè oſtendi alicui fortaſſe videri poſſet, quomodo à mendacio liberetur Paulus, qui cùm alias ob cauſas accuſetur, vt vidimus, ſcilicet quia contra legem, & templi ſanctitatem aliquid molitus, quòd in templum Gentiles induxit; & fortaſſe quia eſſet Ægyptius ille, qui multa hominum millia ſeduxerat; nam ita exiſtimabat Tribunus, in eam ſine dubio ſuſpicionem à Iudæis inductus erat, ipſe tamẽ de ſpe, ac Reſurrectione mortuorum iudicari ſe dicit, cùm ea de re vnus accuſatorum ſermo? Quidam exiſtimant non hîc agi de tota accuſatione, ac iudicio; ſed de quodam præiudicio, quale videri poterat iuſſũ eſſe cædi à Pontifice. Ita vt Paulus dicat non ob aliam cauſam adductum eſſe Pontificem, vt colaphum ori ſuo iuberet impingi, niſi quòd Phariſæus eſſet, & cum ipſis de ſpe, Reſurrectionẽq; mortuorũ ſentiret cõtra Sadduceos, quorũ vel vnus erat Ananias, vel eorum partib. impensè ſtudebat, vt nuper vidimus ex Euſebio. Sed hæc ſolutio ideo nõ placet, quia Paulus de Phariſæorum ſecta nihil dixerat; imò ſatis eſt veriſimi-
le

le Paulum, qui diu abfuerat ab vrbe, quíq; ſtatim ac rediit, captus eſt, ignoraſſe omnino cuius factionis eſſet Ananias. Quin neque Phariſæi norant ſuæ factionis eſſe Paulum; nam ſtatim atque ſeipſum prodidit, æquiores facti, de odio, contentionéque pugnandi plurimùm remittunt. Accedit quòd cap. 24. ſequenti hæc eadem verba repetit Paulus coram Felice, vbi nõ de præiudicio, ac colapho, ſed de toto iudicio, & cauſa ſermo eſt, & ibi addit, *à vobis iudicor*. Quare non ſignificat priuatam vnius Pontificis offenſionem, ſed accuſationem à toto concilio ſibi intentatam.

Huic difficultati aliter occurrendum eſt. Precor autem Paulum vt ſtudioſè mihi, & piè in ſua cauſa laboranti adſit, & quàm longè ipſe fuerit à mendacij vel leuiſſima ſpecie, & quid his verbis ſignificare toti concilio voluerit, oſtẽdat. Tres ſolutiones occurrunt huius nodi, quas ſi in re difficili explicanda produxero; non, credo longa videbitur, aut otioſa opera.

14. Prima eſt, Paulum, qui priùs dixerat ſe Phariſæum eſſe, explicare voluiſſe, in quo præcipuè cum Phariſæis ſentiat, ſcilicet in ſpe, & Reſurrectione, hoc ſenſu. Ego Phariſæus ſum, & iudicor, id eſt, cenſeor vnus eorum, qui de ſpe, &c. Quæ phraſis & Græca eſt, & ſatis vſitata, vbi ſuppletur articulus τῶν vt, τῶν περὶ ἐλπίδος κρίνομαι. nimis erit in Græcis rudis, qui hæc nõ capiat. Accedit quòd verbum κρίνω, pro quo noſter legit *iudico*, propriè *ſeparare* ſignificat, & *diſcernere*; deinde verò per tranſlationem *iudicare*: neque enim aliud eſt *iudicare*, quàm quod dubium eſt, atque ideo in illo aliquid confuſum, & permixtum, ita diſcernere, vt ſublato, atq; amputato quod alienum eſt, maneat quod eſt liquidum, & ab illa rerum confuſione purum. Conſtat id ex Homero Iliad. ε.

Δημήτηρ κρίνει ἐπειγομένων ἀνέμων
Καρπόν τε καὶ ἄχνας.———

Id eſt, *Ceres ſecernit fructus, & paleas.* vbi Euſtathius exponit, διαμερίζει. & Iliad. β. κρῖνε ἄνδρας κατὰ φῦλα. vbi Euſtat. exponit, διαχώριζε, & δίελε; & Ariſtoteles ſæpe pro *excernere* accipit. Eſt ergo in verbo κρίνομαι optima explicatio nominis *Phariſæi*, quod idem valet, atque ſeparatum. Ac ſi dicat Paulus: ego Phariſæus ſum, id eſt, ſeparatus à populo, & in eo iudicor, id eſt, ſeparor, ſeu Phariſaïzo, quia credo, ſperóque Reſurrectionem mortuorum, quod non putat vulgus.

Neque contra hæc valdè facit quòd vulgatus *iudicor*, reddidit, non *ſecernor*, aut *ſeparor*; tũ quia, vt diximus, *iudico* ſeparationem ſignificat; tum quia quando vox aliqua duo ſignificat, per quandam metalepſis ſpeciem alterum pro altero interdum vſurpatur; vt, quia μόσχος *vitulamem* ſignificat, & *ſtolonem*, pro *ſtolone* poſuit *vitulamen* Sap. 4. *adulterina vitulamina non dabunt radices altas.* Et *ſuſtinere* pro *ſperare* ſumitur; quia vtrumque valet ὑπομένω. Vide plura in noſtris Commentariis in illud Pſalm. 67. *etenim non credentes.*

Secunda explicatio poſſet eſſe, quòd Paulus à ſe his verbis omnem culpam remoueat, imò & aliquid ſibi laudis attribuat, quòd id amplectatur, quod probatiſſimũ ſit in Phariſæorũ ſecta: quòd ſc. non putet animas cũ corporib. interire, reſurrecturos mortuos, &c. quod ne- 15.

gabant Sadducæi. Ac ſi dicat: nihil in me deprehẽdetur morte dignum, aut ſupplicio, niſi quis ideo me putet plecti debere, quòd Phariſæus ſum, & de Reſurrectione, immortalitatéque animorum ſententiam amplector. Quæ expoſitio difficilis non videbitur illi, qui Scripturæ cõſuetudinẽ nouerit, in qua ſæpe verba ſimpliciter poſita debitum quodam indicant ac decorem; vt Malachię 1. *Filius honorat patrem*, id eſt, honorare debet. Gen. 20. *quæ non debuiſti facere*. Heb. *quæ non fiant*. Chaldęus exponit, *quæ non erant digna fieri*; quo modo nos nuper explicuimus illud, *percutiet tè Deus*, id eſt, dignus es, quẽ Deus percutiat. Et in re iudiciaria, qualis eſt iſta, de qua modò nobis ſermo, ſunt optima exẽpla ad Hebr. 11. De Noë, *per quam* (arcam) *damnauit mundum*, id eſt, dignum oſtendit, qui damnetur. & Matth. 12. *Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam*; & idem repetit ſtatim de Regina Auſtri. Eadem dicendi figura vſus eſt Ezechiel cap. 16. cùm agit de Ieruſalem, quaſi de adultera. *Iuſtificaſti ſorores tuas* (Sodomam, & Samariam) *in omnibus abominationibus tuis*, id eſt, comparatione ſcelerum tuorum iuſtas oſtẽdiſti, dignáſque venia. Ad hunc ergo modum Paulus iudicari ſe dicit de ſpe, Reſurrectionéque mortuorum; quia de hoc vno crimine iudicari debet: vbi admixtum eſt aliquid ironiæ, cùm in ea opinione neque error aliquis ſit, neque culpa. Quibus verbis ſatis dedit cauſæ, vt qui tunc aderant, inter ſe potiùs diſſentirent, cùm ſuam cauſam adductam in controuerſiam, & quaſi in iudicium viderent, quàm de aliena laborarent.

16. Tertia explicatio, quæ cæteris placet magis, quámque germanam puto, omnino à mendacij vel leuiſſima ſuſpicione liberat Paulum, & illum ſummæ prudentiæ, atque conſtantiæ plenum oſtendit. Certum eſt Paulum, vt ex ſuperioribus conſtat, prædicaſſe Chriſtum illum eſſe, quẽ Prophetæ prædixerant, quémque omnes pariter expectabant, quíque ideo dicebatur expectatio Iſraël, quíque furore impio à Iudæis crucifixus, excitatus iam eſſet à mortuis, vt conſtat ex c. 13. Quia Paulus hæc in Aſia ſæpe nunciarat, grauiter tulerunt Iudæorũ plurimi, & ſicut nunc in Ieruſalem; ſic in Aſia aliquoties opprimere tentarunt, è quorum manibus non ſemel diuinitùs ereptus eſt. Cùm verò, vt 21. capite vidimus, nonnulli ex illis, qui ex Aſia venerãt Iudæi, Paulum in templo cernerent, memores illius verborum, redintegrato odio concitauerunt omnem populum, & iniecerunt manus. Spes itaque Iſraël, id eſt, Chriſtus expectatus, & Reſurrectio ipſius, quæ mortuorum Reſurrectionem confirmat, ad iudicium rapuêre Paulum, quia horum prædicatione adducti Iudæi illum in hoc diſcrimen deduxerunt; quod non ſemel Paulus ipſe cõfeſſus eſt: primùm hîc coram Tribuno, totóque concilio; ſtatim iterum coram Felice c. 26. coram Agrippa, & Feſto. Deinde cap. 28. ait, *propter ſpem Iſraël* (id eſt, quia Chriſtum, quem ſperabat Iſraël, annunciabat) *catena hac circumdatus ſum*. Hæc itaque reuerà cauſa eſt, cur iactatus, cur captus, & ad mortem ſæpe expetitus Paulus. Si quid aliud annunciant Iudæi, color quidam eſt quæſitus, qui accuſationi honeſtatis ſpeciem, Paulo inuidiam, & exitiũ afferat. Eſt autem ſumma Pauli prudentia, qua in turbidis concionibus non de Ieſu Chriſto agit, quia in eiuſmodi conuentibus nondum apparebat tanti nominis audiendi maturitas:

Vera explicatio, & defenſio.

Quia Paulus Chriſtum prædicat, accuſatus eſt.

Digitized by Google

turitas: ſed quod re idem omnino eſt, agebat de ſpe parentum, Reſurrectionéque mortuorũ, quod multi; maximè, qui de ſecta Phariſæorum erant, fatebantur; & quod clamabant quotidie à longis ſæculis parentũ vota. Quia ergo Tribunus audire cupiebat, cur Paulo tam infenſa foret Iudæorũ turba, reddit Paulus cauſam, non quam ſuæ maleuolentiæ prætexebant Iudæi; ſed quam præſertim execrabantur in Paulo.

17. Verſ. 12. *Collegerunt ſe quidam ex Iudæis; & deuouerunt ſe.*] Notum eſt quid ſit *deuotio*, & quid Græcè ἀνάθεμα, qua voce hîc vtitur Lucas; nimirum execrationis dirum quoddã genus, quo ſibi aliquis imprecatur malum. Quod fecit Petrus Marci 14. *cœpit anathematizare, & iurare, quia neſcio hominem.* Ac ſi diceret: eueniant mihi mala omnia, diſpeream malè, &c. ſeu certè extra Synagogam fiam, & conuentum piorũ. Quod Chriſtianis accidit, qui anathemate percuſſi, à fidelium cœtu ſeparantur. In hunc ergo modũ quidam Iudæi, qui ſe collegerant, id eſt, conſpirarant, & ſocietatem inierant ſcelerati conſilij, deuouerunt ſe, id eſt, Ditis ſe ac dæmonibus, aut aliis ſimilibus infortuniis tradiderunt, vel optarũt ſibi ad Synagogam, piorúmque cõuentum aditum præcludi, ſi ieiunium vllo modo ſoluerent, ni Paulo priùs è viuis ſublato. In hunc ſenſum accipiendum eſſe locum iſtum indicat vox *anathema*, ſeu, *deuotio*. Neque tamen aliena eſt alia eius nominis acceptio, ſecundũ quam aliquis Religionis, ac pietatis ergo pro patria ſe, & Deo, periculis & morti obiicit: quod fecerunt pro patria olim duo Decij, pater, & filius. Sic iſti arbitrati obſequium ſe præſtare Deo, ſi Paulum, quem Religionis hoſtem iudicabant, extinguerent, promiſerunt Deo ſe nihil omnino guſtaturos illo viuo. Porrò huiuſmodi votũ, ſeu deuotionẽ vſitatã eſſe ab antiquis temporibus inter Hebræos argumẽto eſt, quòd 1. Reg. c. 14. Saül adiurauit populum dicens; *Maledictus vir, qui comederit panẽ vſq; ad veſperam, donec vlciſcar de inimicis meis.* Hinc fortè orta eſt inter Hebræos huiuſmodi deuotio.

Deuouere ſe, quid.

Deuotio Iudæis vſitata.

Verſ. 26. *Claudius Lyſias optimo Præſidi Felici.*] De *optimi* compellatione dictum eſt cap. 1. in principio. Quis fuerit Felix iſte Præſes, vide Ioſephum lib. 20. Ant. c. 5. & Cornel. Tacitum lib. 12. c. 21. Erat autem Pallantis frater Claudij Imperatoris liberti, libertus etiam ipſe, vt tradit Suetonius in Claudio c. 28. qui, vt ſuprà Tacitus, ſeruili ingenio ius Regium exercuit. De huius luxuria, atque iniuſtitia mox aliqua commodiori loco dicentur.

Quis Felix iſte.

Digitized by Google

COMMENTARII IN ACTVS APOSTOLORVM.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

1 *POſt quinque autem dies deſcendit princeps*
Sacerdotum Ananias cum ſenioribus qui-
buſdam, & Tertullo quodam oratore, qui
2 *adierunt Præſidem aduerſus Paulum.* * *Et*
citato Paulo cœpit accuſare Tertullus, dicens:
Cùm in multa pace agamus per te, & multa corrigantur per
3 *tuam prouidentiam;* * *ſemper & vbique ſuſcipimus, optime*
4 *Felix, cum omni gratiarum actione.* * *Ne diutiùs autem te*
5 *protraham, oro, breuiter audias nos pro tua clementia,* * *Inue-*
nimus hunc hominem peſtiferum, & concitantem ſeditiones
omnibus Iudæis in vniuerſo orbe, & auctorem ſeditionis ſectæ
6 *Nazarenorum:* * *qui etiam templum violare conatus eſt,*
quem & apprehenſum voluimus ſecundùm legem noſtram iu-
7 *dicare.* * *Superueniens autem tribunus Lyſias, cum vi*
8 *magna eripuit eum de manibus noſtris,* * *iubens accuſa-*
tores eius ad te venire: à quo poteris ipſe iudicans de
9 *omnibus iſtis cognoſcere, de quibus nos accuſamus eum.* * *Ad-*
10 *iecerunt autem & Iudæi, dicentes hæc ita ſe habere:* * *Re-*
ſpondit autem Paulus (annuente ſibi Præſide dicere.) Ex multis
annis te eſſe iudicem genti huic ſciens, bono animo pro me ſatis-
11 *faciam.* * *Potes enim cognoſcere quia non plus ſunt mihi*
dies, quàm duodecim, ex quo aſcendi adorare in Ieruſalem:
12 * *& neque in templo inuenerunt me cum aliquo diſputantem,*
13 *aut concurſum facientem turbæ, neque in Synagogis,* * *neque in*
ciuitate

ciuitate : neque probare poſſunt tibi de quibus nunc me accuſant.
* Confiteor autem hoc tibi, quòd ſecundùm ſectam, quam di- 14
cunt hæreſim, ſic deſeruio Patri, & Deo meo, credens omni-
bus, quæ in Lege, & Prophetis ſcripta ſunt : * ſpem habens in 15
Deum, quam & hi ipſi expectant, Reſurrectionem futuram iu-
ſtorum, & iniquorum. * In hoc & ipſe ſtudeo ſine offendiculo 16
conſcientiam habere ad Deum, & ad homines ſemper. * Poſt 17
annos autem plures eleemoſynas facturus in gentem meam, ve-
ni, & oblationes, & vota,* in quibus inuenerunt me purifica- 18
tum in templo: non cum turba, neque cum tumultu. * Quidam 19
autem ex Aſia Iudæi, quos oportebat apud te præſtò eſſe, & ac-
cuſare ſi quid haberent aduerſum me:* aut hi ipſi dicant ſi quid 10
inuenerunt in me iniquitatis cùm ſtem in concilio, * niſi de vna 21
hac ſolummodò voce, qua clamaui inter eos ſtans : quoniam de
Reſurrectione mortuorum ego iudicor hodie à vobis. * Diſtulit 22
autem illos Felix, certiſſimè ſciens de via hac, dicens: Cùm tri-
bunus Lyſias deſcenderit, audiam vos. * Iuſſitque Centurioni 23
cuſtodire eum, & habere requiem, nec quemquam de ſuis pro-
hibere miniſtrare ei. * Poſt aliquot autem dies veniens Felix 24
cum Druſilla vxore ſua, quæ erat Iudæa, vocauit Paulum,
& audiuit ab eo fidem, quæ eſt in Chriſtum Ieſum. * Diſputan- 25
te autem illo de iuſtitia, & caſtitate, & de iudicio futuro, tre-
mefactus Felix reſpondit: Quod nunc attinet, vade: tempore
autem opportuno accerſam te: * ſimul & ſperans, quòd pecunia 26
ei daretur à Paulo, propter quod & frequenter accerſens eum,
loquebatur cum eo. * Biennio autem expleto, accepit ſucceſſo- 27
rem Felix Portium Feſtum. Volens autem gratiam præſtare Iu-
dæis Felix, reliquit Paulum vinctum.

IN

Digitized by Google

IN CAP. VIGESIMVM-QVARTVM ACTVVM APOSTOLORVM.

Verſ.1. D*Eſcendit Princeps Sacerdotum Ananias cum Senioribus quibuſdam, & Tertullo.*] Magnum hic apparet vel Iu-
1. Accuſatio plena mēdaciis. dæorum odium in Paulum, vel eorundem metus ne à Præſide durè mulctentur, quòd templum ciuitatémque turbauerint, quòd indemnatus Paulus Romanus ciuis in Tribuni cōſpectu Ananię iuſſu ignominiosè percuti iuſſus, quòd facta multorum deuotio, & coniuratio conſcio Pontifice, & Senioribus; quādo concilij Principes cum ſummo Sacerdote ad Præſidem Felicem lōgam illam viam ſuſcipiunt. Quàm verò illi in cauſa laborent, oſtendit ratio Tertulli tot pene conſuta mēdaciis, quot verbis: vbi enim adulatus eſt ſatis immoderatè Præſidi, peſtem appellat Paulum, & qui in vniuerſo orbe in omnes Iudęos ſeditionem concitauerit, & authorē ſeditioſæ ſectæ Nazaræorum; ſic enim tunc Chriſtiani vocabantur (nam alia Nazaræorum ſecta, de qua Epiphanius hæreſi 19. multo pòſt nata eſt.) Quod apertum omnino, atque impudens mendacium eſt: nā Paulus oppugnarat naſcentem Eccleſiam, adeò non inſtituerat, aut inuexerat primus. Item cùm vellent Paulum interficere, perfeciſſentque, niſi diuino conſilio ita rem moderāte maturè interueniſſet Tribunus: dicit tamē Orator Tertullus voluiſſe tantùm cauſam cognoſcere, ac iudicare. Quod eſſe falſum vel ipſæ Tribunitiæ literæ apertè conuincunt.

Verſ.5. *Authorē ſeditionis ſectæ Nazaræorū.*] Græcè πρωτοστάτης: neque
ibi *ſeditionis* nomē; ſed aptè addidit noſter Interpres, quia proximè anteceſſerat ſeditio, quam concitaſse dicitur à Tertullo Paulus, nempe dum Nazaræorum cauſam promouet. Et quia in voce πρωτοστάτης nomē στάσις, quæ *ſeditionem* ſignificat, continetur; ideo quaſi notationem nominis vellet exprimere, *authorem ſeditionis*, id eſt, ſeditioſæ ſectæ primū inuentorem appellat. Porrò vox Græca πρωτοστάτης *illum* ſignificat, *qui primus ſtat, præſertim in acie.* Quæ appellatio ſatis congruit cum Pauli meritis, atque conſtantia, qui in pugnandis bellis Domini primus ſtetit in acie, neque ad vllius vnquam pauit occurſum. Si id ſignificare voluiſset Tertullus, non erraſſet. 2.

Verſ. 10. *Ex multis te eſſe Iudicem genti huic ſciens, bono animo pro me ſatisfaciā.*] Exordium planè Chriſtia- 3.
num, in quo ita captatur beneuolētia, vt abſit adulatio. Ait ergo bono ſe eſse animo, cùm eum habeat ſuę cauſę Iudicem, qui diu prętuerit adminiſtrandis Iudaici populi prouinciis, vbi ſi quid eſset grauiùs à ſe patratum, cognoſcere façi'è potuiſset. Nam antequàm Felix Iudęæ

prę

præpoſitus eſſet à Claudio, adminiſtrarat regiones Thrachonitidem, Bathanæam, Gaulonitidem, vt ſcribit Ioſephus lib. 2. de bello cap. 11.

4. Narratio Pauli argumētoſa

Verſ. 11. *Potes enim cognoſcere, quia non ſunt plus mihi dies*, &c.] Depellit à ſe Paulus obiecta crimina; illud de ſeditione, in vrbe quidem facilè poſſe cognoſci, cùm paucis diebus ibi moratus ſit; & inueſtigari breui poſſit an in templo, aut Synagogis, aut alio quouis loco motus ſua cauſa concitatus fuerit. De aliis orbis regionibus nihil ab accuſatoribus probari. Cùm verò Paulus negare non poſſet ſeditionem ortam inter Phariſæos, ac Sadducæos propter illud verbum, quo ipſe ſignificarat iudicari ſe de ſpe, Reſurrectionéque mortuorum, verba eadem repetit, ex quibus intelligat Præſes occaſionem quidem eſſe, non cauſam ortæ ſeditionis. Neque enim ſatis cauſæ dederat Paulus, niſi ipſi pugnaciſſimo eſſent ingenio, & ſuarum partiū plus ſatis ſtudioſi; & iam antè non opinionibus ſolùm, ſed etiam animis inter ſe diuerſi. Cæterùm tota narratio Pauli argumentoſa eſt; & obiecta diluit: nam qui fieri poteſt, vt templi violet ſanctitatem, qui in illud purificatus ingreditur? quomodo in Deum, & Religionem impius, qui patrium, id eſt, verum Deū, quem antiqui Hebræorū Principes coluerunt, ipſe colat; qui legem, & Prophetas audiat, qui promiſſa ſperet, Reſurrectionem, & Iudicium fateatur? Quomodo contra Iudæos aliquid moliatur, qui pro ipſorum cauſa ſtrenuè laboret, qui pecuniam hinc inde coëgerit, quò illorum ſubleuaret inopiam?

5. Vocē hæreſis refugit Paulus

Verſ. 14. *Secundùm ſectam, quam dicunt hæreſim.*] Chriſtianam, & Euāgelicam viam, vt habet hîc Græcus textus, ὁδὸς, quámque hîc noſter vertit *ſectam*, Tertullus ſuprà vocabat *hæreſim*. Hanc vocem Paulus corrigit, quaſi minùs aptam Euangelio, & Chriſti doctrinæ. Nam licet vox honeſta ſit, & ab optimis authoribus vſurpata, quia tamen humanum inuentum eſt, & ſententiam rationibus humano ſtudio excogitatis firmatam ſignificat, potiùs quàm ſtabile aliquid, & diuinum, à quo vel punctum recedere non liceat; quod non tam quærimus, quàm accipimus, non tam aſſequimur ſtudio, ac labore, quàm inſpiratū amplectimur, ideo *hæreſeos* nomen reiiciendum Paulus putat ab Euangelio, quod hîc, & alibi ſæpe *viam* vocat. Abſtinendum quoque iam eſt Catholicis à nomine *ſecta*, à qua, qui ſuo ſenſui nimis indulgent, ſuíſque cogitationibus tenaciùs hærent, ſectarij vocantur.

Verſ. 19. *Quidam autem ex Aſia Iudæi.*] Obſcura eſt ſententia, & omnino ſuſpenſa. Exiſtimo autem hîc eſſe repetendum quod anteceſſit, *cū turba, & cum tumultu*, hoc ſenſu: ego nihil in tēplo turbarum dedi, nullū excitaui tumultum; ſed quidam Iudæi ex Aſia illius tumultus authores extiterunt. Et ita Syrus exponit.

6. Paulus coram Iudice impudico, & iniuſto de caſtitate, iuſtitia, atque iudicio.

Verſ. 24. *Poſt aliquot dies veniens Felix cum Druſilla*, &c.] Non ſine cauſa Lucas ſcribit ſermonem inſtitutum à Paulo coram Felice, & vxore Druſilla de caſtitate, de iuſtitia, atque extremo iudicio. Ex quo apparet Apoſtolici pectoris ardor, atque conſtantia, qui cùm ſciret diſceptandam eſſe cauſam ſuam corā Felice Præſide non dubitauit illi corām obiicere, quæ fœdè, & cū aliorum dolore, atque offenſione admiſerat, ipſa præſente tantorum ſcelerum conſcia; atque participe Druſilla. Fuit quidem Felix, vt nuper diximus, Claudij libertus, ſeruili inge-

Digitized by Google

nio,&,vt ex hoc capite conſtat, auaritia ſordidus, à qua abeſſe iniuſtitia non ſolet, maximè in illis, qui cum poteſtate ſunt. Quare cùm in his non tam legum plerumque, & æquitatis ratio, quàm munerũ corruptela vim habeat, fit vt corruptis largitione animis omnia iura,& iudicia corrumpantur, ideo de iuſtitia coram iniuſto Prçſide diſputat Paulus:& de extremo iudicio, in quo à Iudicibus Deo ſupremo Iudici ratio de factis, cogitatiſque reddenda eſt. Et diſputat adeò vehemẽter,& grauiter, vt Iudex animo concuſſo, ac perterefacto orationis impetum interruperit. Sed, quod magis mirêre, egit de caſtitate coram Præſide libidinis vſque adeò profuſæ, vt Regio thalamo inſidiatus ſit, & è Regio complexu vxorem rapuerit; & coram Druſilla vſque adeò leui, atque inuerecunda, vt relicto marito nefarias nuptias inierit Felicis, cuius affixa lateri non verecundabatur hominum oculos,& offenſionem ſubire. Refert enim Ioſephus libro 2. Ant. cap. 5. hanc nupſiſſe Azyzo Emeſſenorum Regi, qui vt eius nuptiis potirẽtur, ex pacto circunciſus fuerat. Hanc vt primùm vidit Felix libidinis impotens, eius captus forma per Iudæum quendam egit cum Druſilla, vt relicto marito ſibi nuberet; quod illa non ſolùm coniugali fide, ſed etiam patria Religione cõtempta fecit. Hæc eadem priùs pacta fuerat Epiphani Antiochi Regis filio, ſed hic recuſauit nuptias, quia ſubire noluit propoſitam circuncioſionis conditionem. Hinc trium Regum vxor Druſilla, ac ter Regina; & ideo fortaſſe à Suetonio in Claudio cap. 28. Felix dicitur trium Reginarum maritus. Niſi fortè, quod de tanta intemperantia veriſimile eſt, trium Reginarum pudorẽ expugnarit. Quòd ſi Regum thalamis inſidiatus eſt Felix, quid non tẽtaret in aliorum & vilem, & magis expugnabilem conditionem? Vtrũque,& iniuſtitiam,& libidinem cõiunxit Tacitus lib. 21. *Felix*, inquit, *per omnem ſæuitiam, & libidinem ius Regium ſeruili ingenio exercuit.* Fecit ergo Paulus cum iniuſto, ac libidinoſo Præſide, ac Druſilla neque libidinis minoris, neque minùs profligati pudoris fœmina, propoſito capitis periculo, quod Ioannes antea cum inceſtuoſo Herode, atque Herodiade. O præclara conſtãtiæ Apoſtolicæ, ô illuſtria Apoſtolici præconis documenta! 7.

Pauli cõſtantia in reprehẽdẽdo Iudice.

Verſ. 26. *Sperans quòd pecunia ei daretur à Paulo.*]Hinc apparet quod ſuprà dicebamus de Præſidis auaritia, à qua nunquam abeſſe ſolet iniuria. Induxit, credo, in hanc ſpem Felicem, quòd proximè audierat à Paulo eleemoſynas ab eo allatas Ieruſalem; vnde putabat, vel diuitem eſſe Paulum, vel aliquid eſſe reliquum, quod extorqueret.

COM

COMMENTARII IN ACTVS APOSTOLORVM.

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

FEſtus ergo cùm veniſſet in prouinciam, poſt 1
triduũ aſcendit Ieroſolymã à Cæſarea. * *Adie-* 2
runtque eum Principes Sacerdotum, & pri-
mi Iudæorum aduerſus Paulum: & rogabant
eum, * *poſtulantes gratiam aduerſus eum, vt* 3
iuberet perduci eum in Ieruſalem, inſidias tendentes vt interfi-
cerent eum in via. * *Feſtus autem reſpondit ſeruari Paulũ in* 4
Cæſarea: ſe autem maturiùs profecturum. * *Qui ergo in vobis* 5
(ait) potentes ſunt, deſcendentes ſimul, ſi quod eſt in viro crimẽ,
accuſent eum. * *Demoratus autem inter eos dies non amplius* 6
quàm octo, aut decem, deſcendit Cæſaream, & altera die ſedit
pro tribunali, & iuſſit Paulum adduci. * *Qui cùm perductus* 7
eſſet, circumſteterunt eum, qui ab Ieroſolyma deſcenderãt Iudæi,
multas & graues cauſas obiicientes, quas non poterant probare.
* *Paulo rationem reddente: Quoniam neque in legem Iudæorũ,* 8
neque in templum, neque in Cæſarem quidquam peccaui. * *Fe-* 9
ſtus autem volens gratiam præſtare Iudæis, reſpondens Paulo,
dixit: Vis Ieroſolymam aſcendere, & ibi de his iudicari apud
me? * *Dixit autem Paulus: Ad Tribunal Cæſaris ſto, vbi me opor-* 10
tet iudicari: Iudæis non nocui, ſicut tu meliùs noſti. * *Si enim* 11
nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuſo mori: ſi verò
nihil eſt eorum, quæ hi accuſant me, nemo poteſt me illis donare.
Cæſarem appello. * *Tunc Feſtus cum conſilio locutus, reſpondit:* 12

Digitized by Google

13 Cæſarem appellaſti? ad Cæſarem ibis.* Et cùm dies aliquot trāſ-
acti eſſent; Agrippa Rex, & Bernice deſcenderunt Cæſarēā ad
14 ſalutandum Feſtum.* Et cùm dies plures ibi demorarētur, Fe-
ſtus Regi indicauit de Paulo, dicens: Vir quidam eſt derelictus à
15 Felice vinctus, * de quo cùm eſſem Ieroſolymis, adierunt me
Principes Sacerdotum, & ſeniores Iudæorum, poſtulantes ad-
16 uerſus illum damnationem.* Ad quos reſpondi: Quia non eſt
Romanis conſuetudo damnare aliquem hominem, priùs quàm is
qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locumque defendēdi
17 accipiat ad abluenda crimina.* Cùm ergo huc conueniſſent ſine
vlla dilatione, ſequēti die ſedens pro tribunali, iuſſi adduci virū.
18 * De quo, cùm ſtetiſſent accuſatores, nullam cauſam deferebant,
19 de quibus ego ſuſpicabar malum. * Quæſtiones verò quaſdam
de ſua ſuperſtitione habebant aduerſus eum, & de quodam Ieſu
20 defuncto, quem affirmabat Paulus viuere.* Hæſitans autem
ego de huiuſmodi quæſtione, dicebam ſi vellet ire Ieroſolymam,
21 & ibi iudicari de iſtis.* Paulo autem appellante vt ſeruare-
tur ad Auguſti cognitionem, iuſſi ſeruari eum, donec mittam eū
22 ad Cæſarem. * Agrippa autem dixit ad Feſtum: Volebam &
23 ipſe hominem audire. Cras, inquit, audies eum. * Altera autem
die cùm veniſſet Agrippa, & Bernice cum multa ambitione, &
introiiſſent in auditorium cum tribunis, & viris principalibus
24 ciuitatis, iubente Feſto, adductus eſt Paulus. * Et dicit Feſtus:
25 Agrippa Rex, & omnes, qui ſimul adeſtis nobiſcum viri, vide-
tis hunc, de quo omnis multitudo Iudæorum interpellauit me Ie-
roſolymis, petentes, & acclamantes non oportere eum viuere
26 ampliùs. * Ego verò comperi nihil dignum morte eum admi-
ſiſſe. Ipſo autem hoc appellante ad Auguſtum, iudicaui mittere.
27 * De quo quid certum ſcribam Domino, non habeo. Propter
quod produxi eum ad vos, & maximè ad te Rex Agrippa, vt
interrogatione facta habeam quid ſcribam.* Sine ratione enim
mihi videtur mittere vinctum, & cauſas eius non ſignificare.

IN CAPVT VIGESIMVM-QVINTVM ACTVVM APOSTOLORVM.

1. Odium Iudæorũ in Paulũ.

TOtum hoc caput apertum eſt. Illud notandum, incredibile eſſe Iudæorum odium in Paulum, qui hác primam, & ſummam gratiam à Feſto tunc primùm magiſtratum ineunte petunt, vt curet Paulum Hieroſolymam reduci. Neque aliquid agebant aliud, quàm vt in reditu Paulum, quem antea non potuerant, opprimerent. Vbi verò hac de ſpe exciderunt, cauſa ad Cæſaris tribunal reuocata, noua excogitant ſcelera, quæ in iudicio obiiciant. Confingunt nimirum aliquid egiſſe Paulum, quo Cæſaris maieſtatem læderet, vt ſatis liquet ex Pauli reſponſione; qui poſtquam à ſe depulit alia, quæ ab aduerſariis in criminibus data, ad extremum addidit. *Neque in Cæſarem quicquam peccaui.*

Verſ. 12. *Cæſarem appello.*] Non timet Paulus Iudæorum arma, qui id optabat maximè, vt ſolutus à corpore cum Chriſto viueret, ſed audierat ſuprà cap. 22. à Chriſto. *Sicut teſtificatus es de me in Ieruſalem, ſic te oportet & Romæ teſtificari.* Hæc autem ratio maximè expedita viſa eſt eundi Romam, exequendíque datum ſibi negotium. 2. Viam parat Paulus Romã.

Agrippa Rex, & Bernice deſcenderunt Cæſaream.] De his dicemus aliquid capite ſequenti.

Digitized by Google

COMMENTARII IN ACTVS APOSTOLORVM.

CAPVT VIGESIMVMSEXTVM.

1 *AGrippa verò ad Paulum ait: Permittitur ti-*
bi loqui pro temetipſo. Tunc Paulus extenta
2 *manu cœpit rationem reddere.* * *De om-*
nibus, quibus accuſor à Iudæis, rex Agrippa,
æſtimo me beatum, apud te cùm ſim defenſu-
3 *rus me hodie,* * *maximè te ſciente omnia,*
& quæ apud Iudæos ſunt conſuetudines, & quæſtiones: propter
4 *quod obſecro patienter me audias.* * *Et quidem vitã meam*
à iuuentute, quæ ab initio fuit in gente mea in Ieroſolymis, noue-
5 *runt omnes Iudæi:* * *præſcientes me ab initio (ſi velint teſti-*
monium perhibere) quoniam ſecundùm certiſſimam ſectam no-
6 *ſtræ religionis vixi Phariſæus.* * *Et nunc in ſpe, quæ ad patres*
7 *noſtros repromiſſionis facta eſt à Deo, ſto iudicio ſubiectus:* * *in*
quam duodecim tribus noſtræ nocte ac die deſeruientes, ſperant
8 *deuenire. De qua ſpe accuſor à Iudæis, rex.* * *Quid incredi-*
9 *bile iudicatur apud vos, ſi Deus mortuos ſuſcitat?* * *Et ego*
quidem exiſtimaueram, me aduerſus nomen Ieſu Nazareni de-
10 *bere multa contraria agere.* * *quod & feci Ieroſolymis, &*
multos ſanctorum ego in carceribus incluſi, à principibus Sacer-
dotum poteſtate accepta: & cùm occiderentur, detuli ſenten-
11 *tiam.* * *Et per omnes Synagogas frequenter puniens eos, com-*
pellebam blaſphemare: & amplius inſaniens in eos, perſeque-
12 *bar vſque in exteras ciuitates.* * *In quibus dum irem Dama-*
ſcum

*ſcum cum poteſtate, & permiſſu principum Sacerdotum, * die* 13
media in via vidi, rex, de cælo ſupra ſplendorem Solis circum-
*fulſiſſe me lumen, & eos, qui mecum ſimul erant. * Omnéſque* 14
nos cùm decidiſſemus in terram, audiui vocem loquentem mihi
Hebraica lingua : Saule, Saule, quid me perſequeris ? durum eſt
*tibi contra ſtimulum calcitrare. * Ego autem dixi : Quis es* 15
Domine ? Dominus autem dixit : Ego ſum Ieſus, quem tu perſe-
*queris. * Sed exurge, & ſta ſuper pedes tuos : ad hoc enim ap-* 16
parui tibi, vt conſtituam te miniſtrum, & teſtem eorum, quæ vi-
*diſti, & eorum, quibus apparebo tibi, * eripiens te de populo, &* 17
*gentibus, in quas nunc ego mitto te, * aperire oculos eorum, vt* 18
conuertantur à tenebris ad lucem, & de poteſtate Satanæ ad
Deum, vt accipiant remiſſionem peccatorum, & ſortem inter
*ſanctos per fidem, quæ eſt in me * Vnde rex Agrippa, non fui* 19
*incredulus cæleſti viſioni : * ſed his, qui ſunt Damaſci primùm,* 20
& Ieroſolymis, & in omnem regionem Iudææ, & Gentibus an-
nunciabam, vt pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad
*Deum, digna pœnitentiæ opera facientes. * Hac ex cauſa me* 21
Iudæi, cùm eſſem in templo, comprehenſum tentabant interficere.
** Auxilio autem adiutus Dei vſque in hodiernum diem ſto,* 22
teſtificans minori, atque maiori, nihil extra dicens quàm ea, quæ
*Prophetæ locuti ſunt futura eſſe, & Moyſes, * ſi paſſibilis Chri-* 23
ſtus, ſi primus ex reſurrectione mortuorum, lumen annunciatu-
*rus eſt populo, & Gentib. * Hæc loquente eo, & rationem red-* 24
dente, Feſtus magna voce dixit : Inſanis Paule : multæ te lite-
*ræ ad inſaniā conuertunt. * Et Paulus: Non inſanio (inquit)* 25
*optime Feſte, ſed veritatis, & ſobrietatis verba loquor. * Scit* 26
enim de his rex, ad quem & conſtanter loquor: latere enim eum
nihil horum arbitror. Neque enim in angulo quidquam horum
*geſtum eſt. * Credis rex Agrippa Prophetis ? Scio quia credis.* 27
** Agrippa autem ad Paulum : In modico ſuades me Chriſtia-* 28
*num fieri. * Et Paulus: Opto apud Deum, & in modico, & in* 29
magno, non tantùm te, ſed etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri
tales,

Digitized by Google

30 *tales, qualis & ego ſum, exceptis vinculis his:* * *Et exurrexit*
31 *Rex, & Præſes, & Bernice, & qui aſſidebant eis.* * *Et cùm ſe-*
ceſſiſſent, loquebantur ad inuicem, dicentes: Quia nihil morte,
32 *aut vinculis dignum quid fecit homo iſte.* * *Agrippa autem Fe-*
ſto dixit: Dimitti poterat homo hic, ſi non appellaſſet Cæſarem.

IN CAPVT VIGESIMVM-SEXTVM ACTVVM APOSTOLORVM.

Verſ. 2. REx *Agrippa, exiſtimo me beatum, &c.*] Non hîc Paulus ſalutat Feſtum, ſed Agrippam, vel quia ſic ferebat conſuetudo, vt appellaretur ille ſolus, qui Princeps eſſet in aliquo conſeſſu, qualis tunc erat Agrippa Rex; vel quia tunc primus viſus Agrippa: nam ſuperiore congreſſu iam fortè Feſtum ſalutarat. Dicit verò ſe beatum ſibi videri, quòd illum Iudicem habiturus ſit, qui cùm ſit Iudæus, Iudæorum mores, & inſtituta ſatis norat: neque illi nouum accidere poſſet, ſicut Iudicibus aliis, ſi quid de ſpe, Reſurrectionéque mortuorũ audiret. Quæ exordiendi ratio & opportuna eſt, & ab aſſentatione aliena.

1. Exordiũ modeſtũ, & prudẽs.

Verſ. 5. *Secundùm certiſſimam ſectam noſtræ Religionis.*] Tres eſſe ſectas inter Iudæos iam antè diximus, Sadducæorum, Eſſenorum, & Phariſæorum. Hæc poſtrema meliùs de Religione ſentiebat; & in ea Paulus ſub Gamaliele inſtitutus fuit.

Verſ. 6. *Et nunc in ſpe.*] Id eſt, propter ſpem: nam *in* ſumi pro præpoſitione *propter* ſatis vſitatum eſt; & nos ſuprà aliquot adduximus exempla cap. 7. in fine.

Verſ. 16. *Et eorum quibus apparebo tibi*] Græcè μάρτυρα ὧν τε εἶδες, ὧν τε ὀφθήσομαί σοι. Quem locum non parum obſcurum ſic interpretor: *Conſtitui te teſtem eorum, quæ vidiſti, & eorum, quorum cauſa apparebo tibi*; nam ſecundo loco ante ὧν intelligitur ἕνεκα vulgari Græcorum more. Ex quo infertur non ſemel Paulo apparuiſſe Chriſtum. Et ſanè eo triduo, in quo neque manducauit, neque bibit, reuelatum illi creditur Euangelium, cuius ipſe teſtis, & miniſter egregius fuit. Cæterùm tota hiſtoria de Pauli conuerſione explicata nobis eſt cap. 9.

2. Chriſtus videtur non ſemel apparuiſſe Paulo.

Verſ. 24. *Inſanis Paule.*] Cùm Feſtus aut indignaretur, quòd vnum Agrippam ſpectaret Paulus, vt putat Chryſoſtomus, & Oecumenius: aut certè ignarus Religionis Iudaicæ, quæ dicerentur non intelligeret, maximè cùm liberè loqueretur, & audacter, inſanum appellat, vt qui ſibi ſapientiſſimus videretur. Exiſtimo autem ironicè Paulo ſapientiæ laudem à Feſto tribui. Ac ſi diceret: ad

3. Chriſtus crucifixus Gentibus ſtultitia.

Digitized by Google

ad inſaniam te adigit, quã de te ipſo falsò concipis, literarum opinio. Neque verò inuſitatum eſt, vt quæ homines non intelligunt, præſertim qui in ſuo ſibi ingenio, ac ſapientia placent, ſtultitiam vocent. Sic Chriſti crucifixi prædicatio viſa eſt Gentilibus ſtultitia; & Marci 3. Chriſtus fratribus viſus eſt inſanire: & Apoſtoli ſuprà cap. 2. quia admirabilia loquebatur, ebrij iudicati ſunt. Porrò quòd ex multis literis Feſtus adductum in inſaniam Paulum exiſtimat, ſumit ex opinione vulgi, imò ex multorum experientia, qui dum plus ſatis eruditionis auidi altè ſe in literarum ſtudia abdunt, & immoderatè immergũt, in inſaniam inciderunt. Quomodo, qui ingenio valent, obnoxij ſint vitiis, quæ ex atra bili naſcuntur, vide Ariſt. ſect. 30. Problematum.

Verſ. 28. *In modico ſuades me Chri-*
4. *ſtianum fieri.*] Quidam hĩc verè, ac ſimpliciter putant Agrippam fateri parum abeſſe, quin ipſe Pauli oratione perſuaſus Chriſtianus fieret. Ita Cyril. Hieroſoly. catech. 17. & Chryſoſt. hom. 16. ad populum, vbi memoria lapſus hæc verba videtur tribuere Feſto, non Agrippæ. Sed veriſimilius mihi videtur hæc ab Agrippa cum offenſione quadam, atque irriſione fuiſſe dicta; quaſi ſignificauerit falli longè Paulum, qui breui oratione exiſtimauerit adduci ſe, vt Chriſtianorum Religionem amplectatur. Quod vt mihi perſuadeam, facit, quia etiamſi Agrippa ſic eſſet affectus, coràm tamen, quę humana prudentia, & cautio eſt, non videbatur animi ſui ſenſum eſſe proditurus. Item quia non aptè videretur reſpondiſſe Paulus, cùm dixit: *Opto apud Deum, & in modico, & in magno non tantùm te, &c. fieri tales, qualis ego ſum:* eſſet enim ſenſus. Opto te non ſolùm parum, ſed etiam multùm abeſſe, vt Chriſtianus fias. Quo quid alienius ab animo, atque inſtituto Pauli? Quare ſenſus eſt, modico labore tuo, ac breui tempore tibi videor iam eſſe Chriſtianus. Ad hæc aptè Paulus: Opto quidem etiamſi cum magno meo labore, ac multo tempore, talem te eſſe, qualis ego ſum, nempe Religione, ac fide. Sed quia miſer videbatur Paulus, quia conſtrictus vinculis, etiamſi illi nihil eſſet optatius, aut glorioſius, loquens tamen ad ſenſum, opinionémque populi, ab hoc voto remouet vincula, quia hæc non admodùm optabilia futura videbat Agrippæ, quẽ Chriſto lucrifacere ſtudebat. Vide Chryſoſt. hom. 16. ad pop. vbi Pauli exẽplo docet quemadmodum Concionatores ad populi ſenſum, & conſuetudinem ſermonem attemperare debeant.

Mouit, reor, parum Agrippæ animum tam grauis, & vehemens oratio Apoſtoli, quia curioſas aures ad Paulum adduxerat, potiùs quàm veritatis auidas. Item quia cum omnium offenſione implicatus erat inceſtis ſororis ſuæ Berenices amoribus, quam magno apparatu, atque ambitione ſecum adducebat ſuæ libidinis teſtem; quæ prodita coniugali fide, & relicto legitimo toro obſequens erat fratris voluntati intemperantiùs quàm Regiam fœminam, & ſororem decebat. De vtriuſque intemperantia vide Ioſephum lib. 20. Ant. c. 5. vbi de Druſilla, quã huius ſororem eſſe tradit, narrat nõ diſſimilia. Quæ res ſic erat nota iam, & vulgata, vt externi etiam ſcriptores eam ſatyrico carmine perſtrinxerint. Iuuenalis Satyra 6.

5. Agrippa inceſtuoſus parũ aptus Euãgelio.

——*Deinde adamas notiſſimus,*
& Berenices
In digito factus pretioſior: hunc dedit olim
Barbarus inceſtæ; dedit hunc Agrippa ſorori,
Obſeruant vbi feſta mero pede Sabbatha Reges;
Et vetus indulget ſenibus clementia porcis.

Hi verò qui luxuriæ dediti ſunt, non ſatis paratum habent animum ad Euangelij, & Chriſtianæ vitæ puritatem, de quibus Oſeas cap. 5. *Non dabunt cogitationes ſuas, vt reuertantur ad Deum ſuum, quia ſpiritus fornicationum in medio eorum.* Accedit quòd magno faſtu, atque ambitione vterque ad concionem veniſſe dicitur; cum faſtu verò ac ſuperbia non bene conſentit Euangelica modeſtia, & qui maximè commendatur, ſui ipſius contemptus.

COM

Digitized by Google

COMMENTARII IN ACTVS APOSTOLORVM.

CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

VT autem iudicatum eſt nauigare nos in Ita- 1
liam, & tradi Paulum cum reliquis cuſtodiis
centurioni nomine Iulio, cohortis Auguſtæ,
** aſcendentes nauem Adramytenam, inci-* 2
pientes nauigare circa Aſiæ loca, ſuſtulimus
perſeuerante nobiſcum Ariſtarcho Macedo-
*ne Theſſalonicenſi. * Sequenti autem die deuenimus Sidonem.* 3
Humanè autem tractans Iulius Paulum, permiſit ad amicos ire,
*& curam ſui agere. * Et inde cùm ſuſtuliſſemus, ſubnauiga-* 4
*uimus Cyprum, propterea quòd eſſent venti contrarij. * Et pe-* 5
lagus Ciliciæ, & Pamphyliæ nauigantes, venimus Lyſtram, quæ
*eſt Lyciæ: * & ibi inueniens centurio nauem Alexandrinam* 6
*nauigantem in Italiam, tranſpoſuit nos in eam. * Et cùm mul-* 7
tis diebus tardè nauigaremus, & vix deueniſſemus contra Gni-
dum, prohibente nos vento, adnauigauimus Cretæ iuxta Sal-
*monem: * & vix iuxtà nauigantes, venimus in locum quen-* 8
dam, qui vocatur Boniportus, cui iuxta erat ciuitas Thalaſſa.
** Multo autem tempore peracto, & cùm iam non eſſet tuta* 9
nauigatio, eo quòd & ieiunium iam præteriiſſet, conſolabatur eos
*Paulus. * dicens eis: Viri, video quoniam cum iniuria, &* 10
multo damno non ſolùm oneris, & nauis, ſed etiam animarum
*noſtrarum incipit eſſe nauigatio. * Centurio autem guberna-* 11
tori, & nauclero magis credebat, quàm his, quæ à Paulo dice-

12 *bantur. * Et cùm aptus portus non eſſet ad hyemandum,plu-*
rimi ſtatuerunt conſilium nauigare inde,ſi quomodo poſſent, de-
uenientes Phœnicen , hyemare , portum Cretæ reſpicientem ad
13 *Africum,& ad Corum. * Aſpirante autem Auſtro,æſtiman-*
tes propoſitum ſe tenere,cùm ſuſtuliſſent de Aſſon, legebant Cre-
14 *tam. * Non poſt multum autem miſit ſe contra ipſam ventus*
15 *Typhonicus,qui vocatur Euroaquilo. * Cumque arrepta eſſet*
nauis,& non poſſet conari in ventum,data naue flatibus, fere-
16 *bamur. * In inſulam autem quandam decurrentes , quæ vo-*
17 *tur Cauda, potuimus vix obtinere ſcapham. * Qua ſublatâ*
adiutoriis vtebantur,accingentes nauem, timẽtes ne in Syriam
18 *inciderent,ſummiſſo vaſe ſic ferebantur. * Valida autem no-*
19 *bis tempeſtate iactatis,ſequenti die iactum fecerunt : * & ter-*
20 *tia die ſuis manibus armamenta nauis proiecerunt. * Neque*
autem ſole,neque ſyderibus apparentibus per plures dies,& tem-
peſtate non exigua imminente,iam ablata erat ſpes omnis ſalu-
21 *tis noſtræ. * Et cùm multa ieiunatio fuiſſet,tunc ſtans Paulus*
in medio eorum,dixit : Oportebat quidem,ô viri,audito me,non
22 *tollere à Creta,lucríque facere iniuriam hanc,& iacturam.* Et*
nunc ſuadeo vobis bono animo eſſe : amiſſio enim nullius animæ
23 *erit ex vobis præterquàm nauis. * Aſtitit enim mihi hac no-*
24 *cte Angelus Dei,cuius ſum ego,& cui deſeruio , * dicens : Ne*
timeas Paule , Cæſari te oportet aſſiſtere : & ecce donauit tibi
25 *Deus omnes,qui nauigant tecum. * Propter quod bono animo*
eſtote viri : credo enim Deo, quia ſic erit , quemadmodum di-
26 *ctum eſt mihi. * In inſulam autem quandam oportet nos de-*
27 *uenire. * Sed poſteaquàm quartadecima nox ſuperuenit, na-*
uigantibus nobis in Adria circa mediam noctem , ſuſpicabantur
28 *nautæ apparere ſibi aliquam regionem. * Qui & ſummitten-*
tes bolidem,inuenerunt paſſus viginti : & puſillum inde ſepara-
29 *ti,inuenerunt paſſus quindecim. * Timentes autem ne in aſpe-*
ra loca incideremus,de puppi mittentes anchoras quatuor, opta-
30 *bant diem fieri. * Nautis verò quærentibus fugere de naui,*
cùm

cùm miſiſſent ſcapham in mare, ſub obtentu quaſi inciperent à
prora anchoras extendere, * dixit Paulus Centurioni, & 31
militibus: Niſi hi in naui manſerint, vos ſalui fieri non poteſtis.
* Tunc abſciderunt milites funes ſcaphæ, & paſſi ſunt eam ex- 32
cidere. * Et cùm lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes ſu- 33
mere cibum, dicens: Quartadecima die hodie expectantes ieiuni
permanetis, nihil accipientes. * Propter quod rogo vos acci- 34
pere cibum pro ſalute veſtra: quia nullius veſtrûm capillus de
capite peribit. * Et cùm hæc dixiſſet, ſumens panem, gratias 35
egit Deo in conſpectu omnium: & cùm fregiſſet, cœpit mandu-
care. * Animæquiores autem facti omnes, & ipſi ſumpſerunt 36
cibum. * Eramus verò vniuerſæ animæ in naui ducentæ ſe- 37
ptuaginta ſex. * Et ſatiati cibo alleuiabãt nauem, iactantes triti- 38
cum in mare. * Cùm autẽ dies factus eſſet, terram non agnoſce- 39
bant: ſinum verò quendam conſiderabant habentem littus, in
quem cogitabant, ſi poſſent eiicere nauem. * Et cùm anchoras 40
ſuſtuliſſent, committebant ſe mari, ſimul laxantes iuncturas gu-
bernaculorum: & leuato artemone ſecundùm auræ flatum ten-
debant ad littus. * Et cùm incidiſſemus in locum dithalaſſum, 41
impegerunt nauem, & prora quidem fixa manebat immobilis,
puppis verò ſoluebatur à vi maris. * Militum autem conſi- 42
lium fuit vt cuſtodias occiderent: ne quis cùm enataſſet, effuge-
ret. * Centurio autem volens ſeruare Paulum, prohibuit fieri: 43
iuſſitque eos, qui poſſent natare, emittere ſe primos, & euadere,
& ad terram exire, * & cæteros alios in tabulis ferebant 44
quoſdam ſuper ea, quæ de naui erant. Et ſic factum eſt, vt om-
nes animæ euaderent ad terram.

IN CAPVT VIGESIMVM-SEPTIMVM ACTVVM APOSTOLORVM.

Verſ. 1. TRadi Paulum cum reliquis cuſtodiis.] Sicut carcer pro vinctis ſumitur per meronymiam; ſic etiam *cuſtodia*: in qua ſignificatione iterum ad finem huius capitis ſumitur. vbi obſerua Paulum virum innocentiſſimum iiſdem cum nocentiſſimis hominibus vinculis conſtrictum duci, cum iniquis reputatum; in illis tamen vinculis gloriabatur; quia etiam magiſter eius Chriſtus cum iniquis reputatus eſt.

1. *Cuſtodia pro vinctis.*

Verſ. 9. *Cùm iam non eſſet tuta nauigatio, eo quòd ieiunium iam præteriiſſet.*] Certum mihi eſt hîc à Luca *ieiunium* ſumi pro aliquo tempore cōmuniter noto, in quo propter varias cœli mutationes non ſolet eſſe tuta nauigatio; quale eſſe ſolet hybernū. Hoc autem tempus nautis importunum notari ſolitum ſolemni aliquo ieiunio puto, & ab illo ſumere appellationem, ſicut nos Chriſti Natalitio feſto brumæ aſperitatem, & eiuſdem Reſurrectione ineuntis veris clementiam conſignamus. Et quemadmodum nos tranſacto Domini Natali, tranſactam brumam, id eſt, hyemale ſolſtitium dicimus; ſic Iudæi tranſacto ieiunio, tranſactam nauigandi opportunitatem ſignificant. Quod fuerit hoc ieiunium incertum eſt, non tamen dubium, quin in frigidum, & turbidum tempus inciderit, quale hybernum eſt, aut hyberno proximum, nempe poſt hyemale æquinoctium. Nam vbi naufragus Paulus cum aliis enatauit, & exceptus eſt à Melitenſibus, accenſa pyra fuit propter imbrem, qui imminebat, & frigus. Mihi pene certum eſt fuiſſe ſolemne illud ieiunium, quod incidit in diem decimū menſis Tiſri, id eſt, Septembris, quod antonomaſticè *ieiunium* vocatur Eſt autem ieiunium illud maximè notum, ac celebre propter antiquitatem; eſt enim inſtitutum propter vitulum quem adorarunt filij Iſraël, quando illis Deus reconciliatus eſt; & ideo *feſtum expiationis* dicitur. Ita S. Thom. 1. 2. quæſt. 102. art. 4. ad 10. tum propter celebrationem; quia in eo nihil ſeruile fieri poterat, neque cibi parari; quod aliis feſtis præter Sabbatha conceſſum non eſt. Sic enim Leuit. 23. *Nihil operis facietis in eo, Sabbathum requietionis eſt.* Ac ſi dicat; inſtar Sabbathi, omiſſa ſimilitudinis nota. Deinde, quia præceptum hoc ſeueriſſimè indictum: *Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac* (id eſt, quæ non ieiunauerit) *peribit de populis ſuis, & quæ operis quidpiam fecerit, delebo eam de populo ſuo.* Deinde, quia hoc ieiunium ſanctiſſimum, & celeberrimū reddit illum decimum diem, quod incipit à veſpera in veſperam, ſicut Hebræorum feſta ſolent: nam cùm eodem cap. 23. dictum eſſet; *Decimo die menſis huius ſeptimi dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur ſanctus.*

2. *Ieiunium pro tempore in quo non tuta nauigatio.*

3. *Hoc ieiunium fuit expiationis in Septembri.*

Digitized by Google

ſanctus, affligetiſque animas veſtras in eo. deinde addit. *Et affligetis animas veſtras die nono menſis*; redditque rationem accommodatam huic feſto expiationis, cuius tota ſolemnitas, aut certè maxima, in animarum afflictione, id eſt, ieiunio conſiſtit. *A veſpera*, inquit, *ad veſperam celebrabitis Sabbatha veſtra.* Magnum ergo ieiunium eſt, quod tantam ſolemnitatem, & ſanctitatem confert diei omnium pene celeberrimo. Accedit ad extremum quòd hoc tantùm ieiunium à Deo inſtitutum eſt; reliqua verò poſt longa tempora propter varios rerum euentus ab hominibus introducta. Quare mirum non eſt ſi ieiunium per antonomaſiam dicatur illud, quod in expiatione à Deo Hebræis indictum eſt.

4\. Intelligendum igitur de ieiunio expiationis, quia eo tempore iam mare incipit periculoſè turbari, & frigus ingruere. Nam etiamſi parum ſit nauigantibus pacatum mare mẽſe Decembri, ac Ianuario, quando alia ſunt Hebræorum ieiunia, tamẽ illa ieiunia non ita religioſa ſunt, aut antiqua, vt antonomaſticè *ieiunij* nomen ſibi vendicare debuerint. Et antequam hæc ieiunia prætereant, iamdudum impedimento eſt nauigationi pelagus; Septembre verò menſe ſub ieiunij expiationis tempus, procellæ ſolent eſſe & periculoſæ, & frequentes. Et noſtris nautis feſtum S. Matthæi magno ipſorum incommodo notum eſt; ita vt nautarum Prouerbij inſtar vſurpetur. Tradit præterea Philo Iudæus de legatione ad Caium in principio, per initium autumni poſtremã eſſe ſolere nauigationem reuertentium ad proprios portus ab omnibus emporiis; præſertim eorum, qui hyemare nolunt apud gentes exteras. Initium verò autumni eſt ab æquinoctio hyberno, cui proximũ eſt illud ieiunium. Idem Cæſar docuit lib. 5. *Ne anni*, inquit, *tempore nauigatione excluderetur, quòd æquinoctiũ ſuberat.*

Quomodo verò cætera cum hoc ieiunio conueniant, exploremus. 5.
Poſt hoc ieiunium inchoatam eſſe nauigationem illam, à qua Paulus conuectores diſſuadebat, conſtat ex textu, *cùm iam*, inquit, *non eſſet tuta nauigatio, eo quòd ieiunium iam præteriiſſet.* Ponamus vnum, aut alterum diem præteriiſſe: deinde antequam ad Melitam naufragi appuliſſent, præterierunt 14. dies; ſic enim Lucas. *Sed poſtea quartadecima lux ſuperuenit.* & Paulus. *Quartadecima die hodie expectantes ieiuni permanetis.* Addamus igitur ſedecim dies ſupra decem: nam in decimum diem celeberrimum illud ieiunium incurrit; tunc appulſus naufragorum ad Melitam incidet in vigeſimumſextum diem Septembris. Hinc numera tres menſes, qui exacti ſunt in ſtatione illa hyberna, vt colligitur ex cap. 28. *Poſt menſes autem tres nauigauimus in naui Alexãdrina, quæ in inſula hyemauerat.* Tunc rurſus reperita nauigatio incipit vigeſimoquinto Decembris, quo tempore tranquillum incipit eſſe mare illud Melitenſe, aut Siculum propter dies Alcyonios, quos maximè amant, & obſeruant nautæ.

Eſt autem notum, & à grauiſſimis authoribus proditum quatuordecim eſſe Alcyonios dies, ſeptem ante brumam, id eſt, hyemale ſolſtitium, in quibus hæ aues ſibi conſtruũt nidum; totidem poſt illam, in quibus pariunt oua, & fœtus excludunt. Ita Ariſt. lib. 5. de hiſt. animal. cap. 8. Plinius lib. 10. cap. 31. *Fœtificant*, inquit, *bruma, qui dies Alcyonides vocantur, placido mari per eos, & nau i* 6. Dies Alcyonij.

nauigabili, Siculo maximè: in reliquis partibus eſt quidem mitius pelagus, Siculum vbique tractabile. Quæ verba penè expreſſit ex Ariſtotele ſuprà Ambroſius lib. 5. Hexam. cap. 3. Hi ergo dies à nauigantibus præteriri non ſolent, maximè ſi breuis eſt curſus, qualis eſt hic è Melita Puteolos vſque, idque in mari Siculo, vbi, vt ſuprà Ariſtot. & Plinius, his diebus ſumma eſt tranquillitas, in quo Alexandrinæ naui inſtituendus erat curſus.

Verſ. 10. *Viri video, quoniam cum iniuria, & multo damno non ſolùm oneris, & nauis; ſed etiam animarum no-*
7. *ſtrarum incipit eſſe nauigatio.*] Cætera aperta ſunt; quid verò hoc loco ſit *iniuria*, obſcurum. Græcè μετὰ ὕβρεως, quæ vox iterum infrà ſubiicitur. Salmeron exiſtimat, *iniuriam* ſignificare hoc loco peccata nautarum, qui nihil curarent, quæ Dei ſunt, ex quibus Paulus potiùs, quàm ex aëre, & cœlo naufragium præſagiebat. Fortaſſe alius ſenſus eſt iuxta nominis Latini proprietatem, quæ non tantùm iniuſtitiam ſignificat, ſed etiam incommoditatem, iactationem, nauſeam, & quicquid aut valetudini, aut voluptati eſt contrarium; qua ratione dicimus *pati temporis, cœli, & ventorum iniuriam.* Erit ergo ſenſus, in ea nauigatione non tantùm ſubeundam vim procellarum, maris iactationem; ſed etiam propoſitum eſſe vitæ periculum. Niſi mauis ita accipere, vt iniuria irrogari videatur his, qui naui vehebantur, quando illi non ſolùm in iactandarum mercium, ſed etiam in vitæ perdendæ periculum coniiciantur.

Verſ. 31. *Niſi in naui manſerint, vos ſalui fieri non poteſtis.*] Decreuerat 8.
Deus quotquot in naui vehebantur ſaluare, idque Pauli precibus largitus fuerat, cui dixit Angelus. *Ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum*; ea tamen conditione, ſi nautæ non abirent. Solet enim Deus aliquid ita decernere, vt tamen adhiberi velit media conſueta. Sicut de oratione docuit Gregorius lib. 1. Dialog. cap. 8. *Ea quæ ſancti viri orando efficiunt, ita prædeſtinata ſunt, vt precibus obtineantur.* Idem pene Aug. de Eccleſ. dogmat. cap. 56. & hîc planè de nautis Paulus docet, quia nautarum labor, & induſtria regendæ, ac liberandæ naui naturali quodam modo ſubſidio ſunt.

Conditionatæ Dei promiſſiones aliquando.

Verſ. 33. *Quartadecima die hodie expectantes ieiuni permanetis.*] Scri- 9.
pturæ mos eſt, vt qui parum fecit, nihil feciſſe, & feciſſe omnia dicatur, qui parum omiſit: & aliquid omnino factum, quod factum fermè eſt. Vnde Ioannes dicitur *veniſſe neque manducans, neque bibens* Matth. 11. quia cibi fuit, ac potus parciſſimi. Vide quæ diximus cap. 1. ad illud. *De omnibus, ô Theophile.* Iuxta hanc dicendi figuram tot dies dicuntur vectores permanſiſſe ieiuni; quia vel propter periculi metum, vel propter iactationem, & nauſeâ parũ cibi, idq; pauidi, atque exanimati guſtauerat.

Ieiunus dicitur, qui modicũ guſtauit.

COM

COMMENTARII IN ACTVS APOSTOLORVM.

CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

ET cùm euaſiſſemus, tunc cognouimus quia 1
Melita inſula vocabatur. Barbari verò
præſtabant nō modicam humanitatem nobis.
** Accenſa enim pyra reficiebant nos omnes* 2
propter imbrem, qui imminebat, & frigus.
** Cum congregaſſet autem Paulus ſarmentorum aliquantam* 3
multitudinem, & impoſuiſſet ſuper ignem, vipera à calore cùm
*proceſſiſſet, inuaſit manum eius. * Vt verò viderunt Bar-* 4
bari pendentem beſtiam de manu eius, ad inuicem dicebant:
Vtique homicida eſt homo hic, qui cùm euaſerit de mari, vltio
*non ſinit eum viuere. * Et ille quidem excutiens beſtiam in* 5
*ignem nihil mali paſſus eſt. * At illi exiſtimabant eum in tu-* 6
morem conuertendum, & ſubitò caſurum, & mori. Diu autem
illis expectantibus, & videntibus nihil mali in eo fieri, conuer-
*tentes ſe, dicebant eum eſſe Deum. * In locis autem illis erant* 7
prædia principis inſulæ, nomine Publij, qui nos ſuſcipiens, triduo
*benignè exhibuit. * Contigit autem, patrem Publij febribus, &* 8
dyſenteria vexatum iacere. Ad quem Paulus intrauit: & cùm
*oraſſet, & impoſuiſſet ei manus, ſaluauit eum. * Quo facto,* 9
omnes, qui in inſula habebant infirmitates, accedebant, & cu-
*rabantur: * qui etiam multis honoribus nos honorauerunt, &* 10
*nauigantibus impoſuerunt quæ neceſſaria erant * Poſt men-* 11
ſes autem tres nauigauimus in naui Alexandrina quæ in inſula
*hyemauerat, cui erat inſigne Caſtorum. * Et cùm veniſſe-* 12

13 *mus Syracuſam,manſimus ibi triduo.* * *Inde circumlegentes de-*
uenimus Rhegium : & poſt vnum diem flante Auſtro, ſecunda
14 *die venimus Puteolos ,* * *vbi inuentis fratribus rogati ſu-*
15 *mus manere apud eos dies ſeptem:& ſic venimus Romam.* * *Et*
inde cùm audiſſent fratres , occurrerunt nobis vſque ad Appij
forum , ac tres Tabernas. Quos cùm vidiſſet Paulus, gratias
16 *agens Deo , accepit fiduciam.* * *Cùm autem veniſſemus Ro-*
mam , permiſſum eſt Paulo manere ſibimet cum cuſtodiente ſe
17 *milite.* * *Poſt tertium autem diem conuocauit primos Iudæo-*
rum.Cúmque conueniſſent, dicebat eis : Ego,viri fratres , nihil
aduersùs plebem faciens,aut morem paternum,vinctus ab Iero-
18 *ſolymis tràditus ſum in manus Romanorum,* * *qui cùm inter-*
rogationem de me habuiſſent, voluerunt me dimittere , eo quòd
19 *nulla eſſet cauſa mortis in me.* * *Contradicentibus autem Iudæis,*
coactus ſum appellare Cæſarem,non quaſi gentem meam habens
20 *aliquid accuſare.* * *Propter hanc igitur cauſam rogaui vos vi-*
dere, & alloqui.Propter ſpem enim Iſraël catena hac circumda-
21 *tus ſum.* * *At illi dixerunt ad eum : Nos neque literas accepi-*
mus de te à Iudæa , neque adueniens aliquis fratrum nunciauit,
22 *aut locutus eſt quid de te malum.* * *Rogamus autem à te au-*
dire quæ ſentis:nam de ſecta hac notum eſt nobis quia vbique
23 *ei contradicitur.* * *Cùm conſtituiſſent autem illi diem , vene-*
runt ad eum in hoſpitium plurimi , quibus exponebat teſtificans
regnum Dei,ſuadénſque eis de Ieſu ex Lege Moyſi, & Prophe-
24 *tis à mane vſque ad veſperam.* * *Et quidam credebant his,*
25 *quæ dicebantur;quidam verò non credebant.* * *Cúmque inui-*
cèm non eſſent conſentientes , diſcedebant dicente Paulo vnum
verbum: quia bene Spiritus ſanctus locutus eſt per Iſaiam Pro-
26 *phetam ad patres noſtros , dicens :* * *Vade ad populum iſtum,*
& dic ad eos : Aure audietis , & non intelligetis: & videntes
27 *videbitis , & non perſpicietis.* * *Incraſſatum eſt enim cor popu-*
li huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos compreſ-
ſerunt : ne fortè videant oculis , & auribus audiant, & corde

intel

intelligant, & conuertantur, & ſanem eos. * *Notum ergo ſit* 28
vobis, quoniam Gentib. miſſum eſt hoc ſalutare Dei, & ipſi au-
dient. * *Et cùm hæc dixiſſet, exierunt ab eo Iudæi, multam ha-* 29
bentes inter ſe quæſtionem. * *Manſit autem biennio toto in ſuo* 30
conducto: & ſuſcipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum,
* *prædicans regnum Dei, & docens quæ ſunt de Domino Ieſu* 31
Chriſto cum omni fiducia, ſine prohibitione.

IN CAP. VIGESIMVM OCTAVVM ACTVVM APOSTOLORVM.

Verſ.11. CVi erat inſigne caſtrorum.] Vſitatum vt naues in puppi geſtarent tutelares Deos, ſatis eſt notum. Hos Phœnices Patæcos vocant. Vide Heſychium in voce πατᾶικοι. De his Perſius.

1. Dij tutelares in puppibus.

——*Ingentes in puppe Dei.*

Ouidius lib. 1. de Triſtibus Elegia 3.

Monte nec inferior prora, puppique recurua
Inſilit, & pictos verberat vnda Deos.

Caluinica lumnia. Hinc Caluinus occaſionem arripit carpendi Catholicos, quòd Gentilium ſuperſtitionem imitati Deos habeant marinos, Nicolaum, Clementem, & ſanctum Elmum ſeu Eraſmum: ſed errat toto cœlo Caluinus: nec enim illos Deos Catholici, ſed ad Deum interceſſores, & patronos implorant. Quemadmodum autem quæ ſuperſtitioſè, & impiè fecêre Gentiles, Religioſè, ac piè Chriſtiani faciant, docet optimè Tertullianus lib. de Præſcriptionibus, & in Apolog. cap. 47. Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum. Vide Stapletonum in Antidotis ſuper hunc locum.

Ad Appij forum, & tres Tabernas.] Certum eſt oppida hæc eſſe hoſpitiis deſtinata, aut certè accommodata peregrinórum. Quorum meminêre Cicero ſæpe, & Horatius lib. 1. Satyra 5. oſtendit ibi eſſe caupones, & nautarum greges; quia nimirum ibi commodus nauigantium appulſus.

——*Inde forum Appij*
Differtum nautis, cauponibus, atque malignis.

Audi quid de his Iſidorus Peluſiota epiſt. 337. *Id quod à Luca dictum eſt in Actis Apoſtolorum, vſque ad Appij forũ, & tres Tabernas, formam quãdam, & effigiem ſignificat ante Romam proſtantem, ſimulacrum quoddam Appij habentem: quemadmodum ad hunc vſque diem Imperatorum imagines*

Digitized by Google

huius, aut illius fora nuncupantur. Per Tabernas autem Latina lingua hoſpitia quadam, aut cauponarum vſus deſignantur.

Verſ. 16. *Cum cuſtodiente ſe milite.*]
2. Non eſt Paulus incluſus cum reliquis vinctis in publicã cuſtodiam; ſed data eſt illi pro carcere priuata domus, quam ſibi pecunia Paulus conduxit. Quare infrà dicitur habitaſſe biennio in ſuo conducto. Quòd autem vagari, ſaltem in principio, illi non licuerit cum adiuncto ſibi milite, ſatis fit probabile, cùm primos in domum ſuam Iudæorum vocauerit. Quod pro ſua modeſtia non faceret, ſi liberiori vſus eſſet cuſtodia; quin ipſe aliorum domos potiùs obiiſſet. Cuius verò beneficio id conſecutus ſit, incertum eſt: hoc certum, à Deo ita rem eſſe diſpoſitam, vt eodem modo Romæ, quo Hieroſolymis Chriſtũ teſtificaretur. Videtur autem miles ille cuſtos eadem cum Paulo alligatus catena, vt moris eſſe Romanorum diximus cap. 12. cùm ageremus de Petri cuſtodia.

Libera Pauli cuſtodia

Verſ. 17. *Conuocauit primos Iudæorum.*]
3. Non ſolùm qui ex Iudæis facti Chriſtiani fuerant, ſed etiam qui in antiqua adhuc hærebant Religione vocati ſunt, & adducti. Neque difficile fuit Iudæos ſuæ gẽtis ſtudioſos (præſertim cùm principio neſcirent quàm eſſent grauiter animati in Paulum Iudæi alij, ſiue qui in Aſia, ſiue qui Hieroſolymis erant, vt ipſi ſtatim fatentur) conſtricti fratris vicem miſeratos videndi, aut conſolandi gratiâ cõuenire. Quòd verò etiam non fideles cõuenerint, ex eo conſtat, quia eorum nonnulli non audierunt Paulum, & ille viciſſim eoſdem graui Prophetarum teſtimonio percuſſit, quòd oblatam cœleſtem doctrinam non eſſent admiſſuri.

Verſ. 30. *Manſit autem biennio toto in ſuo conducto.*] Biennium poſuit 4.
Paulus in cõducta domo, id eſt, priuato carcere, vbi ſine vllo impedimento, quod alibi cùm ſolutus eſſet vix facere licuit, Chriſtum prædicabat. Quo modo verò cauſam ſuam apud Neronem egerit, ipſe ſcribit ad Timoth. epiſt. 2. c. vlt. Vide Euſeb. 2. lib. hiſt. c. 22. Diſceptatam fuiſſe Pauli cauſam in multis Prætoriis ipſe indicat non obſcurè epiſt. ad Philip. cap. 1. quæ data eſt Romæ, vt verba docent extrema. *Quia*, inquit, *quæ circa me ſunt, magis ad profectum venerunt Euangelij, ita vt vincula mea manifeſta fierent in Chriſto in omni Prætorio.* Vide totum caput.

Eſt autẽ mihi veriſimile, Iudæos, qui omni ratione Paulũ in odium, & inuidiam trahere, & illi necem omnino afferre moliebantur, varia confinxiſſe crimina, propter quę durè, atque ignominioſè Paulus plecti deberet: ſicut c. 24. Tertullus Orator ſiue inſtructus, ſiue corruptus à Iudęis, multa confinxit contra Paulum, à quib. ſe coram Felice Pręſide purgauit: cùm verò apud Romanos pro variis criminib. varia eſſent inſtituta Prætoria, vt de vi, de peculatu, de maieſtate, ideo dum illa à ſe Paulus ex more depellit, neceſſariò varia debuit obire Tribunalia, eóq; vincula, quibus ſtringebatur, inferre.

Porrò, pertuliſſe Paulum, dum 5.
eſſet Romæ, quamplurima incommoda, tum à domeſticis, de quibus eodem ad Philippenſes loco. *Quidam Deũ annunciant per inuidiam, & contentionem; quidam non ſyncerè, exiſtimantes preſſuram ſe excitare vinculis meis*, tum ab externis, quibus vile erat, atque odioſum Iudæorum nomen, & ante quorum aſpectum per varia Prætoria vincula ignominio-
ſa

Paulus Romę grauia paſſus.

Digitized by Google

ſa trahebat, mihi certum eſt. Vtrũque Paulus ipſe teſtatur, dum ait ad Timoth. 2. c. 4. *In prima mea defenſione nemo mihi adfuit: ſed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur,* &c. *& liberatus ſum de ore leonis.* Leonem autem illum Neronem fuiſſe, qui libidini potiùs ſuæ, atque furori, quàm rationi parebat, cõmunis eſt Interpretum ſentẽtia. Confortatum ſe, & viſitatum à Chriſto, qui ſibi tunc affuit, cùm ab aliis in eo diſcrimine deſertus eſt, tradit ibidẽ Paulus: ex quo etiam coniectare licet quàm anguſtè premeretur Apoſtolus, quem Dominus confirmauit, languentem fortaſſe, & in tali ſtatu, qualem ſe habuiſſe dicit in Aſia 2. Corinth. 1. *Quoniam ſupra modum grauati ſumus ſupra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere.*

Quid Paulus iam à vinculis & ab eo diſcrimine liberatus egerit per 10. circiter annos, incertum eſt, à quarto nempe Neronis anno, quo Romam ingreſſus, ſeu, vt alij volũt, à quinto (quod Baronio placet 1. to. Annal. anno Chriſti 59.) ad 14. ſeu ad 13. annum eiuſdẽ Imperij, id eſt, ad annum Chriſti 69. quo cum Petro Romæ ab impura, & immani bellua interfectus fuit. Neque enim, vt vides, vlteriùs proceſſit Apoſtolica hiſtoria, quam ſcripſit Lucas. Quid Paulus hinc ad mortem vſque geſſerit, tractat Salmeron in Acta tract. 29. & Baron. to. 1. Annal.

Quòd verò de Pauli in Hiſpaniã profectione nemo fere dubitat, neque ab hoc noſtro labore alienũ eſt; diſputabimus ea de re paulo longiùs, vbi de Iacobi in Hiſpaniã aduẽtu, quod antea promiſimus, egerimus. Cui diſputationi & adiungemus, quod nonnullis quoque viſum eſt, Petrum quoque commoratum in Hiſpania & eò Euangelicam lucem intuliſſe.

Hìc ſit finis Commentariorum in Acta ad gloriam Dei, & B. Virginis, & P. N. Ignatij: quos non Eccleſiæ ſolùm, quod neceſſe eſt, ſed doctorum hominum cenſuræ ſubiectos eſſe etiam, atque etiam volo.

ROMA

LAVS DEO.

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERVM, ET VERBORVM QVÆ IN his Commentariis continentur.

Prior numerus caput, poſterior numerum capitis; P. proœmium operis deſignat.

A

Abraham.

Illi Deus apparuit in gloria. 7. 3. mortuo patre egreſſus eſt de Haran. 7. 5. & deinde bis vocatus à Deo. ibid. 10 Genitus anno 130. patris Thare. ibid. 11. fuit fratrum minimus. ibid. 12. Nihil ei datum à Deo in terra promiſſionis. ibid. 19

Acceptio perſonarum. 9.40

Acheldema. Vide *ager figuli.*

Acta Apoſtolorum.

A Conſtantino cælata in candelabris. P. 6. cur ſcripta à Luca. P. 11. à multis falsò, & perfidiosè conſcripta. P. 13. ab aliis contaminata. P. 14. à quo loco Apoſtolica incipit Hiſtoria. 1.21

Liber Actuum.

Obſcurus. P. 3. à paucis expoſitus. P. 4 vtilis ad mores. P. 5. & 6. & contra Hæreticos. P. 7. eius author Lucas. P. 8. à quibuſdam cõtaminatus. P. 14. eius inſcriptio. P. 15. Pars quædam Euangelij. 1.1

Adoleſcens dicitur qui ætate grandis modò acer, & ſtrenuus. 7. 117

Adulatio. 12.38

Ager emptus ab Abraham, an idem qui emptus à Iacob. 7. 4. & deinde.

Ager figuli.

Quomodo à Iuda poſſeſſus. 1. 37. cur dictus figuli. 1. 46. aptum nomen ſepulcris. 1. 47. nomen commune ſepulchri ſeu cœmeterij. 1. 44. idem quod Gehenna, vel Topheth. 1. 49

Æthiopia.

Ibi regnant mulieres, quarum nomen commune *Candace.* 8.26

Ægyptus.

Maximè ad fœcunditatem idonea. 7.31

Ægyptij diſciplinas quaſdam edocti à Iacob, & Ioſepho. 7.60

Agrippa inceſtuoſus. 26.5

Agrippa alter, qui Herodes. Vide *Herodes.*

Alcyonij dies. 27.6

Aliquis magnum quid ſonat. 5.16

Ambo ad plures duobus aliquando refertur. 19.19

Amorrhæi dicuntur alij etiam populi,

puli, qui terram promiſſionis habitarunt. 7.54

Angelus.

Quid præſtiterit Hebræis in via. 7.76

Apparuit Patribus cùm Deus dicitur illis apparuiſſe. 7.79. per Angelos lex diſpoſita. 7.102

Anima pro vita. 20.9. quanti facienda. 10.11

Ananias Pontifex.

Pontifex erat ſummus. 23.1. eius hypocriſis. 23.5. Quomodo ignotus Paulo. 23.7

Ananias, & Sapphira.

Quo animo bona tulerint ad Apoſtolos 5.6. An illis Petrus mortem imprecatus. 5.8. quæ cauſa mortis. ibid. An mulctati æterna morte. 5.9. probabilius eſt fuiſſe temporariam. 5.10

Apoſtoli.

Apoſtoli nomen antiquius Euangelio. P. 16. quid propriè ſignificet. P. 1.17. Paulus priùs fuit Apoſtolus Synagogæ. P. 18. Apoſtoli munus. P. 20. duodecim. 1.35. non conſtat prohibitos eſſe annunciare Euangelium Gentibus poſt aduentum Spiritus ſancti. 10.5. Poſt aduentum Spiritus ſancti ſoluti Apoſtoli à præcepto nō euangelizandi Gētibus. 10.6. etiam poſt laxatum præceptum priùs agebant cum Iudæis. 10.7. non erat cur differretur prædicatio ad Gentes poſt aduentum Spiritus ſancti. 10.14. Manu & arte victum quærebant. 18.7

Apoſtolicus vir.

Apoſtolici viri munus. P. 20. Qualis futurus. 9.11. eius zelus, obedientia, & conſtantia. 20.8. charitas, & manſuetudo cum his, quibus euangelizat. 20.16

Ara ignoto Deo quando excitata. 17.8

Atati teſtimonium. 17.16

Aretas commune nomen Regum Arabiæ. 9.16

Arcus, & gladius, Prouerb. 7.55. pro pecunia. 53

Azyma.

Azymorum dies ſeptem. 12.9. primo die Azymorum Chriſtus occiſus. 12.12. & eſt probabile non fuiſſe lege prohibitum. ibid. cur decimaquarta Luna dicatur dies Azymorum. 12.11. cur à Ioſepho dicantur octo dies Azymorum. ibid. 14. Luna non erat dies feſtus. 12.21

B

Baptiſmus.

Datus à Ioanne, & quibus. 1.14. & 19.1. an collatus à Chriſto, & quibus. 1.14. Quæ forma eius. 2.94. aliud eſt baptizari in nomine Chriſti, aliud in Chriſto, aut in eius morte. 2.95. Baptiſmus Chriſti cum inuocatione trium perſonarum. 19.2

Barieu, ſeu Bar-Ieſu quis. 13.8

Barnabas quando ordinatus Epiſcopus 13.6. diſcedit à Paulo. 15.40

Beneficium iuſtè negatur, & miſericorditer ei, qui eo non vtitur. 7.77. 16.2

Benjamin.

Cur dictus paruulus iam grandis natu. 13.31. cur filij Benjamim nondum nati dicantur ingreſſi Ægyptum. 7.36. & 37

Beza malè reprehēdit Auguſtinum. 1.54

Blaſphemiæ deteſtatio. 7.104. in ea ſciſſæ veſtes. 14.4

Bonus appellatur candidatus: & electus è multis optimus. 1.7

Buc

Digitized by Google

Buccella,& panis buccellatus, quid. 2.110

C

Cæſarea triplex. 10.24
Calceamenta deponunt, qui nuptias derrectant.7.72.& qui loca ſancta ingrediuntur.7.73.& 13.44
Caluitium quid. 19.13
Candace nomen commune Reginarum Æthiopiæ. 8.26

Caput.

Nudum geſtabant Iudæi, 19.8. Tegebant in luctu.19.9. cur aperiẽdum in oratione.19.11. leproſi cur aperto capite.19.12.cur aſpergitur puluere. 22.7

Carcer.

Carcer Petri extra ciuitatem. 12.28.dictus *tenebræ exteriores*.12.29. in carceribus duæ portæ.12.28.in carceribus Palæſtinæ locus teter, & profundus,qui lacus, & fouea dicebatur. 12.30
Carpocratiani ſe Chriſtianos dicebant,vt Chriſtianum nomen obſcurarent. 11.8
Catena eadem vinctus Petrus, & milites eius cuſtodes.12.27.Item Paulus,& cuſtos. 28.2

Cathedra.

Antiochiæ quando fundata.10.19. durauit ibi ſeptem annis. ibid. fuit Catholica,id eſt, vniuerſalis. 10.21. quando fundata Romæ. 11.2
Ceruix dura. 7.99

Chriſtus.

Quos baptizauit.1.14.qui dicti eius fratres.1.29. Chriſtus Propheta. 3.27.vnctus vt Rex,Sacerdos, & Propheta. 10.53. ludibria, quæ Chriſtus paſſus,ante eius tempus videntur fieri ſolita. 12.40. Chriſtus crucifixus Gentibus ſtultitia.26.3.Sãctus, Chriſti nomen.2.88. quanta ſimilitudo inter Chriſtum, & Moyſem.7.75. Chriſtus victima.8.30. Chriſtus volens Paſſionẽ ſubiit.8.32.Chriſti patientia, & ſilentium.8.32. Chriſtus vnctus vt Rex, Sacerdos,& Propheta. 10.31

Chriſtiani.

Primùm ſic vocati Antiochiæ.11.5. ab ignaris dicti Chreſtiani.ibid. 6.varia habuerũt nomina.ibid.7
Cerinthus author ſeditionis.10.1
Circunciſio cordis, & aurium. 7.90. cur circumciſus Timotheus. 16.1
Cœli ornatus dicitur militia.7.82. ſedes Dei. 7.108
Cœnaculum. 2.26
Cohors ex Romanis quæ miſſa fuit ad capiendum Chriſtum. 4.5.& quæ ad cuſtodiam ſepulcri. ibid.
Coma Nazaræi oblata Deo.21.7. item Gẽtilium ſuis Diis.ibidem. cur ante ingreſſum templi raditur à polluto Nazaræo. 21.8
Communia fidelium bona. 4.19.in Eccleſia Alexandrina.4.23.commune idem quod immundum. 10.9
Concilium quod ſeniorum.4.7. ad illud quando vocatus Magiſtratus templi.4.4. Concilio Apoſtolorum qui interfuerunt. 14.3
Comparatio ſuperlatiua inter duos. 1.3
Confeſſio ſacramentalis. 9.20
Compunctio cordis. 2.89

Confirmatio.

Quæ forma eius.8.12.An in principio Eccleſiæ oleum adhibitum.8.13.dicitur manuum impoſitio.8.17.
Conuerſio peccatoris ad Deum. 3.37.Dei ad peccatorem. ibid.
Coriarij extra vrbem. 9.14
Corona adhibita in ſacrificiis. 14.3

Credentes dicti Chriſtiani. 11.7
Cuſtodia pro vinctis. 27.1

D

Dauid.

EIus ſepulcrũ.2.71.ibi aurũ infoſſũ.ibid. 72.diu ſeruatũ.ibid.76. An Dauidis oſſa diſperſa à Chaldæis.ibid.74.Nõ erat ætate paruulus quando vnctus à Samuël. 13.30.cur non cognitus à Saül cùm priùs illi domeſticus.13.32. quomodo ſecundùm cor Dei.13.41.Quæ ſit domus Dauid. 15.12
Decabæus quid. 7.51
Decem tribus quò tranſlatæ. 7.95
Deleri de terra. 3.29
Deuouere ſe, quid. 23.17. iampridem vſitatum Iudæis. ibid.

Deus.

Quomodo in Deo conſilium. 2.54. cur apparuit in rubo.7.70. Per Angelos repræſentatus in teſtamento veteri.7.69. eius ſedes in cœlo.7.98.eius cognitio ex creaturis.17.17.Quomodo ſuperiora tempora neglexerit.17.21. de illo Gentilium teſtimonia.17.19. Quæ Gentilium de Deo cognitio. 17.9.&ibid.14
Dij Gentium. Vide *Gentiles.*
Dextra manus. Vide *ſedere.*
Dianæ ſimulacrum è cœlo lapſum fingitur. 19.27

Dies.

Diei partes.2.34.3.1. dies apud Romanos, Babylonios,& Perſas incipit ab ortu Solis. 12.10
Doctor quis. 13.1
Duodenarius numerus. 2.39

E

ECcleſia Regnum Dei.2.13.ſpõſa Chriſti. 20.12
Elamitæ. 2.29
Electio per Spiritum ſanctum. 2.11
Elimas quid ſignificet. 13.10
Epheſus,& Epheſiæ literæ. 19.21

Epiſcopus.

Epiſcopus etiã dicitur presbyter. 14.9.quomodo ſuffragiis, & approbatione populi electus. ibid.
Et cauſalis particula. 7.21.& expoſitiua. 7.20

Euangelium.

Euangelium gratiæ.20.10.Euangelij filij. 20.14.

Euchariſtia.

Eius vſus valdè vtilis.2.103. ſeruata domi. 2.108. quomodo panis Euchariſticus frangebatur.2.105

Exorciſtæ.

Exorciſtæ apud Iudæos.19.16.olim malè audiebant. 19.17

F

FAmes ſub Claudio. 11.10

Fides.

Quæ neceſſaria ad miracula. 3.13. non ſufficit ſola ad ſalutẽ.10.34. quomodo iuſtificet. 15.7. fides pro Euangelio, aut profeſſione Chriſtiana.ibid.fides cum pœnitentia. 20.7

Fideles.

Habebant omnia cõmunia.2.104. nõ tamẽ ex præcepto 4.22.emittere ſoliti paupertatis votum.5.1

Filius.

Prophetarum regni, & promiſſionis.3.35. filij nõdum nati cur numerati in quibuſdã Patriarcharum,in aliis omiſſi. 7.37
Fœlix Præſes quis.23.18.eius libido. 24.6
Fratres Chriſti qui. 1.29
Funus dicitur planctus. 8.3

G

Gamaliel quis. 5.14
Gaza duplex. 8.25

Generatio idem quod *creatio.* 17.18
Genus, ſoboles. 17.19
Genus alterius linguæ retinent aliquando Interpretes. 5 4.20.15

Gentiles.

Deos ſuos in via ſecum portabant. 7.97. conuerti cœperunt ſtatim in principio Eccleſiæ.10.15. Quomodo dimiſſi, aut deſpecti dicuntur à Deo.14.5. Quanta illis Deorum turba. 17.5. & cur. 17. 14. Aliqua illis de vero Deo cognitio.17.9.& ibid 14. Aliqua illorum teſtimonia de Deo. ibid. 15. Imagines Deorum ſecum geſtabant.19.25 Gentilium amuleta.19.24. Gentiles quomodo tẽplum ingreſſuri.21, 11. Deos tutelares gerebant in puppibus. 28.1

H

HAran cur dicta Charran. 7.4
Hæreſis vocẽ refugit Paulus. 24.5.

Hebræi.

Fuerunt in Ægypto annos 215.7. 24.& deinde mirè eorum ſoboles propagata. ibid. 31. quo numero ingreſſi in Ægyptum. ibid. 32. in eo numero quomodo Stephanus cum Moyſe conſentiat. ibid.

Herodes.

Omnes Herodes binomines. 12.8. Herodes Agrippa quando occidit Iacobum. 12.2. illuditur ab Ægyptiis. 12 39. moritur. ibid. 38

Homo.

Carnes è viuis hominibus abſciſſæ in cibum adhiberi ſolitæ. 15.26.
Homo quomodo genus Dei. 17. 18
Horarum diuiſio. 31

Hypallage vſitata in Scriptura 2. 60.& 14.11

I

Iacob Patriarcha.

ÆGyptios docuit. 7. 70. ſepultus in Hebron.7.38. agrũ emit centum agnis.ibid.50. eũdem tulit de manu Amorrhæi in arcu,& gladio. 54.

Iacobus Epiſcopus.

An Apoſtolus fuerit.15.9. nihil decernit in concilio; ſed proponit ſententiam ſuam. 15.15

Iacobus maior.

Occiſus anno 2 Claudij 11.2. veriſimilius eſt fuiſſe occiſum ante dies Azymorum. 12.61
Idolis immolata prohibita, & cur. 15.25

Ieiunium.

Ieiunant Iudæi diebus feſtis ad ſextam. 2. 35. Ieiunium à quo nauigatio non tuta quod.27.2. Ieiunium expiationis.ibid. ieiunus dicitur qui parum guſtauit. 29. 9

Ieſus.

Nomen olim commune.13.9. Ieſu ſpiritus.16.3. Vide *Chriſtum.*
Ignis non deſcendit in Apoſtolos; ſed ſplendores quaſi ignis.2.20. ſumitur pro quouis cruciatu. 3. 31
Ignis antecedit Perſas. 7.91
Ignotus Deus, quis,& quæ eius ara. 17.8.& 9.

Imagines.

Quædam finguntur de cælo lapſæ. 19. 27. Geſtari à Gentilibus ſolitæ pro amuletis. 19.24. & 25
In idem quod *cum.* 7.78
In idem quod *propter.* 7.110
Inferni dolores qui. 2 56. ſicut dolores mortis. 2.61

Ingratis magna imminent mala. 7.77

Intrare, & *exire* omnem poteſtatem ſignificat. 1.53

Ioannes quos baptizauit. 1.14

Iſraël intelligitur in Iuda.1.18.Iſraël decem tribus quò tranſlatæ. 7.105

Iudæi.

Dicti alij etiam, qui non è tribu Iuda.1.18. non ſinebant ſuſpenſum pernoctare in cruce.1.42. eorum ignorantia circa Chriſti mortẽ. 3. 14. ſumunt nomina ab illis locis vbi degunt.6.6. licebat illis Gentes docere. 10.4. & aliquem morte condemnare. 12.14. non tamen in crucem âgere.12.16.Roma pelluntur à Claudio. 18. 3. qui ſcholas obibant doctrinæ gratiâ,artem aliquam docebãtur. 18. 6. Habebant tunicas longas. 19.15. Eorum odium in Paulum. 25.1

Iudas proditor.

Suſpenſus, & eius viſcera diffuſa. 1.38. quomodo poſſederit agrum. 1.37. eius commoratio deſerta. 1.51

Iudas Galilæus. 5.17

Iuſtitia pro omni virtute.10.23.precipuè pro miſericordia. ibid.

L

LAborantes, qui funus curant.8.3 Lapis in caput anguli; Prouerbium, & vnde natum. 4.10

Lapidatio extra ciuitatem.7.105. & 14.7

Leuitæ licebat habere poſſeſſionem extra terram promiſſionis. 4.21

Liber vitæ. 3.32

Lignum tormenti genus.16.14. foraminibus diſtinctum. ibid.

Lingua.

Hebraicæ linguæ varia idiomata.1.4. Varia corruptio illius. 2. 23. linguæ animalium varia figura.2.19. lingua dicitur ignis eius flamma.2.20. vna lingua locuti Apoſtoli, & variæ auditæ. 2.24

Lucas.

Actorum ſcriptor, idem alibi Lucius. P. 8. quando cœpit ſocius eſſe Pauli. 16.5

M

MAgiſtratus templi quis.4.2.ex Romanis,qui cum Sacerdotibus in quibuſdam cauſis deliberabat. 4.4

Magica ars apud Epheſios. 19.21

Maledictio non ſolùm imprecatio; ſed etiam conuitium eſt. 23.6

Manus.

Per illius impoſitionem confertur, aut optatur beneficium.8.15. deſtinatur homo alicui miniſterio, aut morti. 8. 16. lauandis manibus innocentia oſtenditur. 16.8. ſedere ad dexteram, honeſtus locus in honore, & pace; ſecus in periculo 2.65

Mariæ dignitas. 1.28

Matthias quo ſigno electus. 1.62

Medium quid. 1.32

Melchon quis.7.86. idem qui Moloch. 7.90

Moloch quando oblatum ſacrificium. 7.87

Menſa, ad quam præſertim inſtituti Diaconi, Euchariſtica fuit. 6.3

Meſopotamiæ partes duæ. 7.1

Meſſis hordeacea tempore Azymorum.2.3. meti manipuli poterãt die Sabbathi. 2.12

Miniſtro pro ſacrifico. 13.3

Miniſterium, diſtributio bonorum communium.6.2. & miniſtratio ad menſam. ibid.3. & 11.11

Miraculis quæ fides neceſſaria. 3.13

Miſſæ ſacrificij an aliqua mentio in Actis. 13.2

Mittun

Mittuntur etiam ſuperiores ab inferioribus. 8.10
Mors in Domino. 7.110

Moyſes.

Qui eius parentes. 7.25. Sapientiſſimus. 7.60. Documēta multa dedit in ſymbolis. 7.62. Eloquens. ibid. 63. Non peccauit occidēdo Ægyptium. ibid. 64. Illi datus Angelus viæ comes. 7.76. Inter Moyſem, & Chriſtum quanta ſimilitudo. 7.75

Mulier.

Super mulieres deſcendit Spiritus ſanctus. 2. 23. Grauia mala per mulieres inducta, maximè ſi ſpeciem habeant ſanctitatis. 13.61

Mundus.

In æquinoctio verno creatus. 2.5. & deinde, in eius principio multa extra communem ordinem naturæ. 2. 9. Quæ mundi ſecunda ætas. 7.18

N

Nazareus.

Eius votum duplex, perpetuum, & temporarium. 18.5. Nazaræus pollutus quomodo purificandus. ibid. 16. purificandus in templo. ibid. 17. Paulus fuit Nazaræus. ibid. quando, & quoties raditur Nazaræus pollutus. 21.8. coma eius oblata Deo. 21.7.
Neruus tormenti genus. 16,14.

Nomen.

Ponitur pro perſona. 1.33. nomina multa Latina in textu Græco noui teſtamenti. 1. 57. Quid ſit aliquid fieri in nomine alicuius. 2.93. Nomina patronymica Hebræorum. 7. 47. Multa nomen habent ab iis regionibus, vnde tranſlati. 7.88. Quid ſit *nomen inuocari ſuper aliquem.* 15.13. Nomina ex diuerſis linguis compoſita. 18.5

O

Obedientia. 20.8. ibid. 9
Occaſio peccandi tollenda. 15.32.
Opus bonum ſcriptum in memoria Dei. 10.46. Vanum perit. ibid.
Optimus dicitur qui eſt in Magiſtratu electus ex candidatis. 1.7.

Oratio.

Eius locus. 1. 27. & 3.1. Telum fortiſſimū. 7.56. & 10. 27. in diſceſſu fieri ſolita. 20. 17. in locis excelſis. 10.5
Orator ſurgit ad dicendum. 1.31
Oratoria extra vrbem. 1. 25. & 16.7. quod opportunum. 2.17
Ouis pro pecunia. 7.51

P

Panis quomodo fractus. 2.109. panis Euchariſticus. 20.1
Palæſtinæ tecta non faſtigata, ſed plana. 4.9

Paſcha.

Propriè dicitur tempus in quo immolatur agnus. 12. 20. partim pertinebat ad Lunā 14. partim ad 15. ibid. Paſcha dicebantur omnia ſacrificia in omnibus diebus Azymorum. 12. 22. item dies ipſi Azymorum. 12.24
Paſſionis Chriſti dies magnus, & terribilis. 2.47. quomodo Paſſio Chriſti definita. 2.53
Paſtoris vita ſymbolum & proœmium Regiæ, aut Pōtificiæ. 7,68

Patriarcha cognationis, & familiæ princeps, & author. 2.70. Ita vocati duodecim filij Iacob. 7.38
Pauperes cur ad templi fores. 3.2
Paupertatis votum emitti ſolitum à fidelibus. 5.2

Paulus.

Cur pingitur ad dexteram Petri. 2. 66. Adoleſcens non tam ætate, quàm ardore, & audacia. 7. 117. Quoto anno ætatis ſuę mortuus. 7.118. Quo anno conuerſus. 9.3. Ipſe cæcus, non ſocij. 9.1. Ante conuerſionem vocatus à Deo. 9. 5. Vocatus ab Hebræis Saül. 9.4. Probabile eſt triduo, cùm primùm conuerſus eſt, accepiſſe Euangelium. 9.7. Eius laus. 9.10. Non ſolùm Gentium; ſed etiam Iudæorum Apoſtolus. 9.12. Cur dictus Gentium Doctor. 9.13. In Paulo multa extraordinaria. 9. 14. Quando ordinatus Epiſcopus. 13.6. Quãdo pro Saulo Paulus vocari cœpit. 13.11. Cur nomen Sauli mutatum. ibid. Quæ illius ſtatura, & habitus corporis. 14.1. Fuit eloquens. ibidem. Lapidatus intra ciuitatem. 14.7. Virgis cæſus. 16.12. Iudæorum ſe inſtitutis accommodat. 15.16. & 21. 3. Quando ſcripſit Epiſtolam 1. ad Corinth. 15.20. Diſcedit à Barnaba. 15.38. Grauiter tulit, puniitque Marci in conſtãtiam. 15. 39. Pauli prudẽtia. 17.10. ibid. 23. & 23.11. Quandiu Athenis moratus. 18.1. Pauli admirabilis cõſtantia. 21.1. & 24.6. Literas Pontificias ſeruauit. 22.1. Eius zelus in Iudæos. 22.3. In ore cæditur. 22.2. Non imprecatur malũ Sacerdoti, ſed denũciat. 22.3. Phariſæus ſecta. 23.12. Defenditur à mendacij calumnia. 23.13. Paulo Chriſtus non ſemel apparuit. 26. 2. Eius cuſtodia libera Romæ. 28. 2. Grauia paſſus Romæ. 28.5.
Peccator plura impendit dæmoni, quàm ab illo exigit Deus. 7.85. eius ſtatus. 8.23.
Peccatum ſtat in iudicio contra reum. 7.119.

Pedes.

Pedibus ſuppoſiti victi. 2.86. Pedes nudi ad ingreſſum loci ſacri. 7. 73. item ſignum ſeruitutis, & calamitatis. ibid.

Pentecoſte.

Quo tempore celebrata. 2.1. cuius rei gratiâ. ibid. à Reſurrectione ad Pentecoſtem 50. dies. 2.10
Perſarum Rege Solem colunt, & Solis nomẽ ſibi arrogãt. 7.91. Eos antecedit ignis. ibid. 92
Perſonarum acceptio. 10.18

Petrus.

Eius prudentia. 2. 49. ibid. 54. ibid. 70. ibid. 78. & 10.13. Cur ad eius dexteram Paulus pingitur. 2.66. non eſt imprecatus mortẽ Ananiæ. 5. 8. Nihil eius excellentiæ incommodat quòd ab aliis miſſus dicatur. 8. 10. Calumnia hæreticorum contra Petri excellentiam. 5.14. Se Iudęis accommodat, vt vitet offenſionem. 15.15. Petrus in Hiſpaniam venit. 28.7
Phariſæi qui; & quo diuerſi à Sadducæis 23.10.
Philippi Romanorũ Colonia. 16.6
Pœnitentia vera, & eius ſigna. 2.90. Sumitur interdum pro ſuo effectu. 11.2
Populi ſuffragiis, aut approbatione quomodo eligebatur Epiſcopus. 14.9

Præceptum.

Eius prima violatio ſeuerè punita ad aliorum exemplum. 5.1. Eſſe poteſt de rebus à natura pręſcriptis.

Digitized by Google

pris. 15. 34. & de rebus antè præceptis.ibid. Præcepta antiquæ legis inſtitui poſſunt, quæ non ſignificant Chriſtum venturum. 15.37
Prælati periculum. 2.11
Preſbyter dicitur Epiſcopus. ibid.
Principis Synagogæ quod munus. 13.16
Prodigia, ſigna, virtutes, quomodo differant. 2.52

Propheta.

Quot modis ſumantur. 2. 39. Omnes de Chriſto propherarunt. 3. 15. fuerunt in nouo teſtamento. 11.9. Qui ſint Prophetæ. 13.1
Promiſſiones Dei aliquando conditionatæ. 7.8
Proſelyti ad Pentecoſtem venerũt ex omnibus locis in Ieruſalem. 2.28
Proximum multa ſignificat. 13.17

Pſalmi.

Eodem modo inchoari, ac finiri ſolent. 13. 48. Secundus Pſalmus pars primi exiſtimatur. ibid.
Puluis cur excutiendus. 13.63. in capire ſignum doloris. 22.7
Pytho, quid. 16.10

Q

QVaternio, quid. 12.26

R

REfrigerium, quid. 3.17. Tempora refrigerij. ibid.
Reſtitutionis tempus. 3.19
Rempham, quid. 7.89
Renunciatio bonorum in principio Eccleſiæ non tam præcepta, quàm laudata. 4.22

Reſurrectio.

Dies Reſurrectionis Chriſti quo ſenſu terribilis. 2.48. Reſurrectio iuſtorum. 3. 18. Dici poteſt refrigerium. 3. 17. Dicitur generatio. 13.51

Romanus.

Quis Romanus aduena. 2. 30. Romanus erat Magiſtratus templi. 4. 4. Romana erat cohors, quæ miſſa ad comprehendendum Chriſtum, & quæ præpoſita eſt cuſtodiendo ſepulchro. 4.5. Romani Præſides de cauſis alienæ Religionis non iudicabant. 18. 12. Romanorum immunitas. 22.8

S

Sabbathum.

SAbbathi iter. 1. 22. Sabbathum ſecundoprimũ. 2.4. Sabbatha in plurali pro vltimo die hebdomadæ. 13. 14. Singulis Sabbathis Scriptura exponitur. ibid. 15
Sacerdotium ſummum alternis annis inter Annam, & Caiphã. 4.8

Sacrificia.

Quomodo in deſerto dicantur nõ oblata. 7.83. Quędam niſi in terra promiſſionis non obligabant. 7.84
Sadducæi qui. 4.1
Samaritanorum origo, & Religio. 8.6.
Samuel gubernauit 38. annos, & iuuenis ſuſcepit gubernacula. ibid.

Sancti

Sanctorum interceſſio. 3. 10. Chriſtiani vocati olim ſancti. 9.8. Cur Papa dictus Sanctiſſimus. ibid.
Sanctus, nomen Chriſti. 2.88

Sanguis.

In ſanguine non prohibetur homicidium. 15. 24. Multæ nationes eo victitarunt è viuis corporibus expreſſo.

Digitized by Google

expreſſo. 15. 25. Quod accidiſſe ante diluuium Noë probabile eſt. ibid. Vide *Hom*. Sanguis animalium dæmoni oblatus. 15. 33. Sanguinem Deus ſibi exigit. ibidem.

Saül.

Non regnauit. 40. annis. 13. 23. neque viginti. 13. 29. ſed tantùm duos. 13. 25. Iam grandis natu Regnum iniit. 13. 39. primo anno Regni fuit reprobatus. 13.34
Scenofactoria ars quæ. 18.4
Secari ac *diuidi* pro quocumque graui cruciatu. 3.31
Seditio diſceptationem ſignificat. 15.2
Sedere à dextris in honore, & pace honeſtius, ſecus in periculis. 2.65
Seminiuerbius, quid. 17.4
Semicinctium, quid. 19.14
Seniorum concilium. 47. Seniores Sacerdotes, & Epiſcopi dicuntur. 20.4
Septuaginta Interpretum quanta authoritas in annorum numeris. 7.33

Sepulchrum.

Commune toti familiæ. 2. 70. eius forma. ibid. ſepulchrum Dauid. 2.71. Vbi fuerit ſepulchrum Patriarcharum duodecim. 7. 38. & deinde.
Seruitutis ſignum pedes nudi. 7.73
Signa quo differant à prodigiis, & virtutibus. 2. 52. Quo ſigno declarata electio Matthiæ. 1. 57. Signis Deus oſtendit quid velit. 4.15
Silas idem qui alibi Syluanus. P. 10
Simonis Magi arrogantia. 8. 7. An ex animo crediderit. 8. 8. An excommunicatus à Petro. 8.21
Sina etiam ante Moyſem locus religioſus. 7.74
Somnium, & *viſio*, quid. 2. 40. Non omnes, qui ſomnis docentur, Prophetæ. 2.41
Sortibus quando locus. 1. 59. Sors quid. 1.60

Spiritus ſanctus.

Eius virtus. 1. 18. Sonus ſuauis in eius aduentu. 2. 17. Quomodo à Chriſto miſſus. 2.79

Stephanus.

Quæ illi obiecta crimina. 6. 8. Nudum fuiſſe lapidatum veriſimile. 7.106
Sudarium, quid. 19. 5. Probabile eſt eſſe tegumentum capitis. ibidem. 6
Suffocatum in Scriptura eſt à quo ſanguis non eſt expreſſus. 15. 31
Surgere Oratores ſolent. 1.5

T

Templum.

In templo quomodo Deus. 7. 97. Apud Iudæos maximè religioſum. ibid. Templorum dignitas. 17.10
Tempus nouiſſimum quod. 2. 36. Temporis diſpenſator Deus. 17.13
Terra promiſſionis quomodò diſtributa. 13.18

Thare.

Eo mortuo egreſſus eſt Abraham. 7. 5. Cœpit generare anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo. 7. 11. Genuit Abrahā anno ætatis centeſimo trigeſimo.

trigeſimo. 7.11. Non fuit idololatra. 7.8
Theophilus Magiſtratum geſſit. 1. 6. In eius domo erecta Eccleſia. ibid.
Teudas impoſtor. 5.15
Timotheus cur à Paulo circumciſus. 16.1
Tolli de terra eſt mori. 22.5. Tolli eſt in crucem agi. 8.32
Trulli canonum quæ authoritas. 6.5.

V

V*As* multa ſignificat. 9.9

Verbum.

Verbi ſignificatio latè patet. 8.20. Verbum gratiæ, quid. 20.13. Verbum Dei aſſiduè audiendum. 2. 100

Veſpera prior diei feſti interdum diei præcedenti, interdum ſequenti tribuitur. 12.11

Veſtes.

Sciſſæ cùm auditur blaſphemia. 14. 4. Cur proiici ſolitæ. 22.6
Via inſtitutum ſignificat. 14.6. Victima non inuita. 8.29
Virtus, aut vitium pro eorum effectibus. 2.91
Viſio, quid. 2.40
Vnio animorum. 4.16
Vox retenta rebus mutatis. 15.27
Vota in templis ſuſpenſa. 19.23

Z

ZElus animarum. 10.30. & 20. 8. & ibid. 9

Digitized by Google

DISPVTATIO
DE PRÆDICATIONE S. IACOBI APOSTOLI

Zebedæi filij in Hiſpania, in tres tractatus diſtributa.

Quibus accedit quartus

DE PRÆDICATIONE SANCTORVM Apoſtolorum Petri, & Pauli in eadem prouincia.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISPVTATIO
DE PRÆDICATIONE S. IACOBI APOSTOLI
Zebedæi filij in Hiſpania, in tres tractatus diſtributa.

Quibus accedit quartus

DE PRÆDICATIONE SANCTORVM Apoſtolorum Petri, & Pauli in eadem prouincia.

TRACTATVS PRIMVS.

OCTAVVS annus eſt, amice lector, ex quo Commẽtarios hoſce in Apoſtolorum hiſtoriam aggreſſus ſum: in quibus, ne meo, id eſt, Interpretis muneri deeſſem, quædam explicui loca, in quibus Hiſpanicam cauſam, & grauem his temporibus ortam contentionem de aduentu in Hiſpaniarum fines Sancti Iacobi contineri videbam: neque exiſtimabam aliquid aliud ab Interprete requiri poſſe, qui ſtylo leni, atque pacato, quod obſcurum eſt, atque implexum in authore dilucidat, non aucto, atque pugnaci cum aduerſario congreditur. Quæ verò in Apoſtolicis Actis excitatæ hoc tempore cõtrouerſiæ lucis aliquid, imò plurimùm afferre poterant, ad tria præcipuè capita pertinere arbitrabar. Ad tempus, in quo ab Herode occiſus eſt Iacobus, & Petrus in vincula coniectus, de quo cap. 10. Quo tempore, vt nonnulli cenſent, qui Hiſpanicam cauſam oppugnãt, Gẽtilium conuerſioni primùm aditus patuit. Ad extremum notandum exiſtimabam tempus illud, quo Petrus in Antiochena Cathedra primùm ſedit; de qua actum videri potuit cap. 11: quod Iacobi mortem anteceſſit; & cap. 13: quod illam proximè conſecutum eſt. His tribus

Digitized by Google

rebus probè conſtitutis confirmari ſatis exiſtimabam traditionem antiquam de Hiſpaniis Iacobi prædicatione luſtratis. Aut certè ex his Actis nihil afferri poſſe, quod videretur habere momenti aliquid contra antiquam illam traditionem, quæ ab Eccleſiæ primordiis ad noſtrum vſque ſæculum continenter producta eſt. Quæ ſic mihi tractaſſe videbar, vt nihil ex illis locis obtendi poſſe crederem, quod valdè premeret Hiſpanicam cauſam, quæ de vendicando ſibi Patrono, tanto ſtudio, atque pietate certat, prò aris nempe & focis, quæ euerti ſibi, atque côturbari moleſtè fert, & piè dolet.

2. C V M ergo nihil aliud agendum eſſe mihi ſtatuiſſem, cùm meo me muneri nihil prætereа debere exiſtimarem, aliis tamen viſum eſt, quorum ego authoritati honeſtè contraniti non poteram, non fore abs re, aut ſine aliquo nauatæ operæ pretio, ſi quod breuiter, ac modicè, vt ratio poſtulat expoſitiua, tractaueram, id iam contentioſo ſtylo, & publicæ, ſiue cauſæ, ſiue iniuriæ vindice argumentum diſceptarem, moliréque opus ea de re iuſtum, ac plenum, in quo cuiuis de agitatâ hoc tempore quæſtione cognoſcere, atque coniectare promptum eſſet. Feci tamen non admodùm libenter, & quòd ea pars, quæ à me prætermiſſa fuerat, non erat à patrono deſerta, cùm in eam multorum incubuerit ſedulitas, ac pietas, quibus acre iudicij, & eruditio nô vulgaris magno fuerunt in ea diſceptatione ſubſidio. In quorum ego ſtudium quid aut nouum, aut graue conferrem, non facilè inueniebam. Faciendum mihi tamen exiſtimaui, vt quorundam monitis, aliorum imperio tandem obſequerer, & homo Hiſpanus pro Hiſpanica Religione certarem. Et primùm quæ priùs Interpres in eam diſputationem congeſſeram, eodem aut nihil, aut modicè mutato modo hîc trâſcribam: quia quid illis ex aliorum Commêtariis, quos videre mihi poſtea licuit, adiiciam, nihil aut magnum, aut nouum occurrit. Quibus oſtendam potuiſſe Hiſpaniam à Iacobo luſtrari, deinde luſtratam eſſe: ad extremum reſpondebo his, quæ contra antiquam, atque côſtantem traditionem inſtruxêre, atque oppoſuêre contrarij, enitárque quantùm potero, ne tam qui cauſam noſtram acriter oppugnant, in ſua ſibi cogitatione placeant. Quam ad rem magno mihi adiumento erit aliorum labor, quibus plurimùm debet Hiſpanica gloria, cùm in eius propugnationem nihil non têtauerint, & ex omni antiquitate quod in eam rê conferri potuit, tam illi piè, quàm conſtanter eruerint.

I L L A verò quæ iam antea de Sancti Iacobi in Hiſpaniam aduentu parauеram ad cap. 10. Actuum, vbi de Cornelij conuerſione ſermo eſt, vbi oſtendi nihil impedimento fuiſſe Iacobo, quominùs Hiſpaniam peragraret, quaſi prooemium quoddam eo conſilio præponi volui, vt ex eo caput etiam 12. quod de Iacobi nece, Petríque vinculis inſtitutum eſt, & Antiochenæ Cathedræ tempus aliquid aſſumeret lucis.

Q V I A verò in illa ad caput 10. Præfatione tantùm probamus aut non eſſe ſanctis Apoſtolis negatum ad Gentium conuerſionem aditum, aut certè Cornelium eo tempore fuiſſe baptizatum, vt in ipſo ſtatim Eccleſiæ primordio vacare Gentiû conuerſioni Apoſtoli potuerint; hîc, breuiter repetendum eſt, quod pluribus docuimus cap. 12. Actorum, quo tempore ab Herode occiſus fuerit

fuerit Iacobus, vt ex eo tandem quiuis intelligat, ſatis illi datum eſſe temporis, vt obire potuerit Hiſpaniam commodiſſimè; & poſt multos etiam annos peragrata Hiſpania Ieroſolymam reuerti, vbi Apoſtolorum primus Martyrij coronam conſecutus eſt.

NEMO eſt, qui dubitet; neque illi quidem, qui minùs fauent antiquæ traditioni, occiſum eſſe Iacobũ ſub Claudio, à quo conſtat ornatũ fuiſſe Herodem Agrippam Regio nomine, & in Iudæam cum Regia poteſtate dimiſſum, vt pluribus oſtendimus Actorum cap. 12. Quo Claudij anno cõtigerit noſtri Apoſtoli cædes, non omnes conueniunt. Communiter tamen in annũ Claudij ſecundum incidiſſe tradunt, & in his Baronius 1. tom. Annalium; & rationes in eam ſententiam graues, de quibus nos ſuprà. Quare occiſus fuit Iacobus anno ab Aſcenſione Chriſti vndecimo, ſeu, vt alij volunt, duodecimo. Ex quo fit, ſi verũ eſt, ſtatim ab aduentu Spiritus ſancti licuiſſe Gentium conuerſioni Apoſtolicam operam impendi, vndecim annos datos eſſe Iacobo, quos apud Gentes poneret. Quòd ſi hinc demas annum vnum, aut duos, quod ſpatium ſpectare potuit ad conuerſionem vſque Cornelij (nam hoc etiam ſatis amplè probamus infrà) reliqui ſunt nouem: quo tẽpore quis non videt, & peragrare Hiſpaniam, & poſt Apoſtolicam operam ibi perdiu nauatam, redire Ieroſolymã Iacobũ potuiſſe? His vtcũque libatis venio ad præfationẽ illã, quã olim Actorũ capiti 10. præpoſui.

PRO

PROOEMIVM IN CAPVT DECIMVM ACTVVM APOSTOLORVM.

ANTEQVAM *capitis decimi Commentationem ingredior, aliquod eſſe operæpretium duxi examinare priùs, quando iſta contigerit Cornelij conuerſio, quæ ſanè magnas inter viros doctiſſimos turbas mouit. Hinc .n. magni nominis authores negãt S. Iacobũ Hiſpaniam luſtrare potuiſſe, cùm à conuerſione Cornelij, poſt quam tantùm licuiſſe putant Apoſtolis agere cum Gentibus, vſque ad Iacobi cædem ſpatij ſatis non ſit, vt & abire potuerit in Hiſpaniam, & Hieroſolymam redire, vbi ab Herode obtruncatus eſt. Diſputarunt hæc latiſſimè viri doctiſſimi, & ex his quidã diſputationes ſuas typis prodiderunt. Ego verò non tantùm mihi aſſumam negotij, quia Interpretem ago, non hiſtoricum, aut vindicem Hiſpanicæ cauſæ. Quare tantùm adducam quid ex his Actis Apoſtolicis in eam diſceptationem lucis afferri poſſit, & ſine quibus Commentatio hæc noſtra obſcura eſſet omnino, atque imperfecta. Hæc ego in illa Præfatione priùs.*

CAPVT PRIMVM.

Quid Petro mandatum, aut permiſſum in linteo cælitùs demiſſo.

1. Iudæis licuit agere cũ Gẽtibus.

PRIMVM expẽdendum occurrit, quid Petro in oblata illa ſpecie lintei de cœlo lapſi datum ſit in mandatis, quod ipſe tantopere horrere debuerit, quódque immundorum animalium ſymbolo ſignificatum ſit. Nam accedere ad Gentes doctrinæ, aut aliarum etiam rerum gratiâ, neque aliquid habet indecorum, neque Iudęis inſolens, qui cum Gentibus habitabant; & ab illis acceperunt & mores,

Digitized by Google

res,& interdum nomina; vt de Stephano conſtat,& Philippo, qui Iudæi cùm eſſent, Græcorum tamen nomine notabantur.

SVNT hoc tẽpore neque pauci, neque ignobiles, qui negant ante Cornelij conuerſionem licuiſſe cuiquam Apoſtolorũ cum Gentib. agere de illarũ ſalute:& ideo illorũ quidã dubitant, alij inficiantur omnino Iacobũ in Hiſpaniã venire potuiſſe, quia eo tẽpore occiſus fuit ab Herode, in quo illi cum Gẽtibus agere nõ licebat. Quidam ita profectũ in Hiſpaniam Iacobũ eſſe putant, vt tamẽ ibi cum Hebræis egerit, quorum eo tempore magna vis in Hiſpania diſperſa credebatur; de quorũ aduẽtu longa eſt, neque dũ ſatis explicata controuerſia.

2. NIHIL hîc dico an Iudæi à Nabuchodonoſor inuecti fuerint in Hiſpaniam; vel an Nabuchodonoſor in Hiſpaniã vnquã cum exercitu venerit. Illud dico, in Hiſpania etiã Iacobũ Euangelium annuntiaſſe Gentibus: quod ex eo videtur fieri probabile, quia nullũ fermè diſcipulorum nomẽ, qui in Hiſpania dicũtur fuiſſe cõuerſi, Iudaicum eſt; ſed Romanũ, aut Hiſpanicũ, vt, *Torquatus*, *Secundus*, *Cæcilius*, *Indaletius*, &c. Quod planè probat Sixtus Seneſ. in Bulla Officij Compoſtellani, in qua ſic de Iacobo. *Quẽ Hiſpania ſua ad Chriſtũ ab idolorũ impio cultu conuerſionis magiſtrũ prædicat.* Idẽ etiam habemus in Officij Gothici, ſeu Mozarabi Breuiario, vbi cultores Dæmonũ à Iacobo conuerſi tradũtur ad fidem.

Iacobus in Hiſpania cum Gentibus egit.

3. EGO quidẽ ſic exiſtimo nõ improbabiliter dici poſſe, nõ hîc primùm in Cornelio aperiri Gẽtibus ad fidẽ ianuam: ſed tantùm permitti liberũ cum illis conuictum,& mẽnſam, & quæ ad illud vſque tẽpus horrebãt Iudæi. Horrebãt autem vſque adeò eiuſmodi cum Gentibus cõmercia, vt eo nomine Chriſtus accuſatus fuerit ſæpiùs, quòd cũ publicanis, & peccatoribus manducaret. Quam Gentium conſuetudinẽ, atque cõuictum ſic auerſabantur Iudæi, vt non modò ad mẽſam, cõmunẽſque cibos non adhiberent; ſed neque errantibus viam oſtenderent; ſitientẽſve ad fontes deducerent. De quibus ita Iuuenalis Satyra 14.

Iudæi Gẽtilium mẽſam,& conuictũ horrebãt.

> *Iudaicum ediſcunt, ac ſeruant, & metuunt ius,*
> *Non monſtrare vias eadem niſi ſacra colenti:*
> *Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos.*

Et quidem Samaritana muliercula liberè reprehendit Chriſtum, quia cùm Iudæus eſſet, aquã peteret à Samaritana. *Non enim*, inquit, *coutũtur Iudæi Samaritanis.* Cùm autem res Euangelica tractari nõ poſſet cõmodè inter Gentes, niſi Apoſtolis, aut Euangelij præconibus liceret diuerſari apud illas, & cõmunẽ cũ eis habere menſam, vbi neceſſarium erat veſci cibis, à quibus abſtinebat Iudæorum Religio; ideo in eo ſymbolo linteí præcipitur Petro, vt ſine vllo delectu, aut hominũ, aut ciborum in datas ſibi Euãgelij partes incũberet. Quẽadmodum cùm miſit Chriſtus Diſcipulos ad prædicandũ Iudæis, dixit Luc. 10. *In eadẽ autem domo manete edentes, & bibentes quæ apud illos ſunt*; ſic puto præceptũ eſſe Petro, vt idẽ faciat in cõuerſione Gentium. Et hoc ipſum, meo iudicio, fatetur Petrus ipſe hoc cap. v. 28. *Vos*, inquit, *ſcitis quomodo abominatum ſit viro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam. Sed mihi oſtendit Deus neminẽ cõmunem, aut immundũ dicere hominem.* vbi illud *coniungi, aut accedere ad alienigenã*, conſuetudinẽ ſine dubio ſignificat & conuictum. Quod adeò vulgò etiã hominibus compertum erat, vt Samaritana, de

Actor. 10.

Digitized by Google

qua modò, nō colloquiū reprehendat in Christo; quia id inſuetum non erat, ſed quòd potum ab eâ peteret, quod horrebant Iudæi. Illud verò valdè obſeruandum, quòd non dixerit Petrus abominatum eſſe viro Apoſtolico cum Gentibus coniungi; ſed viro Iudæo. Quare de illa conſuetudine loquitur, à qua Iudæi abhorrebant: abhorrebant autem à conuictu, & menſa, non autem à doctrina. Nam ipſi, vt vnum facerent proſelytum, totū circuibant orbem. Matth. 16. *Circuitis mare, & aridā, vt faciatis vnum proſelytum.* Quod Iudæorum ſtudium apud Gentes pene in Prouerbium abierat. Horatius lib. 1. Satyra 4.

Iudæi do- & ingra tiā cū Gē- tibus age bant.

Matth. 16

——— Ac veluti te
Iudæi cogemus in hanc concedere turbam.

Cap. II.

Quid in Petro reprehenſum in cauſa Cornelij, & à quibus.

1. De doctrina nihil obijciunt Petro Iudæi, qui propter Cornelij causā illum duriùs accipiunt; ſed quòd cōmunem cum Gentibus menſam habuiſſet. Sic enim textus cap. 11. *Cum autem aſcendiſſet Petrus Hieroſolymam, diſceptabant aduerſus illum, qui erant ex circumciſione dicētes. Quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis?* Vbi diligenter obſeruandum eſt, eo cap. 11. de Apoſtolis, ac fratribus nihil aliud dici quàm, *quoniam & Gentes receperunt verbum Dei.* vbi nulla oſtenditur vel offenſio, vel admiratio; quia nimirum nihil audierant inexpectatum, quod omnino feciſſe dicuntur, cùm à Philippo conuerſi ſunt Samaritani. Sic enim de illis cap. 8. *Audierunt Apoſtoli quoniam recepit Samaria verbum Dei.* Qui autem ægrè tulerunt, erant ex circumciſione. Alij nimirum ab Apoſtolis, qui fortaſſe ignorabant aniſquam illud præceptum eſſe ſublatum.

2. Obſervanda item maximè illa verba, quibus Petrus reprehenſus eſſe dicitur, ex quibus, meo iudicio, ſatis indicatur eo tempore è Gentibus aliquos ieſſe conuerſos, qui tunc erant cum Apoſtolis, & fratribus. Nam cùm dicitur malè accepiſſe Petri factum, qui erant ex circumciſione, ſatis oſtenditur fuiſſe aliquos fideles in eo cōuentu, qui de circumciſione non erant; qui aut ignorabant Iudæis non licere conueſci cum Gentibus, aut certè gaudebant, iam illud Apoſtolicis viris omnino licere, quia id ſua plurimùm intereſſe cognouerant. Idem omnino fecerunt aduerſùs Ieſum, qui erant item ex circumciſione. Lucæ cap. 19. Nam cùm ad Zachæum eſſet ingreſſus, hominem Gentilem, vt putant Tertullianus, Chryſoſtomus, & Beda, & ad alios publicanos, quorum multi exiſtimabantur fuiſſe Gentiles, quos ad meliorem viuendi formam traduxit, non propter doctrinam reprehenſus eſt, ſed quoniam ad homines illos diuertiſſet, manducaſſetque cum ipſis.

Ante Cornelij aliqui è Gentibus cōuerſi.

Cap. III.

An Chriſtus, & Apoſtoli viuente Chriſto cum Gentibus agere potuerint.

Hic commodè diſputare poſſe videor, an Chriſtus agere cum Gentibus potuerit

tuerit, dum vixit, & an id etiam Apoſtolis eodem tempore permiſſum; quia ex hoc nonnihil accedet lucis quæſtioni, quæ præcipuam cõtinet controuerſiæ partem. Diſputaui de eodem propè argumento in Commentariis ſuper Iſaiam ad illud cap. 49. *vt reducam Iacob ad eum.* Inde ſumam quod maximè facit ad præſens inſtitutum.

1. Ego primùm exiſtimo tã Chriſto, quàm Apoſtolis cum Gentibus agere licuiſſe, ſi occaſio ſeſe offerret. Quod vt mihi perſuadeam facit, quia factũ eſſe à Chriſto lego, quod Chriſtus ſignificarat ſibi fuiſſe prohibitum. Petebat Chananæa mater ſalutem filiæ ſuæ, quam malus exagitabat dæmon; Chriſtus negare viſus eſt id ſibi licere, quia id tantùm in mandatis acceperat, vt curaret oues, quæ perierant ex Iſraël. Viſus eſt autem Chriſtus præceptum illud interpretari, non ſolùm de ſpirituali, ſed etiam de corporali ſalute; quia id negat, quod Chananæa poſtulat; poſtulabat autem ſalutem laboranti corporaliter filiæ. Erat autem mulier illa Gentilis, vt expreſſè tradit Marcus cap. 7. id etiã præſtitit Chriſtus Centurionis filio, qui, vt ex Luca cap. 7. apertè liquet, non erat Iſraëlita. Et, ſi Hieronymo credimus in cap. 65. Iſaiæ, & Cyrillo lib. 2. in Ioannem cap. 12. Gentilis etiam erat Regulus, cuius filium ſanauit Chriſtus, & cuius domus tota conuerſa eſt, de quo Ioan. 4. Zachæum quoque fuiſſe Gentilem docet Chryſoſtomus hom. de Zachæo, Beda, & Tertullianus lib. 4. cap. 37. contra Marcionem; ad quem tamen Chriſtus ingreſſus, & cum multis aliis ex publicanis; quorum aliquot exiſtimantur fuiſſe Gentiles (nam hi publicanorum plerumque munus exercebant) iter conuerſatus eſt, vt domum totam conuerteret. Neque Samaritani erant ex Gente Iſraëlitide, vt habes ex 4. Regum capite 17. & Chriſtus illos apertè diſtinguit ab ouibus Iſraël Matth. 10. *In ciuitates Samaritanorum ne intraueritis; ſed potius ite ad oues, quæ perierunt domus Iſraël;* & tamen Ioan. 4. ex Sichem ciuitate Samaritanorum pluſimos conuertit.

Tã Chriſto, quàm Apoſtolis licuit agere cũ Gẽtibus.

Cum Gẽtibus cõuerſatus eſt Chriſtus.

Præceptum ergo exiſtimo habuiſſe Chriſtum, aut de Chriſti doctrina hoc fuiſſe præceptum, vt primo, atque præcipuo loco haberet Iudæos, & vt doctrinæ gratiâ inter illos ageret, non tamen vt Gẽtiles reſpueret, ſi quando occaſio ferret, vt cum illis ageret; vt quando ipſe inter Iudæos moraretur, aut ſicubi in ipſos aliquo modo incurrere contingeret. Qua ratione curauit ſeruum Centurionis, qui in ciuitatibus habitabat Iſraëlis, & Samaritanos docuit, quia per Samariam, neceſſariò tranſiturus erat in Galilæam, quò iter inſtituerat. Ait ergo Dominus; *Non ſum miſſus, niſi ad oues,* &c. id eſt, ex inſtituto, præcipuóque cõſilio miſſus ſum ad oues, quæ perierunt ex Iſraël, quas mea præſentia luſtrem & inſtituam. 2.

Primo loco Chriſto in Iudæorum ſalutẽ incumbendum fuit.

Neque modus iſte dicendi alienus eſt à vulgi conſuetudine, à qua Scripturæ ſermo non abhorret. Nam ſi quiſpiam ad inſtituendos, verbi gratiâ, Iaponios à Pontifice mittatur; etiamſi Inſulanos alios, aut qui alterius generis in Iaponia cõmorantur, inſtituat, ille nihilominùs verè, & ex quotidiani ſermonis vſu diceret, nõ niſi in Iaponiã doctrinæ gratiâ ſe fuiſſe miſſũ; neque contra Pontificis conſilium, & voluntatem, neque contra communem hominum exiſtimationem quic-

Digitized by Google

quam molitus exiſtimaretur. Quod mihi veriſimile eſt feciſſe etiam Apoſtolos, ſi quando opportuna incideret occaſio agendi cum Gentilibus, modò ne in eorum viam irent, id eſt, eo conſilio in eorum ciuitates ingrederentur. Quare non puto ſpecialem aliquam legẽ, aut facultatem neceſſariam fuiſſe Petro, vt doctrinæ gratiâ ad Cornelium accederet, quandoquidem ille inter Iudæos morabatur, quorum tũc Petrus regiones luſtrabat; fuiſſe tamen, vt cum eo, aliiſque Gentilibus communem haberet menſam, neque ab illis abſtineret cibis, quos lex antea à Iudæorum menſis remouebat. Nam, vt ſtatim dicemus cap. 5. concionanti Petro Gentiliũ adfuêre non pauci, è quorum numero mihi veriſimile eſt conuerſos eſſe multos, quia illi ingenium habuerũt magis ad Euangelium docile, quàm Iudæi. At quis credat, aut omiſſurum eſſe Petrum docẽdi negotium, propterea quòd tunc aderant Gentiliũ turbæ cum Iudæis, vt ex hymno Eccleſiaſtico didicimus, *Turba pauent Gentilium*: aut non etiã in concionãdo Petrum ſpectaſſe, vt Gentiles quoque Chriſtum agnoſcerent?

Gentiles aderãt cõcionanti Petro.

Cap. IV.

Ante Cornelij conuerſionem licuit cum Gentibus agere doctrina gratiâ.

1\. AnteCornelium Apoſtolis cum Gẽtibus agere licuit.

QVod ante Cornelij conuerſionem interdictũ Apoſtolis fuerit, ne Gentibus annunciarent Euangelium, ex nullo, quem ego viderim, loco Scripturæ ſumi poteſt: nam illud Matth. capit. 10. *In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis; ſed potiùs ite ad oues, quæ perierunt domus Iſraël*; non nimis vrget.

Mat. c. 10.

Hoc namque præceptum, vt notauit Hieronymus in cap. 10. Matth. datum eſt ante Chriſti mortem; quod ſanè tunc multas ob cauſas impoſitum oportuit. Primùm, quia, vt dicit ibi Hieronymus, oportebat priùs aduentum Chriſti annunciari Iudæis, ne iuſtam haberent excuſationem Iudæi dicentes, ideo ſe Dominum non admiſiſſe, quia ad Gentes, & ad Samaritanos Apoſtolos miſerit. Idem pene Chryſoſtom. in Ioann. capite 12. vbi dicit poſt Paſſionem in omnem locum dimiſſos fuiſſe Diſcipulos; quia iam illa ſuperior ratio ceſſarat. Et hom. in illud ad Romanos cap. 16. *Salutate Priſcam, & Aquilam.* Quæ eſt poſt epiſtolam ad Romanos, aliam indicat cauſam, cur Apoſtoli ante aduentum Spiritus ſancti, Gentium, & Samaritanorum ciuitates obire non debuerint. *Quemadmodum*, inquit, *aues pullos ſuos fouentes tandiu in nido ſedent, donec illorum pluma increſcant, quas dum increuiſſe viderint, eos primùm circa nidum volitare docent: deinde adminiculo ſuo totos deſtituunt; ita faciebat & Chriſtus. In Paleſtina enim quaſi in nido nutricabat Diſcipulos, & exinde eos volare docuit, præſens, & geſtans: tandem permiſit eos volare in totum orbem.*

Cur Iudæis primùm annũciari debuerit Euangelium.

2\. Poſt aduentum Spiritus ſancti liberũ fuit Diſcipulis ad Gẽtes abire.

QVAM Chryſoſtomi ſententiam ſatis indicauit Chriſtus ipſe, dum iuſſit Diſcipulos ſedere in Ieruſalem, donec induerentur virtute ex alto. Lucæ 24. & Actorum capite 1. id eſt, donec Spiritum ſanctum acciperent; quaſi iam magis, quàm antea robuſti tutò ſe poſſent maioribus offerre periculis. Et quidẽ poſt aduentũ Spiritus ſancti ſublatum eſſe præceptũ, quod antè

antè impoſitum fuerat Matth. cap. 10 ex eo fit veriſimile, quia iiſdem pene verbis vſus eſt in laxando, quibus priùs vſus fuerat in ferendo præcepto. Dixerat ſanè priùs Matth. 10. *In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis.* Act. verò cap. 1. *Accipietis virtutem Spiritus ſancti in vos; & eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ,* id eſt, ad Gentes. Quibus verbis abrogari potuit clariùs ſuperior lex?

CAPVT V.

Multi ante Cornelium è Gentibus conuerſi.

1. Multi ante Cornelium conuerſi ab Apoſtolis è Gentibus. LEGEM illam poſt Spiritus ſancti deſcenſum eſſe laxatam res ipſa probauit: nam poſt cædem Stephani, Philippus ingreſſus eſt ciuitatem Samaritanorum, imò & Samariam alienæ gentis caput; cùm tamen nó minùs de Samaria, quàm de ciuitatibus aliis vrgeret præceptum. Et Eunuchus Æthiops ab eodem Philippo Euangelium accepit, quem fuiſſe Gentilem communis opinio eſt. Ita expreſsè S. Tho. in cap. 12. Ioan. lect. 14. Euſeb. lib. 1. hiſt. c. 2. Niceph. lib. 2. c. 6. Beda, Gloſſa ordinaria, & interlinearis, Hugo, & ex recentioribus Caietanus, & Salmeron, in cap. 8. Act. Toletus, Maldonatus in cap. 12. Ioan. Ianſenius in conc. cap. 3.

2. Eunuchus Candacis Gentilis. NEQVE huic ſententiæ multùm incommodat, quòd adorare venerit in Ieruſalem, aut quòd Iſaiam legerit; nam & Gentiles in templum Hieroſolymitanum religionis gratiâ venire ſolitos, ſatis conſtat ex Ioan. cap. 12. Et cùm ſacra Biblia iam eſſent à LXX. viris in Græcum conuerſa, magnâque in admiratione inter Gentes habita, quid mirum ſi homo potens, Ægyptóque vicinus, vbi eius libri copia veriſimiliter erat, quia ibi Ptolomæi, rogatu liber ille conuerſus eſt, ſacra Biblia habere potuerit? Sanè in Eccleſiæ primordiis conuerſum fuiſſe Abagarum, & Regiam ciuitatem Eddeſſam à Thaddæo tradit Euſebius lib. 2. hiſto. c. 1. quem eſſe Gentilem, & à Gentilibus habitatam eſſe ciuitatem, ex epiſtola Abagari, quam adducit Euſebius, prudens quiſque colligat: quia de Iudæis tanquam de alienis à ſua Religione loquitur. *Etenim*, inquit, *audio Iudæos tibi obſtrepere maleuolè.* Fuiſſe verò aliquos è Gentibus ante Cornelium conuerſos, probat id, quod nuper c. 2. notabamus, expoſtulaſſe videlicet cum Petro illos, qui è fidelium cœtu erant ex circunciſione; quæ verba omnino indicát aliquos fuiſſe fideles, qui ex circunciſione non erant.

NEQVE eſt veriſimile cùm à Petro Actuum cap. 2. & cap. 4. octo hominum millia conuerſa eſſe traduntur, in eis nullos fuiſſe Gentiles. Sanè inter eos, qui primæ Petri concioni interfuêre, fuiſſe Gentiles dicit Chryſoſtomus, & Oecumenius: & textus ipſe non obſcurè indicat, dum multarum nationum meminit, quas à Iudæis eſſe diuerſas certè docet expreſsè hymnus, quem in feſto Pentecoſtes canit Eccleſia, dum ait. 3. Ex Gentibus aliquot conuerſi in die Pentecoſtes.

Ex omni gente cogniti,
Græcis, Latinis, Barbaris.

Eſt autem notum alienos à ſua Re-

ligione, & lingua à Iudæis *Barbaros* appellari. Neque eſt veriſimile Iudæos, qui apud Gentiles morabantur, ita patriæ oblitos fuiſſe linguæ, vt propterea, ſi illi tantùm interfuiſſent, neceſſarium fuerit linguis vti variis. Quod in alio hymno multo dicitur clariùs.

Linguis loquuntur omnium,
Turbæ pauent Gentilium.

Ex quo apparet Spiritus ſancti deſcenſu laxatam eſſe prohibitionem, quæ non patiebatur antea Apoſtolicam operam nauari Gentilibus.

CAP. VI.

Quando facta Apoſtolorum diuiſio.

1. QVo tempore facta ſit Apoſtolorum diuiſio, non omnino conſtat inter authores; cuius cognitio plurimùm ad definiendam controuerſiam conferet, de qua nobis quæſtio. Qua de re non omnes eodem modo ſentiunt. Quidam ſequuti, credo, Apollonij non tam ſententiam, quàm de aliena ſententia teſtimonium, ad duodecimum annum ab Aſcenſione Domini dilatam eſſe purant Apoſtolorum diuiſionem. De quo Apollonio his verbis Euſeb. lib. 5. c. 17. hiſtor. *Preterea ait ſe traditione accepiſſe Seruatorem mandatum ſuis dediſſe Apoſtolis, ne ad duodecim annos Hieroſolymis decederent.* Scripſit Apollonius iſte, vt ſuprà Euſebius, anno 40. à Cataphrygum hæreſi. i. anno circiter Domini 210. ante quã ex eodẽ Euſebio in Chronico anno Domini 196. Clem. Alexand. florere cœperat, à quo ſumpta videri potuit illa traditio, de qua Apollon. apud Euſeb. Idem etiã placet Clem. Alexãd. lib. 6. Strom. longè à principio, de cuius authoritate poſtea. Tenet Petrus Comeſtor in Acta. Apoſtol. c. 71. & Beda item in Acta c. 13. Ioanues Belethus de diuinis Officiis c. 139. & author quidam anonymus, qui eſt in Bibliotheca Floriacenſi; de cuius fide poſtea ad finem huius operis.

SED hęc ſententia ominbus fermè aliis improbata eſt, quam, meo iudicio, non obſcurè iugulant Scripturæ ſacræ teſtimonia. Nam ita loquuntur de Apoſtolorum prædicatione extra Ieruſalem, atque Iudæã, vt ad duodecimum vſque annum differri non debuerit. Et ſanè de diſceſſu è Hieroſolymis, quod voluiſſe videtur Apollonius, res eſt omnino certa: nam conſtat proximè ab Aſcenſione Petrum, & Ioannẽ abiiſſe Samariam; deinde Petrum peruagatum eſſe ciuitates aliquot Iudææ, antequam in Cornelio Gentibus ad Euangelium ianuam apetuiſſet. Act. 8. 9. 10. Quare iſta Apollonij traditio nihil prorſus incommodat communi ſententiæ. Iuſſit quidem Apoſtolis Chriſtus ne diſcederent Hieroſolymis, non tamen ad duodecimum annum; ſed ad aduentum vſque Spiritus ſancti. Lucæ c. 24. *Ego mittam promiſſum Patris mei in vos: vos autem ſedete in ciuitate quoaduſque induamini virtute ex alto.* Præterea ſunt complura alia, quæ non longè à Spiritus ſancti deſcenſu docent in varias orbis plagas abiiſſe Diſcipulos. De quibus nos ſtatim, vbi quid de Clementis Alexandrini teſtimonio exiſtimandum ſit, dixerimus. Eſt ſane grauis Clementis authoritas, vt optime Baronius tom. 2. anno Chriſti

2. Apoſtolorum diuiſio ante annũ 12. ab Aſcenſione.

Chriſti 196. numero 26. Sed cùm hæretici illius ſcriptis inſeruiſſent plurima, non tantùm à Clemente, ſed à Religione, & veritate aliena; ne fideles incauti Clementis decepti nomine in fraudem, & errorem inciderent, prudenter à Gelaſio cenſura notata ſunt illius ſcripta, & iudicata apocrypha.

3\. *Clementis opus apocryphum.*

Certe quidquid ſit de Clemente Alexandrino, Itinerarium Petri à quodam Clemente compoſitum, Gelaſij cenſura apocryphum iudicatum eſſe conſtat. Ex quo Itinerario teſtimonium illud videtur eſſe ſumptum, quod in Clemente Alexandrino legimus, & ex quo illa videtur propagata traditio, quam ex Apollonio ſuprà recitauit Euſebius. Sic autem Alexandrinus: *Propterea dicit Petrus Dominum dixiſſe Apoſtolis: Si quis ergo velit ex Iſraël duci pœnitentia, & propter nomen meum credere in Deum, remittentur ei peccata. Poſt duodecim annos egredimini in mundum, ne quis dicat, non audiuimus.* Hinc ſatis videtur eſſe factum & teſtimonio Clementis, & Apollinij traditioni.

4\. *Paulo poſt Spiritus ſancti deſcenſum facta Apoſtolorum diuiſio.*

Cum nihil de hac Apoſtolorum diuiſione ſit certum, dicam quod mihi magis videtur ad veritatem. Puto igitur paulo poſt Spiritus ſancti deſcenſum exceſſiſſe Apoſtolos è Iudæa, & in ſuam quemque prouinciam abiiſſe. Id docuit Melithon quidam, aut is, qui ſuis ſcriptis Melithonis nomen ad conciliandam authoritatem ſuppoſuit. Quod opus, licèt apocryphum à Gelaſio iudicatum ſit, fieri tamen potuit, vt traditionem aliquam author ſit ſecutus, quemadmodum Apollonius ex Petri Itinerario eadem notato cenſura, traditionem illam de duodecim annis, vt probabile nuper cenſebamus, aſſumpſit. Ille ergo ait, ſecundo ab Aſcenſione anno iam factum fuiſſe Apoſtolorum diſceſſum. Quod ita reprobat Beda in Retractationibus ſuper Act. cap. 13. vt eius ratio non adeo cogat in oppoſitum.

5\. *Apoſtoli non manſerunt in Iudæa ad obitum vſque Virginis.*

Ideo enim negat eo tempore Apoſtolos aut debuiſſe, aut potuiſſe diſcedere, quia morienti Virgini, atque eius ſepulturæ interfuerunt, neque eſſe veriſimile B. Ioannem in datam ſibi prouinciam abiturum, relicta Virginis cuſtodia, quam Chriſtus moriens illi tantopere commendauit. Sanè ſi ad Virginis obitum Apoſtolis in Iudæa commorandum fuit, exiguum admodùm tempus reliquum fuiſſet, quod totius orbis prædicationi impenderent: nam ſi, vt plerique ſentiunt, ad ſexageſimumtertium ætatis annum, aut vt alij probabiliùs, ad ſeptuageſimumſecundum vixit, planè efficitur, Apoſtolos decem octo, ſeu, vt probabilior eſt ſententia, viginti octo annis in Iudææ finibus conſediſſe. Qua de re vide Baronium tom. 1. anno 48. & Franciſcum Suarez tomo 2. in 3. p. diſputatione 21. ſectione 1. & Chriſtophorum Caſtrum libro de B. Virgine cap. 20. qui de Ioannis cuſtodia ſatis diligenter. Sunt autem non pauca, neque leuis, vt reor, momenti, quæ mihi perſuadent exiguam moram Apoſtolos in Iudæa poſuiſſe.

Scripturæ teſtimonia.

Primùm, quia, vt ita fateamur, ipſa pene ſacræ Scripturæ teſtimonia cogunt, quæ videntur Apoſtolis indicere non obſcurè, vt ſtatim ab Spiritus ſancti deſcenſu ſeſe ad Gentium conuerſionem accingant. Actuum primo: *Præcepit eis ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris,*

quam

quaſi dicat; ex eo vobis excedere licebit. Quod explicuit multo magis cùm dixit Lucæ 24. *Vos autem ſedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Et rurſus Act. cap. 1. *Accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos: & eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ.* Neque aliud coniectare licet ex Ioann. cap. 4. vbi cùm ad Chriſtum ex Samaria magnus fieret populi concurſus, dixit ad Diſcipulos Chriſtus. *Videte regiones quia albæ ſunt iam ad meſſem.* Qui loquendi modus proximam eſſe oſtendit Gentium conuerſionem: neque enim ager iam albus à matura ſegete longam patitur operariorum moram. Eodem autem loco numero Samaritanos, ac Gentilicos populos, quia eadem de vtriſque priùs prohibitio.

6. *Patrum teſtimonia* HÆC mihi maximæ authoritatis pondus habent: neque deſunt, qui hæc vel indicent non obſcurè, vel apertè doceant. Irenæus, qui proximè aberat ab Apoſtolico ſæculo, ita de Apoſtolis. *Poſteaquam ſurrexit Dominus à mortuis, & in luti ſunt ſuperuenientis Spiritus ſancti virtute ex alto, de omnibus adimpleti ſunt, & habuerunt perfectam agnitionem, exierunt in fines terræ.* Metaphraſtes in ſermone de Vita, & dormitione Deiparæ. *Poſtquam autem in tempore Pentecoſtes Apoſtoli impleti diuina gratia Paracleti; id Euangelij doctrinam alius aliò mittebatur.* Idem Leo ſerm. 1. in Natali Apoſt. Petri, & Pauli. *Cùm duodecim Apoſtoli accepta per Spiritum ſanctum omni locutione linguarum imbuendum Euangelio mundum diſtributis ſibi terrarum partibus ſuſcepiſſent.* Quòd ſi qua fides habenda eſt ei, qui Procori nomen aut ſibi aſſumpſit, aut Procori diſcipuli Ioannis nomen ſuis ſcriptis appoſuit; ille ſtatim in principio proximè, poſtquam aſſumptus eſt Chriſtus, in ſuas ſibi prouincias abiiſſe ſignificat Apoſtolos. Inuenies tom. 2. Bibliothecæ veterum Patrum. Quòd ſi is minùs dignus eſt, cui fidem habeas; ſaltem nonnulla coniectura eſt, id ſaltem illius pſeudo-Procori ſęculo (quod ſanè antiquiſſimum fuiſſe oportet, quando librum iſtum Gelaſius declarauit apocryphum) id vulgo hominum ſolitum eſſe iactari. Adde quòd, vt Euſebius tradit tũ in Chronico anno Chriſti 33. & libro 1. hiſtor. cap. 1. Iacobus frater Domini ſtatim ab Aſcenſione ordinatus eſſe traditur Epiſcopus Hieroſolymæ: quod non videtur fieri debuiſſe, niſi poſtquam aliis aliarum etiam prouinciarum cura foret demandata.

TENENT hoc Doctorum nonnulli in illud Marci vltimo. *In mundum vniuerſum euntes docete omnes Gentes.* S. Thom. *Ite* (inquit) *quia iam tempus eſt.* Eodem modo Hugo Cardinal. & Caietanus, qui addit hoc mandato reuocatum eſſe illud; *In viam Gentium ne abieritis.* Quod etiam Maldonatus in Marcum docuit; & indicat Antiphona ad *Magnificat* in ſecundis veſperis in 1. die Pentecoſtes, vbi Spiritus ſanctus Apoſtolorum mentibus infuſus dicitur illos in vniuerſum mundum miſiſſe. *Hodie Spiritus ſanctus in igne Diſcipulis apparuit, & tribuit eis chariſmatum dona, miſit eos in vniuerſum mundum prædicare, & teſtificari, qui crediderit,* &c. 7.

CAPVT

ruſalem, cùm de hac Gentium conuerſione loqueretur, dixit. *Vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Euangelij.* Ex quibus verbis ſatis liquet hanc conuerſionem factam eſſe in ipſis Eccleſiæ primordiis. Neque enim antiqua dicerentur tempora ſi non eſſent proxima Eccleſiæ naſcenti. Vbi notandum quo loco Latinè dicitur *ab antiquis diebus*, Græcè eſſe ἀφ᾽ ἡμερῶν ἀρχαίων, id eſt, vt oſtendit ipſa verbi notatio, *à diebus primis.* Et ita vertit Syrus קדמיא *kadmaie*, quæ vox non ſignificat niſi *quod iampridem ab ipſo pene rerum initio factum.* Et ita intellexit Caietanus, qui tranſiſſe dicit à Gentium conuerſione 14. annos ad Concilium vſque. Et quidem vox ἀρχαῖος in Teſtamento Nouo plerumque *primum*, aut *originale*, aut *origini proximum* ſignificat. 2. Petri 2. Latinè, *originali mundo non pepercit*; Græcè, ἀρχαίου κόσμου. Matth. 5. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis*; illis nempe, quibus primùm data lex eſt, Græcè, ἀρχαίοις. & Apoc. cap. 12. & cap. 20. Diabolus, qui in principio mundi creatus eſt; *ſerpens dicitur antiquus*, Græcè, ἀρχαῖος. Sic etiam nunc tēpora puto à Petro ſignificari prima Eccleſiæ, aut certè primis proxima. Sed quis dicat nonum annum ab Aſcenſione, in quo à quibuſdā Cornelius conuerſus exiſtimatur, eſſe primum tempus Eccleſię, comparatione ad decimumquartum, aut decimumſextum annum, in quo Concilium hoc coactum eſſe creditur, anno nimirum 14. à conuerſione Pauli? Quomodo verò ab antiquis, ſeu à primis Eccleſiæ temporibus conuerſus eſt Cornelius, ſi ſeptimo anno ante Concilium, & nono, aut decimo ab Aſcenſione ad Eccleſiam acceſſit? An dici antiquum poteſt, quod in ſpatio adeò breui tam longè à principio, tam propè abeſt ab eo tempore, de quo ſermo eſt? An primum quis illud tempus eſſe dicat, quod vix probari poſſit eſſe medium? Ex his ſatis fit veriſimile, primis Eccleſiæ temporibus apertum eſſe Gentibus aditum ad fidem.

CAPVT X.

Quoto anno ab Aſcenſione conuerſus Cornelius.

NVNC iam exploremus quo tempore Cornelius ad Eccleſiam vocatus. Et, vt aliquid in re adeò obſcura coniectando potiùs, quàm aſſeuerando dicam; ego quidem ſic exiſtimo, eodem tempore, aut certè interuallo non admodùm longo Eunuchum à Philippo, & Paulum à Deo, & à Petro Cornelium vocatos eſſe ad fidem. Quod vt mihi perſuadeam, obſeruo quod ex Hieronymo dixi cap. 2. ad illud. *Et dabo prodigia in cœlo ſurſum*; non eodem ordine interdum ab authoribus Canonicis aliqua narrari, quo geſta ſunt; ſed pro rerum opportunitate variè. Quare frequens eſt in Scriptura illa figura, quæ prolepſis dicitur, ſeu anticipatio, per quam aliqua à ſacris ſcriptoribus narrantur ante ſuum tempus. Quod tunc plerumque fieri ſolet, quando interrupto filo hiſtoria fieret obſcurior; deducto autem ad finem, ſeu ad notum aliquem, & illuſtrem locum narrationis filo, ad id, quod omiſſum videbatur, recurrit hiſtoria. Exempla ſunt plurima; ſed ſumam ex hoc libro, & ex hoc pene loco aliqua, in quib. eſt aperta prolepſis.

1. Eodē tēpore Eunuchus, Paulus, & cornelius conuerſi.

Regul. Prolepſis in Scriptura frequēs

PROOEMIVM IN CAPVT DECIMVM ACTVVM APOSTOLORVM.

ANTEQVAM *capitis decimi Commentationem ingredior, aliquod eſſe operæpretium duxi examinare prius, quando iſta contigerit Cornelij conuerſio, quæ ſanè magnas inter viros doctiſſimos turbas mouit. Hinc .n. magni nominis authores negãt S. Iacobũ Hiſpaniam luſtrare potuiſſe, cùm à conuerſione Cornelij, poſt quam tantùm licuiſſe putant Apoſtolis agere cum Gentibus, vſque ad Iacobi cædem ſpatij ſatis non ſit, vt & abire potuerit in Hiſpaniam, & Hieroſolymam redire, vbi ab Herode obtruncatus eſt. Diſputarunt hæc latiſſimè viri doctiſſimi, & ex his quidã diſputationes ſuas typis prodiderunt. Ego verò non tantùm mihi aſſumam negotij, quia Interpretem ago, non hiſtoricum, aut vindicem Hiſpanicæ cauſæ. Quare tantùm adducam quid ex his Actis Apoſtolicis in eam diſceptationem lucis afferri poſſit, & ſine quibus Commentatio hæc noſtra obſcura eſſet omnino, atque imperfecta. Hæc ego in illa Præfatione prius.*

CAPVT PRIMVM.

Quid Petro mandatum, aut permiſſum in linteo cœlitùs demiſſo.

1. Iudæis licuit agere cũ Gentibus. PRIMVM expẽdendum occurrit, quid Petro in oblata illa ſpecie lintei de cœlo lapſi datum ſit in mandatis, quod ipſe tantopere horrere debuerit, quódque immundorum animalium ſymbolo ſignificatum ſit. Nam accedere ad Gentes doctrinæ, aut aliarum etiam rerum gratiâ, neque aliquid habet indecorum, neque Iudęis inſolens, qui cum Gentibus habitabant; & ab illis acceperunt & mores,

res,& interdum nomina; vt de Stephano conſtat,& Philippo, qui Iudæi cùm eſſent, Græcorum tamen nomine notabantur.

Svnt hoc tẽpore neque pauci, neque ignobiles, qui negant ante Cornelij conuerſionem licuiſſe cuiquam Apoſtolorũ cum Gentib. agere de illarũ ſalute:& ideo illorũ quidã dubitant, alij inficiantur omnino Iacobũ in Hiſpaniã venire potuiſſe, quia eo tẽpore occiſus fuit ab Herode, in quo illi cum Gẽtibus agere nõ licebat. Quidam ita profectũ in Hiſpaniam Iacobũ eſſe putant, vt tamẽ ibi cum Hebræis egerit, quorum eo tempore magna vis in Hiſpania diſperſa credebatur; de quorũ aduẽtu longa eſt, neque dũ ſatis explicata controuerſia.

2\. Nihil hîc dico an Iudæi à Nabuchodonoſor inuecti fuerint in Hiſpaniam; vel an Nabuchodonoſor in Hiſpaniã vnquã cum exercitu venerit. Illud dico, in Hiſpania etiã Iacobũ Euangelium annuntiaſſe Gentibus: quod ex eo videtur fieri probabile, quia nullũ fermè diſcipulorum nomẽ, qui in Hiſpania dicũtur fuiſſe cõuerſi, Iudaicum eſt; ſed Romanũ, aut Hiſpanicũ, vt, *Torquatus*, *Secundus*, *Cæcilius*, *Indaletius*, &c. Quod planè probat Sixtus Senẽſ. in Bulla Officij Compoſtellani, in qua ſic de Iacobo. *Quẽ Hiſpania ſua ad Chriſtũ ab idolorũ impio cultu conuerſionis magiſtrũ prædicat.* Idẽ etiam habemus in Officij Gothici, ſeu Mozarabi Breuiario, vbi cultores Dæmonũ à Iacobo conuerſi tradũtur ad fidem.

Iacobus in Hiſpania cum Gentibus egit.

3\. Ego quidẽ ſic exiſtimo nõ improbabiliter dici poſſe, nõ hîc primùm in Cornelio aperiri Gẽtibus ad fidẽ ianuam: ſed tantùm permitti liberũ cum illis conuictum, & menſam, & quæ ad illud vſque tẽpus horrebãt Iudæi. Horrebãt autem vſque adeò eiuſmodi cum Gentibus cõmercia, vt eo nomine Chriſtus accuſatus fuerit ſæpiùs, quòd cũ publicanis, & peccatoribus manducaret. Quam Gentium conſuetudinẽ, atque cõuictum ſic auerſabantur Iudæi, vt non modò ad mẽſam, cõmunẽſque cibos non adhiberent; ſed neque errantibus viam oſtenderent; ſitienẽſve ad fontes deducerent. De quibus ita Iuuenalis Satyra 14.

Iudæi Gẽtilium mẽſam, & conuictũ horrebãt.

Iudaicum ediſcunt, ac ſeruant, & metuunt ius,
Non monſtrare vias eadem niſi ſacra colenti:
Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos.

Et quidem Samaritana muliercula liberè reprehendit Chriſtum, quia cùm Iudæus eſſet, aquã peteret à Samaritana. *Non enim*, inquit, *coutũtur Iudæi Samaritanis.* Cùm autem res Euangelica tractari nõ poſſet cõmodè inter Gentes, niſi Apoſtolis, aut Euangelij præconibus liceret diuerſari apud illas, & cõmunẽ cũ eis habere menſam, vbi neceſſarium erat veſci cibis, à quibus abſtinebat Iudæorum Religio; ideo in eo ſymbolo lintei præcipitur Petro, vt ſine vllo delectu, aut hominũ, aut ciborum in datas ſibi Euãgelij partes incũberet. Quẽadmodum cùm miſit Chriſtus Diſcipulos ad prædicandũ Iudæis, dixit Luc. 10. *In eadẽ autem domo manete edentes, & bibentes quæ apud illos ſunt*; ſic puto præceptũ eſſe Petro, vt idẽ faciat in cõuerſione Gentium. Et hoc ipſum, meo iudicio, fatetur Petrus ipſe hoc cap. v. 28. *Vos*, inquit, *ſcitis quomodo abominatum ſit viro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam. Sed mihi oſtendit Deus neminẽ cõmunem, aut immundũ dicere hominem.* vbi illud *coniungi, aut accedere ad alienigenã*, conſuetudinẽ ſine dubio ſignificat & conuictum. Quod adeò vulgò etiã hominibus compertum erat, vt Samaritana, de Actor. 10.

Digitized by Google

qua modò, nõ colloquiũ reprehendat in Chriſto, quia id inſuetum non erat, ſed quòd potum ab ea peteret, quod horrebant Iudæi. Illud verò valdè obſeruandum, quòd non dixerit Petrus abominatum eſſe viro Apoſtolico cum Gentibus coniungi, ſed viro Iudæo. Quare de illa conſuetudine loquitur, à qua Iudæi abhorrebant: abhorrebant autem à conuictu, & menſa, non autem à doctrina. Nam ipſi, vt vnum facerent proſelytum, totũ circuibant orbem. Matth. 26. *Circuitis mare, & aridã, vt faciatis vnum proſelytum.* Quod Iudæorum ſtudium apud Gentes pene in Prouerbium abierat. Horatius lib. 1. Satyra 4.

Iudæi doctrinæ gratiâ cũ Gẽtibus agebant.

Matth. 26

——— Ac veluti te
Iudæi cogemus in hanc concedere turbam.

Cap. II.

Quid in Petro reprehenſum in cauſa Cornelij, & à quibus.

1. DE doctrina nihil obijciunt Petro Iudæi, qui propter Cornelij cauſã illum durius accipiunt; ſed quòd cõmunem cum Gentibus menſam habuiſſet. Sic enim textus cap. 11. *Cum autem aſcendiſſet Petrus Hieroſolymam, diſceptabant aduerſus illum, qui erant ex circumciſione dicẽtes. Quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis?* Vbi diligenter obſeruandum eſt, eo cap. 11. de Apoſtolis, ac fratribus nihil aliud dici quàm, *quoniam & Gentes receperunt verbum Dei.* vbi nulla oſtenditur vel offenſio, vel admiratio; quia nimirum nihil audierant inexpectatum; quod omnino feciſſe dicuntur, cum à Philippo conuerſi ſunt Samaritani. Sic enim de illis cap. 8. *Audierunt Apoſtoli quoniam recepit Samaria verbum Dei.* Qui autem ægrè tulerunt, erant ex circumciſione. Alij nimirum ab Apoſtolis, qui fortaſſe ignorabant antiquum illud præceptum eſſe ſublatum.

2. OBSERVANDA item maximè illa verba, quibus Petrus reprehenſus eſſe dicitur, ex quibus, meo iudicio, ſatis indicatur eo tempore è Gentibus aliquos eſſe conuerſos, qui tunc erant cum Apoſtolis, & fratribus. Nam cùm dicitur malè accepiſſe Petri factum, qui erant ex circumciſione, ſatis oſtenditur fuiſſe aliquos fideles in eo cõuentu, qui de circumciſione non erant; qui aut ignorabant Iudæis non licere conueſci cum Gentibus, aut certè gaudebant, iam illud Apoſtolicis viris omnino licere, quia id ſua plurimùm intereſſe cognoſcerant. Idem omnino fecerunt aduerſùs Ieſum, qui erant item ex circumciſione. Lucæ cap. 19. Nam cùm ad Zachæum eſſet ingreſſus, hominem Gentilem, vt putant Tertullianus, Chryſoſtomus, & Beda, & ad alios publicanos, quorum multi exiſtimabantur fuiſſe Gentiles, quos ad meliorem viuendi formam traduxit, non propter doctrinam reprehenſus eſt, ſed quoniam ad homines illos diuertiſſet, manducaſſetque cum ipſis.

Ante Corneliũ aliqui è Gẽtibus cõuerſi.

Cap. III.

An Chriſtus, & Apoſtoli viuente Chriſto cum Gentibus agere potuerint.

HIc commodè diſputare poſſe videor, an Chriſtus agere cum Gentibus po[illegible] fuerit

Digitized by Google

tuerit, dum vixit, & an id etiam Apoſtolis eodem tempore permiſſum; quia ex hoc nonnihil accedet lucis quæſtioni, quæ præcipuam cõtinet controuerſiæ partem. Diſputaui de eodem propè argumento in Commentariis ſuper Iſaiam ad illud cap. 49. *vt reducam Iacob ad eum.* Inde ſumam quod maximè facit ad præſens inſtitutum.

1. Tã Chriſto, quàm Apoſtolis licuit agere cũ Gẽtibus.

Ego primùm exiſtimo tã Chriſto, quàm Apoſtolis cum Gentibus agere licuiſſe, ſi occaſio ſeſe offerret. Quod vt mihi perſuadeam facit, quia factũ eſſe à Chriſto lego, quod Chriſtus ſignificarat ſibi fuiſſe prohibitum. Petebat Chananæa mater ſalutem filiæ ſuæ, quam malus exagitabat dæmon; Chriſtus negare viſus eſt id ſibi licere, quia id tantùm in mandatis acceperat, vt curaret oues, quæ perierant ex Iſraël. Viſus eſt autem Chriſtus præceptum illud interpretari, non ſolùm de ſpirituali, ſed etiam de corporali ſalute; quia id negat, quod Chananæa poſtulat; poſtulabat autem ſalutem laboranti corporaliter filiæ. Erat autem mulier illa Gentilis, vt expreſſè tradit Marcus cap. 7. id etiã præſtitit Chriſtus Centurionis filio, qui, vt ex Luca cap. 7. apertè liquet, non erat Iſraëlita. Et, ſi Hieronymo credimus in cap. 65. Iſaiæ, & Cyrillo lib. 2. in Ioannem cap. 12. Gentilis etiam erat Regulus, cuius filium ſanauit Chriſtus, & cuius domus tota conuerſa eſt; de quo Ioan. 4. Zachæum quoque fuiſſe Gentilem docet Chryſoſtomus hom. de Zachæo, Beda, & Tertullianus lib. 4. cap. 37. contra Marcionem; ad quem tamen Chriſtus ingreſſus, & cum multis aliis ex publicanis; quorum aliquot exiſtimantur fuiſſe Gentiles (nam hi publicanorum plerumque munus exercebant) ita conuerſatus eſt, vt domum totam conuerterit. Neque Samaritani erant ex Gente Iſraëlitide, vt habes ex 4. Regum capite 17. & Chriſtus illos apertè diſtinguit ab ouibus Iſraël Matth. 10. *In ciuitates Samaritanorum ne intraueritis; ſed potiùs ite ad oues, quæ perierunt domus Iſraël;* & tamen Ioan. 4. ex Sichem ciuitate Samaritanorum pluſimos conuertit.

Cum Gẽtibus cõuerſatus eſt Chriſtus.

2. Primo loco Chriſto in Iudæorum ſalutẽ incumbendum fuit.

PRÆCEPTVM ergo exiſtimo habuiſſe Chriſtum, aut de Chriſti doctrina hoc fuiſſe præceptum, vt primo, atque præcipuo loco haberet Iudæos, & vt doctrinæ gratiâ inter illos agerer, non tamen vt Gẽtiles reſpueret, ſi quando occaſio ferret, vt cum illis ageret; vt quando ipſe inter Iudæos moraretur, aut ſicubi in ipſos aliquo modo incurrere contingeret. Qua ratione curauit ſeruum Centurionis, qui in ciuitatibus habitabat Iſraëlis, & Samaritanos docuit, quia per Samariam neceſſariò tranſiturus erat in Galilæam, quò iter inſtituerat. Ait ergo Dominus; *Non ſum miſſus, niſi ad oues,* &c. id eſt, ex inſtituto, præcipuóque cõſilio miſſus ſum ad oues, quæ perierunt ex Iſraël, quas mea præſentia luſtrem & inſtituam.

NEQVE modus iſte dicendi alienus eſt à vulgi conſuetudine, à qua Scripturæ ſermo non abhorret. Nam ſi quiſpiam ad inſtituendos, verbi gratiâ, Iaponios à Pontifice mittatur, etiamſi Inſulanos alios, aut qui alterius generis in Iaponia cõmorantur, inſtituat, ille nihilominùs verè, & ex quotidiani ſermonis vſu diceret, nõ niſi in Iaponiã doctrinæ gratiâ ſe fuiſſe miſſum, neque contra Pontificis conſilium, & voluntatem, neque contra communem hominum exiſtimationem, quic-

quam molitus exiſtimaretur. Quod mihi veriſimile eſt feciſſe etiam Apoſtolos, ſi quando opportuna incideret occaſio agendi cum Gentilibus, modò ne in eorum viam irent, id eſt, eo conſilio in eorum ciuitates ingrederentur. Quare non puto ſpecialem aliquam legẽ, aut facultatem neceſſariam fuiſſe Petro, vt doctrinæ gratiâ ad Cornelium accederet, quandoquidem ille inter Iudæos morabatur, quorum tũc Petrus regiones luſtrabat; fuiſſe tamen, vt cum eo, aliiſque Gentilibus communem haberet menſam, neque ab illis abſtineret cibis, quos lex antea à Iudæorum menſis remouebat. Nam, vt ſtatim dicemus cap. 5. concionanti Petro Gentiliũ adfuêre non pauci. è quorum numero mihi veriſimile eſt conuerſos eſſe multos, quia illi ingenium habuerũt magis ad Euangelium docile, quàm Iudæi. At quis credat, aut omiſſurum eſſe Petrum docẽdi negotium, propterea quòd tunc aderant Gentiliũ turbæ cum Iudæis, vt ex hymno Eccleſiaſtico didicimus, *Turba pauens Gentilium*: aut non etiã in concionãdo Petrum ſpectaſſe, vt Gentiles quoque Chriſtum agnoſcerent?

Gentiles aderãt cõcionanti Petro.

Cap. IV.

Ante Cornelij conuerſionem licuit cum Gentibus agere doctrinæ gratiâ.

1\.

Ante Cornelium Apoſtolis cum Gẽtibus agere licuit.

QVOD ante Cornelij conuerſionem interdictũ Apoſtolis fuerit, ne Gentibus annunciarent Euangelium, ex nullo, quem ego viderim, loco Scripturæ ſumi poteſt: nam illud Matth. capit. 10. *In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis; ſed potiùs ite ad oues, quæ perierunt domus Iſraël*; non nimis vrget. Hoc namque præceptum, vt notauit Hieronymus in cap. 10. Matth. datum eſt ante Chriſti mortem; quod ſanè tunc multas ob cauſas impoſitum oportuit. Primùm, quia, vt dicit ibi Hieronymus, oportebat priùs aduentum Chriſti annunciari Iudæis, ne iuſtam haberent excuſationem Iudæi dicentes, ideo ſe Dominum non admiſiſſe, quia ad Gentes, & ad Samaritanos Apoſtolos miſerit. Idem pene Chryſoſtom. in Ioann. capite 12. vbi dicit poſt Paſſionem in omnem locum dimiſſos fuiſſe Diſcipulos; quia iam illa ſuperior ratio ceſſarat. Et hom. in illud ad Romanos cap. 16. *Salutate Priſcam, & Aquilam.* Quæ eſt poſt epiſtolam ad Romanos, aliam indicat cauſam, cur Apoſtoli ante aduentum Spiritus ſancti, Gentium, & Samaritanorum ciuitates obire non debuerint. *Quemadmodum*, inquit, *aues pullos ſuos fouentes tandiu in nido ſedent, donec illorum pluma increſcant, quas dum increuiſſe viderint, eos primùm circa nidum volitare docent: deinde adminiculo ſuo totos deſtituunt; ita faciebat & Chriſtus. In Paleſtina enim quaſi in nido nutricabat Diſcipulos, & exinde eos volare docuit, præſens, & geſtans: tandem permiſit eos volare in totum orbem.*

Matt. c. 10.

Cur Iudæis primùm annũciari debuerit Euangelium.

2\.

Poſt aduentum Spiritus ſancti liberũ fuit Diſcipulis ad Gẽtes abire.

QVAM Chryſoſtomi ſententiam ſatis indicauit Chriſtus ipſe, dum iuſſit Diſcipulos ſedere in Ieruſalem, donec induerentur virtute ex alto. Lucæ 24. & Actorum capite 1. id eſt, donec Spiritum ſanctum acciperent; quaſi iam magis, quàm antea robuſti tutò ſe poſſent maioribus offerre periculis. Et quidẽ poſt aduentũ Spiritus ſancti ſublatum eſſe præceptũ, quod antè

Digitized by Google

antè impoſitum fuerat Matth. cap. 10 ex eo fit veriſimile, quia iiſdem pene verbis vſus eſt in laxando, quibus priùs vſus fuerat in ferendo præcepto. Dixerat ſanè priùs Matth. 10. *In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis.* Act. verò cap. 1. *Accipietis virtutem Spiritus ſancti in vos; & eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ*, id eſt, ad Gentes. Quibus verbis abrogari potuit clariùs ſuperior lex?

CAPVT V.

Multi ante Cornelium è Gentibus conuerſi.

1. Multi ante Cornelium conuerſi ab Apoſtolis è Gentibus. LEGEM illam poſt Spiritus ſancti deſcenſum eſſe laxatam res ipſa probauit: nam poſt cędem Stephani, Philippus ingreſſus eſt ciuitatem Samaritanorum, imò & Samariam alienæ gentis caput; cùm tamen nó minùs de Samaria, quàm de ciuitatibus aliis vrgeret præceptum. Et Eunuchus Æthiops ab eodem Philippo Euangelium accepit, quem fuiſſe Gentilem communis opinio eſt. Ita expreſsè S. Tho. in cap. 12. Ioan. lect. 14. Euſeb. lib. 1. hiſt. c. 2. Niceph. lib. 2. c. 6. Beda, Gloſſa ordinaria, & interlinearis, Hugo, & ex recentioribus Caietanus, & Salmeron, in cap. 8. Act. Toletus, Maldonatus in cap. 12. Ioan. Ianſenius in conc. cap. 3.

2. Eunuchus Candacis Gentilis. NEQVE huic ſententiæ multùm incommodat, quòd adorare venerit in Ieruſalem, aut quòd Iſaiam legerit; nam & Gentiles in templum Hieroſolymitanum religionis gratiâ venire ſolitos, ſatis conſtat ex Ioan. cap. 12. Et cùm ſacra Biblia iam eſſent à LXX. viris in Græcum conuerſa, magnáque in admiratione inter Gentes habita, quid mirum ſi homo potens, Ægyptóque vicinus, vbi eius libri copia veriſimiliter erat, quia ibi Ptolomæi, rogatu liber ille conuerſus eſt, ſacra Biblia habere potuerit? Sanè in Eccleſiæ primordiis conuerſum fuiſſe Abagarum, & Regiam ciuitatem Edeſſam à Thaddæo tradit Euſebius lib. 2. hiſto. c. 1. quem eſſe Gentilem, & à Gentilibus habitatam eſſe ciuitatem, ex epiſtola Abagari, quam adducit Euſebius, prudens quiſque colligat: quia de Iudæis tanquam de alienis à ſua Religione loquitur. *Etenim*, inquit, *audio Iudæos tibi obſtrepere maleuolè.* Fuiſſe verò aliquos è Gentibus ante Cornelium conuerſos, probat id, quod nuper c. 2. notabamus, expoſtulaſſe videlicet cum Petro illos, qui è fidelium cœtu erant ex circunciſione; quæ verba omnino indicát aliquos fuiſſe fideles, qui ex circunciſione non erant.

NEQVE eſt veriſimile cùm à Petro Actuum cap. 2. & cap. 4. octo hominum millia conuerſa eſſe traduntur, in eis nullos fuiſſe Gentiles. Sanè inter eos, qui primę Petri concioni interfuêre, fuiſſe Gentiles dicit Chryſoſtomus, & Oecumenius: & textus ipſe non obſcurè indicat, dum multarum nationum meminit, quas à Iudæis eſſe diuerſas certè docet expreſsè hymnus, quem in feſto Pentecoſtes canit Eccleſia, dum ait. 3. Ex Gentibus aliquot conuerſi in die Pentecoſtes.

Ex omni gente cogniti,
Græcis, Latinis, Barbaris.

Eſt autem notum alienos à ſua Re-

Digitized by Google

ligione, & lingua à Iudæis *Barbaros* appellari. Neque eſt veriſimile Iudæos, qui apud Gentiles morabantur, ita patriæ oblitos fuiſſe linguæ, vt propterea, ſi illi tantùm interfuiſſent, neceſſarium fuerit linguis vti variis. Quod in alio hymno multo dicitur clariùs.

Linguis loquuntur omnium,
Turbæ pauent Gentilium.

Ex quo apparet Spiritus ſancti deſcenſu laxatam eſſe prohibitionem, quæ non patiebatur antea Apoſtolicam operam nauari Gentilibus.

CAP. VI.

Quando facta Apoſtolorum diuiſio.

1. QVo tempore facta ſit Apoſtolorum diuiſio, non omninò conſtat inter authores; cuius cognitio plurimùm ad definiendam controuerſiam conferet, de qua nobis quæſtio. Qua de re non omnes eodem modo ſentiunt. Quidam ſequuti, credo, Apollonij non tam ſententiam, quàm de aliena ſententia teſtimonium, ad duodecimum annum ab Aſcenſione Domini dilatam eſſe putant Apoſtolorum diuiſionem. De quo Apollonio his verbis Euſeb. lib. 5. c. 17. hiſtor. *Præterea ait ſe traditione accepiſſe Seruatorem mandatum ſuis dediſſe Apoſtolis, ne ad duodecim annos Hieroſolymis decederent.* Scripſit Apollonius iſte, vt ſuprà Euſebius, anno 40. à Cataphrygum hæreſi, i. anno circiter Domini 210. ante quã ex eodẽ Euſebio in Chronico anno Domini 196. Clem. Alexand. florere cœperat, à quo ſumpta videri potuit illa traditio, de qua Apollon. apud Euſeb. Idem etiã placet Clem. Alexãd. lib. 6. Strom. longè à principio, de cuius authoritate poſtea. Tenet Petrus Comeſtor in Acta Apoſtol. c. 71. & Beda item in Acta c. 13. Ioannes Belethus de diuinis Officijs c. 139. & author quidam anonymus, qui eſt in Bibliothecã Floriacenſi; de cuius fide poſtea ad finem huius operis.

2. SED hæc ſententia omnibus fermè aliis improbata eſt, quam, meo iudicio, non obſcurè iugulant Scripturæ ſacræ teſtimonia. Nam ita loquuntur de Apoſtolorum prædicatione extra Ieruſalem, atque Iudæã, vt ad duodecimum vſque annum differri non debuerit. Et ſanè de diſceſſu è Hieroſolymis, quod voluiſſe videtur Apollonius, res eſt omnino certa: nam conſtat proximè ab Aſcenſione Petrum, & Ioannẽ abiiſſe Samariam; deinde Petrum peruagatum eſſe ciuitates aliquot Iudææ, antequam in Cornelio Gentibus ad Euangelium ianuam aperuiſſet. Act. 8. 9. 10. Quare iſta Apollonij traditio nihil prorſus incommodat communi ſententiæ. Iuſſit quidem Apoſtolis Chriſtus ne diſcederent Hieroſolymis, non tamen ad duodecimum annum; ſed ad aduentum vſque Spiritus ſancti. Lucæ c. 24. *Ego mittam promiſſum Patris mei in vos: vos autem ſedete in ciuitate quoadusque induamini virtute ex alto.* Præterea ſunt complura alia, quæ non longè à Spiritus ſancti deſcenſu docent in varias orbis plagas abiiſſe Diſcipulos. De quibus nos ſtatim, vbi quid de Clementis Alexandrini teſtimonio exiſtimandum ſit, dixerimus. Eſt ſanè grauis Clementis authoritas, vt optimè Baronius tom. 2. anno Chriſti

Apoſtolorum diuiſio ante annũ 12. ab Aſcenſione.

Chriſti 196. numero 26. Sed cùm hæretici illius ſcriptis inſeruiſſent plurima, non tantùm à Clemente, ſed à Religione, & veritate aliena; ne fideles incauti Clementis decepti nomine in fraudem, & errorem inciderent, prudenter à Gelaſio cenſura notata ſunt illius ſcripta, & iudicata apocrypha.

3. *Clementis opus apocryphum.* CERTE quidquid ſit de Clemente Alexandrino, Itinerarium Petri à quodam Clemente compoſitum, Gelaſij cenſura apocryphum iudicatum eſſe conſtat. Ex quo Itinerario teſtimonium illud videtur eſſe ſumptum, quod in Clemente Alexandrino legimus, & ex quo illa videtur propagata traditio, quam ex Apollonio ſuprà recitauit Euſebius. Sic autem Alexandrinus: *Propterea dicit Petrus Dominum dixiſſe Apoſtolis: Si quis ergo velit ex Iſraël duci pœnitentia, & propter nomen meum credere in Deum, remittentur ei peccata. Poſt duodecim annos egredimini in mundum, nè quis dicat, non audiuimus.* Hinc ſatis videtur eſſe factum & teſtimonio Clementis, & Apollinij traditioni.

4. *Paulo poſt Spiritus ſancti deſcenſum facta Apoſtolorum diuiſio.* CVM nihil de hac Apoſtolorum diuiſione ſit certum, dicam quod mihi magis videtur ad veritatem. Puto igitur paulo poſt Spiritus ſancti deſcenſum exceſſiſſe Apoſtolos è Iudæa, & in ſuam quemque prouinciam abiiſſe. Id docuit Melithon quidam, aut is, qui ſuis ſcriptis Melithonis nomen ad conciliandam authoritatem ſuppoſuit. Quod opus, licèt apocryphum à Gelaſio iudicatum ſit, fieri tamen potuit, vt traditionem aliquam author ſit ſecutus, quemadmodum Apollonius ex Petri Itinerario eadem notato cenſura, traditionem illam de duodecim annis, vt probabile nuper cenſebamus, aſſumpſit. Ille ergo ait, ſecundo ab Aſcenſione anno iam factum fuiſſe Apoſtolorum diſceſſum. Quod ita reprobat Beda in Retractationibus ſuper Act. cap. 13. vt eius ratio non adeo cogat in oppoſitum.

IDEO enim negat eo tempore Apoſtolos aut debuiſſe, aut potuiſſe diſcedere, quia morienti Virgini, atque eius ſepulturæ interfuerunt, neque eſſe veriſimile B. Ioannem in datam ſibi prouinciã abiturum, relicta Virginis cuſtodia, quam Chriſtus moriens illi tantopere commendauit. Sanè ſi ad Virginis obitum Apoſtolis in Iudæa commorandum fuit, exiguum admodùm tempus reliquum fuiſſet, quod totius orbis prædicationi impenderent: nam ſi, vt plerique ſentiunt, ad ſexageſimumtertium ætatis annum, aut vt alij probabiliùs, ad ſeptuageſimumſecundum vixit, planè efficitur, Apoſtolos decem octo, ſeu, vt probabilior eſt ſententia, viginti octo annis in Iudææ finibus conſediſſe. Qua de re vide Baronium tom. 1. anno 48. & Franciſcum Suarez tomo 2. in 3. p. diſputatione 21. ſectione 1. & Chriſtophorum Caſtrum libro de B. Virgine cap. 10. qui de Ioannis cuſtodia ſatis diligenter. Sunt autem non pauca, neque leuis, vt reor, momenti, quæ mihi perſuadent exiguam moram Apoſtolos in Iudæa poſuiſſe. Primùm, quia, vt ita fateamur, ipſa pene ſacræ Scripturæ teſtimonia cogunt, quæ videntur Apoſtolis indicere non obſcurè, vt ſtatim ab Spiritus ſancti deſcenſu ſeſe ad Gentium conuerſionem accingant. Actuum primo. *Præcepit eis ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris*

5. *Apoſtoli non manſerunt in Iudæa ad obitum vſque Virginis.*

Scripturæ teſtimonia.

inquit

ruſalem, cùm de hac Gentium conuerſione loqueretur, dixit. *Vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Euangelij.* Ex quibus verbis ſatis liquet hanc conuerſionem factam eſſe in ipſis Eccleſiæ primordiis. Neque enim antiqua dicerentur tempora ſi non eſſent proxima Eccleſiæ naſcenti. Vbi notandum quo loco Latinè dicitur *ab antiquis diebus*, Græcè eſſe ἀφ᾽ ἡμερῶν ἀρχαίων, id eſt, vt oſtendit ipſa verbi notatio, *à diebus primis.* Et ita vertit Syrus קדמיא *kadmaie*, quæ vox non ſignificat niſi *quod iampridem ab ipſo pene rerum initio factum.* Et ita intellexit Caietanus, qui tranſiſſe dicit à Gentium conuerſione 14. annos ad Concilium vſque. Et quidem vox ἀρχαῖος in Teſtamento Nouo plerumque *primum*, aut *originale*, aut *origini proximum* ſignificat. 2. Petri 2. Latinè, *originali mundo non pepercit*; Græcè, ἀρχαίου κόσμου. Matth. 5. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis*; illis nempe, quibus primùm data lex eſt, Græcè, ἀρχαίοις. & Apoc. cap. 12. & cap. 20. Diabolus, qui in principio mundi creatus eſt; *ſerpens dicitur antiquus*, Græcè, ἀρχαῖος. Sic etiam nunc tēpora puto à Petro ſignificari prima Eccleſiæ, aut certè primis proxima. Sed quis dicat nonum annum ab Aſcenſione, in quo à quibuſdā Cornelius conuerſus exiſtimatur, eſſe primum tempus Eccleſię, comparatione ad decimumquartum, aut decimumſextum annum, in quo Concilium hoc coactum eſſe creditur, anno nimirum 14. à conuerſione Pauli? Quomodo verò ab antiquis, ſeu à primis Eccleſiæ temporibus conuerſus eſt Cornelius, ſi ſeptimo anno ante Concilium, & nono, aut decimo ab Aſcenſione ad Eccleſiam acceſſit? An dici antiquum poteſt, quod in ſpatio adeò breui tam longè à principio, tam propè abeſt ab eo tempore, de quo ſermo eſt? An primum quis illud tempus eſſe dicat, quod vix probari poſſit eſſe medium? Ex his ſatis fit veriſimile, primis Eccleſiæ temporibus apertum eſſe Gentibus aditum ad fidem.

CAPVT X.

Quoto anno ab Aſcenſione conuerſus Cornelius.

NVNC iam exploremus quo tempore Cornelius ad Eccleſiam vocatus. Et, vt aliquid in re adeò obſcura coniectando potiùs, quàm aſſeuerando dicam; ego quidem ſic exiſtimo, eodem tempore, aut certè interuallo non admodùm longo Eunuchum à Philippo, & Paulum à Deo, & à Petro Cornelium vocatos eſſe ad fidem. Quod vt mihi perſuadeam, obſeruo quod ex Hieronymo dixi cap. 2. ad illud. *Et dabo prodigia in cœlo ſurſum*; non eodem ordine interdum ab authoribus Canonicis aliqua narrari, quo geſta ſunt; ſed pro rerum opportunitate variè. Quare frequens eſt in Scriptura illa figura, quæ prolepſis dicitur, ſeu anticipatio, per quam aliqua à ſacris ſcriptoribus narrantur ante ſuum tempus. Quod tunc plerumque fieri ſolet, quando interrupto filo hiſtoria fieret obſcurior; deducto autem ad finem, ſeu ad notum aliquem, & illuſtrem locum narrationis filo, ad id, quod omiſſum videbatur, recurrit hiſtoria. Exempla ſunt plurima; ſed ſumam ex hoc libro, & ex hoc penè loco aliqua, in quib. eſt aperta prolepſis.

[Margin:] 1. Eodē tēpore Eunuchus, Paulus, & cornelius conuerſi.

[Margin:] Regul. Prolepſis in Scriptura frequēs

Digitized by Google

Cóſtat Herodem obiiſſe anno tertio Claudij ex Ioſepho lib. 19. Ant. cap. 7. Eius autem mors narratur à Luca poſtquam liberatus eſt Petrus à carcere, id eſt, duobus fermè annis antequam moreretur, quia nullum magis opportunum tempus erat narrationi. Et cap. 11. poſt conuerſionem Cornelij narratur quemadmodum illi, qui diſperſi fuerant à tribulatione facta ſub Stephano, perambulauerint vſque in Phœniciam, & Cyprum. Et quòd hæc ante Cornelij vocationem facta fuerint, liquet ex eo, quod ſtatim ſubditur (iuxta ſententiam illorum, qui ex his verbis colligunt, ante Cornelium nefas fuiſſe cum Gentibus agere de Religione) *nemini loquentes verbum, niſi ſolis Iudæis.* Quo argumento qui ſerò Gentiles veniſſe putant ad Eccleſiam, vtuntur, quia nimirum nondum à Petro aperta fuerat ianua populo Gentili. Sed de hoc nos aliquid poſtea. Eodem ergo modo exiſtimo per prolepſim multa narrata fuiſſe de Paulo cap. 9. ante narratam Cornelij conuerſionem, quæ facta fuerunt poſt illam, ne hiſtoria Pauli interrupta redderetur obſcurior: qua iam abſoluta, clariùs quid Cornelio contigerit, licèt non ſuo loco, narratur. Incepit autem Lucas ab Eunucho, vt ſemel abſolueret Philippi geſta, quia de Philippo nihil erat allaturus poſtea. Deinde egit de Paulo, quia eius conuerſio multo illuſtrior, & ſubtexuit, quæ primum illud tempus à conuerſione ſubſecuta ſunt, donec rediret Hieroſolymam, & metum fidelibus adimeret, quia ad illud vſque tempus ipſius pietas, & zelus non erant fidelibus ſatis nota. Deinde verò ad Cornelium peruenit, neque intercidit filum, donec tota de Cornelio hiſtoria peracta eſt.

TRES autem iſtas conuerſiones accidiſſe in ipſo digreſſu à Samaritanorum conuerſione, antequam Petrus Hieroſolymam rediret, non obſcurè indicat textus ipſe. 2. Cõuerſio Cornelij, & Pauli ſtatim in ipſo digreſſu à Samaria. De Eunucho baptizato ſatis conſtat cap. 8. De Paulo & narrationis ordo ſignificat, & temporis ratio: quia ſi primo anno à cæde Stephani conuerſus eſt Paulus, tantùm temporis conſumptum eſſe videtur à Philippo priùs, deinde à Petro, & Ioanne in conuertendis Samaritanis, luſtrandíſque aliquot Samariæ, & Galilææ regionibus. De Cornelio non leuis coniectura eſt, quia, vt capite 8. dicitur, vbi res Samaritanorum compoſita fuit, tam Petrus, quàm qui cum eo erant, de reditu in Hieroſolymam cogitarunt, ita tamen vt in ipſo curſu multas regiones Samaritanorum obierint. *Et illi quidem teſtificati, & locuti verbum Domini redibant Hieroſolymam, & multis regionibus Samaritanorum euangelizabant.* In hoc reditu, opinor, raptus eſt ab Angelo Philippus, & Petrus digreſſus à ciuitate Samariæ, eius prouinciæ, item Galilææ regiones multas euangelizando luſtrauit. Nam narrata Pauli cõuerſione, quæ altero anno à Chriſti Aſcenſione contigit, & commemoratis his, quæ recèns conuerſo Paulo acciderunt; quæ alio loco aut clariùs, aut commodiùs explicari non poterant; redit Lucas ad interrupta, id eſt, ad ea verba capitis octaui, *redibat* nempe *Petrus Ieruſalem, & multis regionibus Samaritanorum euangelizabat.* Et paucis verbis complectitur quàm vtilis fuerit à Petro illis regionibus opera collocata.

cata. *Eccleſia* (inquit) *per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam habebat pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini, & conſolatione ſancti Spiritus replebatur.* Deinde Petri curſum deſcribens ſine vlla de reditu in Hieroſolymam mentione, quia ſcilicet nondum è Samaria in illam vrbem redierat, addit: *Factum eſt autem vt Petrus dum tranſiret vniuerſos, deueniret ad ſanctos, qui habitabant Lyddæ*, &c. In hoc eodem curſu narratur à Luca aduentus in Ioppem, & Cæſaream, & conuerſio Cornelij. Hinc Petrus, vt faceret inſtituerat, cùm egreſſus eſt Samaria, rediit Ieruſalem, vbi fidelibus qui erant è circumciſione, grauiter commotis, quòd cum Gentilibus manducaſſet, conſilij ſui rationem reddidit. Poſt quem in vrbem reditum euenêre, quæ per prolepſim antè de Paulo Hieroſolymam reuerſo capite nono dicta ſunt, quòd ſcilicet liberè cum Gentibus egerit; neque tamen ab his qui Petro eandem ob cauſam infenſi fuerant, reprehenſus ſit.

CAP. XI.

Quando erecta Antiochena Cathedra.

1. ACCEDIT alia ratio, meo iudicio, non infirma, ſumpta ex omnium pene gentium, ſæculorúmque traditione, quam non negat Baronius, ſed potiùs probat in Addit. ad Martyrologium die vigeſimaſecunda Februarij; & ibidem Petrus Galeſinus; & pluribus t. tom. Annal. anno Chriſti 39. Dicunt enim Petrum fundaſſe Antiochenam Cathedram extremo anno Tiberij, id eſt, vt ex Euſebio colligitur, anno Chriſti 38. licèt Baronius anno 38 putèt: de quo non admodùm laboro.

Anno vltimo Tiberij erecta Antiochena Cathedra.

Eſt etiam communis traditio, in Antiochena Cathedra ſediſſe Petrum 7. annos. Ita Baronius, & Galeſinus ſuprà, Genebrardus in Chronicis, & Damaſus in Petro, Gregorius in Regiſtro libro ſexto epiſtola 37. Sed omnes fermè ſeptem illi anni Antiochenæ Cathedræ præceſsêre Iacobi mortem, quia, vt ſuo loco dicemus, occiſus eſt anno primo Claudij, & Petrus anno ſecundo Claudij Romæ Cathedram erexit; vbi ſedit annos 25. vt docet S. Hieronymus de ſcriptor. Eccleſ. in Petro, & communiter omnes authores Eccleſiaſtici. Vide Bellarminum de Romano Pontifice libro 2. capite quinto. Erecta ergo fuit Antiochena Cathedra anno quinto, aut ſexto à Chriſti morte; nam totidem annos Tiberius Chriſto ſuperſtes fuit. Quod factum fuit poſtquam ea multitudo ad Eccleſiam acceſſit, vt iam non modò non timerent fideles publicè profiteri Chriſti nomen; ſed etiam honoris cauſa Chriſtianorum ſibi nomen aſſumerent. In quo tanto fidelium numero congregando, oportet non parum temporis eſſe conſumptum. Quòd verò tunc non Iudei ſolùm; ſed etiam Gentiles eſſent in illa Antiochena Eccleſia, ſatis, meo iudicio, conſtat: quia cùm de his, qui diſperſi fuerant à tribulatione Stephani, dictum eſſet

2. Petrus Antiochenā Cathedrā 7. annos moderatus eſt.

cap. 11.

CAPVT VII.

Quando conditum Apoſtolorum Symbolum.

1. HVc præterea facit quòd, vt docent communiter Patres, ideo Symboli cõponendi conſilium inierant Apoſtoli, vt in varias regiones ſegregati formam haberent aliquã communem, quam in docendo ſequerentur; quo Symbolo ab vniuerſis ordinato, facta communiter exiſtimatur Apoſtolorum diuiſio. Ita indicant authores à Caniſio ſtatim in exordio Catechiſmi citati, qui etiam verbis ſignificãt non obſcuris conditum eſſe Symbolum nõ longè ab Aſcenſioue Chriſti. Clemens in epiſtola prima ad fratrem Domini. *Chriſto reſurgente, & aſcendente in cœlum, miſſo ſancto Spiritu, collata Apoſtolis ſcientia linguarum, adhuc in vno poſiti Symbolum, quod fidelis nunc tenet Eccleſia, vnuuſque quod ſenſit dicendo condiderunt; vt diſcedentes ab inuicem hanc regulam per omnes Gentes prædicarent.* Idem pene Rufinus in expoſitione Symboli. *Tradunt*, inquit, *maiores noſtri, quòd poſt Aſcenſionem Domini, cùm per aduentum ſancti Spiritus ſuper ſingulos quoſque Apoſtolos lingua ignea ſediſſent*, &c. *Diſceſſuri itaque ab inuicem normam prædicationis in commune conſtituunt, ne fortè alius ab alio abducti diuerſum aliquid his qui ad fidem Chriſti inuitabantur, exponerent.* Eandem traditionem adducit Auguſtinus ſermon. 181. de tempore. vbi etiam Symboli compoſitionem cum Apoſtolorum diuiſione conſociat, iiſdem pene verbis, quibus Rufinus.

Symbolũ ſtatim ab Aſcenſione conditum.

ACCIDIT quod apud me plurimùm obtinet momenti, quòd Paulus tertio ſuæ conuerſionis anno Hieroſolymam rediit, vbi neminem Apoſtolorum vidit præter Iacobum, & Petrum; vidiſſet vtique plures alios, ſi facta non fuiſſet priùs illa prouinciarum, Apoſtolorúmque diuiſio. ad Galat. 1. *Poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim. Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum fratrem Domini.* Cuius rei eam putant eſſe cauſam Hieronymus, Anſelmus, Claudius Altiſiodorenſis in hunc Pauli locũ; quia iam Apoſtoli alij per orbem fuerant ad prædicandum diſperſi. Inuentus autem fuit ibi Iacobus frater Domini, quia Hieroſolymæ deſignatus Epiſcopus abeſſe non poterat: & Petrus, qui Eccleſiæ vniuerſalis Paſtor nullius prouinciæ curam depoſuerat. Alij, quia cur Hieroſolymæ reſiderent, non erat, neque tunc à Paulo, neque dum Iudæam peragraret, viſi vnquam ſunt. 2.

ad Gal. 1.

CAPVT VIII.

Quid Cornelij conuerſio contulerit; & ad duo loca Actor. reſponſio.

SED obiiciet aliquis: ſi ante Cornelium licuit Gentibus impertiri Euãgelicam lucem, vnde nata eſt illa admiratio, & gratulatio fidelium Act. 11. *Ergo & Gẽtibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam?* Nam & hinc videtur conſtare antè non 1.

Act. 11.

Act. 15. dediſſe. Et Act. 15. hoc ipſũ videtur indicaſſe Petrus. *Viri fratres, vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Euangelij, & credere.*

2\. Ad priorem locum reſpondeo, ad tempus vſque Cornelij Gentilium conuerſionem, ſicut Iudæorum antea, probatam non fuiſſe illuſtri aliquo de cœlo teſtimonio: neque permiſſum, vt iam liberè fideles cum Gentibus poſſent communis menſæ, atque conuictus habere ſocietatem. Quia eò vſque à Deo neque plenè, neque abſolutè videbatur eſſe conceſſa.

Regul. Tunc aliquid factũ, vel cõceſſum eſſe dicitur, quando ſpeciali aliquo modo factũ, vel cõceſſum eſſe demõſtratur. Matt. 28.

Est autem vſitatum in Scriptura, vt tunc aliquid dicatur fieri, vel concedi, quando illuſtri aliquo ſigno factum, vel conceſſum eſſe demonſtratur. Et ne longiùs abeamus ab hac materia; cùm Chriſtus Matth. 28. ad omnes gentes Diſcipulos mittit, ait, *data eſt mihi omnis poteſtas.* Datam Chriſto omnem poteſtatem poſt Reſurrectionem dicit ibi S. Thom. etiamſi poteſtatem illam haberet Chriſti humanitas à verbi vnione; quia tunc illa poteſtas manifeſtata eſt: vbi etiam tradit regulam, quam nos ſuprà. Et quidem omnium pene gentium vulgato modo aliquid tunc fieri poſſe dicitur, quando fieri incipit, aut ſolet publico, atque ſolemni more. Quemadmodum ſi alicuius prouinciæ conſuetudine raro, qui ſunt ex aliquo genere, ad aliquem illuſtrem locum, & ordinem ſeu militarem, ſeu Eccleſiaſticum admittatur, licèt neque lege, aut vlla recta ratione ſint prohibiti, ſed odio tantùm illius gentis; tunc dicuntur vocari & cooptari poſſe in eiuſmodi gradum, licèt priùs nulla lege excluſi, quando ſolemni aliquo decreto, aut principis beneficio genus illud ornatur, atque odioſum eſſe deſinit, aut deſpectum. In humanis exempla ſunt non pauca; & eſt in ſacris optimũ illud Eſther cap. 8. nam cùm priùs vile eſſet Chaldæis Iudæorum genus, vtpote captiuum; neque auderent, niſi admodùm pauci de Chaldæorum gẽte ad Iudæorum Religionem accedere, quia ſtatus ille ignobilis, ac ſordidus faciebat, ne apud victores, & lautos homines illuſtris videretur illa Religio; at vbi Regio decreto, ac beneficio exaltatus fuit Mardochæus, vt ibi ſcribitur, *plures alterius gentis, & ſectæ Iudæorum Religioni, & cæremoniis iungebantur: grandis enim cunctos Iudaici nominis terror inuaſerat.* Quare nemo, credo, impropriè diceret Mardochęi gloria, & Regio iudicio apertam fuiſſe Chaldæis ianuam ad Iudæorum Religionem, licèt antea non fuiſſet occluſa. Sic etiam nunc, quamuis ante Cornelium licuerit agere cum Gentibus, illuſtri tamen de cœlo teſtimonio cauſa Gentilium nobilitata, expeditam magis Apoſtolis cauſam reliquit. Eſther 8.

Ad cap. Act. 15. reſpondeo, ibi nullam eſſe vocem, quæ ſignificet primum omnium Petrum Gentibus euangelizaſſe; ſed tantùm ſe euocatum à Deo, vt Gentes doceret. Illud autem *elegit*, Græcè ἐξελέξατο, nihil hîc primũ notat, aut ſpecialem aliquam deputationem ad Gentium ſalutem (nam hoc potiùs videbatur oſtendere illud, *elegit per os meum audire Gentes*) alioquin cæteris Apoſtolis, etiam poſt Cornelium conuerſum, non liceret agere cum Gentibus, ſi electus eſſet ex omnibus Petrus, vt per os eius Gentes Euangelium 3. Act. c. 15.

acci

Digitized by Google

acciperent. Elegit autem, ſeu euocauit illum ab aliis ſtudiis in Cæſaream, vt nouo quodam modo magis quàm antea libero, ac publico, quem ipſe cœleſti ſigno probare ſtatuerat, cum Gentibus ageret. Eo verò modo publico, atque ſolemni vocatis ex Iudæo, atque Gentili populo teſtibus, Gentes ad Eccleſiam adduci maximè decebat Eccleſiæ caput, & Chriſti Vicarium. Sicut etiam ſolemni ritu multa à priuatis hominibus fieri non poſſunt, quæ tamen ſecretò, atque priuatim nō ſolùm ſanctè poſſunt: ſed fieri etiam omnino debent; vt in Baptiſmo conſtat. Vt ergo ex omnibus electus eſt Philippus, vt in via. id eſt, priuatim Eunuchum doceret, & baptizaret; ſic credo electum fuiſſe ex omnibus Petrum, vt in ciuitate nobiliſſima ſpectantibus Iudæis, atque Gentilibus, & cœlo factum approbante baptizaret Cornelium.

Hoc mihi valdè veriſimile eſt potuiſſe à Spiritus ſancti deſcenſu Euangelium communicari Gentibus: quod etiam ita exiſtimabat ex noſtra Societate P. Gabriel Vaſquez, vir & exquiſitæ eruditionis, & acerrimi iudicij. Sed etiamſi demus nullo modo Apoſtolis licuiſſe ante reſeratam in Cornelio ianuam agere cum Gentibus, nihilominùs exiſtimo eo tempore conuerſum eſse Cornelium, vt impedimentum interceſserit nullum, quominùs Iacobus & obire Hiſpaniam, atque ibi longam moram facere; ac deinde Hieroſolymam redire potuerit.

CAP. IX.

Non longè ab Aſcenſione conuerſus eſt Cornelius.

DE tempore, quo Eccleſiæ additus fuit Cornelius, nihil eſt omnino certū. Baronius cōuerſum putat anno Chriſti 41. id eſt, à Chriſti Aſcenſione anno octauo. 1.
Sed hoc mihi ſemper difficile viſum eſt: nam ſi ab Apoſtolis Gentium conuerſioni opera data non eſt ante hoc Cornelij tempus, profectò nimis anguſtis finibus incluſum eſset Apoſtolorum ſtudium diuini Spiritus ardore inflammatum. Accedit quòd tot annis, quid tot Apoſtoli in Iudæa fecerint, neque à Luca hîc, neque ab aliis authoribus quicquam magnum traditum eſt, niſi de Petro, Iacobo, & Ioanne. Quis autem credat illorum operam tot annis aut ſegnem fuiſſe, aut inutilem; neque fieri potuiſſe, vt tot annis, & peregrinationibus Paulus in eorum aliquem non incurreret? Sed ad Galatas capite primo tertio à ſua conuerſione anno tantùm ſe vidiſse dicit ex Apoſtolis Petrum, & Iacobum, nimirum aliis in diuerſas Gentium prouincias dilapſis, vt in eum locum putat Hieronymus, Anſelmus, & Claudius Altiſiodorēſis Bedæ coætaneus, vt author eſt Tritemius. Neque, ſi tertio illo anno non eſset Gentibus apetta ad Eccleſiam ianua, in quo Paulus Hieroſolymis fuit, tam ille liberè ibidem cum Gentibus loqueretur. Sic enim de illo Lucas

Petrus docere potuit, ſanè ideo ortam Eccleſiæ pacem eſſe arbitror, quia ex Gentilib. iam ibi multi crediderant, quorum authoritate fideles tueri poterant contra tot hoſtes Euangelij publicè, & Chriſti cauſam, & Chriſtianorum nomẽ, quod ibi primùm fideles acceperunt.

4. *Theophilus vir Antiochiæ nobilis.* CERTE Theophilum principem virum, cui & priùs Euangeliũ, & Acta Apoſtolorum poſtea Lucas dicauit, conuerſum, & Antiochenum eſſe cap. 1. ſtatim in principio docuimus; quem Gentilem fuiſſe, & nomen ipſum innuit, & quia, vt Oecumenius docet, in magiſtratu erat; vt etiam putat Baronius 1. to. Annal. anno Chriſti 58. vbi docet conſtitutum eſſe in dignitate ampliſſima. Iudæo autem in nobiliſſima illa ciuitate non puto ampliſſimam dignitatem concedendã fuiſſe. Hic ergo Theophilus, vt docet S. Clemens lib. 10. Recognitionum cap. vlt. domum ſuam vſui Chriſtianorum mancipauit, mutauítque in Eccleſiam, in qua Petrus, vt conuentus ageret, Cathedram poſuit. Si ergo ab inſtituta hac Cathedra, imò à conuertendis Gentibus, quod vno ſaltem anno priùs fieri cœptum eſt, ad cædem vſque Iacobi ſeptem anni interceſsêre: nam eodem anno Iacobus occiſus eſt, quo Petrus Romam Cathedram tranſtulit, ſeptennij ſpatio ſatis otioſè potuit Iacobus & luſtrare Hiſpaniam, & Hieroſolymam reuerti, vbi ab Herode obtruncatus fuit.

5. Quod priori loco mihi dictum eſt, nempe expectatam nõ eſſe Cornelij conuerſionem, vt cũ Gentibus doctrinæ gratiâ fidelibus agere liceret, plus quàm veriſimile mihi viſum eſt: neque video quid magni momenti contra obiici poſſit. Verùm quia video illud plurimis placere; neque quicquam incommodare Hiſpaniæ cauſæ, modò initio Eccleſiæ Cornelium conuerſum eſſe concedatur; ideo ad poſteriorem hunc ſenſum commentationem ſequentium capitum, quantùm textus ipſe permiſerit, accommodabo.

TRACTATVS II.

An in Hiſpaniam venerit Iacobus.

CAPVT I.

Probatur Iacobi aduentus ex traditione antiqua.

ACCEDO iam ad ea, quibus priores cogitationes cumulare volui. Et quidem, ſi pro Hiſpanorum cauſa nihil ſtaret præter traditionem omni memoria ſuperiorem, ſatis putaretur habere præſidij, quia communis, conſpiránſque conſenſio, nullo interrupta tempore, eam habet authoritatem, quam nulla niſi magna, aut inconcuſſa fides conuellere, aut infirmare poſſit. Quam ſi de medio tollas, cadant neceſſe eſt illorum plurima, quæ nunc religioſè ſeruat Eccleſia. Quæ ſi quis damnaret, aut in dubium adduceret; violatæ ipſe Religionis reus ageretur. Neque parui emerent huius ætatis hęretici, ſi traditionum religio aut tolleretur è medio, aut ſuſpecta cenſeretur, & dubia. A cuius rei longiori diſputatione omnino me liberant aliorum ſtudia qui de traditionum momento, ac fide longiores diſputationes 1. *Traditionum authoritas.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Digitized by Google

inierunt. Vide interim Bellarminum tom.1.Controu. vbi tractatum edidit luculentum de verbo Dei nõ ſcripto, id eſt, de traditionibus. Quod verò ibi de verbo Dei non ſcripto,ſed ex Apoſtolorum ore per poſterorum manus ad nos vſque producto,id eſt,de fide canonica dictum eſt, idem ſuo etiam modo de hiſtoria non ſcripta, ſed conſtanti ſermone ad poſteros deducta,id eſt, de humana fide,cenſeri omnino ſuo modo debet. Cùm verò traditionũ fides, atque religio conſtet, noſtrarum iam erit partium oſtendere iam inde ab antiquiſſimis Eccleſiæ temporibus, quaſi per manus ad noſtrũ vſque ſæculum euaſiſſe hanc de luſtrata à Iacobo Hiſpania conſtantem opinionem: nam vt memoriam repetamus vltimam, in omni fermè ætate reperiemus huius traditionis non obſcura veſtigia, imò non iam obſcuram, vagámque traditionem: ſed certam ſcripturam omni labe, ac ſuſpicione maiorem.

2. PROBARVNT hoc luculẽter ſatis, & eruditè alij priùs, quorũ ſtudio, piòq; labori plurimũ debet hęc publica Hiſpanorũ cauſa: neq; vllus eſt eorum, qui in hanc diſceptationem aliquid operę contulerunt, qui non ad eius aut explicandum euentum, aut roborandam fidem magnum ſcriptorum numerum, & ingentem quaſi teſtium nubem oppoſuerit. Vide Bartholomæum Laurentium, qui tractatum non admodùm breuem in commemorandis authoribus conſumpſit, qui Hiſpanicam traditionem amplectũtur, & alium quem F. Franciſcus de Ieſu ex Carmelitana familia eruditum, & lucutum edidit. Nos alijs omiſſis,eos adducemus, quorum aut propter antiquitatem grauis, aut propter ſanctitatem, atque doctrinam non poteſt eſſe leuis authoritas, aut ſuſpecta fides.

CAP. II.

Probatur ſanctorum, & illuſtrium virorum teſtimoniis.

SED primus in hoc ſcriptorum ordine Hippolytus Martyr, qui proximè attigit Apoſtolorum ſæculum: claruit enim ſub Alexandro Imperatore,ſub annum nempe ducenteſimum ab Aſcenſione Domini, vt author eſt Euſebius libro 6. cap 16. Hic ergo, vt teſtantur aliqui, quorum fides maior eſt, quàm vt ſubeſſe poſſit leuitatis ignominiæ, aut mendacij ſuſpicioni,deſtinatum eſſe dicit Iacobum Hiſpaniæ Apoſtolum, & Doctorem, in opuſculo quodam, quod de duodecim Apoſtolis inſcripſit,quod licèt inter eius opera, quæ nunc habemus excuſa typis, non inueniatur, tamen dubitare non ſinunt qui illud opus vidiſſe ſe,atque ex eo aliquid in ſuos vſus collegiſſe teſtantur. In quibus eſt Cedrenus in Compendio hiſtoriarum in Nerua. *Diuus* (inquit) *Hippolytus praeconium diuini verbi, & Apoſtolorum obitus enarrans.* Et poſtea diligentiſſimus in eruendis ex omni antiquitate monumentis Franciſcus Turrianus è noſtra Societate in Annotationibus Conſtitut. Apoſtol.lib.2.cap.27.ait. Idem affirmat Hippolytus Martyr in libro de duodecim Apoſtolis, & eorum martyriis. Accedit Baronij quoque fides, quæ minùs debet eſſe ſuſpecta, cùm in Hiſpanicam cauſam non ita ſit 1. Hippolytus.

ſit

ſit animatus benignè, vt pro illa aliquid affinxiſſe veritati exiſtimari debeat. Is enim in Annot. ad Martyrologium die primo menſis Maij. *Apud Hippolytum* (inquit) *in Commentariolo Græcè ſcripto legi, Philippum tempore Domitiani Imperatoris eſſe crucifixum capite inuerſo. Accepimus illum ex Bibliotheca Cardinalis Sirleti.* Et ibid. ad diem 22. Martij. *Extat in Bibliotheca Cardinalis Sirleti libellus Hippolyti Martyris de duodecim Apoſtolis, quo firmiter author aſſerit S. Paulum prædicaſſe Euangelium in Hiſpania.* Quem item in feſtis Apoſtolorum Andreæ, Matthæi, Bartholomæi, Simonis, & Iudæ citat. Et quidem Euſebius ſuprà, alia compoſita fuiſſe ab Hippolyto teſtatur, præter illa, quæ & ipſe eo loco numerat, & nos habemus. Quare de hoc libro nemo, credo, dubitabit, niſi qui minùs faueat Hiſpanorum gloriæ.

SED dices: ſi liber hic Hippolyti propter antiquitatem, & fidem authoris tantùm debet habere momenti, cur in cauſa Iacobi non eſt citatus à Baronio, quem, vt nuper vidimus, in manibus habuit, & eius authoritate ſuam de aliis Apoſtolis ſententiam confirmauit? De Baronio hîc ego tantùm dico, aut non vidiſſe locum illum Hippolyti, qui de Iacobo loquitur (quanquam hoc non facilè ſibi perſuadebunt Hiſpani) aut certè, quia teſtimoniū, non ſatis occurrebat opportunum, omiſſum à Baronio. Quod tamen hîc omiſit, teſtatus eſt Cardinalis alius Syluius Antonianus, ad quem Sirleto mortuo liber ille venit, qui ſcriptum ſua manu ad Ducem Sueſſanum dedit, quod nos ſuprà produximus ex illo Hippolyti libello de Iacobi in Hiſpaniam aduentu teſtimonium.

SECVNDO loco ſit Hieronymus in illud cap. 34. Iſaiæ. *Et ipſa miſit eis ſortē, & manus eius diuiſit eam illis in menſuram: vſque in æternum poſſidebunt eam.* vbi ſic Hieronymus. 2. Hieronymus.
Dominus mandauerat eis, ite, & docete omnes gentes, &c. & Spiritus illius cōgregauerit eos, dederitque in Euangelij ſortes, atque diuiſerit, vt alius ad Indos, alius ad Hiſpanias, alius ad Illyricum, alius ad Græciam pergeret, & vnuſquiſque in Euangelij ſui, atque doctrinæ prouincia requieſceret. Vbi fateor, Iacobi non auditur nomen: at ſermonem eſſe de Iacobo Hiſpaniarum Apoſtolo, id, quod ad extremum legis, non obſcurè ſuadet. Nam ſi ſancto diſponente Spiritu, ibi requieſcit, id eſt, ſepultus eſt, iuxta vulgarem Scripturæ phraſim, Apoſtolus, vbi ſparſit Euangelij ſemina, quis neget ſignificare voluiſſe Hieronymū, Hiſpaniam ſorte Iacobo contigiſſe, quando conſtat illum apud Hiſpanos nactum eſſe ſepulturæ locum? Quod enim hoc loco de Paulo cùm Hiſpaniæ meminit, non cogitet Hieronymus (nam de illo ſolùm agere poterat, quem ad Hiſpaniam veniſſe docet in 5. cap. Amos, & c. 11. Iſaiæ) probat eius ſepulcrum quod Romæ nunc, & olim magna populorum religione colitur. Imò credo cùm Illyrici meminit, ſpectaſſe Paulū, quem Illyrici vocat Apoſtolum Amos 5. cap. vbi illum ad Hiſpaniam vſque penetraſſe dicit. *Paulus Apoſtolus vocatus à Domino, effuſus eſt ſuper faciem vniuerſæ terræ, vt prædicaret Euangelium à Ieruſalem vſque ad Illyricum.* Neque incommodat, quòd in Illyrico tumulatus non ſit, quia non vnius Illyrici Apoſtolus, ſed totius mundi deſignatus fuit.

TERTIO loco Iſidorus id aper- 3. S. Iſidorus

tè teſtatur lib. de vita & morte Sanctorum cap. 73. *Hiſpanis, inquit, & Occidentalium locorum populis Euangelium prædicauit; & in occaſu mundi lucem prædicationis infudit.* Sunt, qui hunc locum, aut vitioſum putent, aut Iſidoro, ſeu, vt ego interpretor, Hiſpaniæ cauſæ eripiant. Quo argumento, aut quo potiùs animo, ipſi viderint. Certè Iſidoro adſcribunt duo ſanctiſſimi, atque ſapientiſſimi teſtes, quibus res ignota eſſe non poterat, vtpote, qui aut Iſidorum habuiſſent magiſtrum, aut eodem cum ipſo ſæculo vixiſſent. Braulium dico Cæſarauguſtanum Antiſtitem, & Ildefonſum Toletanum; alter in Præfatione operum Iſidori; alter libro de viris illuſtribus. Iſidori autem authoritas magni apud omnes ponderis eſſe debet; tum quia exquiſita fuit eruditione, tum quia vir Hiſpanus, qui & noſſe potuit multo quàm alij meliùs res Hiſpanicas. Neque, vt veriſimile eſt, anicularum fabulis, aut ſtultæ multitudinis nugis adduceretur, vt illa traderet, niſi maius aliquod ineſſe videret traditioni pondus. Quàm verò infirma ſint, quibus illum Iſidori librum oppugnant aduerſarij, dicemus tractatu 3. Probat Iſidori ſententiam de Hiſpania à Iacobo peragrata, vir ſanctiſſimus Braulius, qui dum Iſidori vitam, & doctrinam commendat in libro manu ſcripto etymologiarum Iſidori, qui aſſeruatur in Monaſterio Aulæ Dei Carthuſianorũ, dicit. *Gregorius Doctor Romæ ſucceſſit Petro: ita B. Iſidorus in Hiſpaniarum partibus doctrina Iacobo ſucceſſit Apoſtolo.*

Ildefonſus.

S. Braulius.

4. S. Iulianus.

HVIC adde Doctorem alium item Hiſpanum, cui tam à doctrina, quàm à ſanctitate non vulgaris authoritas. Is eſt S. Iulianus, qui Toletanæ ſedi præfuit ad annum Chriſti propè 700. Qui in libro in Nahum Prophetam, quem ex manu ſcripto codice ex Bibliotheca Bauarica nunc primùm excepit, euulgãdúmque curauit Henricus Caniſius, & eſt in 2. tomo Auctuarij Bibliothecæ veterum Patrum ad illud cap. 1. *Et nebula puluis pedum eius.* vbi in *pedibus* Apoſtolos agnoſcit; ait. *Iſti ergo pedes Domini fuerunt, qui eum prædicando per vniuerſum mundum detulerunt. Petrus enim cùm Romam, Andreas Achaiam, Ioannes Aſiam, Philippus Galliam, Bartholomæus Parthiam, Simon Ægyptum, Iacobus Hiſpaniam,* &c. Olet autem ſtylus illud Hiſpanicum ſæculum, quod verſibus omœoteleutis, id eſt, ſimiliter deſinentibus oblectabatur. Poſtquam enim illam prouinciarum partitionem enumerauit, ſubiecit,

Quiſque ſua ſorte Chriſtum ſparſit ſine ſorde:
Per Paulũ verò toto diſpergitur orbe.

ANTE hunc, imò & ante Iſidorum fuit Hiſpanus alius non ignobilis, aut obſcurus, Dexter nempe, quem Hieronymi authoritas valdè commendat. Cui Doctor ipſe ſanctus librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis dedicauit; ſicut ab eodem viciſſim dicatam ſibi dicit omnimodam quandam hiſtoriam; quam tamen ſe nondum accepiſſe dixit eodem libro in *Dextro.* Quæ hoc tempore in Cœnobio Fuldenſi reperta eſt in Germania; ſicut eodem etiam tempore inuenti ſunt Iuliani Commentarij (de quibus nuper) in Bauarica eiuſdem prouinciæ Bibliotheca. Hic de Hiſpaniarum conuerſione. *Anno quadrageſimo ſecundo Iacobus ſanctus Apoſtolus Zebedæi filius multis peragratis Hiſpanis vrbibus,* 5. Dexter.

Digitized by Google

bibus, & Eccleſiis, Epiſcopiſque creatis, Petrum Brachare reliquit primum Epiſcopum.

6. Beda. ACCEDAT Beda magnæ vir doctrinæ, ac ſanctitatis, cuius fidem nullo modo eleuare poteſt Hiſpanici nominis communio. Qui Iſidori ſententiam adeò non reſpuit, vt librum ipſius in ſuas coëgerit collectaneas, vt ex epiſtola de Bedæ obitu liquet, quæ ab eius diſcipulo conſcripta eſt. Quam refert Surius tom. 7. ad diem 10. Maij: de cuius fide dubitandum nemini eſſe dicit Baronius in Addit. ad Martyrologium ad diem 17. Maij. Is ergo in collectaneis illis ita de Iacobo iiſdem omnino, quibus Iſidorus, verbis. *Apoſtoli Chriſti, prædicatores fidei, & Doctores Gentium certis locis in mundo ad prædicandum ſortes proprias acceperũt. Petrus namque Romam accepit, Andreas Achaiam, Iacobus Hiſpaniam.* Scio alicui viſum fuiſſe, has collectaneas falsò Bedæ fuiſſe ſuppoſitas; ſed ſanè negare cuiuis promptum; præſertim cùm id quod negas, ex vſu tuo futurũ non eſt. At cauſam oſtendere cur neges, ſi quis requirat, non ita promptum eſt reddere.

7. Turpinus. ADDE his Turpinum Archiepiſcopum Remenſem in libro de geſtis Caroli Magni cap. 1. vbi dicit Iacobum prædicaſſe in Galecia, idque ex cõmuni ſermone, ſeu traditione confirmat.

8. Anaſtaſius. ADDE nunc Anaſtaſium Antiochenum, qui Arabica lingua antiqua, qualem veriſimile eſt fuiſſe illã, qua in plumbeis laminis ſcripti ſunt libri de eſſentia Dei, & Eccleſiæ fundamento, apertè dicit in Hiſpania prædicaſſe Iacobum. Hunc verò librum Ioſephus Stephanus Epiſcopus poſtea Oriolanus libro 1. de poteſtate coactiua Rom. Pontif. cap. 8. numero 2. & Bartholomæus Laurentius Cæſarauguſtanæ Eccleſiæ de Pilari canonicus vidiſſe ſe dicũt Romæ in Bibliotheca Ignatij Patriarchæ Antiocheni. Sit autem ibi Anaſtaſius Latinè redditus. *In hoc die* (id eſt, decimotertio menſis Barmudati, qui apud nos eſt duodecimus Aprilis) *multiplicibus martyriis affectus eſt S. Iacobus Apoſtolus frater Ioannis filij Zebedæi; idq; poſtquam abiit in Occidentem in ciuitatem Andiat; & fecit apud eos miracula, quæ homines attoniti ſtupebant. Ita quòd conuertit eos in cognitionem Dei excelſi. Tunc reuerſus in multas ciuitates Palæſtinæ prædicauit.* In hoc teſtimonio duo nobis expendenda ſunt: alterum; *Occidentis* nomen, alterum ciuitatis *Andiat*. De Occidente res eſt, credo, nõ dubia: notum eſt enim Hiſpaniam prouinciam eſſe omnium maximè occidentalem, atque ideo à Poëtis appellari regna Fauonij. Omnium autem regionum, quæ in Hiſpania numerantur, illa occidenti Soli propior eſt, in qua plura extant, & notata magis Apoſtolicæ prædicationis veſtigia: nempe Galecia, in qua Iacobi ſepulcrum ab omni pene natione religionis gratiâ frequentatur. Quæ quia extrema eſt in ea occidentali Hiſpaniarum plaga, finis dicitur terræ.

DE Andiat res eſt magis obſcura: neque enim apparet, quæ ſit illa ciuitas. Mihi non diſplicet id, quod etiam Bartholomæo Laurentio viſum eſt, quódque ab Arabicæ linguę peritis didiciſſe ſe dicit, *Andiat* nomen eſſe non tam ciuitatis in Hiſpania, quàm Hiſpaniæ totius: lingua etenim Arabica, Hiſpania *Andlis* appellatur, quæ, vt fit, poſt multa ſæcula aliquid mutauit ex antiqua voce *Andiat*, cuius tamen reliquit veſtigia non obſcura. Hæc verò, vt puto, propriè eſt, quam 9. Andiat quid.

noſtro ſæculo Andaluſiam vocant. Cur ab aliis nationibus, quæ ad Arabiam pertinent, vbi liber ille videtur eſſe conſcriptus, Hiſpania *Andlis*, ſiue *Andaluſia* nominetur, ea ratio eſt cum aliis gentibus communis: quia Bethica prouincia, cui *Andlis*, ſiue *Andaluſia* nomen eſt, prima occurrit his, qui ex Arabia, aut Antiochia, cui Anaſtaſius Patriarcha præfuit, enauigarunt. Fieri autem plerumque aſſolet, vt toti prouinciæ pars illa nomen accommodet ſuum, quæ primùm à nauigantibus aperta, ſiue luſtrata fuit. Sic Hiſpani Mauritaniam appellant quamcumque regionem à Mahometanis habitatam, ſicut & Mauros illos omnes, qui Mahometi præſtigiis addicti ſunt: quia Hiſpaniæ finibus proxima eſt ab Auſtrali plaga Mauritania. Sic Indus regionibus, quæ procul à nobis abſunt, nomen indidit, vbicumque locorum illæ ſint: quia Indus olim in regionibus nondum exploratis primùm occurrit. Quare iam prouinciæ noſtris temporibus apertæ, ſiue ad orientem, ſiue ad occidentem Solem pertineant, Indicæ dicuntur. Sic puto *Andiat*, ſiue *Andlis* Hiſpaniam totam appellari, quia prouincia Bethica primùm excepit ex Aſia, vbi Arabia eſt, & Antiochia ſoluentes. Cùm verò, vt Ioſephus tradit lib. 1. cõtra Appionem, multis ex his etiã quibus non vulgaris ineſſe putabatur doctrina, Hiſpania non tam prouincia putaretur, quàm ciuitas, è quorum numero fortaſſe fuit hic Antiochenus Anaſtaſius; ſenſus illorum verborum hic eſſe videtur: ***Iacobus filius Zebedæi ad Occidentem abiit, in Hiſpaniam videlicet, quæ occidentalis eſt.***

CAP. III.

Quid ſenſerit Rodericus Toletanus de aduentu Iacobi.

SED quia à Roderico Toletano Præſule teſtimonium deſiderat Baronius (ideo enim ait tom. 9. anno Chriſti 816. de Iacobi in Hiſpaniam aduentu nihil prodidiſſe, quia ab illo peragratam Hiſpaniam non putabat) de Roderico hîc etiam aliquid afferamus. Primùm dico non fuiſſe cur de Iacobi prædicatione Rodericus agere debuerit; quia totum illud tẽpus omiſit, in quod incidere potuit Iacobi prædicatio. Cùm enim Hiſpanicam inſtituiſſet hiſtoriam, ab iis, qui in illam à communi diluuio primùm ingreſſi ſunt, plurimis intermiſſis ſæculis ad Gothorum tẽpora feſtinatò contendit. Quòd ſi Eccleſiæ in Hiſpania primam inſtitutionem, aut illius progreſſum prodere voluiſſet, dixiſſet ſaltem de Iacobi in Hiſpaniam deſtinatione, aut de ipſius corpore inibi ſepulto, quæ in illa diſceptatione Lateranenſi non negat. 1. Rodericus Toletanus.

SED quòd de Iacobo non aliter ſenſerit Rodericus, quàm alij fermè omnes, hinc, qui ad Hiſpanorum gloriam durior non ſit, facilè ſibi perſuadebit. Nam Officium illud Gothicum, quod *Mozarabum* communiter appellant Hiſpani, ab Iſidoro concinnatum, tradit libro 4. cap. 3. vbi dicit ſuo etiam tempore Officium illud vigere in ſex parœciis Toletanis: quare ignorare non poterat tantus Præſul, quid Officiũ illud Mozarabum de Iacobo ſentiret, quod etiam illuſtri quodam miraculo approbatum à Deo ſcribit eodem. 2. Officium Gothicũ, ſeu Mozarabum.

eodem lib. cap. 26. Dum ergo tantopere Officium illud Gothicum commendat, non negat quod in eo multis contineatur, & explicatur modis. Ex quo mihi veri eſt plus quàm ſimile, manu illos ſcriptos Commentarios, quos adducit Loayſa, aut eſſe ſuppoſitos ab imperito aliquo, aut patum attento notario, aut dictum à Toletano Præſule, non tam ex ſua ſententia, quàm ex litigantium conſuetudine. Quomodo enim ignoraret ſcriptum ab Iſidoro, & probatum à cœlo Iacobi aduentũ in Hiſpaniam, quod ex Officio illo Mozarabo non ſemel audierat? In illo igitur Officio, quod pro Hiſpania tota compoſitum eſſe creditur iuxta Can. 2. Concilij Tolet. 4. ab Iſidoro, qui in eo Concilio primas partes tenuit, ſæpe mentio fit Iacobi, tanquam Patroni, vel Doctoris Hiſpaniæ. In principio enim Miſſæ poſt homologeſim, per B. Virginis, & Iacobi interceſſionem diuinum implorat auxilium. *Per gloriam nominis tui. Chriſte Fili Dei viui, & per interceſſionem Virginis Mariæ, B. Iacobi, & omniũ Sanctorum, auxiliare, & miſerere indignis ſeruis tuis.* Quę imploratio ante Ramiri victoriam in vſu fuit, id eſt, antequam in bellis Iacobi patrocinium implorari cœptum: imò fortaſſe antequam eius corpus in Hiſpania conditum eſſe conſtaret. Ex quo efficitur perſuaſum eſſe eo ſæculo toti Hiſpaniæ Iacobum ſuum eſſe Doctorem, quando tot Præſules, qui totius prouinciæ nomen, atque iudicium ſuſtinebant, patrocinium agnouêre Iacobi, non tam ibi ſepulti, quàm ibi quondam Doctoris, & Apoſtoli. In eodem Officio in quodam hymno cùm de prouinciis Apoſtolorum prædicationi deſtinatis ageret, Iacobo fratri Ioannis aſſignat Hiſpaniam.

Petruſq́, Romam, frater eius Achaiam.
Indiam Thomas, Leui Macedoniam,
Iacobus Iebus, & Ægyptum Zelotes.
Bartholomæus Lycaon, Iudas Edeſſam,
Matthias Iudæam; & Philippus Gallias.
Magni deinde filij tonitui
Adepti fulgent prece matris inclytæ,
Vtrique vitæ culminis inſignia.
Regens Ioannes dextra ſolus Aſiam,
Et læua frater poſitus Hiſpaniam.

Hæc omnia vidit, probauitque Rodericus dum huius Officij ſanctitatem, & fidem illuſtri cœli teſtimonio commendat, & ab Iſidoro tradit eſſe compoſitum.

QVÆ in illo hymno dixit Iſidorus, eadem etiam tradidit in eo libro, quem de vita, & morte Patrum veteris, & noui Teſtamenti conſcripſit, cap. 83. vbi obſeruandũ, Galliam, quam commendatam dicit eſſe Philippo, non eſſe prouinciam illam, quam Pyrenæi montes ab Hiſpania definiunt; ſed Gallogræciam, cui Galli olim nomen indidêre, ſeu, quod idem eſt, Galatiam, quam inſediſſe quondam Gallos tradit Plinius lib. 5. cap. 32. Hoc ipſum ab eodem docemur Iſidoro lib. 14. orig. cap. 3. *Galatia dicta à priſcis Gallorum gentibus, à quibus extitit occupata: nam Galli in auxilium à Rege Bithyniæ euocati Regnum cum eo peracta victoria diuiſerunt: ſicq́, deinde Græcis admixti primùm Gallogræci, nunc ex antiquo Gallorum nomine Galatæ dicuntur.* Hîc obiter obſerua malè à quibuſdam librum illum negari eſſe [illegible] Iſidori,

3. Gallia, Gallogræcia, ſeu Galatia.

Iſidori, quòd in eo Philippo dicatur tradita fuiſſe Gallia, cùm idem etiã reperiatur in Officio Gothico, quod nemo non aſcribit Iſidoro. Qua de re nos pluribus poſtea.

CAP. IV.

De publicis, id eſt, de Pontificum, aut diuinorum Officiorum teſtimoniis.

1. SI QVI de Iacobi in Hiſpaniã profectione ſcripſerũt, tam alieni, quàm domeſtici, aduocandi nunc eſſent in Hiſpanicæ cauſæ patrocinium, longum ſanè texeremus opus, contrà quàm initio conſtitueramus. Si quis plures noſſe voluerit, adeat Fr. Franciſcum de Ieſu, qui ad centum, & viginti collegit, eóſque vſque adeò accuratè in centurias diſpertitus eſt, vt nullam ætatem ab antiquiſſimis Eccleſiæ ſæculis vacaſſe aliquo Iacobi prædicationis, ſeu aduentus veſtigio, facilè cuiuis perſuadeat. Ego hinc iam non tam priuatam ſingulorum, quod hactenus feci, quàm publicam fidem appellabo; Pontificum videlicet, qui publicam habent fidem, & pro Eccleſia quodammodo loquuntur, & Breuiariorum, quibus ſignificatur populorum, & Gentium conſpirans ſenſus, & communis opinio. Et eò magis quòd publica, atque ſolemni, quotidiéque repetita cæremonia confirmatum eſt.

2. Calixtus. PRIMVS è Pontificibus, qui Hiſpanorum pietati patrocinantur, fuit Calixtus II. cuius ea fuit in Iacobum pietas, vt librum etiam de illius miraculis, & tranſlatione condiderit, in cuius proœmio apertè dicit fuiſſe Iacobum in Hiſpania, & relictis inibi quibuſdam diſcipulis, duos ſecũ Hieroſolymam aduexiſſe. Quem quidem librum Innocentius II. probat: cuius epiſtolam P. Mariana in opuſculo de eodem argumento producit; quem tu vide. Ex eo libro non pauca tranſtulit Vincentius Bellouacenſis. Quia verò de huius libri fide, atque authoritate non nemo dubitat, de eo nos poſtea.

SECVNDVS Innocentius ipſe II. dum Calixti librum verbis veraciſſimum, oratione pulcherrimum, ab hæretica, & apocrypha prauitate alienum, & inter Eccleſiaſticos codices authenticum eſſe declarat. 3. Innocentius ſecundus.

TERTIVS ſit Pius V. cuius authoritate Breuiarium illud ordinatum eſt, quo vniuerſalis huc vſque vſa eſt Eccleſia, cuius de peragrata à Iacobo Hiſpania teſtimonium obſcurum non eſt. 4. Pius quintus. Eòdem refero Sixtũ V. qui Compoſtellanum Officium, quod toti etiam Hiſpaniæ voluit eſſe commune, Apoſtolica authoritate confirmauit. Sixtus quintus. In breui verò Pontificio, ſicut in Officio ipſo, in hymno ad veſperas, primus in Hiſpaniam veniſſe traditur Iacobus, & ex ea cæcam, atque impiam noctem idololatriæ diſpuliſſe. Imò id etiam docet in Breuiario nuper correcto Clemens VIII. non minùs apertè, quàm Pius V. vt poſtea in tractatu 3. pluribus. Clemens octauus.

DE aliis Breuiariis, quæ propria habent aliæ fermè omnes Hiſpaniarum Eccleſiæ, idem quoque cenſeo eſſe dicendum: quarum publica eſt, & communis authoritas. 5. Quòd aliæ quoque nationes in propriis Officiis cum Hiſpanis conſentiant, dicemus in hoc tractatu 2. capite 9. num. 4. Ad hanc Eccleſiarum fidem accedit Pontificis quoque authoritatis, id eſt, confirmationis momen-

Digitized by Google

momentum. Longum eſſet ſingula enumerare, & ab eo me labore vindicat aliorum ſedulitas, qui id magno, atque fideli ſtudio præſtiterũt. Tantùm dico, id etiam & habuiſſe olim, & nunc habere Breuiaria alia, quæ, non Hiſpaniæ ſolùm, ſed aliis etiam prouinciis propoſita ſunt. Dominicanum dico, & Carmelitanum, quibus vbiuis terrarum eorum ordinum vtuntur Religioſi. Et quod à Quignonio ordinatum eſt, quod non vni, aut alteri; ſed omnibus omnino prouinciis permiſſum fuit. At dices abrogata fuiſſe Breuiaria omnia, & pro illis vnum ex Tridentino decreto à Pio V. fuiſſe propoſitum. Sit ita ſanè. At illud quod inſtar eſt omniũ, & pro omnibus Eccleſiæ commendatum, nihil de Iacobo mutat; imò quod aliis fortaſſe Eccleſiis non erat in vſu, vt memoriam peragratæ Hiſpaniæ à Iacobo renouarent, id vt quotannis facerent, commendat, & edicit ſeuerè, dum pro multis antiquis vnũ nouum inducit. Neque omnia abrogat antiqua, in quibus aperta ſunt obitæ per Iacobum Hiſpaniæ teſtimonia. Carmelitanum enim retinet, Dominicanum, Compoſtellanum, & Mozarabum; quod certis adhuc in locis Toleti recitari permittitur.

Breuiariorum teſtimonia.

CAP. V.

Quomodo Eccleſiaſticæ hiſtoriæ in Hiſpania perierunt.

1\. Non de omnibus Apoſtolis hiſtoria Canonica exigenda.

SVnt qui Canonicę fidei, aut antiquæ hiſtoriæ pódus deſiderent, quæ de Iacobi aduentu aliquid certum prodat, in quo curioſus, atque attentus animus acquieſcat. De canonica fide. aut ſacræ paginæ authoritate iam, credo, ſatis à nobis dictum eſt in diſceptatione Roderici cum Compoſtellano Præſule tract. 3. Agit ſanè iniquè, qui de Iacobo ab Hiſpanis requirit, quod de aliis Apoſtolis, paucis admodùm exceptis, aliarum prouinciarum nulla poſſit oſtendere Neque enim Lucas in Apoſtolorum Actis omnia perſecutus eſt, quæ primis Eccleſiæ temporibus geſta ſunt ab Apoſtolis. De Ioanne, & eius fratre Iacobo; item de Iacobo altero Hieroſolymæ Epiſcopo vix vnum verbum; de aliorum aut factis, aut dictis mirum ſilentium. De Paulo, & Petro, déque Eccleſiæ ſtatu in ſuis incunabulis inſtitutum eſſe videtur illud opus à Luca: ſed de Petro, & Paulo quanta ſint omiſſa, quis non videt? Sanè quamplurima de Paulo ignoraret Eccleſia, niſi ex Pauli Epiſtolis illa didiciſſet. Deſinant igitur curioſi iſti ab Hiſpanis exigere de Iacobo, quod de Petro, eiúſque Cathedra Antiochena reddere nequeant, aut Romani.

DE hiſtoriis agam antiquis, 2.
quod ſi minùs quidem iniquè, minùs tamen bellè, atq; benignè à nobis exigunt aduerſarij. Quàm multa olim contigerunt illuſtria, quæ tamen diu latuerunt in tenebris, neque de illis quicquam eſſet poſteris compertũ niſi longa poſt ſæcula reuelatione aliqua, ſeu cœleſti ſigno, aut ſpeciali aliqua prouidentia in lucem, & cognitionem hominum forêt euocata? Ignotum fuerat Toleto prima ſe accepiſſe Euangelij ſemina ab Eugenio, quem ſuum ſibi nunc Apoſtolum, atque Præſulem implorat; donec poſt

Digitized by Google

milleſimum, ac centeſimum annum Raymundus Toletanus Antiſtes dum S. Dionyſij religionis gratiâ templum ingreditur, Eugenij, quẽ Epiſcopum Toletanum tunc primùm agnouit, corpus inuenit. Quis noſſet Geruaſij, & Protaſij, aut martyrium nobile, aut ſepulturæ locum, niſi multa poſt ſæcula Ambroſio notum eſſet è cœlo? Lõgum eſſet numerare ſingula; ſed dicam aliquid de Hiſpania, quod aduerſarij negare non audent; neque poſſunt, qui ſanè vltimam rei geſtæ memoriam appellandam eſſe non putabunt. Cõcedit Baronius tomo 9. anno Chriſti 816. Iacobi corpus eſſe in Hiſpania, ignotum tamen ad tempus vſque Alfonſi cognomento Caſti, id eſt, poſt octingentos fermè annos; inuentum verò variis è cœlo prodigiis. Idem quoque fatetur de luſtrata Hiſpania Pauli prædicatione, quam cùm certam exiſtimet, ſcriptorum tamen inopiæ tribuit, quòd de illius geſtis nihil habeamus memoriæ proditum.

3. SATIS, credo, omnibus notum eſt, quàm grauiter in Hiſpania Diocletiani ſæuitia graſſata ſit contra Chriſti ſectatores, & nomẽ, aſſumpto in eam curam Daciano ſuæ crudelitatis adminiſtro, cuius extant vbique locorum per Hiſpaniam totam cruenta veſtigia. Notum eſt enim his, qui mediocriter in Hiſpana eruditione verſati ſunt, quàm eo tempore abundãter Martyrum ſanguis Hiſpanos irrigarit, ac fœcundarit agros. Illa verò Diocletiani crudelitas non tantũ Chriſti cultoribus; ſed ſcriptis etiam quæ ad Sanctorum memoriã, Chriſtianámque Religionem pertinerent, bellum indixit. Vt enim Euſeb. lib. 8. hiſtor. capit. 2. tradit, *per Imperatoris literas palàm edictum fuit, vt deturbarentur Eccleſiæ, ſolóq; æquarentur, & Scripturæ abſumerentur igni.* Neque minori ſtudio ab impiis Imperatorij Edicti miniſtris res peracta eſt, quàm à ſcelerato Imperatore cogitata, de quibus Arnobius, qui præſens ipſe ſpectare potuit, & Martyrum lanienam, & librorum incendium, libro 4. ſic ad Gentes loquitur. *Quòd ſi haberet vos aliqua vetus pro Religionibus indignatio, has potiùs literas (nempe veſtras) hos execrari debuiſtis olim libros, iſtos demoliri, diſſoluere theatra hæc potiùs, in quibus infamia numinum propudioſis quotidie publicatur in fabulis; nam noſtra quidem ſcripta cur ignibus meruerunt dari?* De quib. & Aug. tom. 7. contra Creſconium Grammaticum lib. 3. cap. 27. Hæc verò ſcripta, quibus & diuina lex, & Sanctorum præclarè geſta continebantur, ſic indagabant canes illi venatici, vt omnia ſcrutarentur; ſic extorquebãt crudeliter, vt ſi quis illa, aut tradere nollet, aut occultare vellet, durum illi proponeretur ſupplicij genus. Experti ſunt plurimi Imperatoriam illam rabiem, quibus dum vita chariora ſunt ſcripta illa ſacra, quæ Tyrãnus poſcebat, ſanguinem potiùs, & vitam largiti ſunt. De quibus in Romano Martyrologio 2. die Ianuarij. *Romæ commemoratio plurimorũ ſanctorum Martyrum, qui ſpreto Diocletiani Imperatoris Edicto, quo tradi ſacri codices iubebantur, potiùs corpora carnificibus, quàm ſancta dare canibus maluerunt.*

Exuſti ſacri libri in Hiſpania.

Quòd verò eo tempore exuſti fuerint in Hiſpania illo Imperatoris Edicti incendio graſſante, & ſacri codices, & alij etiam libri, in quibus ſcripta à fidelibus Martyrum geſta continebantur, dolet Prudentius in eo hymno, quem de Hemeterio, & Chelедonio cõſcripſit, 4.

ſcripſit, in quo queritur in illo impio piorum codicum incendio periiſſe plurima maximarum virtutum exempla. Sic autem Prudentius.

O vetuſtatis ſilentis
Obſoleta obliuio!
Inuidentur iſta nobis,
Fama & ipſa extinguitur:
Chartulas blaſphemus olim
Nam ſatelles abſtulit:
Ne tenacibus libellis
Erudita ſæcula
Ordinem, tempus, modúmque
Paſſionis proditum
Dulcibus linguis per aures
Poſterorum ſpargerent.

Idem Iſidorus in Miſſali Gothico eodem feſto, cùm ageret de hiſtoria Martyrum, quam Tyrannorum furor perdidit. *Non illas*(inquit)*paginas negligẽtia perdidit, nec caſus aboleuit, nec vetuſtas carioſa corrupit; ſed malitia perſecutoris inuidit.*

5. QVARE mirandum non eſt, ſi Iacobi diſcipuli in cæcis illis latebris occultarint plumbeos illos codices, qui Martyrum conſtantiam, atque triumphum conſignabant, ne eodem abſumerentur igne, quo Sanctorum corpora conflagrauerant. Vnde etiam conſtat, quàm agãt nobiſcũ minùs æquè, qui antiquiſſima à nobis teſtimonia requirunt, cùm illa potentiſſimorum hominum armata ſolertia tanto ſtudio abolenda curauerit. Accedit quòd quæ effugere potuerunt Diocletiani Edictum, & Daciani ſolertiam, perdidit poſtea Punicus furor in miſera totius Hiſpaniæ vaſtatione, quod dolet Rodericus in Præfatione hiſtoriæ, ita vt quæ de rebus Hiſpaniȩ prodidit, depictatiis, & membranis (vtor eius verbis) laborioſè inueſtigarit, & laborioſiùs compilarit. *Tẽpore*(inquit) *vaſtationis Arabum ſcripta, & libri cum pereunte patria perierunt, niſi quòd pauca diligentium cuſtodia euaſere.*

Arabes ſcripta, & Annales Hiſpanos perdiderunt.

CAP. VI.

De teſtimonio Regis Ramiri

QVOD de Iacobi corpore in Hiſpaniam trãſlato, ac multis pòſt ſæculis miraculosè reperto dictũ eſt, accidiſſe video in eius aduẽtu, prędicationéq; in Hiſpaniarũ finibus. Latuit ſanè diu illius profectionis memoria. Neque id mirum cùm ſæculum illud Hiſpanum ſic fuerit à ſcriptoribus inops, vt quæ eo tempore geſta ſunt, omnia propè perierint. Sed Iacobus, idem qui Hiſpaniam luſtrauerat Euangelica luce, idem ſui quoque aduentus, & Patrocinij indicium dedit non obſcurum. Cùm enim Ramirus anno 846. bello cũ Mauris, quod pro patria, & Religione ſuſceperat, infeliciter geſto, animo langueret, & primo cum hoſtibus congreſſu, cum ingenti ſuorum clade in fugam conuerſus, de repetendo bello dubitaret, ex laſſitudine, vt fit, mœroréque ſomno correptus eſt, cui obiecta eſt auguſta quædam ſpecies, quæ illum forti eſſe animo iuſſit, déque felici rerum exitu bene ſperare. Se tandem Iacobum eſſe dixit, cui in prouinciarũ diuiſione Dominus Chriſtus Hiſpaniam in fidem, atque tutelam dediſſet. Sed præſtat audire ipſius Ramiri verba in eo voto nuncupando, cuius in tanti be-

1. Ramiri teſtimonia.

neficij memoriam ream fecit Hiſpaniam. Sic igitur Rex poſt alia plurima.

2. Iacobus apparet Ramito Regi.

COMPLETVM eſt itaque imperium noſtrum (de cogendo exercitu) & relictis ad excolendas terras tantummodò debilibus, & ad bellandum minùs idoneis, congregati ſunt cæteri non de noſtro imperio, ſicut ſolent, inuiti; ſed Deo ducente per Dei amorem ſpontanei. Cum his ego Rex Raminirus de miſericordia Dei potiùs, quàm de gentis noſtra multitudine confidens, peragratis interiacentibus terris, iter mei exiens direxi in Naiaram, deinde declinaui in locum, qui nuncupatur Albella. Interim autem Sarraceni noſtrum aduentum fama pracone cognoſcentes, omnes Ciſmarini in vnum contra nos congregati; ſunt Tranſmarinis etiam per literas, & nuncios in ſuum auxilium conuocatis, inuaſerunt nos in multitudine graui, & in manu valida. Quid plura? quæ ſine lacrymis non recordaremur, peccatis exigentibus; multis ex noſtris corruentibus, percuſſi, & vulnerati conuerſi ſumus in fugam, & confuſi peruenimus in collem, qui Clauigium nominatur. Ac ibi in vna mole congregati, totam fere noctem in lacrymis, & orationibus conſumpſimus, ignorantes ex toto, quid in die eſſemus poſtea acturi. Interea ſomnus arripuit me Regem Raminirum, cogitantem multa, & anxium de periculo gentis Chriſtiana. At mihi dormienti Beatus Iacobus Hiſpaniarum protector corporali ſpecie eſt ſe præſentare dignatus. Quem cùm interrogaſſem cum admiratione quiſnam eſſet? Apoſtolum Dei, Beatum Iacobum ſe eſſe confeſſus eſt. Cùm ad hoc verbum, vltra quàm dici poteſt, obſtupuiſſem, Beatus Apoſtolus ait. Nunquid ignorabas, quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus alias prouincias, aliis fratribus meis Apoſtolis diſtribuens, totam Hiſpaniam mea tutela per ſortem deputaſſet, & mea commiſiſſet protectioni? Et manu propia manum meam aſtringens; Confortare, inquit, & eſto robuſtus: ego enim ero tibi in auxilium, & manè ſuperabis in manu Dei Sarracenorum, à quibus obſeſſus es, innumerabilem multitudinem: multi tamen ex tuis, quibus iam parata eſt æterna requies, ſunt inſtante pugna pro Chriſti nomine martyrij coronam ſuſcepturi. Et ne ſuper hoc detur locus dubitationi, & vos, & Sarraceni videbitis me conſtanter in albo equo, dealbata grandi ſpecie vexillum album deferentem. Summo igitur mane facta peccatorum veſtrorum confeſſione, & accepta pœnitentia, celebratis miſſis, & accepta Domini corporis, & ſanguinis communione, armata manu ne dubiteeis inuadere Sarracenorum acies, inuocato nomine Dei, & meo, & pro certo noueritis, eos in ore gladij ruituros. Et his dictis, euanuit à conſpectu meo viſu deſiderabilis Dei Apoſtolus. Ego autem pro tanti, & tali viſione vehementer è ſomno excitatus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & Religioſis viris ſeorſum vocatis, quicquid mihi fuerat reuelatum, lacrymis, & ſingultibus; & nimiâ contritione cordis eodem ordine propalaui. Illi ergo in oratione priùs prouoluti, Deo, & Apoſtolo pro tam admirabili conſolatione gratias egerunt innumeras; ac deinde rem adminiſtrare prout nobis fuerat reuelatum, feſtinauimus. Armata itaque, & ordinata noſtrorum acie, venimus cum Sarracenis in pugnam, & Beatus Dei Apoſtolus apparuit, ſicut promiſerat vtriſque, inſtigando, & in pugnam animando noſtrorũ acies;

Sarrace

Sarracenorum verò turbas impediendo, & diuerberando. Quod quàm citò nobis apparuit, cognouimus Beati Apoſtoli promiſſionem impletam; & de tam præclara viſione exhilarati nomen Dei, & Apoſtoli in magnis vocibus, & nimio cordis affectu inuocauimus, dicentes; Adiuua nos Deus, & Sancte Iacobe. Quæ quidem inuocatio ibi tunc primùm fuit facta in Hiſpania, & per Dei miſericordiam non in vanum; eo namq; die corruerunt circiter ſeptuaginta millia Sarracenorum; tunc etiam euerſis eorum munitionibus, eos inſequendo ciuitatem Calaforram cepimus, & Chriſtianæ Religioni ſubiecimus. Tantum igitur Apoſtoli miraculum poſt inopinatam victoriam conſiderantes, deliberauimus ſtatuere Patrono & Protectori noſtro Beatiſſimo Iacobo donũ aliquod in perpetuũ permanſurũ.

3. Non fuit deluſus Rex vano ſpectro.

De quibus nemini prudenti, ac pio dubitare licet: nam ſi dicentis authoritatem conſideres, à Rege audis, à cuius verbis fides abeſſe neque ſolet, neque debet, niſi aut ingenij leuitas, aut vitæ genus grauem mouere poſſit mendacij ſuſpicionem. At in Ramiro ea fuit & morum integritas, & totius vitæ continens forma, vt Regia fides in illo neque eleuari, neque notari debuerit. Quòd à nocturno ſpectro deluſus non ſit, exitus ipſe non obſcurè probauit, cũ auxilio Iacobi in ſumma rerum deſperatione cæſis Maurorum ſeptuaginta millibus parta victoria fuerit, & Iacobus viſus ab exercitu cum iis inſignibus, quę Ramiro ipſe in nocturna viſione prædixerat. Quod fatentur etiam ſe vidiſſe, ne quis putet inani ſpectro deluſum eſſe Ramirum, illi qui cum Ramiro authores fuêre nuncupandi voti, & eidem iam nũcupato ſubſcripsêre. *Nos etiam*, inquiunt, *Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates, qui illud idem miraculum, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus famulo ſuo Illuſtri Regi noſtro Ramiro per Apoſtolum ſuũ Iacobum dignatus eſt monſtrare, propriis oculis Deo iuuante vidimus, prædictum ipſius Regis noſtri, & noſtrum, & totius Hiſpanicæ Chriſtianitatis factũ in perpetuum confirmamus.*

Ex hoc præclaro illuſtriſſimo- 4.
rum virorum teſtimonio, quod iã inde ab anno Chriſti 846. ſoluta quotannis vota aſſiduè teſtantur, colligere prudens quiſque, qui modò Hiſpanicæ gloriæ non inuideat, poterit, Doctorem, atque Apoſtolum Hiſpaniæ fuiſſe Iacobũ. Quod ſibi ab eo tempore continenti, atque vniuerſali traditione perſuaſerunt Hiſpani. Nam ſi in prouinciarum partitione, vt Iacobus reſtatur ipſe, ſicut ex hac illuſtri reuelatione, cui nulla poteſt allini ſuſpicionis labes, cuiuis conſtare poteſt, in Iacobi tutelam, & protectionem data eſt Hiſpania ſanè eo conſilio data eſt, quo aliis etiam Apoſtolis aliæ prouinciæ deputatæ. Sic enim ibi Iacobus. *Nunquid ignorabas quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus alias prouincias aliis fratribus meis Apoſtolis diſtribuens, totam Hiſpaniam mea tutela per ſortem deputaſſet?* Sed aliis Apoſtolis, vt eſt omnium ordinum, ſæculorumq́ue conſenſio, prouinciæ aliæ non protectionis tantùm, ſed doctrinæ etiam gratiâ deputatæ ſunt. Neque verò credibile eſt Chriſtum Dominum, qui nõ tam habuit corporum, quàm animarum curam, commiſiſſe Apoſtolis libertatis, ac pacis prouinciarum curam, omiſiſſe doctrinæ. Quòd ſi aliis Apoſtolis deſtinatæ certæ prouinciæ ſunt, quas doctrina luſtrarẽt; aliquã Iacobo aſſignemus oportet, illamq; nõ ignobilem, aut exiguam, quando Iacobus frater Ioannis non

Digitized by Google

vltimus fuit inter Apoſtolos.

5. At dices, datam quidem Hiſpaniam Iacobi protectioni, ac fidei, quam informaret ad fidem, & ab hoſte defenderet. Hoc quidem præſtitiſſe egregiè dum Sarracenorum debilitat vires: illud verò celeri occupatum more præſtare non potuiſſe. Hæc ſanè obiiciunt, neſcio an ita ſentiant, quibus Iacobi doctrina ad priuata conſilia nõnihil incommodat; ſicut in manu ſcriptis, quæ paulo antè produximus, Compoſtellano reſpondiſſe dicitur Toletanus Antiſtes, qui datam ſibi prouinciam negauit Iacobum obire potuiſſe. Ex quo veriſimile eſt Toletanum Breuiarium minùs locutum ſtudioſè, atque apertè de Iacobi in Hiſpaniam profectione, contra aliarum Eccleſiarum exemplum, ne Toletanus cauſam de primatu ſuo ſibi teſtimonio iugularet. Sed iam ſuprà à nobis oſtenſum eſt, ſpatium habuiſſe Iacobum ſatis laxum, quo peragrare Hiſpaniam, & illam Euangelica doctrina complere potuerit. Quod etiam docet Breuiarium Toletanum in Officio Iacobi, in Reſponſorio lectionis ſeptimæ, de quo tractat. 3. ad obiectiones.

CAP. VII.

De teſtimonio laminarum Granatenſium.

1. Laminæ Granatẽſes.

HOc modo Deus, ſicut alia plurima, aperuit Hiſpanis, quod tãdiu aut compreſſerat ſilentium, aut obſcurarat obliuio. Sed multo pòſt prouidentia, vt reor, non minori alia nobis monumenta protulit, quæ in Hiſpanicam cauſam ad hoc vſque ſæculum, in quo à nonnullis vocatur in dubium, ſeruaſſe videbatur. Anno etenim 1595. cùm à nonnullis de aduentu Iacobi in Hiſpaniam dubitari cœptum eſt, in cauernis quibuſdam iam antiquitate cæcis inuenta ſunt eius rei, de qua nunc nobis controuerſia, non obſcura veſtigia. Nam cùm quidam in ea Granatenſis ciuitatis plaga, quæ *vallis Paradiſi* vulgò dicitur, theſaurum inquirerent, altéque ſacri montis (ſic iam mons ille communiter appellatur) latebras ſcrutarentur, inuentus eſt theſaurus auro quidem, ac gemmis multo pretioſior, magíſque ad piorum hominum Religionem, quàm ad auarorum cupiditatẽ opportunus. In laminis etenim plumbeis antiquis, valdéque obſcuris characteribus ſcriptum erat latere in ſacri montis cauernis Sanctorum quorundam corpora igne combuſta, quos S. Iacobi diſcipulos fuiſſe affirmant. De monte iſto ſancto, libríſq; plũbeis, ſacríſq; cinerib. alij ſcripſẽre pluribus; mihi ſatis nunc ſit oſtẽdiſſe ex illorum librorum antiquiſſima fide, iam olim ab Eccleſiæ principio, ab exordio videlicet imperij Neronis, extare aliquod monumentum, idque ſingulari Domini prouidentia in plumbi laminis, & in ambuſtis ſaxis; quo docemur S. Iacobum Hiſpaniæ fuiſſe Doctorem, & Apoſtolum. Nam quòd plumbeus quidam illorum liber (neque de aliis aliter iudicandum) ſcriptus fuerit Nerone adhuc viuente, imò tunc primùm imperante (quia anno Neronis ſecundo in illo Granatenſi tractu Martyrium ſubiêre Sancti, de quibus in illo ſacro plumbo ſermo eſt) ex eo conſtat, quia illius libri ſcriptor

Digitized by Google

ptor in eo à Domino precatur, vt libros duos, à Cteſiphonte Iacobi diſcipulo conſcriptos, qui in cauernis ſimul cum ſacris cineribus reconditi fuerant, à Neronis furore tueatur. Cur autem tunc Neronis horreret immanitatem, ſi in viuis tunc non ageret Nero? Cùm enim libri meminiſſet de eſſentia Dei, & alterius de Eccleſiæ fundamento, ſubiecit, *Deus à Nerone Imperatore hos duos liberet libros.* De horum librorum fide nemo, credo, dubitauit, cùm de Sanctorum, qui in eo ſacro monte combuſti, atque recõditi eſſe exiſtimantur, reliquiis dubitare non liceat. Iam enim habito maximo doctorum hominum cõuentu, cõque iuxta Tridentini Cõcilij formam legitimè, atque canonicè congregato, per D. Petrum Vaccam de Caſtro Granatenſem Antiſtitem declaratum eſt, veras illas eſſe Sanctorum reliquias. Quòd niſi veros eſſe libros illos plumbeos exiſtimarent, ex quibus id didicerãt, ſanè nullo modo ſtatuere potuiſſẽt.

2. AT dices, probari quidem grauiſſimo illo Doctorũ, Prælatorũmque conuentu libros, in quibus de Sanctorum reliquiis agebatur, non tamen eos, qui de Iacobi in Hiſpania prædicatione docent. Si hoc demus aduerſariis, nihilo tamen minùs erit Hiſpanorum cauſa munita. Nam ſi hi libri ſuſpecti ſunt, neque fidem merentur antiquam, æquè etiam ſuſpecti ſint oportet illi, qui non aliter de Sanctorum reliquiis, atque martyrio loquuntur, quàm de illorum librorum ſcriptoribus, atque argumento, cùm eædem tabulæ, atque eadem fides vtroſque conſignent.

3. HÆC mihi grauiſſima ſunt monumenta: neque eſt cur ab illo illiterato ſæculo plura, aut maiora requiramus. Fuiſſe tamen alia puto, quæ vel tempus compreſſit, vel hominum iniuria. Quàm enim durè vexata fuerit illa prima Hiſpaniæ ætas, quã multę & feræ, & Chriſtiano nomini infenſæ nationes eò cõfluxerint, nemo neſcit, à quibus monumenta illa, quæ aduerſarij requirunt, aut incendio deleta, aut aliquo alio modo ſublata ſunt; quæ in poſterorum memoriam venire nulla ratione potuerunt.

ARGVMENTO nobis ſint ipſa Sãctorum corpora, quæ non minori ſtudio, atque cuſtodia, quàm illorum hiſtorię ſeruabantur: at ita turbidis Hiſpaniæ temporibus illorum exoleuit memoria, vt quò gentium deportata, vbi locorum condita, aut ignoremus modò, aut nunc primũ poſt longa ſęcula compertũ habeamus. Latuerant ſanè diu multorum Martyrum nõ ſolùm reliquiæ; ſed etiam nomina, qui à Sarracenis Cordubæ interfecti ſunt; nunc tamen S. Eulogij liber nuper, & ab ipſo propè interitu vindicatus, ea de tenebris, & obliuione in lucẽ, qua diu caruêre, & hominum conſpectum euocauit. Idem S. Eugenio, idẽ S. Leocadiæ, quorũ obſcurari nullo modo memoria poſſe videbatur, accidiſſe cõſtat. Quid ergo de horum ſcriptis, aut monumẽtis ſentiamus? Sanè non tantùm à Chriſtianæ Religionis hoſtib. Sanctorũ reliquiis indictum eſſe bellum docent ſacrę, & prophanæ literæ; ſed etiam in ſacros libros, & pia Sanctorum monumẽta pari pene odio ſæuitũ eſſe. 4. Sanctorũ multa corpora aut occulta, aut ab Hiſpanis abducta

QVOD ſi è ſacris Bibliis, quæ tãta, vt par erat, religione cuſtodiebantur, plurimi interiêre libri, quos hîc numerare non eſt neceſſe; quid mirum ſi alij, quibus neque tanta inerat religio; ab hoſtili odio, atq; ſolertia cuſtoditi non ſint? Certè ſæuitum 5. Multi libri tam hagiographi, quã Canonici perięrunt.

uitum quoque Neronis tempore quando occiſi Martyres ſuĕte, & ſcripti plumbei codices, qui in ſacri montis buſtis aſſeruabantur; in pios libros, Sāctorúmq; memorias, vt docuit Cteſiphon Iacobi diſcipulus, aut qui Cteſiphontis libros in arcula concluſit plumbea, qui metuens id, quod aliis libris acciderat, ſcripſit in arcula. *Deus à Nerone Imperatore hos duos liberet libros.* Quomodo antiqua Sanctorum monumenta in Hiſpania perierint, diximus in hoc ipſo tractatu c. 5.

CAP. VIII.

De templo à S. Iacobo ædificato Cæſarauguſtæ.

1. Templū Cæſarauguſtanum B. Virginis.

ALIVD nobis monumentum eſt antiquitate præclarum, & ipſa rerum natura illuſtre, & omnium ſæculorum conſenſu, populorum frequentia, & religione venerandum; quod ſtetit ad hunc vſque diem poſt tot infortunia, atque incendia, quibus ab hoſtibus Chriſtiano nomini vehementer infenſis iactata eſt toties Hiſpania, vexata pietas, & ſacris Deo, ac religioſis locis indictum à Tyrannis, & ab impiis miniſtris illatum crudele bellum. Vt enim paulo antè dicebamus ex Euſeb. lib. 8. cap. 3. eodem Edicto à Diocletiano imperatum eſt, vt igni abſumerentur ſacri codices, & ſacra, ac religioſa loca æquarentur ſolo. Cùm verò Dacianus Imperatoriæ crudelitatis impius ſatelles Cæſarauguſtam innumerabilium Martyrum ſanguine compleſſet, & nihil vellet eſſe reliquum Chriſtianæ Religionis; tamen illi in ſacroſanctam illam ædē, ſeu cœleſte ſacrariū, cuius author fuerat B. Virgo, nihil à Deo permiſſum eſt. Quare antiquū illud, & ſacrum monumentum iam olim ab Eccleſię incunabulis continenti voce ad noſtrum vſque ſæculum clamat, veniſſe in Hiſpaniam Iacobum, & in ea Tarraconenſis prouinciæ regione, hortatrice, atque auſpice B. Virgine, in eius honorem ab eo templum eſſe conſtructum: quod *de Pilari* dicitur, quia in columna, quæ Hiſpanico idiomate vocatur *pilar*, B. Virgo ſeſe Iacobo vidēdam obiecit.

2. DE hoc cœleſti ſacrario, déque eius religione non eſt cur hoc loco plura dicā; quia dixiſſe pauca in tam vberi, atque illuſtri argumento iniuria eſt; multa verò dicere, neq; noſtrum exigit inſtitutum, neque defuerunt doctorum virorum ſtudiū, & pietas, qui id pluribus ante me, & ſtylo multo politiori perſecuti ſunt. Id tantùm dicam, quod Hiſpanicæ cauſę nonnihil incommodat, quódque huic cœleſti ſacrario opponūt aduerſarij. Cætera ad me, qui hiſtoricum non ago, pertinere non puto. Dicam autem tractatu 3. c. 8. cùm ad aliorum obiecta reſpondebo.

CAP. IX.

Quomodo Clementis Breuiarium aduentum Iacobi confirmet.

1. Clemētis octaui Breuiarium.

AD extremum cùm his his dieb. à Clemente VIII. in Breuiario nuper reformato, ex antiqua lectione aliquid mutatum ſit, accuratè nobis expendendum eſt, & quid Pōtifex ea mutatione oſtendere voluerit, & quid verba recens addita ſentētiæ contineant. Habebamus in Officio à Pio V. ex decreto Cōc. Trid. cōcinnato in 1. lectione 2. nocturni de Iacobo. *Peragrata Hiſpania vbique prædicato*

Euan

Digitized by Google

Euangelio. Cuius loco in reformato ſuppoſitum eſt. *Mox Hiſpaniam adiiſſe, & ibi aliquos ad fidem conuertiſſe, Eccleſiarum illius prouinciæ traditio eſt; ex quorum numero ſeptem poſtea Epiſcopi à B. Petro ordinati in Hiſpaniam primi directi ſunt.* Quæ ſic ego accipio, vt non minùs apertè ex hac poſteriori clauſula, quàm ex illa priori iudicem, Iacobi in Hiſpaniarum fines aduentum ſignificari, infringíque maximè argumenta, quibus aduerſarij in aliam ſe cogi ſententiam ſimulabant. Sed quia non omnes eodem accipiunt ſenſu, quia animus interdum pro eo quòd aliter, atque aliter affectus eſt, aliter de rebus, atque aliter ſentire, & iudicare ſolet; fit vt multi Pontificis verba in grauiorem partem interpretati, credant hac antiquæ clauſulæ mutatione incidi neruos Hiſpanicæ cauſæ, & quod certum hactenus videbatur, coarctata ad Eccleſias Hiſpanicas traditione, in dubiũ vocari. Horum igitur cogitationi iam occurramus, & quid de Hiſpanica illa traditione iudicandum ſit, primùm exploremus.

2. PONTIFEX Clemens, vt in Bulla quam Breuiariis ab ipſo reformatis præfigi voluit promptum habemus, obſeruarúntque alij ante me non pauci, retinere voluit, quæ in Breuiario à Pio V. propoſito legit Eccleſia: neque ex eo aliud emẽdari, ſiue mutari voluit, quàm quod aut aliquorum audacia, aut librariorum incuria in Breuiarium Romanum irrepſiſſet (nam alia, quæ peculiares habebant Eccleſiæ, non tam reformanda, quàm abolenda conſtituit) quorum è numero certè non eſt, quod de Hiſpania à Iacobo peragrata recitamus. Neque enim hoc aut alicuius calliditate, & ſolertia, aut Typographorum negligentia, aut in nouum Romanum à Pio V. aut in vetera ab aliis antè concinnata illabi, aut corruptè legi potuit. Noua enim, quæ Concilij Trident. decreto primùm edita ſunt, quibus nulla potuit aſpergi labes, clauſulam habent illam de Hiſpania à Iacobo peragrata: neque in antiqua Breuiaria Romana, atque vniuerſalia induci pars illa potuit; quia ante Pij V. curam, & Concilij Trid. decretum, illa clauſula in aliquo ex antiquis Romanis non inueniebatur. Quare non tam mutare voluit Clemens clauſulam de peragrata Hiſpania, quàm illam exponere; & quod in ea dubium, & obſcurum videbatur, interpretari.

G. Sanctij diſſ. de aduent. Iac. in Hiſp.

INTERPRETATVS eſt, vt credo, illud *peragrata*, pro quo ſuppoſuit, *adiiſſe*: quia ex vſu Latini ſermonis peragrata ab aliquo dicitur regio, in qua moratus, aut vagatus eſt, licèt totam regionem non obierit, atque luſtrauerit (quomodo Plato peragraſſe dicitur Ægyptum, vt Sacerdotes conſuleret) tamen quia *peragrare* communi Latinorum vſu ſignificat ita prouinciam paſſibus eſſe luſtratam, vt pars illius nulla prætermiſſa ſit: ideo quod incertum erat, ſuſtulit Clemens; quod verò certum, nempe, aditam Hiſpaniam à Iacobo, ſuffecit. Quamuis enim multas Hiſpaniæ prouincias Iacobus obierit, cuius extant in extremis illius finibus impreſſa veſtigia, Cæſarauguſtæ ſcilicet, & Compoſtellæ; tamen quia plures aliæ fuêre prouinciæ, quò non peruenit Iacobi prædicatio, & curſus; id videtur voluiſſe Pontifex ſignificare illa verborum mutatione, aditam Hiſpaniam fuiſſe, non peragratam ab Apoſtolo. 3.

QVOD verò addidit, *Eccleſiarũ illius prouinciæ traditio eſt*, minùs Hi- 4.

ſpanicæ incommodat cauſæ, quàm quidam arbitrantur. Neque enim Pontifex negat aliud quoque ſenſiſſe alienas Eccleſias, cùm id ad hoc vſque tempus per quadraginta fermè annos in Pij V. Breuiario recitauerint; imò multo antè recitauerũt Breuiaria Benedictina, Dominicana, Carmelitana, & quod à Franciſco Quignonio concinnatum eſt. Quod alias etiam Eccleſias tenuiſſe docet Cornelius Schultingius, qui in ſua Bibliotheca Eccleſiaſtica to. 2. p. 1. in Iacobo aſſerit, ex Officio, credo antiquo Colonienſi (nam ipſe Coloniæ profeſſor erat Theologię, & Eccleſiæ S. Andreæ Canonicus) Iacobum in Hiſpania prædicaſſe. Quod probat ex liturgia quadam in oratione, quæ ſic habet de Iacobo. *Quia Hiſpania hoſpitem, quem viuum eiecit, mortuum ciuem collegit.* Quod idem colligit ex eius epiſtol. Graduali. Non ergo docet Pontifex Eccleſiarum tantùm Hiſpanicarum illam eſſe ſententiam: aut negat ita exiſtimaſſe alios ab Hiſpanis, cùm ab Hippolyto Martyre, Anaſtaſio, & Beda, & ab Hieronymo (vt Calixtus docet in Bulla de B. Iacobi trãſlatione) acceperint Iacobum in Hiſpaniæ fines intuliſſe Euangelicam lucem. De quo ad extremum hoc ſæculum, nemo, quod ego ſciam, dubitauit. Sanè tanquam de re omnibus indubitata, & certa locuti ſunt Ioãnes Belethus in Rationali diuinorum Officiorum cap. 140. Vincentius Bellouacẽſis in hiſtor. lib. 8. cap. 6. Nicolaus de Lyra in illud Abdiæ, *quæ in Boſphoro eſt.* S. Antoninus 1. p. hiſtor. tit. 6. cap. 7. Baptiſta Mãtuanus in Faſtis. Et ne multis morer, antiquam fuiſſe apud externos, & conſtantem traditionem, & communem ſenſum docent omnium fermè temporum ſcripta ad extremam vſque ætatem Baronij, qui tam in Annotat. ad Martyrologium ad diem 25. Iulij; quàm 1. to. Annal. anno Chriſti 44. cum Hiſpanis, imò cum orbe toto conſenſit. Ita ſanè Baronio coæui exiſtimarunt Galeſinus ad diem 12. Kalend. Februarij; Caniſius lib. 5. de B. Virgine cap. 21. Denique, vt plures alios omittam, Thomas Stapletonus lib. 1. de magnitudine Romanæ Eccleſiæ cap. 3. verum; & indubitatum eſſe dicit, prædicaſſe Iacobum in Hiſpania: & Thomas Bozius de ſignis Eccleſiæ lib. 4. cap. 1. de eadem re famam dicit eſſe conſtantem.

QVARE non videtur Clemens traditionem ad Hiſpaniæ Eccleſias cohibere voluiſſe; ſed oſtendere vndenam ad alias quoque prouincias, & Eccleſias permanarit illa traditio. Neque ſanè leue principium aſſignauit, cùm à tot Eccleſiarum traditione dixit ortam illam de Iacobo ſententiam: cùm traditioni, qui rectè, atque ſyncerè de antiquitate iudicant, tantùm deferant, vt nihil prætereа authoritatis deſiderent. Hoc, credo, ſatisfaceret Papiæ Ioannis diſcipulo, qui, vt tradit Euſebius libro 3. hiſtor. cap. 35. non tam ſcripturam requirebat, quàm hominum ſermones, quibus tamen aliquid inerat fidei. *Neque ea*, inquit, *quæ ex libris petebantur, tantùm mihi ſubſidij allaturum exiſtimaui, quantùm ea, quæ acceperam ex hominum voce, & ſermone.* Idem de Papia refert Hieronymus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis in *Papia*. Satisfaceret Irenæo, qui libro 3. cap. 4. in controuerſiis, qualis eſt hæc, ad Eccleſias dicit eſſe recurrendum. Satisfaceret Chryſoſtomo, qui eam in traditionibus authoritatem eſſe exiſtimabat, vt non amplius de quærenda ſcripturarum fide laborandum putaret;

5. Traditionum magna vis.

taret: ſic enim hom. 4. in illud 2. ad Theſſal. c. 3. [*Itaque fratres, ſtate, & tenete traditiones.*] *Hinc patet quòd non omnia per epiſtolam tradiderint; ſed multa etiam ſine literis: eadem verò fide digna ſunt tam illa, quàm iſta. Itaque traditionem quoque Eccleſiæ fide dignã putamus. Traditio eſt, nihil quæras amplius.* Quàm multa, quæ olim, quàm multa quæ nunc ſanctiſſimè in Eccleſia ſeruantur, aut nunquàm eſſent inuenta, aut iampridem exoleuiſſent, ſi leuis eſſet traditionũ authoritas, aut infirma fides? Multa eius generis numerat Tertullianus lib. de corona cap. 3. quæ hîc libet aſcribere, quibus alia non minùs religioſa, & grauia adduci poſſent, à quibus in præſentia commemorandis abſtineo. Sic igitur Tertullianus. *Hanc obſeruationem inueteratam ſi nulla ſcriptura determinauit; certè conſuetudo corroborauit, quæ ſine dubio de traditione manauit. Quomodo enim vſurpari quid poteſt, ſi traditum priùs non eſt? Etiam in traditionis obtentu exigenda eſt, inquis, authoritas ſcripta. Ergo quæramus, an & traditio non ſcripta non debeat recipi? planè negabimus recipiendam, ſi nulla exempla præiudicent aliarum obſeruationum, quas ſine vllius ſcripturæ inſtrumento, ſolius traditionis titulo, exinde conſuetudinis patrocinio vindicamus. Denique, vt à Baptiſmate ingrediar; aquam adituri ibidem; ſed & aliquanto priùs in Eccleſia ſub Antiſtitis manu conteſtamur renunciare diabolo, & pompæ, & Angelis eius: dehinc ter mergitamur amplius aliquid reſpondentes, quàm Dominus in Euangelio determinauit. Inde ſuſcepti, lactis, & mellis concordiam prægustamus; exq; ea die lauacro quotidiano per totam hebdomadam abſtinemus. Euchariſtiæ Sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quàm præſidentium ſumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus. Die Dominico ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate à die Paſchæ in Pentecoſten vſque gaudemus. Calicis, aut panis etiam noſtri aliquid decuti in terram anxiè patimur, ad omnem progreſſum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad veſtitum, & calceatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quacumque nos conuerſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus. Harum, & aliarum eiuſmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules, ſcripturarum nullam inuenies: traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſeruatrix. Rationem traditioni, conſuetudini, fidei patrocinaturam, aut ipſe perſpicies, aut ab aliquo qui perſpexerit, diſces. Interim nonnullam eſſe credes, cui debeatur obſequium.*

ADIICIO vnum adhuc exemplum. Eodem fermè modo Baſilius in libro de Spiritu ſancto cap. 27. *Dogmata quæ in Eccleſia prædicantur, quædam habemus è doctrina ſcripto prodita; quædam verſus ex Apoſtolorum traditione in myſterio, id eſt, in occulto tradita recepimus. Quorum vtraque parem vim habent ad pietatem; nec his quiſquam contradicit, quiſquis ſanè vel tenuiter expertus eſt, quæ ſint iura Eccleſiaſtica. Nam ſi conſuetudines, quæ ſcripto proditæ non ſunt; tanquam haud multum habentes momenti, conemur reiicere, imprudentes, & ea damnabimus, quæ in Euangelio neceſſaria ad ſalutem habentur: imò potiùs ipſam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Quod genus eſt, vt id quod primum eſt, & vulgatiſſi-*

nium, primo loco commemorem, vt ſigno crucis; eos qui ſpem collocauerunt in Chriſto ſignemus; quis ſcripto docuit? Vt ad Orientem verſi precemur, quæ nos docuit Scriptura? Inuocationis verba, cùm oſtenditur panis Euchariſtiæ, & poculum benedictionis, quis Sanctorum in ſcripto nobis reliquit? Nec enim his contenti ſumus, quæ commemorat Apoſtolus, aut Euangelium: verùm alia quoque, & antè, & pòſt dicimus, tanquam multùm habentia momenti ad myſterium, quæ ex traditione citra ſcriptum accepimus. Conſecramus autem aquam Baptiſmatis, & oleum vnctionis: præterea ipſum qui Baptiſmum accipit, ex quibus ſcriptis? Nónne à tacita, ſecretáque traditione? Ipſam porrò olei inunctionem quis ſermo ſcripto proditus docuit? Iam ter immergi hominem, vnde eſt traditum? Reliqua item, quæ fiunt in Baptiſmo, veluti renuntiare Sathanæ, & Angelis eius, ex qua ſcriptura habemus? Nónne ex priuata, & arcana hac traditione? nónne ex doctrina, quam Patres noſtri in ſilentio, quod curioſos, & otioſos ſummouet, ſeruarunt? Pulchrè quidem illi; nimirum docti arcanorum venerationem ſilentio conſeruari. Nam quæ nec intueri fas eſt non initiatis, qui conueniebat horum doctrinam publicitùs circumferre ſcripto? aut quid tandem ſibi voluit magnus ille Moyſes, qui non omnia, quæ erant in templo, paſſus ſit omnibus eſſe peruia: ſed prophanos extra ſacros cancellos ſtatuit; ſed priora atria purioribus permittens, Leuitas ſolos dignos cenſuit? Et addit deinde. *Ad eundem profectò modum, & qui in primordiis Eccleſiæ certos ritus præſcripſerunt Apoſtoli, & Patres in occulto, ſilentióque myſteriis ſuam ſeruauêre dignitatem. Neque enim omnino myſterium eſt, quod ad populares, ac vulgares aures effertur. Hæc eſt ratio, cur quædam citra ſcriptum tradita ſunt, ne dogmatum cognitio propter aſſuetudinem vulgo veniret in contemptum. Aliud autem eſt dogma, aliud edictum: nam dogmata ſilentur, edicta verò publicantur.*

Hæc traditio, quæ eſt ab Eccleſiarum Hiſpaniæ teſtimonio, grauiſſima eſt; neque maiorem habent Achaia, Lycaonia, Scythia, Galatia, vt probent ſe ab Apoſtolis olim fuiſſe luſtratas. Quid habet firmius, aut de Barnaba Mediolanẽſis, aut de Dionyſio Eccleſia Gallicana, quo ſuos ſibi Patronos eſſe confirment? Aut producant nobis Antiochia, & Roma, quid de Cathedris ibi conſtitutis habeant, quod non ſit primùm à traditione deriuatum. Magna ſanè eſt traditionum fides: grauiſſimum Pontificis teſtimonium, cùm Eccleſiarum Hiſpaniæ traditionem appellat.

Sed quid prioribus verbis docere voluerit, ſatis expreſſit ſignificanter, cùm ſubdidit, *ex quorum numero ſeptem poſtea Epiſcopi à B. Petro ordinati in Hiſpaniam primi directi ſunt.* Vbi iam nõ alieno vtitur teſtimonio Pontifex; ſed interponit ſuũ. Si enim hoc de Iacobi diſcipulis ab Eccleſiarum traditione ſumeret, hoc vtique modo loqueretur. *Mox Hiſpaniã adiiſſe, & ibi aliquos ad fidẽ cõuertiſſe, Eccleſiarũ illius prouinciæ traditio eſt: & ex eorũ numero ſeptẽ poſtea Epiſcopos à B. Petro ordinatos in Hiſpaniã primos directos eſſe.* Itaq; in Breuiatio reformato id indicat Clemens in poſterioribus verbis, quod in priori Breuiario Pius V. cùm dixit, *peragrata Hiſpania, ibiq; prædicato Euangelio.* Nihil autẽ hac verborum mutatione de antiquo Hiſpanorum ſenſu fuiſſe mutatum exiſtimat Fr. Frãciſcus de Ieſu in ſuo de Iacobo

6. Clemens quomodo docet Hiſpaniam à Iacobo luſtratã.

tracta

tractatu accuratiſſimo; & Franciſcus Piſa in hiſtoria Toletana libro 2. cap. 5. Certè Lorinus in cap. 12. Actuum v. 2. ait noluiſſe Pontificem illis verbis traditioni detrahere, quę magni meritò fieri debet.

QVANDO ergo, vt conſtat, in his verbis Clemens non tam ex alieno ſenſu loquitur, quàm ex ſuo; &, vt verba ipſa non obſcurè docent, ſignificat diſcipulos illos Iacobi, quos Petrus ordinauit, à Iacobo in Hiſpania fuiſſe conuerſos, quod aut clarius, aut illuſtrius debet teſtimonium, ſeu potiùs quod grauius poſt longam diſceptationem iudicium expectari potuit à Pontifice, quàm quod nunc à Clemente accepit Hiſpania? Quomodo enim diſcipuli conuerti à Iacobo potuiſſent in Hiſpania, ſi Hiſpaniam nunquam obiiſſet Iacobus?

7. *Quo ſenſu dicãtur ſeptem Epiſcopi primùm in Hiſpaniã miſſi.* AT dices ex ſententia Clementis diſcipulos illos ordinatos à Petro primos in Hiſpaniam ingreſſos: quare ex hoc videri primum Hiſpaniam Iacobum non adiiſſe. Huic cogitationi neque ineptè, neque improbabiliter occurreret, qui reſponderet, ingreſſos quidem primos in Hiſpaniam diſcipulos illos Iacobi; nõ quidem abſolutè, ſed Epiſcopos ab Apoſtolis ordinatos, id eſt, nullum Epiſcopum Hiſpaniam adiiſſe ante hos ſeptem. Sed quia alij etiam Epiſcopi à Iacobo dicuntur cõſecrati, & Eccleſiis Hiſpaniarum præpoſiti, ad aliam propriam, facilémque ſolutionem confugiendum eſt. Satis eſt notum, illa quę proxima ſunt alicui loco, numero, & tempori, ex vſu Scripturæ, illorum ſibi nomen aſſumere. Qua ratione in aliquo loco fieri dicuntur, quæ proximè fiet: & numerum complere nobilem, & plenum, quæ ab illo non longè receſſerunt; & in principio facta, quæ non procul diſtant ab exordio. Exemplis abundamus; adducam vnum, aut alterum affine huic, de quo nobis ſermo. Certum eſt Eccleſiam non ſumpſiſſe Religionis exordium, ſi rem ad amuſſim explores, à Petro, & Paulo, quia reuerà Chriſtus fundamenta prima locauit in Eccleſia: quia primus illam congregauit, & inſtituit, quod nihil eſt aliud quàm à Chriſto Eccleſiam habuiſſe principium; de Petro tamen, & Paulo canit Eccleſia. *Da Eccleſiæ tuæ eorum in omnibus ſequi præceptum, per quos Religionis ſumpſit exordium.* Et ſanè de Paulo dubitare poſſet nemo, quem conuerſum eſſe conſtat, poſtquam Apoſtolorum prædicatione magnus credentium numerus ad Eccleſiam acceſſerat. Alexander Macedo primus dicitur regnaſſe in Græcia Machab. lib. 1. c. 1. cùm tamen pater eius Philippus antè regnauiſſet; quia non longè aberat à Regni primordio, aut quia paternum valdè propagauit Imperium. Septem ergo Epiſcopi ideo primi dicuntur Hiſpaniam obiiſſe, aut quia paulo poſt Apoſtolũ Iacobum, aut quia quod à Iacobo fuerat inchoatum, vehementer auxerunt.

CAP. X.

Quid clauſula reformati Breuiarij incommodet Hiſpanicæ cauſæ.

AT dices, ſi clauſula hæc à Clemente ſuppoſita cauſæ tãtopere fauet Hiſpanicæ, quam traditione tot Eccleſiarum confirmatam oſtendit; ſi tam apertè ſeptem viros dignos, quos deinde Petrus ordinaret Epiſcopos, a Iacobo in Hiſpania fuiſſe conuerſos 1.

dicit, ex quo fit pluſquam veriſimile plures alios minoris notæ, aut ex alio ſexu fuiſſe à Iacobo ad Eccleſiam vocatos. Si ita ſe res habet Hiſpanica, quid Hiſpani tam grauiter ferunt antiquam clauſulam de *peragrata Hiſpania* fuiſſe ſublatam, & illius loco ſuffectam, quam nunc ex ſenſu, vt opinabamur, Pontificis expoſuimus? Sanè ſi ſyncerum omnes, & ſimplicem animum afferrent ad verba Clementis, aut ea eſſent doctrina, vel ingenio, vt illorum ſenſum explorare, aut de Pontificis animo coniectare poſſent, minùs eſſet, quòd de clauſula nuper inducta laborarent Hiſpani. Sed quis rude, atque imperitum vulgus inſtituat? aut non æquiſſimè in Hiſpanorum nomen animatos ad verum illorum verborum ſenſum informet?

Malè imperitum vulgus verba Clemētis interpretatur.

Ex hac ſiue ignoratione, ſiue animo minùs in Hiſpanorum gloriam affecto ortū eſt, vt plurimi liberiùs iam de primo Hiſpanorū magiſtro loquantur; alij dubitent, minùs denique firmitatis habeat antiquiſſima de Iacobo traditio. Cùm ergo eam ob cauſam apud multos iam leuior ſit, quàm antea traditionis fides, occurrendumque videatur non prudentium ſolùm iudiciis; ſed leuiſſimis quoque vulgi rumoribus, ac vanis imprudentium, ac delirantium ſomniis; prædolent Hiſpani, meritóque contendunt, ne quod ad hoc vſque ſeculum indubitatæ fidei pondus obtinebat, cuiuſuis iam non ſolùm ratiocinationi prudenti, ſed etiam cogitationi futili, & orationi liberæ proponatur, & ex ſuo potiùs audacter, & inſcitè, quàm ex Pontificis ſenſu modeſtè, atque ſapienter loquatur. Timent igitur, & meritò cauent Hiſpani non id, quod à prudentibus, & æquis rerum æſtimatoribus, ſed quod ab imperitis, & iniquis prouenire poteſt incommodi.

CAP. XI.

Quid externi ſcriptores de Iacobo ſenſerint.

MVLTORVM ſuprà teſtimonia produximus, tam Hiſpanorum, quàm externorum hominum, quorum fidei nulla videbatur allini poſſe ſuſpicionis, aut leuitatis macula. Sed quia domeſtici teſtes, & quorū intereſt rem eſſe ſolutam, & integram, in ſuſpicionem interdum, maximè ab incredulis, & duriùs in cauſam animatis vocari ſolét; erit, credo, non exiguū operę, atque ſtudij pretium, ſi externam aduocemus fidem, & in Hiſpanicæ cauſæ patrocinīū cum noſtris alienas etiam vires coniungamus. Neque repetam quæ hoc tractatu c. 2. & c. 9. teſtimonia citaui, quæ ſanè grauiſſima fuerunt. Mitto Hippolytum, Hieronymum, Anaſtaſium, Iſidorum, Braulium, Iulianum, Bedam; mitto publicam, atque eo nomine grauiorem fidem; nempe Pontificū, Officiorúmque ſacrorum, in quibus quotidie publica perſonat vox, quæ communem hominum cogitationem euulgat. Mitto veſtigia quædam nō leuiter impreſſa, quæ nos ad latentem veritatem ſine errore deducunt: ea tantùm adducam, quæ equitādę moleſtę, longitudinis causâ prætermiſeram, neque nunc admodùm libenter adglomero; quæ non ſolùm multitudine (quanquam hoc 1.

ſatis ad traditionem) ſed authoritate, & pondere plurimùm valent. Et, vt vno verbo cóplectar omnia, quæ in hoc genere, atque inſtituto noſtro dici poſſunt, ab antiquiſſima Eccleſiaſticorum ſæculorum memoria ad extremam vſque ætatem Baronij, neminem reperio, qui de aduentu in Hiſpaniam Iacobi dubitarit, cùm tamen contrà ex omni natione plurimi, & in omni ætate non pauci prędicaſſe in Hiſpania Iacobum fateātur. Ecquid igitur ad publicam, & conſtantem traditionem deſiderare poteſt aut curioſum ingenium, aut proteruus animus? Iam igitur nubē producamus teſtium, videamúſque quàm longè, ac diu vagata, ac dominata ſit Hiſpanica traditio. Próferam autem teſtes eo fermè ordine, quē ipſi in ſcribēdo tenuerūt. Quod mihi non erit longi, aut operoſi negotij, cùm materiam paratam habeam, & promptam, tum ab aliis, tum præcipuè à D. Bartholomæo Laurentio, & nouiſſimè à Fr. Franciſco de Ieſu, qui in congerendis, examinandíſque ſcriptoribus magnam, & vtilem operam poſuerunt.

2. Venātius. VENANTIVS Fortunatus, qui vixit ſub annum Domini 570. Epigramma condidit in Iacobi laudem, vt citat, & refert Calixtus II. in quo docet non Iudæos ſolùm; ſed etiam Gentiles à Iacobo fuiſſe conuerſos; & ad finem vſque terræ (ſic enim appellatur illa Hiſpaniæ plaga, vbi conditus eſt Iacobus) Euangelicam prædicationem propagaſſe. Sic ergo de Iacobo canit Fortunatus.

Gentiles docet hic, Iudæos increpat idem;
Fructificánſque Deo terminat orbe fidem.

Vvalfridus. ANNO 850. floruit Walfridus Strabo, qui metrica nonnulla conſcripſit, & in his opus de duodecim Apoſtolis, quod nuper ex tenebris euocauit in lucem Henricus Caniſius; in quo ſic de Iacobo noſtro.

Primitùs Hiſpanas conuertit dogmate Gentes;
Barbara diuinis conuertens agmina dictis.
Qui priſcos dudum ritus, & lurida fana
Dæmonis horrenda decepti fraude colebant.

Vbi notádum, quòd à Gentilico ritu Hiſpanos ad Chriſti fidem traductos eſſe dicit, contra illorum ſententiam, qui Apoſtolicam operam Hebræis tantum impenſam eſſe putant.

S. Norkerus. EX eadem familia, imò & ex eodem Monaſterio Gallo apud Theutones ſenſit idem quod Walfridus, S. Norkerus, quem in Sanctorum numerum retulit Leo X. Hic eam adducit cauſam in ſuo Martyrologio ad diem 25. Iulij, cur tanto in honore ſit, ac veneratione Iacobus apud Hiſpanos: *quia eius*, inquit, *corporali præſentia, & doctrina, atque ſignorum efficacia iidem populi ad Chriſti fidem conuerſi referuntur.*

Turpinus. PAVLO poſt hæc tempora ſecutus eſt Turpinus, Archiepiſcopus Rhemenſis, qui in Vita Caroli Magni ſic de doctrina, atque tranſlatione S. Iacobi. *Glorioſiſſimus namque Chriſti Apoſtolus Iacobus aliis Apoſtolis, & Dominicis Diſcipulis diuerſa coſmi climata adeuntibus, vt fertur, primitùs Galeciam prædicauit: deinde eius Apoſtolico corpore ab Herode Rege perempto ſaluo à Hieroſolymis vſque ad Galeciam per mare tranſlato, eandem Galeciam diſcipuli eius prædicauerunt.*

IOANNES

Ioannes Belethus. IOANNES BELETHVS in Rationali diuinorum Officiorum cap. de feſto S. Iacobi apertè docet Iacobum Hiſpaniam adiiſſe. *Huius*, inquit, *corpus quieſcit in Compoſtella, quæ Hiſpaniæ pars eſt: miſſus enim fuit, vt Hiſpanis verbum Dei concionaretur; ſed propter malitiam, & duritiam Principum extra vnũ ad fidem Chriſti neminem conuertere potuit.*

SVB idem tempus, id eſt, ad annum Domini 1140. ſcripſit idem pene quod Calixtus, & ex ipſo multa ad verbum expreſſit Vincentius Bellouacenſis in Speculo hiſtoriali tom. 4. lib. 8. cap. 6. ſicut etiam à Ioanne Beletho. Vincẽtius Bellouacenſis.

NON longè pòſt Otho Friſingenſis Epiſcopus in Chronico rerum ab orbe condito lib. 3. cap. 15. ſic de Iacobo loquitur. *Iacobus iam ab Herode decollatus fuerat, qui tamen priùs, vt dicitur, Hiſpanis prædicauerat.* Otho.

Durãdus. GVILIELMVS Durandus in Rationali diuinorum Officiorum lib. 6. cap. 17. idem pene dicit quod Ioannes Belethus ſuprà.

Martinus Polonus. MARTINVS Polonus in Chronico anno Domini 34. hæc de noſtro Iacobo. *Iacobus Maior Hiſpaniam circumiens tandem Hieroſolymis decollatur.*

ADDE his ex Dominicano ordine quatuor viros doctrina, & ſanctitate nobiles, Thomam Cantimpratenſem in libro de Apibus, Iacobum de Voragine in Vita S. Iacobi: & S. Vincentium Ferreirum Hiſpanum ſermone de S. Iacobo; & S. Antoninum 1. p. Hiſto. tit. 6. cap. 7. qui omnes apertè agnoſcunt, & tradunt Hiſpaniam à Iacobo Euangelica fuiſſe luce luſtratam. Thomas Cantimpratenſis. Iacobus de Voragine. S. Vincentius. S. Antoninus.

Nicolaus de Lyra. NICOLAVS de Lyra in illud Abdiæ, *& tranſmigratio Ieruſalẽ, quæ in Boſphoro eſt.* Quo loco in *Boſphoro* multi Hiſpaniam agnoſcunt, quæ Hebr. dicitur ספרד *Sepharad:* ait Prophetiam illam impletam eſſe per Iacobum, & eius diſcipulos, qui in Hiſpaniam primi Euangelium intulerunt.

IACOBVS Philippus Bergomas in Supplemento hiſtoriarum lib. 8. anno Domini 43. Robertus Carazolus Epiſcopus Aquinas ſermone 36. qui eſt de S. Iacobo. Ioannes Hartmanus Schedel in Chronico ætatum mundi, in Vita S. Iacobi. Ioannes Nauclerus in Chronographia anno Domini 44. Dionyſius Richel, aliter Carthuſianus in concione quadam S. Iacobi. Petrus Galeſinus in Annot. ad Martyrologiũ 12. Kalend. Februarij. Feuardentius in Irenæum lib. 1. cap. 3. Pammelius in libro aduersùs Iudæos, Tertull. not. 41. Ioannes Vaſæus Belga in Chron. anno Chriſti 40. Genebrardus in Chronologia anno mundi 4233. Baptiſta Mantuanus in Faſtis libro 7. Ioannes Dadræus in ſcholiis ad Euſebium lib. 2. cap. 8. Hadrichomius anno Chriſti 39. & Auguſtinus Mannus ex Cõgregatione Oratorij lib. ſelectarum hiſtoriarum c. 341. vbi alios adducit; & alij plures, quos conſultò prætereo, ne longus ſim. Philippus Bergomas.

SED non omittam aliquos ex noſtra Societate, & in his aliquot, qui etiam poſt excitatam à Baronio cõtrouerſiã, antiquã tamẽ traditionẽ coluerunt, adeò illis productæ ab aduerſariis rationes infirmæ. Sit primus ex externis, quos non tam Hiſpaniæ ſtudium tangit, quàm hiſtoriæ fides, aut traditionis antiquitas, atque conſtantia; Petrus Caniſius, qui vnus eſt pro mille, qui lib. 5. de B. Virgine cap. 2. vbi de prædicatione S. Iacobi in Hiſpania, & Cæſarauguſtana æde à Iacobo ædificata Petrus Caniſius.

loqui-

Ricardus Haller. Thomas Saulius.

loquitur. Ricardus Haller in opuſculo de doctrina S. Iacobi. Thomas Saulius in theſauro litaniarum. Antonius Poſſeuinus to. 1. Bibliothecę lib. 4. c. 2. Nicolaus Serarius opuſculo de Apoſtolis c. 87. de Iacobo. Plures alij è noſtra Societate quid de hac controuerſia ſentiant ſcriptis mandauerũt, quos hîc omitto, quia Hiſpani ſunt, & ideo aliis in Hiſpanica cauſa eorum ſuſpecta videri potuit, aut affecta fides: ſicut etiam cõplures alios item Hiſpanos, quorum magnus eſt numerus; ne quid habeat veriſimile, quod obtendat, qui contra conſtãtem traditionem, id eſt, contra impetum fluminis tam obſtinatò nititur.

Antonius Poſſeuinus. Nicolaus Serarius.

4\. Baronius. Hoc idem ſenſit quoque Baronius in Annotationibus ad Martyrologium ad diem 25. Iulij, & tom. 1. Annal. Neque, credo, ſic poſtea in contrariam cogitationem receſſit, vt illam verè, atque omnino probauerit: quomodo enim veriſimile eſt virum tantum, quíque obſeruandis minimis etiam rebus hiſtoricam fidem explorare ſoleat, tãtùm inuenturum eſſe momenti in manu ſcripto codice, in quo nulla eſſet aut rerum conſequentia, aut publica fides, multa indigna grauiſſima Toletani Pręſulis perſona, & Lateranenſis illius conuentus authoritate? maximè cùm ille idem Garſias Loayſa, qui Commentarios euulgauit, illos indignos eſſe quibus haberetur fides, ſignificauerit; cùm ad marginem adiecerit, quod manu illi ſcripti codices negabant, veniſſe in Hiſpaniam Iacobum, & aliquos ibi traduxiſſe ad Chriſti Religionem.

5\. Rodericus Toletanus nõ videtur interfuiſſe Concilio Lateranenſi. Qvod ſi illi conſtaret Rodericum Toletanum Antiſtitem non interfuiſſe Lateranenſi Concilio, nihil haberet quod illi aliquid afferre poſſet coniecturæ ad eam cogitationem: quando quæ priùs excogitarat ex Apoſtolicis Actibus, & Gregorij VII. atque Innocentij III. authoritate, à communi omnium gentium, ac ſæculorũ ſentẽtia eum non abduxerunt. At Concilio Lateranẽſi non interfuiſſe Rodericum, ſuadent turbida illa Hiſpanorum tempora, quibus abeſſe non potuit Rodericus, cuius authoritate, atque ſolertia illi qui timebantur motus, componi poſſe videbantur. Facit ad hæc quòd cùm Rodericus in eo libro, quem de rebus Hiſpanicis compoſuit, ſæpe Toletanæ ſedis primatus meminiſſet, nunquam tamen diſceptationis cum Compoſtellano Præſule in illo Lateranenſi Concilio meminit, neque ſuæ in illos Patrum conuentus profectionis, cùm tamen capite penultimo tradiderit commoratum ſe Romæ apud Pontificem, quo tempore Corduba in Chriſtianorum poteſtatem redacta eſt. Hiſtoriam autem illam Hiſpanicam compoſitam fuiſſe multo poſt Lateranenſe Concilium, ipſe teſtatur Rodericus in fine hiſtorię. *Hoc*, inquit, *opuſculum, vt ſciui, & potui, conſummaui anno Incarnationis Domini* 1243.

Poſt Baronium alij etiam externi, qui poſt illum ſcripsẽre, rationéſque norant, quibus ille ſuam voluit confirmare ſententiam, antiquam traditionem retinent. Quod planè indicat quàm leues viſæ fuerint cauſæ à Baronio productæ contra tam antiquam, atque conſtantem traditionem. Hæc adduxi ne Hiſpanorum cauſæ publica externorum deeſſe putaretur authoritas.

TRACTATVS III.

In quo aduerſariorum obiecta ſoluuntur.

CAP. I.

In quo reſpondetur ad verba Innocentij III.

1. NVNC occurramus oportet his rationibus,quæ,vt aliis viſum eſt, Hiſpanicam cauſam vehementer oppugnãt.Obiicitur primùm quòd Innocentius III. cùm oſtendere vellet ſeruanda eſſe fidelibus quæcumque à Petro Romano Pontifice eſſent inſtituta, ad Decentium Eugubinum Epiſcopum in hunc modum ſcribit. *Præſertim cùm ſit manifeſtum in omnem Italiam,Galliam, Hiſpaniam,Africam,atque Siciliam inſuláſque interiacentes nullum inſtituiſſe Eccleſias niſi eos,quos venerabilis Apoſtol is Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerunt Sacerdotes. Aut legant, ſi in his prouinciis alius Apoſtolorum inuenitur, aut legitur docuiſſe.* Graue ſanè Innocentij teſtimonium,ſed neque deeſt aliquid non leue, quod illi reſpondeas.

2. PRIMVM, ſi dicas *Apoſtolos* hîc non ſumi pro illis,qui antonomaſticè dicũtur Apoſtoli,id eſt,pro duodecim,qui primi à Chriſto Euangelium libarunt. Vt enim nos in huius operis initio docuimus, *Apoſtolorum* nomen,& ante inſtitutum Euangelium,& longè poſt illud ad tempus vſque Theodoſij, illis tribuebatur, qui legationẽ obirent à quocumque miſſi. Quare Synagoga ſuos habuit Apoſtolos,vt docet Epiphanius hæreſi 30. non longè à principio: & Oecumen. in Prologo epiſt. ad Romanos,& in c. 28. Actuum, quorũ è numero videtur fuiſſe Saulus, cùm literas, & publicam authoritatẽ habuit à Pontifice, vt Chriſtianũ nomen extingueret Damaſci. Fuêre itẽ alij, qui cùm viderent *Apoſtolorum* nomen magni apud multos fieri,ipſi ſibi Apoſtolicum nomen aſſumpſêre,qui cùm Chriſti nomen plurimũ haberent in ore, longè tamẽ ab eius cõſiliis, atque inſtitutis aberant:qui laruatam quandã obtendebant Religionem,neque quiquam ſibi proponebant magis,quàm vt honorem captarent apud imperitum vulgus, aut aliquod ex nugaci illa prædicatiónẽ compendium. Aut certè,quod erat multo magis horribile,Apoſtolicum,& Chriſtianum nomen,dum ipſi ſe Apoſtolos, & Chriſtianos profitentur, ſuorum morum impuritate in odium,& inuidiam trahere moliebantur:ſicut fecêre olim Carpocratiani hęretici,qui,vt Chriſtiano nomini conflarẽt inuidiã, Chriſtianos ſeipſos appellabant,vt tradit Epiphanius hæreſi 27. Euſebius lib. 4. hiſt. c. 7. & Iuſtinus Martyr dialogo cum Tryphone. De priorib. non tam Apoſtolis, quàm pſeudoapoſtolis,eſt illud Pauli 2. Cor. 11. *Nam eiuſmodi pſeudoapoſtoli ſunt operarij ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti; & non mirum:ipſe enim Satanas trãsfigurat ſe in Angelum lucis.* De poſterioribus eſt illud ad Philip. 1. *Quidam verbum Dei annunciant per inuidiam, & contentionem:quidam non ſyncerè, exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis.* His vt occaſionem præriperet Paulus Chriſtiani nominis infamãdi,occuparétque illorum predicationem, & verſutias, ne falſa doctrina populos imbuerent, eò proficiſcebatur, vbi Chriſtus antè nominatus non erat. Sic Ambroſius in illud ad Rom. 15. [*Prædicaui Euãgelium*

Apoſtolorũ nomen ante Euãgelium.

Apoſtolorum nomen multi ſibi falsò ſumpſerunt.

gelium non vbi nominatus eſt Chriſtus.] *Non ſine cauſa,*inquit,*illic ſe prædicare niti dicit, vbi nō nominatus eſt Chriſtus, ſciens pſeudoapoſtolos aliter quàm oportebat Chriſtū tradere. Ad hoc enim circuibant,vt ſub nomine Chriſti aliis dogmatibus populum manciparent, quod poſtea corrigere maximi erat laboris. Id præuenire voluit,vt inuiolata prædicationis verba traderet audientibus.* Fuiſſe autē pſeudoapoſtolos,qui aſſumpta Religionis larua veris ſeſe opponerent Apoſtolis, docēt paſſim Doctores, ſicut etiam fuerunt pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ. Fuiſſe quoque falſa quædam Euangelia à Gelaſio, atque Innocētio damnata, in proœmio ad Apoſtolorum Acta docuimus. Hoc itaque ſignificare voluiſſe videri poteſt Innocētius,nō ab his Apoſtolis, ſeu pſeudoapoſtolis,neque ab his Euangeliis, ſeu potiùs hæreticorum commentis inſtitutam eſſe quōdam Hiſpaniam, ſed ab his qui veram, atque Apoſtolicā fidem in eam regionem inuexerūt. Hanc explicationem indicat Gloſſa in illud Innoc. III. teſtimonium,quę ſic ait. *Alius Apoſtolorū. i. contrarius.*

QVARE nō malè,credo,coniectaret,ſi quis ita exponeret,nō eſſe Euāgeliū in illis prouinciis ab aliis Apoſtolis prædicatum,quàm ab illis,qui à Chriſto inſtituti ſunt. Non ab Apoſtolis Synagogæ,aut ab aliis, qui alienæ ſtuduerūt Religioni, aut Religionis ſpecie ambitioni ſuæ, aut auaritiæ ſeruiebāt; ſed ab Apoſtolis Chriſti,qui etiam à Petro miſſi dici poſſunt, quia cùm eſſet Chriſti Vicarius,& Apoſtolorū caput,& Princeps,ab illo in prouinciarū diſtributione in alia,atq; alia loca rei Chriſtianæ gratiâ dimiſſi ſunt.

3. ET hæc ratio plenè, vt mihi videtur,Innocentij verbis,& eorum,qui contrà ſentiunt,cogitationi reſpondet:nam reuerà quotquot ad varias totius orbis prouincias abierūt, Petrus emiſit, quia ab illo tanquam à capite, atque Paſtore vniuerſali inſtructi ſunt. Quare vt Cōcilio præfuit Hieroſolymitano Petrus, vbi quod Spiritui sācto viſū eſt,ipſe decreuit,aliiſque ſeruandum Pontifex edixit;ſic puto cùm Apoſtoli Hieroſolymis cōuenerunt, vt Symbolum componerent,ſēmque Chriſtianam in datis ſibi prouinciis procurarent, iuxta illud Domini præceptum, *docete omnes gentes*,diuini Spiritus afflatu Petrum alios aliis deſtinaſſe prouinciis, vt docet (cuiuſcumque ille fidei ſit) Procorus ſtatim in principio ſuæ hiſtoriæ. Cuius imperium ſuſcepêre libenter Apoſtoli omnes, quia & ipſi magno ardebant ſtudio propagandi Euāgelij, & Chriſti Vicarium Petrū eſſe cognouerāt. Quare,vt à Petro Iacobus Hieroſolymę Epiſcopus deſignatus eſſe creditur in illa prouinciarū partitione,vt putat Chryſoſt.hom.87.in Ioannē: ſic alios aliarum partium Epiſcopos,& Doctores eſſe deſtinatos videtur nō incredibile; alioqui, niſi tanta eſſet animorum conſenſio,magna in tam graui, támq; difficili negotio futura videbatur rerū cōfuſio;cùm Apoſtolorum animi magis in hāc,quàm in illā propenderent prouinciam,& Gentium mores barbari, & truces à difficili Euangelicæ prædicationis curſu deterrerent. Verum itaque eſt à nullo fuiſſe luſtratā, & inſtitutam Hiſpaniam,Galliam,& Italiam, niſi ab eo, quem Romanæ Sedis Antiſtes Petrus cum ea cura miſiſſet. Quando Apoſtolorum nemo niſi à Petro in ſuam ſibi prouinciam, atque diœceſim deſignatus eſt.

A Petro alij Apoſtoli ad ſuas prouincias deſtinati videntur.

NEQVE ab hac lege Paulum excipio, quamuis à Chriſto ſit conſtitutus Gentium Doctor,quando Petro cōmunicare voluit Euangelium, quod ab ipſo acceperat Euangelij 4.

Paulus à Petro videtur ad varias prouincias deſtinatus.

authore, & ab illo doceri quem teneret deinceps in docendo modum. Sic Paulus ipſe indicat ad Galat. 2. *Iterum aſcēdi Hieroſolymam cum Barnaba, aſſumpto Tito: aſcendi autem ſecundùm reuelationem, & contuli cum eis Euangelium, quod prædico in Gentibus, ne fortè in vanum currerem, aut cucurriſſem.* Neque aliud ſibi voluiſſe videtur Innocentius cùm ait, nullū aut docuiſſe, aut inſtituiſſe Eccleſias, niſi quos Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituiſſent Sacerdotes, id eſt, deſtinaſſent ad docendum. Neque enim omnes, qui aut Eccleſias conſtituerunt, aut docuerunt, ordinati ſunt à Petro, aut eius ſucceſſoribus Sacerdotes. Quod exponendum eſt iuxta præcipuum, & proprium illius capitis inſtitutum, nempe ab omnibus vbicumque terrarum obſeruandum eſſe, quod traditū eſt ab Apoſtolorum Principe Petro. Quod non de ſola Gallia, Hiſpania, Italia, interiacentibúſque inſulis intelligēdum eſt; alioqui in alias prouincias nihil omnino valeret Innocentij ratio, cùm in aliis prouinciis multi docuerint, excitauerintque Eccleſias, qui tamen à Petro neque eò legati, neque conſtituti Sacerdotes fuerunt. Quòd autem Paulus Gentium Doctor conſtitutus à Deo, à Petro quoque acceperit prouincias, videtur indicare Ambroſius in illud ad Galat. 1. [*Aſcendi Hieroſolymam videre Petrum.*] *Dignum*, inquit, *fuit, vt cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apoſtolos, cui delegauerat Saluator curam Eccleſiarum: non vtique, vt aliquid ab eo diſceret, quia iam ab authore didicerat, à quo & ipſe Petrus fuerat inſtructus, ſed propter affectum Apoſtolatus, & vt ſciret Petrus hanc illi datam licentiam, quam & ipſe acceperat.* Quo cum poſtea, vt diximus, contulit quod à Chriſto ſuſceperat Euangelium. Dum ergo Paulus ne fruſtra cucurriſſet antea, aut poſtea curreret, Euangelium cum Petro confert, ab illo videtur informari, licèt priùs eſſet doctus à Chriſto, à quo etiamſi Doctor Gentium eſſet conſtitutus, à Petro tamen (vt videtur Ambroſius indicare, vtpote cui Saluator Eccleſiarū curam delegauerat) aſſignari ſibi prouincias voluit, quas Euangelica luce luſtraret. Neque hic loquēdi modus alienus eſt à Scriptura ſacra, quæ id facere aliquem ſignificat, qui faciendum declarat, licèt eius rei alter ſit author, & dux. Quo mōdo Iſaias excæcaturus dicitur Iudæorum oculos, & aures aggrauaturus, quia excæcandos oculos, & aggrauandas aures fore denunciat. Quo loco nos in hanc ſententiam pluribus. Habemus in ipſo Paulo exemplum ad manum: nam cùm Deus Actor. cap. 13. ſtatuiſſet, vt ex Antiochia Paulus, & Barnabas aliò proficiſcerentur, tamen ab his, qui cum Paulo erant Antiochiæ, ſegregati dicuntur & dimiſſi. *Erant autem in Eccleſia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ, & Doctores,* &c. *Miniſtrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus dixit Spiritus ſanctus. Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos. Tunc ieiunantes, & orantes, imponēteſque eis manus dimiſerunt illos.* Quòd ſi ab his, qui longè Petro erant inferiores, miſſi dicuntur, qui à Domino deſtinati erant Paulus, & Barnabas, quanto magis à Petro tam Paulus, quàm alij Apoſtoli, quibus à Deo prouinciæ commendatæ dicuntur, in ſuas ſibi Eccleſias, aut regiones dicentur eſſe legati?

Hæc mihi ratio ſatis apta videtur, 5.
& inſtituto illius capitis, & verbis Pontificis: nam ſi eo, quem diximus modo,

Digitized by Google

modo, Apoſtoli omnes à Petro miſſi ſunt in prouinciarum diuiſione, & in componendo Symbolo, quod forma quædam fuit tenendæ, atque prædicandæ fidei, rationem, & modum euangelizandi receperunt, cur non omnes Apoſtolos, & inſtructos à Petro, & in ſuam quéque regionem dimiſſos eſſe fateamur? Facit ad hæc, quòd cùm eò ſpectet totum illud caput. *Quis neſciat*; vt probet ab omnibus ſeruari debere quod Romana ſeruat Eccleſia; neque aptè, neque legitimè concluderet Pontifex, ſi propterea quòd Hiſpaniam, Galliam, &c. non ab aliis, quàm à Romana Sede doctrinam acceperunt, alias ſimiliter prouincias eſſe non ab aliis, quàm à Petro, Petriſque ſucceſſoribus inſtitutas. Puto ergo exempli gratiâ poſitas eſſe Hiſpaniam, Galliam, Africam, &c. & omiſſum eſſe illud Logicis familiare; *& in cæteris ſimili modo*: neque aliter de Aſia, Achaia, Æthiopia, quàm de Hiſpania, & Gallia eſſe iudicandum, quas nemo dubitat à Ioanne, Andrea, & Thoma Euangelium accepiſſe. Quòd ſi cum Gloſſa ſic interpretêre, *alius Apoſtolorum, id eſt, contrarius*, qui videlicet contrà ſenſerit, ac docuerit, quàm Romana ſeruat Eccleſia, nihil eſt quòd in huius loci explicatione amplius laboremus.

6. Cvr de Hiſpania potiùs, Italia, & Gallia, Africa, & Sicilia, interiacentibúſque inſulis locutus ſit Innocentius, ratio in promptu eſt: quia ad Decentium Epiſcopum Eugubinum ſcribebat, cui, cùm Italus eſſet, non videbatur ignotum eſſe, quid in tam graui, ac celebri cauſa proximis regionibus contigiſſet. Quare ab aliis prouinciis commemorandis abſtinuit, quia longum eſſet percenſere ſingulas, neque exploratū Epiſcopo Eugubino, in quem quiſque locum miſſi à Petro Sacerdotes, aut Apoſtoli fuerint.

Adde quòd durum eſſet, ſi aliter hunc locum exponamus, vnius tantùm Pontificis authoritate, vbi nihil definit, conuelli plurima, quæ confirmarunt & antiqua traditio, & plurimorum, & in his aliquorum etiam Pontificum teſtimonia: nam ſi in Hiſpania, Gallia, Italia, Africa nullus Apoſtolorum aut docuit, aut excitauit Eccleſias, quid ſtatuemus de Paulo, quem in Hiſpaniam aliquando veniſſe communis tenet ſcriptorum pene omnium, & Sanctorum conſenſio, quos nos ad Actorum finem latiùs oſtendimus? 7.
Vnum adducam Gregorium lib. 31. Moral. cap. 31. vt Pontificiæ authoritati authoritatem item Pontificiā opponam. *Ecce* (inquit) *ipſe quem ad teſtimonium iam ſæpe deduximus, Paulus cùm nunc Iudæam, nunc Corinthum, nunc Epheſum, nunc Romam, nunc Hiſpaniam peteret, vt in peccati morte iacentibus æterna vitæ gratiam nunciaret, quid ſe aliud, quàm eſſe aquilam demonſtrauit?* Neque Baronium ab eadem ſententia deduxêre datæ ad Decentium Innocentij literæ, qui de Paulo cum aliis ſentit, probátque multis 1. tom. Annal. anno Christi 61. & in Martyrologio, in quo idipſum tradit ad diem 22. Mart.

8. *Sergius Galliæ Doctor: nè Creſcens.*

De Gallia docet Romanum Martyrologium ad diem 22. Martij, vbi refert traditionem eſſe, Sergium Paulum à Paulo Apoſtolo iā antè conuerſum, relictum eſſe ab eodem cum Epiſcopali dignitate Narbone, quo tempore proficiſcebatur in Hiſpaniam. Idem de Creſcente Pauli diſcipulo ſentit Epi-

Digitized by Google

phanius hæreſi 51. qui & ibidem de Luca Pauli comite tradit tam in Gallia, quàm in Italia prædicaſſe. De Creſcente idem, quod Epiphanius, tradit Romanum Martyrologium, item Adonis, Vſuardi, & Bedæ ad diem 27. Iunij. Vide ibi Baroniũ in Annotationibus.

9. Barnabas Italiæ Apoſtolus. De Italia res eſt minùs controuerſa: ferè nemo enim eſt, qui neget Barnabam in Liguriam veniſſe, ac Mediolanenſis Eccleſiæ prima ieciſſe fundamenta. Docet certè Baronius verbis vſque adeò claris, ac ſignificantibus, vt nemini relinquat ambigendi locum. *Verùm ipſum* (inquit) *in Italiam veniſſe, & in Liguria prædicaſſe Euangelium, nobiliſſimamq; Mediolanenſium Eccleſiam erexiſſe; longè, lateq; Chriſti fidem feliciter propagaſſe firma traditiones, eiuſdemq; Eccleſiæ monumenta complurium ſcriptorum monumentis confirmata fidem certam, atque indubitatam faciunt.* Idem cenſet in Annotationibus ad Martyrologium ad diem 25. Septembris, vbi Anathalon in Mediolanenſis Eccleſiæ adminiſtratione ſucceſſiſſe dicitur Barnabæ; vbi de S. Anathalone antiquum recitat Epigramma, quod in lapidem incidit S. Mirocles, qui non longè fuit ab Apoſtolico ſæculo.

10. Simon Africæ Doctor. Neqve Africæ defuerunt ex aureo illo Apoſtolorum ſæculo, qui lucem inuexerint Euangelicam: vt enim Dorotheus in Synopſi, & Nicephorus lib. 2. cap. 40. docent, quorum ſententiæ Græcorum menologium ſubſcribit, vt tradit Baronius in Annot. ad Martyrologium die 28. Octobris, & 1. tomo Annal. anno Chriſti 44. Simon Apoſtolus Euangelium prædicauit Africanis: & co videntur inclinare Auguſtinus de vnitate Eccleſiæ cap. 15. Saluianus de prouidentia Dei lib. 7. qui contra Donatiſtas, qui ſe primos in Africã veniſſe cõtendebant, dicunt Africã ab Apoſtolis primùm Euangelicam ſumpſiſſe doctrinam.

11. In inſulis quoque fuerunt Apoſtoli. De inſulis interiacentibus, quas Innocentij literæ ab alio quàm à Petro fidem accepiſſe negant, ipſe quoque Baronius idem, quod de ceteris modò prouinciis fatetur. Nam Melitæ, quæ vna eſt interiacentium inſularum, præpoſitum à Paulo dicit, cum Epiſcopali authoritate Publium, quem dum ſubſiſtere in ea inſula cogitur, à morbo liberauit. Quòd ſi Cyprus, & Creta ad has interiacentes inſulas ſpectãt; certum eſt ibi à Paulo annunciatum Euangelium; & quidem Cretæ Titum cum Epiſcopali poteſtate præpoſuit. Ad Titum cap. 1. *Huius rei gratiâ reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per ciuitates presbyteros.* Cyprum verò totam Apoſtolus ipſe cum Barnaba docendo luſtrauit. Act. 13. Vt ergo hæc plerique illorum, qui cauſam oppugnant Hiſpanicam, admittunt; ſic etiam iidem ſine vlla offenſæ Religionis, aut violatæ hiſtoricæ fidei ſuſpicione admittere potuiſſent, veniſſe in Hiſpaniam Iacobum, & ab eo gentem noſtram prima ſuſcepiſſe Euãgelij ſemina: cũ res ſit & teſtata magis ab his, quibus doctrina, & ſanctitas fidem concilianr, quæ omni calumnia deberet eſſe longè ſuperior, & omnium ſæculorum continenti pene traditione firmata. Neque enim video cur propter Innocentij authoritatem cùm alias admittant prouincias Apoſtolica illuſtratas prædicatione, Hiſpaniam excludant.

* * *

CAP.

CAP. II.

In quo ſoluitur obiectio ex teſtimonio Gregor. VII. & oſtenditur ante ſeptem Epiſcoporum ingreſſum annunciatam eſſe fidem in Hiſpania.

1. Gregor. VII. teſtimonium.

ALIVD nobis opponit teſtimonium non huic valdè diſſimile Baronius tom. 9. anno Chriſti 816. ex Gregor. VII. ad Hiſpaniarum Reges Alfonſum, & Sanctium lib. 1. epiſtol. 64. *Cùm Beatus*, inquit, *Apoſtolus Paulus Hiſpaniam ſe adiuſſe ſignificet, ac poſtea ſeptem Epiſcopos ab vrbe Romana ad inſtruendos Hiſpaniæ populos à Petro, & Paulo Apoſtolis directos fuiſſe, qui deſtructa idololatria Chriſtianitatem fundauerunt, Religionem plantauerunt, & Officium in diuinis cultibus agendis oſtenderunt, etiam ſanctas Eccleſias ſuo ſanguine dedicauêre; veſtra diligentia non ignorat*. Et paulo pòſt. *Vnde enim non dubitatis vos ſuſcepiſſe Religionis exordium, reſtat etiam vt inde recipiatis in Eccleſiaſtico ordine diuinum Officium*. Hæc verba tantùm ſignificant miſſos à Petro ab vrbe Romana ſeptem Epiſcopos, qui primis Eccleſiæ temporibus Hiſpaniam inſtituerent; non negant priùs, aut eodem tempore alios quoque eòdem Euágelij gratiâ fuiſſe profectos. Neque incommodât quòd Religionis exordiũ aſcribendũ eſſe dicatur aut Paulo in Hiſpaniam ingreſſo, aut illis qui à Petro ex vrbe miſſi eſſe dicuntur. Eſt enim vſitatum tã in prophana, quàm in ſacra literatura, vt quę parum à principio diſtant, principium, & quæ parum à primis, prima eſſe cenſeantur, & vocentur: & generatim quæ parum à loco aliquo diſtant, in eo eſſe loco, & quæ à perfecto aliquo numero abſunt, numerum illum cõplerę exiſtimentur. De tempore vnum, aut alterum exemplum adducam, ab innumeris aliis commemorãdis abſtineo. Multa facta dicuntur, quãdo filij Iſraël egreſſi ſunt de Ægypto, id eſt, vt verba ipſa ſonant, in ipſo libertatis, aut peregrinationis exordio, quæ tamen aliquot poſt hæc non ſolùm diebus, ſed menſibus contigêre. Exod. cap. 16. numero 32. datum dicitur eſſe manna, quando educti ſunt Hebræi ex Ægypto, & tamen datum eſt die 16. menſis ſecundi, id eſt, poſt menſem ab egreſſu: & lex data ſcribitur Deut. 4. & Leuit. 26. & 3. Reg. cap. 8. quando egreſſi ſunt de terra Ægypti; & tamẽ datam eſſe cõſtat quinquageſima ab egreſſione die. Cùm autem Gregorius VII. ad Hiſpaniæ Reges literas daret anno Chriſti 1074. quid mirum, ſi in primordio Euangelicæ prædicationis legati dicantur in Hiſpaniam ſeptem Epiſcopi, quando non longè antè Iacobi præceſſerat aduentus?

Regul. Quæ parũ à principio diſtãt, in principio facta dicũtur.

ADDE quòd ex ea prędicatione, vt nonnulli putant, exiguum fructũ retulit Iacobus, propter durum illius gentis ingeniũ, & ad Euangelij diſciplinam indocile. Quare cùm ad hominum ſenſum, quæ pauca ſunt, pro nullis, quæ exigua perinde ac ſi non eſſent, cenſeri ſoleant, iure Euãgelicæ prędicationis primordia miſſis à Petro Doctoribus adſcribi poſſunt; & quæ ibi poſt Iacobi aduentũ excitatæ ſunt Eccleſiæ; quia earum exigua priùs fundamenta iacta, ſicut à filiis Iſraël ædificata dicitur Rameſſes Exodi capite 1. cùm tamen ante illud tempus ædificata dicatur Geneſeos 49. & iuxta tranſlationem Septuaginta, 2.

2. Reg. Is author dicitur rei alicuius, qui inceptã ab alio amplificauit.

ab

ab iiſdem ibidem dicatur Heliopolis conſtructa,cùm ante Iſraëlitarũ ingreſſum in Ægyptum Geneſ. 41. Heliopoleos Sacerdos eſſe dicatur Putiphar; ædificatæ tamen ab Iſraële narrantur, quia ex exigua, atque informi mole ad ingentem amplitudinem Iſraëlitarum opera productæ ſunt. Exemplum & in humanis habemus illuſtre,vtpote in vrbe Romana,vbi prima ſedes eſt, & Eccleſiæ caput:nam cùm primùm eſſet ab Euãdro ædificari cœpta, quia tamen ex rudi,atque exigua amplam, & nobilem fecit Romulus, eius vrbis molitor,& auctor, non tam appellatur Euander,qui primus, quàm Romulus,qui poſt illum multa poſt tempora molitionem promouit.De quo Virgil.lib.8.Æneid.

Tunc Rex Euandrus Romana conditor arcis.

Et cùm ante Nabuchodonoſoris Imperium in molem planè inſanam,atque ſuperbam eſſet ædificata Babylon, ſiue à Nemrod, vt videtur docere Moyſes Geneſ. 10. vbi ita de illo. *Fuit autem principium Regni eius Babylon:* ſiue à Semiramide, vt eſt communis Græcorum, Latinorúmque ſententia;quia tamen illam Nabuchodonoſor ornauit, atque amplificauit plurimùm,ædificatam à ſe prædicat Babylonem. Dan. cap.4. *Nonne hæc eſt Babylon ciuitas magna,quam ego ædificaui?* Sic ergo inducta dici poteſt à Petro, eiúſque ſucceſſoribus in Hiſpaniam Religio,& Eccleſiæ excitatæ,quia Eccleſiam,quam antè Iacobus puſillã, & quaſi informem reliquit,ipſi poſtea maiorem in modum amplificarunt, & ornarunt.

Septẽ Epiſcopi in Hiſpaniã miſſi diſcipuli fuere Iacobi.

Qvomodo verò ſeptem illi Epiſcopi diſcipuli Iacobi fuerint, & in Hiſpania conuerſi, diximus hoc tractatu cap.6. & tractatu 2. c. 9.vbi explicuimus clauſulam de Iacobo, quam in Breuiario nuper reformato addidit Clemens VIII. Qui apertè docet ex iis,quos in Hiſpania Iacobus vocauit ad fidem, ſeptem Epiſcopos ordinatos fuiſſe à Petro,& in Hiſpaniã miſſos.Quòd verò hi primi Euangelij gratiã Hiſpaniam non adierint, ſuadent illa Martyrologia, in quibus Epiſcopi illi veniſſe dicuntur *in Hiſpaniam Gentilium adhuc erroribus implicatam.* Vbi pondero illud *tunc adhuc*, quod ex vſu Latini ſermonis ſignificat aliquam præceſſiſſe operam in eo, quod tunc adhuc indigere exiſtimatur alterius ſtudio,atque labore; vt, *aſſumpſi diſcipulum tunc adhuc rudem*,id eſt,qui non ſatis aliorum diſciplina erat inſtructus.Ita legit Beda, Vſuardus,& Addo in Martyrologiis, & Martyrologium Lugdunenſe, vt tradit Ioannes Boſcus in Bibliotheca Floriacenſi; & Hieronymus apud Calixtum II. niſi quòd illud *tunc* non addidit;tantùm enim dixit, *Gentilium adhuc erroribus implicatam.* Sed eſt idem ſenſus, licèt non adeò explicitus.Quare non dubium eſt quin illa Martyrologia, quæ publicam obtinent fidem, id eſt, grauiſſimam,doceant ante illorum Epiſcoporum ingreſſum cœptã eſſe in Hiſpania Gentilium conuerſionem. Quòd ſi opus illud, quod ex Bibliotheca Floriacenſi Ioannes Boſcus adducit, aliquam mereretur fidem, res eſſet pro Hiſpanorum cauſa magis expedita. Nam quo tempore primi illi Epiſcopi ingreſſi dicuntur in Hiſpaniã, cogniti traduntur vt Chriſtiani, quia iam per totum mundum Chriſti nomen diffuſum erat;neque Rex Chriſtianos cognoſceret,niſi aliqua ibidem haberent Chriſtianæ Religionis documenta, & ſigna; ſed quàm

Digitized by Google

quàm illud opus, contrà quàm Boſcus putat, indignum ſit fide, inferiùs pluribus oſtendemus.

CAP. III.

De diſceptatione Toletani Archiepiſcopi cum Compoſtellano.

1\. **Roderici Toletani cum Cõpoſtellano qualis diſceptatio.**

TERTIA ratio eiuſmodi Baronio viſa eſt, vt ipſius animum in ſuſcepta iam antè cogitatione firmauerit; quam latè expendit; & amplificat eodem, quo ſuperiorem loco, anno ſcilicet Chriſti 816. Cùm enim Compoſtellanus Epiſcopus de Primatu cum Toletano contenderet; *Declamata* (inquit) *res eſt ab ipſo Compoſtellano Epiſcopo in plena Synodo, in magno illo Concilio Lateranenſi quadringentorum octoginta trium Epiſcoporum, vendicante ſibi ius non parendi Archiepiſcopo Toletano, eo quòd Compoſtellana Eccleſia eſſet ſuper omnes Hiſpaniarum Eccleſias; duplici ratione, vt aiebat, tum quia S. Iacobus ibi quieſcat corpore, tum etiam quòd in Hiſpania prædicauerit Euangelium. Sed aduerſantem ſibi acerrimè expertus eſt Rodericum Ximenium Archiepiſcopum Toletanum in plena Synodo, coram ipſo præſidente Romano Pontifice Innocentio III. iſta locutum poſt alia de corpore Apoſtoli ibidem collocato.*

SI, inquit, inducat etiam Compoſtellanus Antiſtes, ſcilicet primam diuini verbi promulgationem, & plurimorum conuerſionem ad fidem Chriſti in Hiſpania per Iacobum Apoſtolum factam, qui diuinam paginam nouerunt, teſtimonium perhibeant. Ego tantùm legi datam ei fuiſſe poteſtatem prædicandi in Hiſpania, ſed interim

G. Sanctij diſp. de aduent. Iac. in Hiſp.

dum per Iudæam, & Samariam diuinam legem ſeminaret, ſub Herode Hieroſolymis truncato capite exhalauit animam, & Domino reddidit. Quomodo ergo ibi prædicauit, qui nondum ingreſſus eſt? Hæc Rodericus, qui ſtatim addit de Iacobi in Hiſpaniam aduentu, paucorúmque inibi conuerſione audiiſſe ſe aliquid à quibuſdã ſanctis Monialib. & Religioſis viduis in primis ætatis ſuæ annis; ac ſi dicat anilem eſſe fabulam, & rumorem è tonſtrina collectum. Ad quæ nihil reſpondiſſe dicitur Compoſtellanus, cùm tamen imparatum in eam contentionem veniſſe non ſit credibile. Ex eo Compoſtellani Præſulis ſilentio ſibi perſuaſit Baronius laborare maximè Hiſpanorum cauſam, & eſſe incerta quæ de Calixto retinet, & prædicat Hiſpania. Nos hæc paulo iam accuratiùs expendamus.

DVO nobis hoc loco præſtanda ſunt. Primum, vnde ſumpta ſint quæ in Lateranenſi Concilio inter duos illuſtriſſimos Hiſpaniæ Præſules diſceptata narrantur, & quanta illius hiſtoriæ, ſeu monumenti fides. Secundum, an hæc à Roderico Toletano Antiſtite dicta fuiſſe exiſtimari poſſint. Quibus explicatis conſtabit facilè quàm ſit infirma ratio; quàm languida vis, quæ Baronium à priori cogitatione deduxit.

QVOD ad primum attinet, hæc quæ Baronio adeò viſa ſunt grauia, vt ſubſiſtere primùm coëgerint, ac tandem damnare quæ in Annotationibus ad Martyrologium antè probauerat, ſumpta ſunt ex manuſcripto quodam codice, qui in Toletanæ Eccleſiæ Bibliotheca ſeruatur, cui nulla ineſt publica, atque legitima fides, quæ 2.

Leuis authoritas codicis, quē euulgauit Garſias Loayſa.

illum à ſuſpicione vindicet leuitatis; imò qui, vt cuilibet mediocriter attento facilè conſtabit, illa cōtinet, quæ minùs videntur cum tempore, ao loco, aut etiam cū rerum, quæ tractantur, natura conſentire. Et primùm hæ literæ, quæ apud eos ſeruantur, quibus cum aliis controuerſia eſt, ſi aliena authoritate, id eſt, eius qui in ea cauſa iudex eſſe legitimè potuit, conſignatæ non ſint, fidem facere nulla ratione debent. At his literis neque ab eiuſmodi fide vllum pondus ineſt, neque quicquam habent, quo ſuam ſibi fidem aliis aut oſtendāt, aut probent. Neque ibi de ſcriptore conſtat; conſtaret vtinam, forſitan illius aut nomen, aut leuitas, quo loco habenda eſſent illa manu ſcripta monumēta, docuiſſent. Mitto alia; illud præterire non poſſum, quod in ſcriptis illis primum occurrit; ex quo tanquam ex facie coniectare licebit illorum ſcriptorum indolem, & mores. *Anno* (inquit) *Domini ducenteſimo ſupra milleſimum*, 15. *die menſis Nouembris celebrata eſt ſancta, & vniuerſalis Synodus Romæ in Eccleſia Sancti Saluatoris, præſidente Domino Innocentio Papa III.* Ex hoc tanquam ex proprio charactere de cæteris coniecturam facito. Conſtat Concilium illud coactum eſſe Pontificatus Innocentij anno 18. id eſt, anno Domini 1215. Anno verò 1200. quem ſcriptor ille, quicumque eſt, Synodo aſſignat Lateranenſi, nondum erat Rodericus Eccleſiæ Toletanæ conſtitutus Antiſtes: ſic enim de illo Mariana libro 11. capite 21. *Conſequens annus 1208. multorum Principum funeribus nobilis fuit. Menſis Auguſti die 28. Martinus Præſul Toletanus obiit: ſucceſſit Rodericus Semenus domo Vaſco.* Ex quo apparet quàm eſſet Eccleſiaſticæ, atque Toletanæ hiſtoriæ ignorans, quicumque fuit, qui illa ſiue monumenta, ſiue commenta concinnauit. Quòd ſi illius manu ſcripti codicis finem inſpicias, & ad initium referas, id eſt, ſi pedes cum capite componas (ſi tamen pedes habet, & caput) inuenies quàm fœdo, atque infantili errore ſibi contradicat: cùm enim principio dixiſſet anno 1200. decima die Nouembris celebratum eſſe Lateranenſe Concilium, in fine tamen concludit, peracta fuiſſe illa, de quibus ſuprà anno 1215. octauo Idus Octobris. Sanè verum eſt illud; *Mendacem memorem eſſe oportere.* En fides, en authoritas, quæ, ſi Deo placet, communem Hiſpaniæ cauſā oppugnat.

Grauis error in eo codice.

3. Qvod ſi Compoſtellana cauſa tam acriter in ea Synodo diſceptata eſt, cur in eius Actis neque vllum apparet illius ſiue cauſæ, ſiue controuerſiæ veſtigium? Si Toletanus Præſul extitit in ea diſceptatione ſuperior, ſi quod de primatu contēdebat, obtinuit, vt ſcripta ipſa docent, cur tantum de re tanta in ea Synodo ſilentium? Sanè locus huic Toletanæ cauſæ fuiſſet non importunus in illius Synodi capite 5. vbi de Patriarchalium ſedium dignitate, atque ordine decernitur. Quare prudenter mihi feciſſe videntur, qui hactenus ſcripta illa potiùs latere voluerunt in tenebris, quàm in publicam lucem, & hominum iudicium euocari; quia videbant illis nullam ineſſe fidem, imò grauiſſimam Toletanæ cauſæ in Hiſpaniarum Regnis de principe loco controuerſiam, à dubia illorum ſcriptorum fide debilitari plurimùm.

De

De horum ſcriptorum authoritate ſatis dixiſſe videor, relinquo plurima, quæ quàm ſint grauia, facilè ex his, quæ dicta ſunt, quiuis exiſtimare poterit. Accedo iam ad ea, quæ in Lateranenſi Concilio à Roderico contra Sanctium Compoſtellanum Antiſtitem declamata ſunt. Et primùm non diſputo an illi Concilio Compoſtellanus Præſul interfuerit, quod nonnulli negant: omitto, quod alij ſatis probabile putant, ipſum Rodericum non obiiſſe, neque obire potuiſſe conuentus illos Lateranenſes. Tantùm dicam, quæ in illo Concilio à Toletano Præſule dicta commemorantur in Compoſtellana cauſa; quæ ſanè in tanti viri prudentiam, atque modeſtiam minimè conueniunt.

4. Multa eo dextradit indigna Roderico. Qvis credat dixiſſe Rodericum in eo tot Patrum conuentu audiiſſe ſe primis ætatis ſuæ annis à Monialibus quibuſdam, & Religioſis viduis de Iacobi in Hiſpaniarum Regno prædicatione, quaſi iam grandior ad illud vſque Lateranenſe tempus nihil audiiſſet? An ignorare poterat vir ille ſapientiſſimus in Hiſpaniarum Eccleſiis hoc quotannis recoli? An erat neſcius in Toletano templo Breuiarium eſſe Mozarabum, quod recitaretur quotidie; cuius authoritatem, & ſanctitatem illuſtri confirmatam eſſe miraculo ipſe docuit lib. 6. hiſtor. cap. 26. An id viro tanto exciderat eo diſceptationis articulo de memoria, quam vſqueadeò in illis ſcriptis traditur habuiſſe felicem, vt cum ingenti omnium admiratione, atque ſtupore ad varios, qui ad illos Lateranenſes conuentus vndecumque confluxerant, ſuo ad vnamquamque nationem idiomate concionatus ſit? Sanè anilis non erat, aut leuis authoritas Iſidori, in cuius ſcriptis non potuit non legiſſe vir eruditiſſimus, quod ſe audiiſſe negat; aut Breuiarij Mozarabi, quod ſciebat ab Iſidoro fuiſſe compoſitum, vbi apertum eſt de Iacobi in Hiſpaniam aduentu teſtimonium. Quod item Breuiarium Toletanum, quod tunc erat in vſu, confirmat. Nam licèt in prima lectione dicat tantùm datam ei poteſtatem fuiſſe prædicandi in Hiſpania, quò reſpexit ille, qui manu ſcriptos illos Commentarios ſcripſit, tamen in Reſponſ. lectionis ſeptimæ ita loquitur apertè de Iacobi prædicatione, vt nemo vnquam locutus eſſe videatur illuſtriùs. *Adeſt nobis valdè luculenta dies excellentiſſimi Apoſtoli Iacobi, per cuius ſaluberrimam prædicationem plebs totius Hiſpaniæ ſuum cœpit agnoſcere Redemptorem.*

Qværit ibi Rodericus quo Scripturæ ſacræ loco conſtet in Hiſpaniam Iacobum eſſe profectum; 5.
quaſi ad illud neceſſaria futura fuerit diuina fides, & non ſufficeret, quę minor eſſet quàm diuina. Certè, ſi diuinum appellandum eſſet teſtimonium, multa, quæ vt certa complexa eſt, & tanquam certa retinet, & veneratur Eccleſia, in dubium vocari, atque adeò ex fidelium vſu aboleri debuiſſent. Et quæ de Iacobo quærit Rodericus, idem de Apoſtolorum pleriſque quærere, & diſceptare poſſet: in omnes enim valet illa ratio; *qui diuinam paginam nouerint, teſtimonium perhibeant.* Quis enim diuinæ paginæ teſtimonio confirmet veniſſe Philippũ in Phrygiam, Andreã in Achaiã, aut Petrum fuiſſe Romę, ibíque ſtabilem cõſtituiſſe Cathedram? At hęc omnia certa ſunt, quæq; in Eccleſia frequenter audimus: neque, credo,

hæc negaret Rodericus, etiamſi ſacræ paginæ non firmaret authoritas.

6. ILLVD magis mirandum quod è ſacra pagina ſe didiciſſe refert Rodericus, datam fuiſſe Iacobo poteſtatem Euangelicæ prædicationis in Hiſpania, immatura tamen morte eò veniendi facultatem eſſe ſublatam. Quòd hoc poſterius habere ſe è diuina fide ſignificet, ex eo liquet, quia proximè antecceſſerat ſacræ paginæ fides, quam de Iacobi aduentu Compoſtellanæ cauſæ vindicibus requirebat. *Si inducat Compoſtellanus primam diuini verbi promulgationem, & plurimorum conuerſionem ad fidem Chriſti in Hiſpania, qui diuinam paginam nouerunt, teſtimonium perhibeant. Ego tantum legi* (nempe in diuina pagina) *datam ei fuiſſe poteſtatem prædicandi in Hiſpania, ſed interim cùm per Iudæam, & Samariam diuinam legem ſeminaret, Hieroſolymis ſub Herode truncato capite exhalauit animam, & Domino reddidit.* Hæc Rodericus. Quæ virum ſanè tantum in tam graui literatorum conſeſſu,qui probè norant quid proditum eſſet in Apoſtolicis Actis, dixiſſe perſuadere mihi nunquam potui. Quòd ſi,quod dat,accipimus,datam nimirum ſorte Hiſpaniam Iacobo,quod reliquum eſt, facilè hinc efficitur: conſtat enim ex his, quæ principio diximus, ſatis fuiſſe ſpatij,vt venire in Hiſpaniam potuerit, atque ibi perdiu commorari. Neque verò quiuis adducetur, vt credat irritam eſſe ſortè illam,& viuã,quæ Hiſpaniam deſtinauit Iacobo, cùm illa prouinciarum diſtributio non humano conſilio, quod ſæpe in deliberando fallitur, facta ſit, ſed afflatu diuino; imò, vt nonnulli volunt, & Iacobus ipſe Ramiro Regi, vt antea diximus, ſignificauit, ab ipſo Chriſto.

QVOD igitur attinet ad hanc Compoſtellanam controuerſiam, primùm mihi videtur, quod aliis etiam valdè probari video, diſceptationem illam confictam eſſe ab aliquo, qui gratiæ plus dedit, quam inire voluit ab Eccleſia Toletana, quàm veritati, aut hiſtoricæ fidei: aut ſcriptam ab aliquo ex eorũ numero, quorum in vrbe Romana magnus eſt, qui rumores colligunt è foro, & triuiis; quos deinde variè in alias, atque alias prouincias diſſeminant. Deinde, ſi verba ſint Roderici,dicta fuiſſe, non quòd ita ſentiret,ſed quòd in eo certandi genere licere ſibi exiſtimauit, quod aliis, qui ad Iudices agunt; qui ne cauſa, quam in iudicio ſuſtinent, ignominioſè cadant, multa ſe neſcire ſimulant, multa confingunt, quæ deinde Iudices ſeueriùs expendunt. In illis autem ſcriptis non dictum eſt,quid Iudices ſenſerint, ſed tãtùm quid Toletanæ cauſæ patronus declamarit; quæ vſque adeò Garſiæ Loayſæ, qui manu ſcriptos hoſce Commentarios euulgauit,leuia viſa ſunt, vt planè contra illorum fidem in margine notauerit ad verba nuper citata ex Roderico. *Beatus Iacobus Apoſtolus filius Zebedæi in Hiſpaniam venit, & ibi prædicauit Chriſti Euangelium, & in tota prouincia nouem tantum ad fidem aſſerunt conuertiſſe. Verùm B. Calixtus Papa in epiſtola tranſlationis ipſius dicit illum plures feciſſe diſcipulos; ſed duodecim habuiſſe ſpeciales, quorum nouem, dum adhuc viueret, in Galleciam elegiſſe.* Hæc Loyſa tunc in Eccleſia Toletana Archidiaconus; 7.

conus; pòſt verò Eccleſiæ eiuſdem Archiepiſcopus. Alia ſunt in illis anonymis Commentariis quæ obtinuiſſe dicitur in eo Concilio Rodericus, quæ eiuſmodi ſunt, vt illorum non videatur excidere potuiſſe memoria, quæ ad Eccleſiæ Toletanæ, & ad ipſius Roderici nomen maximè pertinerēt. Quæ cùm tantùm in illis Commentariis reperiantur, prudens quiſque ſapienter coniectabit, in illis aut omnia, aut pleraque fuiſſe confiſta.

QVOCVMQVE modo Commentarios hoſce manu ſcriptos accipias, aut eorum ſenſum interpretêre, planè mirandum eſt tantùm apud Baronium habuiſſe momenti, vt illā cogitationem excuſſerint, quam in Annotationibus ad Martyrologium antè probauerat; cùm eidem, qui in lucem euulgandos curauit, ita illorum viſa fuerit leuis authoritas, vt contrarium omnino verbis apertiſſimis affirmet; quaſi emendare velit, quod in Commentariis illis falſum eſſe ſciebat. Quod annuente Eccleſia tota Toletana factum eſſe puto; quæ non pateretur euulgari, quod è dignitate ſua fore non putabat, niſi additum eſſet id quod cum Loayſa ipſa quoque ſentiret. Neque Loayſa annotationem illam addidiſſet ad marginem, quæ partim illam Commentariorum de Iacobo Hiſpanorum Apoſtolo funditùs euerteret, niſi Toletanæ Eccleſiæ, cuius maximè intererat, acceſſiſſet conſenſus.

DEBERET autem Baronius cogitare, ab his, qui iudiciali more cauſas agunt ſimulari multa, diſſimulari alia; neque eius generis eſſe, quæ dicuntur omnia, vt illis à quo quam haberi fides aut debeat, aut poſſit. Quòd ſi, quo erat ingenio acuto, & ad eruendam veritatem ex vetuſtis Annalibus ſolerti, paulo accuratiùs, vt in aliis ſoler, perſcrutari voluiſſet, anonymis hiſce Commentariis quantùm ineſſet fidei, inueniſſet profectò, quod latere non poterat, quia in ipſa ſtatim illorum fronte, aliquid quod cum eo, quod de Lateranenſis Concilij tempore ab omnibus proditur, apertè pugnaret. Dicunt enim coactum eſſe Lateranenſe Concilium anno Domini 1200. die 15. menſis Nouembris; at alij omnes anno Innocentij 18. id eſt, anno Chriſti 1218. Vnde ſaltem addubitare inciperet de illorum fide, & ſuum plus ſatis incitatum in opinando iudicium moderari.

DIXI hæc paulo, quàm inſtitueram, longiùs, quia ex ea diſceptatione Toletani Præſulis cum Compoſtellano plurimùm acceſſiſſe ſuæ cogitationi momenti iudicabat Baronius, quæ res multos, vt audio, aut in Baronij cogitationem induxit, qui contrà ſentiebant, aut in illa, quam iam priùs imbiberant, confirmauit. Quod, credo, Toletanæ Eccleſiæ offenſioni non erit, quæ ad grauiſſimam de Hiſpaniarum primatu controuerſiam illorum ſcriptorum authoritate non indiget, cùm aliis ſe rationibus, ac firmamētis contra aliarum Eccleſiarum contentionem munierit: neque illa aliter, vt audio, aut ſentiat, aut loquatur, quàm Loayſa, cuius ore in Annotatione marginali quid probat, aut velit teſtatum eſſe voluerit. Sanè non minùs acriter, ac ſtudioſè pro communi Hiſpanorum cauſa laborat, & pugnat, quàm quicumque alius conuentus, aut ordo; adeò in communi re priuatæ commoditati non ſeruit.

* * *

CAP. IV.

Solvitur obiectio ex cap. 15. Epiſt. ad Romanos.

1. Reſpõſio ad locum Pauli ad Rom.c.15 OBIICIVNT alij illud ad Rom.cap.15. num. 19. *Ita vt à Ieruſalem per circuitum vſque ad Illyricum repleuerim Euangelium Chriſti. Sic autem prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem.* Nam cùm Paulus in Hiſpaniam venerit, vt docent frequenter Patres, & vt paulo antè diximus, Gregorius VII. epiſtola ad Hiſpaniarum Reges, ſi ſupra alienum fundamentum non ædificauit, ſed tantùm docuit, vbi Chriſtus nominatus antè non fuerat, effici videtur in Hiſpaniam non veniſſe Iacobum, quandoquidem quo tempore in Hiſpaniam Paulus ingreſſus eſt, id eſt, multo poſt Iacobi cædem, in ea Chriſtus nominatus non erat, aut iactum primum Euangelij fundamentum. Et iuxta hæc Ambroſius in illud Rom. 15. num. 24. [*Cùm in Hiſpaniam proficiſci cœpero.*] ait: *Venturum tamen ſe promiſit Paulus tempore, quo ad Hiſpaniam erat iturus: quia illic Chriſtus non erat prædicatus, vt occuparet mentes illorum, quia pſeudoapoſtol. difficile fuit iter ad illos.* Et Hieronymus l.b. 2. Cõment. in Amos ad illud cap. 5. [*Qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ.*] ſic de Paulo: *Effuſus eſt ſuper faciem vniuerſa terræ, vt prædicaret Euangelium de Hieroſolymis vſque Illyricum, & ædificaret non ſuper alterius fundamentum, vbi iam fuerat prædicatum; ſed vſque ad Hiſpanias tenderet, & à mari rubro, imò ab Oceano vſque ad Oceanum curreret.* Primùm dicam quid ſibi velit in hoc teſtimonio Paulus, deinde ad illius mentem conſentaneè Ambroſij, atque Hieronymi ſententiam explicabo.

ET verò quod attinet ad Hiſpaniæ cauſam, nihil nobis incommodi eſt à Pauli teſtimonio: quia, vt bene qui ante me illam diſceptauerunt, cùm lati ſint, oppidiſque frequentes Hiſpaniæ fines, ſatis laxè Paulus prędicare potuit, vbi priùs non eſſet à Iacobo poſitum Euangelicę doctrinæ fundamentum, aut Chriſti nomen auditum. Et ſanè prædicationis Pauli veſtigia ſunt in ea Hiſpaniarum plaga, quæ ad orientem Solem, Narbonæ ſcilicet, atque Dertuſſæ, Iacobi verò in eaquę ad occidentem pertinet. 2.

NEQVE verò, ſi Paulus eodem quo Iacobus loco, prædicaſſet, exiſtimati poteſt ſuper alienum ædificaſſe fundamẽtum: nam, vt pluribus oſtendimus ſuprà in ſolutione 2. teſtimonij Gregorij VII. qui rem leuiter, aut ruditer inchoatam perficit, & abſoluit, feciſſe illam dicitur perinde, atque ſi operi prior aliqua manus non eſſet admota.

ALIA ſolutio ab aliis etiam allata ſatis Apoſtoli verbis, ſupérque facit: vt enim ipſa Pauli verba prę ſe apertè ferũt, nõ affirmat Paulus ædificaturũ ſe deinceps ſuper fundamentũ alienum, aut prædicaturũ, vbi Chriſti nomen nõ eſſet priùs annunciatum; ſed non ædificaſſe, aut prædicaſſe. Conſtat autem longè poſt ſcriptam Epiſtolam illam ad Romanos, profectum eſſe Paulum in Hiſpaniam: etenim poſt illa verba ſtatim num. 24. addidit. *Cùm in Hiſpaniam proficiſci cœpero*; & nu. 28. *Hoc igitur cum cõſummauero, &c. per vos proficiſcar in Hiſpaniam.*

HÆc ad obiectum Pauli teſtimonium ſatis, vt reor, cuius videbitur idonea ſolutio. Sed ego aliã adducã magis, credo, ſolutã, &, niſi me ipſũ fallo, 3. Paulus Gentium Apoſtolus

fallo, magis ad Pauli mẽtem. Eo loco Paulus perſpicuè, & ſæpe Doctorem ſe Gentiũ appellat: dixerat paulo antè, *per gratiam, quæ data eſt mihi à Deo, vt ſim miniſter Chriſti Ieſu in Gẽtibus, ſanctificans Euangelium Dei, vt ſit oblatio Gentium accepta.* Et conſequenter ad hæc ſubiicit. *Ita vt ab Ieruſalem per circuitum vſque ad Illyricum repleuerim Euangelium Chriſti.* Porrò quod ſtatim dicitur, quódque totum difficultatis momentum cõtinet: *ſicautem prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamẽtum ædificarem;* de Gentium, quarum erat miniſter, conuerſione intelligẽdum eſſe, probat Iſaiæ locus cap. 52. quod ad eius confirmationẽ adducit Apoſtolus. *Sicut*, inquit, *ſcriptum eſt: quibus non eſt annunciatum de eo, videbunt, & qui non audierunt, intelligent.*

ad Rom. c. 15.

QVÆ verba de Gentibus ſine dubio accepit Iſaias; imò exiſtimo ab Iſaia eo loquẽdi modo populos deſignari Gentiles, qui Chriſti nomen nunquam audierũt: ſic enim iterum cap. 55. *Ecce gentem, quam neſciebas, vocabis: & gentes, quæ te non cognouerunt, ad te current.* Quòd ſi in illo Iſaiæ teſtimonio pro *de eo*, ſupponas, *de Chriſto*, antecedens videlicet pro relatiuo; quia de Chriſto, vt liquet, Iſaias eo loco agebat, res erit magis aperta. Sic enim leges. *Quia, quibus non eſt annunciatum de Chriſto, videbunt.* Quod idem eſt, atque *vbi nominatus Chriſtus non eſt.* Quare ſenſum eſſe puto; deſtinatum eſſe Paulum, vt prædicaret gentibus, apud quas Chriſti nomen annunciatum non eſſet, aut ab aliis de Chriſti fide fundamentum locatum. *Fundamentum* autẽ puto ab Apoſtolo vocari, aut nominatum Chriſtum, aut Prophetarum oracula de Chriſto, quæ ſanè fuêre plurima, & ſolis tantùm nota Iudæis.

QVOD verò ſuperiori ſenſu conſtare non poſſit Pauli ſententia, certũ eſt: quia Paulus vbi Chriſtus nominatus eſſet, & poſitũ ab aliis fundamentum, ædificauit. Prædicauit enim Damaſci, quò priùs ingreſſus fuerat Ananias, à quo ipſe priùs inſtitutus eſt, quàm populum doceret. Prædicauit Antiochiæ, quò inuectũ antè fuerat Chriſti nomen, quã Paulus accederet. Denique prędicauit in Ieruſalem, vbi priùs vtiliter poſita Apoſtolorũ opera. Ac tandẽ Romæ, quò Petrus multo antè fuerat ingreſſus. Atqui dices, quomodo ſi eo loco Paulus prædicaſſe ſe dicit Euãgeliũ, vbi nominatus non erat Chriſtus, quaſi dicat nõ prædicaſſe in Iudæa, vbi Chriſti, id eſt, Meſſiæ nomẽ ſæpiùs auditũ, & eius aduentus auidè expectatus, in Iudæa tamen prædicauit, & Synagogas ſæpiùs ingreſſus eſt? Reſpondeo, ex vſu Scripturę actum, vt Logici dicunt, primũ pro ſecundo ſumi, id eſt, actionem pro potentia, facultate, deſignatione. Qua ratione dicimus; *ego non doceo, ego non iudico*, id eſt, non habeo docendi, aut iudicandi facultatem, aut deſtinatus non ſum docendi, aut iudicandi miniſterio. Sic Paulus ait ſe non prædicaſſe, vbi Chriſtus nominatus erat, id eſt, inter Iudæos, quia deſtinatus à Chriſto fuerat Gentium, nõ Iudæorum Apoſtolus. Cui rei nihil omnino incõmodat, quòd Iudæos aliquando docuerit, quia fecit id cõmuni potiùs adductus ratione, vrgẽte nimirum charitate, quàm quòd præcipua aliqua deſignatione foret illi muneri deſtinatus. Habemus promptum ab eodem Paulo accommodatum exemplum: ille enim 1. Corinth. 1. numero 17. dicit; *non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare:* & tamen eodem capitę n. 15. Criſpum, & Caium, & Stephanę domũ dicit ſe baptizaſſe.

4. Paulus prædicauit vbi poſitũ prius ab aliis doctrinæ fundamẽtum.

1. Cor. c. 1.

Nihil

Nihil ergo Paulus aliud ſignificat, quàm ſe Gentium deſtinatum Apoſtolum, ad quas neque Chriſti antea nomẽ, neque Prophetarum oracula peruenerunt. Ita putat Salmeron, & Dominicus Soto, & indicat Adamus in hunc Pauli locum. Et, meo iudicio, non obſcurè ſignificat Paulus ad Epheſios cap. 2. vbi Epheſios, populum nempe Gentilem, qui quondam hoſpites dicebantur, & aduenæ, domeſticos vocandos eſſe affirmat, & ciues, cùm ſuperædificati fuerint ſupra Prophetarum, & Apoſtolorum fundamentum, quod iactum antè non fuerat in eorum animis. Vbi pondero illud, *Prophetarum fundamentum*; quod vaticinia Prophetarum intelligo, quæ Chriſti, atque Euangelij fundamentum quoddam fuerunt, rude tamen adhuc, & impolitum, ſuper quod ædificati quoque videntur eſſe Gẽtiles: quia prædicta Prophetarum oracula, & in Chriſto omnia ad vnum completa ponderis plurimùm apud ipſos quoque Gentiles habuerunt, vt verum eſſe crederent id quod de Chriſto Apoſtoli prædicabant. Argumento ſunt Eunuchus à Philippo Act. 8. & Cornelius à Petro Act. 10. baptizati. Ad quos ſic vterque egit, vt à Prophetarum oraculis exorſi fuerint orationem. Philippus quidem. *Aperiens os ſuum, & incipiens à Scriptura iſta* (nempe Iſaiæ) *euangelizauit Ieſum*. Petrus verò: *Verbum miſit Deus filiis Iſraël annũcians*, &c.

Ex his non dubium eſt, quid Ambroſio, ac Hieronymo reſponderi idoneè, ac ſufficienter poſſit. Venit. n. Paulus in Hiſpaniam, vbi Chriſti nomen annunciatum antè non erat; eo ſenſu, quem nuper produximus, quia videlicet populis tantùm fuerat habitata Gentilibus. Quid autem de Commentariis in Pauli Epiſtolas, qui Ambroſio aſcribuntur, fortaſſe falsò, ſentiendum ſit, vide Bellarminum de Scriptoribus Eccleſiaſticis, in *Ambroſio*.

CAP. V.

An Iacobus paucos in Hiſpania conuerterit.

EX nomine nouo *Boanerges* quod Iacobo, & eius fratri Ioanni Chriſtus impoſuit, quódque ſignificat *filium tonitrui*, ingens in Hiſpaniç cauſam argumentum conficiunt aduerſarij: nam ſi Boanerges eſt Iacobus, ſi fulgur, & fulmen, quorum alterum emicat, alterum vibratur cum tonitu, cur Iacobus tonitu, & fulgure non perterrefecit, cur fulmine non tetigit, & inflammauit Hiſpaniam? cur tam pauci Iacobo tonante, ac fulminante excitati ſunt ab infidelitatis ſomno, & ad veram Religionem traducti? ſeptem enim illius traduntur eſſe diſcipuli; qui ſummum addunt numerum, ad duodecim producunt. 1. Iacobus non paucos videtur conuertiſſe in Hiſpania.

Ego ſanè adduci nullo modo poſſum, vt credam tam exiguum numerum agente Iacobo ad Eccleſiæ ſinum fuiſſe traductum: quod à Calixto didici in Bulla translationis, vbi plures fuiſſe dicit Iacobi diſcipulos, præcipuos verò duodecim; quod eo fit mihi probabilius, quia omnes fermè quotquot Iacobi diſcipuli nominantur, diuerſis in locis Epiſcopi creati fuiſſe traduntur. Eſt autem creditu pluſquam difficile ex eorum ordine nullos fuiſſe cõuerſos, qui ad Epiſcopale munus apti

apti non eſſent, cùm hi faciliùs ad rectum viuendi genus adduci poſſint. Illis namque vinculis plerumque carent, quæ duriùs aſtringunt homines, & quominùs ad Euangelicæ vitæ ſanitatem aduolent, remorantur. Quis credat in tam lata prouincia fœminam nullam amplexam eſſe Apoſtoli doctrinam, cùm fœminæ magis credulæ ſint, & minùs quàm viri ad pietatem difficiles? Certè id experiuntur quotidie, qui in Barbaris populis, quos noſtra ætate explorarunt, & domuerunt Hiſpani, Chriſtianæ rei dederunt longam, & continentem operam. Imò ex illo diſcipulorum numero, quos obeundo Epiſcoporum muneri idoneos iudicauit Iacobus, & poſtea Petrus, vt alio loco dicemus, coniectare quiuis prudenter poteſt, diſcipulorum numerum fuiſſe non exiguum. In magna etenim turba vix vnum reperias, cui Epiſcopale munus tutò committas. Quantam ergo multitudinē fuiſſe neceſſe eſt, ex qua nouem, aut duodecim ſegregari potuerunt Epiſcopi?

Qvod ſi Oratori magno *fulminis* damus, atque *tonitrui* nomen, quale habuit apud Græcos Pericles, qui tonitruare, ac fulgurare, & totā permiſcere Græciā (Cicerone teſte) dicebatur; ſi duo Scipiones, qui Hiſpaniam priùs armis luſtrauerunt, quàm Iacobus poſtea Chriſti doctrina, *duo belli fulmina* vocati ſunt; quid de illo iudicandum, cui non imperita multitudo *fulminis*, & *fulguris* indidit nomen, ſed qui in iudicando, ac nominando errare nullo modo poteſt? At dices, Hiſpanicum illud ſæculum antiquæ Religionis tenaciſſimum fuiſſe, ſicut nunc Chriſtianæ; & genus hominum barbarum, & indocile, & iuxta illud Maronianum,

—— *truncis, & duro robore natum.*

Si hoc concedamus, quod certè negari magna poſſet ex parte, tamen nulla eſt tanta duritia, quam non diſſoluat, ac tabefaciat fulmen: nulla tanta proteruia, quam non concutiat, ac tremefaciat cœleſte tonitru. De voce Domini, quam plerique Doctorum fulmen, ac tonitru interpretantur, dicitur Pſalm. 28. *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia: vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani: vox Domini concutientis deſertum.* Quod tonitru propriè in eo facit, quod propriè deſertum dicitur, & cedrorum truncus, non faceret qui figuratè tonitrui filius appellatur, in eis, qui figuratè deſertum, & roborei trunci vocari conſueuēre?

Hæc mihi certiora ſunt. Sed demus hoc etiam, vt exiguus fuerit Apoſtolicæ prædicationis fructus; an ideo concedendum, Iacobi ſedulitatē, & zelū in Hiſpanorū ſalute non eſſe verſatum? Sanè Paulus fulmen erat, & tonitru; neque tamen vbique animos aut concutiebat, aut inflammabat. Sanè in Arabia, de qua Paulus ad Galat. cap. 1. nihil eū geſſiſſe putat Hieronymus Apoſtolico zelo, atque ardore dignum. Et ideo profectionem ipſius in Arabiam, de qua Paulus ad Galat. cap. 1. omiſſam eſſe arbitratur à Luca in Actis Apoſtolicis. Sed reliquit tam in Hiſpania Iacobus, quàm in Arabia, aliiſque locis Paulus ſparſa pietatis ſemina, ex quibus poſtea copioſos Eccleſia retulit prouentus. Vt autem plurimi in Hiſpania fuerint à Iacobo conuerſi, in tam lata tamen, atque frequenti prouincia eiuſmodi cenſetur illa multitudo,

vt à Petro, vt alio loco diximus, iacta ibi cenſeri debeant Euangelij primordia.

CAP. VI.

An ſeptem Epiſcopi à Petro ordinati diſcipuli fuerint Iacobi.

1. EX his aliud nobis opponunt aduerſarij, quod nonnihil Hiſpanicæ cauſæ videtur faceſſere negotij. Negant enim ſeptem illos Epiſcopos, quos nos à Iacobo inſtitutos atque conuerſos fuiſſe dicimus, diſcipulos fuiſſe Iacobi; ſed potiùs ordinatos à Petro, miſſos in Hiſpaniam, vt ibi rem Chriſtianam curarent, & primi Euangelicæ doctrinæ lucem inueherent. Ita Gregor. VII. lib. 1. epiſt. 64. ad Alfonſum, & Sanctium Hiſpaniarum Reges, de quo nos ſuprà pluribus c. 2. Sed hoc ipſum habet Romanum Calendarium ad diem Maij 15. *In Hiſpania* (inquit) *Sanctorũ Torquati, Creſiphõtis, Secundi, Indaletij, Cæcilij, Heſſichij, & Euphraſij, qui Romæ à Sanctis Apoſtolis Epiſcopi ordinati, & ad prædicãdum verbum Dei in Hiſpanias directi ſunt*; quod etiam habent plura alia Martyrologia. De his quid dicã promptum eſt, &, niſi me mea fallit cogitatio, nõ difficile: facile enim intellectu eſt ſeptẽ hoſce Iacobi priùs eſſe diſcipulos; deinde Romæ ordinatos Epiſcopos ab Apoſtolis remiſſóſque in Hiſpaniam Euangelij prædicandi gratiâ.

2. *Septẽ Epiſcopi Iacobi diſcipuli.* DIco igitur primùm ſeptẽ hoſce Epiſcopos diſcipulos fuiſſe Iacobi, neq; dico temerè, aut ſine graui aliquo fundaméto. Fauet primùm antiqua conſtans, & vniuerſalis Hiſpaniarum traditio, cui qui fidem derogãdam exiſtimat, niſi cùm grauior aliqua, & inconcuſſæ fidei ratio cõtrà nitatur, minùs æquus eſt, & quid venerandæ traditionum antiquitati debeatur, ignarus. Sed ad traditionũ antiquam fidem accedunt etiam eximia teſtimonia, quibus vel ab antiquitate, vel ab authoritate pondus ineſt non leue. Primum eſt Calixti II. qui in Bulla tranſlationis B. Iacobi Epiſcopos in Hiſpaniam miſſos à Petro, diſcipulos affirmat fuiſſe Iacobi. *Nouem*, inquit, *in Galecia, dum adhuc viueret Apoſtolus elegiſſe dicitur, quorum ſeptem, aliis duobus in Galecia prædicandi cauſâ remanentibus, cum eo Hieroſolymam perrexerunt, eiuſq́ corpus poſt paſſionem per mare ad Galeciã deportarunt.* Eoſdem ſtatim ex Hieronymi ſententia dicit ordinatos ab Apoſtolis Romæ, in Hiſpaniam rurſus Apoſtolorum iuſſu fuiſſe reuerſos: quorum nomina explicitè ponuntur à Calixto, eadem nempe, quæ ex Calendario Romano nuper produximus. Alterum eſt ſumptum ex plumbeis codicibus, qui in Granatenſi tractu reperti ſunt, in quibus horum tria nomina diſtinctè leguntur, Hiſcius, qui idem proculdubio eſt qui Heſſichius, Creſiphon, & Cæcilius, qui omnes diſcipuli fuiſſe dicuntur B. Iacobi. Qui planè perſuadent alios quoque, qui cum ipſis ad 15. diem Maij numerantur, Iacobi quoque fuiſſe diſcipulos. Tertium eſt ſumptum ex Breuiario Romano, nunc extremũ à Clemẽte correcto, in quo ſic perſpicuè traditur, ſeptem Epiſcopos, quos Roma Petrus ad prædicandum miſit, à Iacobo fuiſſe in Hiſpania conuerſos; vt nihil dici poſſe videatur magis apertè: ſic enim in Breuiario legimus in feſto Iacobi. *Mox in Hiſpaniam adiiſſe* (Iacobum) *& ibi aliquos ad fidem conuertiſſe, Eccleſiarum illius prouin*

prouincia traditio eſt. Ex quorum numero ſeptem poſtea Epiſcopi à B. Petro ordinati in Hiſpaniam primi directi ſunt. Fatemur igitur miſſos eſſe à Petro ſeptem Epiſcopos, ita tamen vt alios à Iacobi diſcipulis fuiſſe negemus. Quare illa aduerſariorum ratio Hiſpanorum cauſam nullo modo debilitat.

SED habent contra hæc aliquid, quod obiiciant proterua quædam ingenia, & in Hiſpanorum cauſam minùs benigna; quæ non grauatè concedunt conuerſos quidem à Iacobo ſeptem Epiſcopos, qui iubente Petro Hiſpaniam adiêre, non tamen cõuerſos in Hiſpania, ſed in Iudæa, atque Samaria, vbi Euangelicã operã poſuiſſe dicitur. Sanè quicũq; eſt, qui ita cogitat, oſtendit non obſcurè diram ſibi ineſſe contradicẽdi libidinem: cui ſatis iam facere debet Pontificum authoritas iam Calixti II. quàm Clementis VIII. quæ verbis teſtantur quàm apertiſſimis eos, qui à Petro miſſi ſunt in Hiſpaniam, in eadem Hiſpania à Iacobo Euangelicam accepiſſe doctrinam. Quòd ſi hi Hiſpani non eſſent, aut in Hiſpania Iacobi diſcipuli, ac ſocij, quibus ab Apoſtolo non foret mandata Hiſpanorum ſalus, & inſtitutio, cur ipſi in Hiſpaniam deportandum curaſſent Iacobi corpus, & non potiùs in Iudæa reliquiſſent, in patria nempe ſua, aut vbi ipſi Euangelica luce illuſtrati ſunt? Dices timuiſſe ne ſacrum illud corpus in impias Iudæorum manus incideret, pateretúrque ab infenſo populo ludibriũ, & iniuriam; quaſi minori cum ſtrepitu eripi non poſſet è Iudæorum oculis, & in occulto loco tumulari commodiùs, quàm impoſitum naui ad finem vſque terrarum (ſic enim appellatur illa Hiſpaniarum plaga, vbi conditus eſt) deportari.

CAP. VII.

Cur ex Hiſpania Hieroſolymam redierit Iacobus.

SED obſtrepet aliquis, & cauſam rogabit, cur, ſi Iacobus Hiſpaniarum erat Apoſtolus, relicta prouincia, aut diœceſi, cui inuigilare, atque immori debuiſſet, Hieroſolymam rediit? Magnum hoc eſſe telum putant aduerſarij; mihi hæc vna grauis eſt, cùm graues inciderent rationes, quæ nouũ prædicandi modũ exigerent, aut de rebus aliis ad Apoſtolicum munus dubiũ occurreret, voluiſſe ea de re Eccleſiæ caput, & principem conſulere: ſicut etiam ſe feciſſe tradit Paulus ad Galat. 2. Tũc verò Petrũ fuiſſe Hieroſolymis, nemo dubitabit, cùm eodem tempore, quo trũcatus eſt capite Iacobus, ipſe quoque Petrus datus ſit in vincula. Quod item diuino cõſilio factũ eſſe puto, quia cùm Iacobus eſſet Chriſto cognatus, & præcipuo quodam loco apud illũ habitus, voluit, vt quo ipſe tempore, diebus nempe Azymorum, & eodẽ loco, putà Hieroſolymis, martyriũ ſubiret, quò teſtimonium de Chriſto foret illuſtrius, & Iacobi fides, atque conſtantia in loco maximè frequenti, ac nobili teſtata magis.

CAP. VIII.

Soluuntur quæ contra adẽ Cæſaraugustanam obiiciuntur.

REliqvvm eſt, vt fundamenta quædam noſtræ cauſæ, quæ nobis aut eripiunt, aut debilitãt aduer- 1.

ſarij, à calumnia vindicemus, ſuóque reſtituamus ordini, ac loco.

OBIICITVR primùm non ſatis conuenire cum B. Virginis ingenio, atque modeſtia, curare per Apoſtolum, ſibi vt viuenti templum erigeret, vbi nomen ipſius ſanctum eſſet, & celebre: non enim veriſimile eſt, vt quæ ſe ancillam prædicarat, quæque eo nomine fœminarum omnium digniſſima viſa eſt, quæ Deum conciperet, quia fœminarum omnium erat humillima, honorem illum vltrò ſibi voluiſſe depoſcere, quo in terris homini maior eſſe non poterat. Reſpueret, credo, quæ erat ingenio demiſſo, atque humili, oblatum ab aliis religioſum illum cultum, vſque adeò ab illis, quorum animos non ſubierat illa cogitatio, non exigeret.

2. *Superbi eſt animi parere nolle etiã in his, quę honorifica ſunt.*

HIC mihi, niſi aliud inſtituti ratio poſceret, in Mariæ cauſa agendũ foret de humilitatis, atque obediẽtię natura: ex quo, vt mihi ipſi perſuadeo, planũm cuiuis fieret, nihil B. Virginem contra ſummum humilitatis faſtigium eſſe molitam, cùm templum ſibi à Iacobo ædificari iuſſit. Planè humilis eſt, quicumque iubente alio, cuius imperio repugnare nefas, ad ſplendidum aliquẽ, atque ſublimem dignitatis gradum attollitur. Neque humilis ille cẽſeri debet, qui in loco ſordido, atque humili obſtinato conſilio hærere vult, ſi inde ſuperioris volũtas, & authoritas euocat. Humilis planè eſt, quẽ in quamcumque partem flectit, & verſat aliena voluntas, neque parendum iam amplius exiſtimat ſuæ. Recuſabat Petrus pedes ſuos lauandos porrigere præceptori ſuo; quia eo ſe humanitatis officio indignum putabat: hoc ita ab humilitate profectum videbatur, vt tamen aliquid deprehendatur arrogantis animi, cùm corrigere vellet Chriſti conſilium, quaſi minùs deceret ipſius perſonam, & quaſi Chriſtus quid ex omnium vſu, aut dignitate futurum eſſet, neſciret. Quare humilior omnino Petrus fuit, cùm dixit velle ſe, vt non tantùm pedes, ſed & manus, & caput lauarentur à Chriſto, quàm cùm libera dixit, atque audaci voce, *non lauabis mihi pedes in æternum.*

3. *Humilis in ſuſcipiendis etiam honoribus paret.*

NEMO, credo, inflati animi, aut inſolentis arguet eos, qui iubente Deo, ex domeſticis, aut Eremi latebris ad Epiſcopalem, aut Pontificium ſplendorem emerſerunt; quos ſanè non tam in detrectando pertinaciter munere, quàm in admittendo obedienter humiles fuiſſe conſtat. Docuit hoc optimè Gregorius, qui & ipſe priùs omni ſtudio, atque ſolertia ſummum in Eccleſia locum recuſauit, ad quem deinde Deo pene cogente conſcendit. Sic enim 1. p. Paſtoral. cap. 6. *Sunt nonnulli, qui ex ſola humilitate refugiunt, ne eis, quibus impares ſe exiſtimãt, præferantur: quorum profectò humilitas, ſi cæteris quoque virtutibus cingitur, tunc ante Dei oculos vera eſt, cùm ad reſpuendum hoc quod vtiliter ſubire præcipiuntur, pertinax non eſt. Neque enim verè humilis eſt, qui ſuperni nutus arbitrio, vt debeat præeſſe intelligit, & tamen præeſſe contemnit.* Quis hoc loco pius dubitet Beatam Virginem, dum templum ſibi ædificari iubet, diuinæ obſecutam eſſe voluntati; cùm nihil aut magnum, aut nouum moliretur in terris, niſi inſtinctu afflata diuino? cùm Spiritus illi ſanctus aſſiduè, atque familiariter aſſiſteret? Quòd ſi Beata Virgo propriè apparuit Iacobo, ſanè tam longo ſuperato, tam terreſtri, quàm maritimo tractu,

B. Virginis obedientia.

Digitized by Google

tractu,non potuit ad Tarraconenſẽ illam plagam accedere, niſi agente, atque probãte Deo, cuius ſe voluntati totam addixerat. Quod etiam iudicandum eſt, ſi Virginis tantùm ſpecies oblata fuit Apoſtolo: neque enim ab humana virtute fieri potuit,niſi adiuuante,atque admittente diuinà. Adde quòd, vt ex Calixti II. Bulla,quæ in Angelica cella à Iacobo conſtructa Cæſarauguſtæ ſeruatur, habes, ſimul cum B. Virgine Chriſtus apparuit,qui ſuſceptæ profectionis,& erecti Sacelli author videri poteſt. Sic autem in ea Bulla Calixtus. *Inter cæteras ſub vocabulo dictæ B.Mariæ Eccleſias prima B.Maria de Pilari nuncupata fore noſcatur. In qua dicta B.Maria, antequam ad cœlos aſſumeretur, cum Ieſu Chriſto filio ſuo, & Domino noſtro, Beato Iacobo Maiori in columna marmorea apparuit.* Quid ergo B.Virgo repugnaret iubenti, atque in Regionem illam planè fortunatam agenti filio? Sanè Virgo eadem ſeceſſus amans, atque conclauis (de qua Ambroſ. lib. 2. in Lucam. *Sola in penetralibus quam nemo virorum videret, ſola ſine comite, ſola ſine teſte, ne quo degenere deprauaretur affatu.*) Tamen vbi cognouit voluntatis eſſe diuinæ ſeceſſum relinquere, & longam moliri profectionem, nihil cunctata *abiit in montana cum feſtinatione*: & quia id exigebat cognatæ neceſſitas, apud illam tres menſes commorata eſt. Eandémne Virginẽ cohiberet humilitatis amor quominùs Deo pareret præcipienti? Ego quidem ſic arbitror B. Virginem in terris vitã egiſſe cœleſtem, aut cœleſti proximam, eundémque habuiſſe ſenſum dum in viuis ageret in mortali corpore, atque deinceps habet cum Beatis ad cœlos aſſumpta. Eo verò in ſtatu nemo neſcit Liberio Pontifici apparuiſſe, & Ioanni Patritio mandaſſe, ſibi vt in Eſquilino colle templum erigerent, eo in loco, quem nix in æſtate diuinitùs ſparſa definiret.

4. SCIMVS Alexandriæ Marcum templum erexiſſe, illúdque viuenti adhuc magiſtro ſuo Petro conſecraſſe. At quis dicit, aut ſentit id officere modeſtiæ, atque humilitati Petri? At dices, vltrò Marcũ excitaſſe, atque ſacraſſe templum, non hortante, aut imperante Petro. Reſpondeo, minimè latuiſſe Petrum, quid Marcus Alexãdriæ deſignaſſet; cúmque pro ea poteſtate quam habebat ſummam, vtpote Chriſti Vicarius, prohibere poſſet, dum nihil mutat, ratum habere videtur Marci conſilium. Vtrumque verò diuino conſilio factum eſt, vt hinc homines diſcant, quo numero, & pretio eſſe debeat hominibus Virginis nomen, & patrocinium; & quanto in honore apud omnes Chriſti Vicarius. Quomodo viuis adhuc Apoſtolis, & B. Virgini templa ædificata fuerint, vide Caniſium libr. 5. de B. Virgine cap. 23.

S. Petro dum viueret templum dedicatum.

5. ADDE quòd B. Virgo ſic diuinam intuebatur gloriam, vt nihil haberet potius, nihil prius. Quare etſi aliquid ſciret ſibi fore moleſtum, renitente etiam ingenio modeſto, atque humili, illud tamen ſubibat alacriter, quo erat diuinæ gloriæ excellenti, & inflammato ſtudio. Sanè ad Dei ſpectabat gloriam muneratorem eſſe bonorum, & ſublimatorem humilium: quod vt conſtaret omnibus, eóſque ad humilitatis amorem inflammaret, in ſuo Cantico cecinit. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Maius ſanè hoc eſt Virginis præconium, maior honor quàm qui exiſtere potuit ab excitati templi religione.

B. Virgo diuinæ gloriæ amans.

Digitized by Google

Hoc, credo, ſpiritu iam morituri Chriſti Martyres orauerunt Dominum, ſe vi apud homines honoraret, conſtituerétque contra varia aut fortunæ, aut valetudinis incommoda certum, & commune perfugium. Eò item ſpectat illa Chriſti oratio Ioann. cap. 17. n. 1. *Pater, venit hora: clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te.* Honorem enim illum ita ſibi precabatur Ieſus, vt in Patris gloriam poſtea totum illum rependeret.

Honor ad gloriam Dei optari poteſt.

Ioan. c. 17.

OBIICIVNT iterum nobis, non ſatis futurum fuiſſe ſpatij Iacobo pauperi, atque ab omni præſidio nudo, vt fabricam illam in B. Virginis honorem moliretur: neque retardari debuiſſe in illa molitione Apoſtolicum animum, qui tanto ſtudio in Hiſpanicæ gentis ſalutem ferebatur. Sanè iſti, quicumque ſunt, humanis rationibus omnia metiuntur, neque ad diuinum opus diuinas etiam vires, & poteſtatem adiungunt. Idem, credo, multo meliùs obiicere potuiſſent de marmoreo templo in mediis fluctibus excitato in honorem, & tumulū Clementis Papæ. Si hæc manus requirūt hominum, nō dubium, quin aliquid operæ Iacobus in illius ſacrarij fabricam contulerit; ſed neque pius aliquis dubitabit, opinor, opem ibi quoque interceſſiſſe diuinam, ſicut alibi quoque contigiſſe Eccleſiaſtici produnt Annales. Quia aut Angeli ipſi manus admouerunt, ſicut de marmorea Clementis æde canit Eccleſia, & de templo Michaëlis nomini conſecrato in Gargano monte, antiqua, & conſtans traditio eſt; aut Tarraconenſium animi in Iacobū, Religionísve cauſam ſic affecti, vt breui ſine vllo Euangelicæ prædicationis incommodo ædes illa ſacra ędificari potuerit. Quę ſanè quia exigua fuit, neque adeò artificiosè polita, haud multùm operæ requirebat, aut ſpatij.

6\. QVOD verò addunt non oportere in materiali templo conſtruendo aliquid poni laboris, & morę ab his, quibus id muneris datum eſt, vt ſpirituale potiùs templum in hominum mentibus excitarent, minùs, credo, curabunt, qui nouerint plurimùm ad pietatem cōferre aliquid materiale, atque aſpectabile ad fouendam Religionē hominum vſui, atque oculis eſſe propoſitum. Quare videmus eò maximè adniti eos, qui in rem Chriſtianam apud Barbaros populos nunc recenter apertos incumbunt, vt templa ædificentur, & Sacella, quæ homines pietatis admoneant, & officij, ſintque velut quædam Religionis arces, quæ dæmonum vim, & calliditatem auertant. Intererat præterea plurimùm, vt Hiſpania, in quam B. Virgo tam eſſe voluit liberalis, in eiuſdem ſe eſſe clientela cognoſceret, vt & magna auderet auſpice Maria, & quod adhuc fecit cum aliarum gentium admiratione, eadem fauente, atque adnitente peragerer.

Plurimū ad pietatem conferunt externa ſigna.

QVOD verò Beda in Retractationibus ſuper Acta dicit Apoſtolorum diuiſionem non fuiſſe, niſi B. Virgine defuncta, atque ideo Iacobum illa viua nō adiſſe Hiſpaniam, & quod conſequens ex eo fit, viuam non apparuiſſe Iacobo, vt Cæſarauguſtana, imò totius Hiſpania colit traditio, iam ſuprà oſtendimus tract. 2. quàm parum ſit probabile, vbi pluribus de Apoſtolorum diuiſione egimus.

* * *

CAP.

CAP. IX.

Soluuntur quæ obiiciuntur contra hiſtoriam Calixti.

1. Calixti vera hiſtoria.

ACCEDIT noſtræ cauſæ ponderis plurimùm ab authoritate Calixti II. qui de Iacobi prædicatione in Hiſpania, & Cæſarauguſtanæ ædis conſtructione multa,& apertè Eorum librorũ, qui hodie apud nos exſtant, authoritaté, & fidem, aut nullam eſſe putat Baronius.aut certè leuem:tomo enim 9.anno Chriſti 816.n.50.ſignificat libros,quos nos nunc habemus,quaſi ab authore Calixto compoſitos, videri authorem habuiſſe alium recentiorem: certè illius non extare memoriam, quo tempore de Hiſpaniarum primatu inter Toletanum,& Compoſtellanũ Præſulé in Lateranenſi Cõcilio cauſa diſceptata eſt,id eſt,longè poſt tempora Calixti.Quia ſi patronũ haberet Compoſtellanus in ſua cauſa Calixtum, haberet quid reſpõderet Toletano. *Verùm ſuccubuit* (inquit) *cùm nedum Calixtum,ſed nec aliquem alium haberet, quem de prædicatione S. Iacobi in Hiſpania in mediũ afferret authorem.*

2. Vincẽtius multa expreſſit ex Calixto, item alij.

PRO horum igitur librorum authoritate eſt imprimis Vincentius Bellouacenſis, qui vixit ſub ipſum Lateranẽſis Concilij tempus,in quo à Compoſtellano citari potuerunt: obiit enim anno Chriſti 1250. Ille igitur lib.9.Speculi hiſt.c.6.Calixtũ allegat,& ex eo plurima tranſcribit ad verbum. vbi eandem cum Calixto ſententiam amplectitur. Item Antoninus 2.p.hiſt.tit. 17.c.1.§.1.& 2. Tritemius libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Probat hæc ſcripta Calixti Innocentius II. verbis ſanè grauibus, qui opus illud cenſet *verbis veraciſſimum,oratione pulcherrimũ, ab heretica, atque apocrypha prauitate alienum, & inter Eccleſiaſticos codices authenticum.* Ad extremum addo Baronium, qui Commentarios illos Calixti allegat,& probat,cóſque ab Innocẽtio II. & Cardinalibus probatos eſſe dicit in Annot.ad Martyrologium ad diem 25.Iulij: ſed ab ea ſententia abduci, aut vacillare cœpit tom. 9. quando iam apertè ſtatuerat Hiſpanicam cauſam oppugnare. (Librorũ Calixti quanta authoritas.) Quæ verò tanta vis,& authoritas tantum virum à priori cogitatione depulerit, diximus alibi, cùm de diſceptatione Toletani cũ Compoſtellano Antiſtite pluribus egimus. Vbi oſtendimus quanta fides manu ſcriptis illis Commentarijs, qui ſuo magno merito tam diu latuerunt in tenebris, habenda ſit, cùm illi, qui typis, & luci tradidit, adeò nõ ſint probati, vt in margine cõtrarium omnino in eo, quod erat in ea cauſa præcipuum, ſibi placere dicat.Hos Commentarios Vincentij authoritati, atque Tritemij, Innocentij II.& Cardinalium grauiſſimæ cenſuræ; addo etiam & ſuæ, opponit,imò & præponit Baronius. Non dubito (quod cum Baronio in Additionibus ad Martyrologium ſuprà, ſentiunt alij complures) aliqua eſſe ab aliis addita, & affiota Calixto, quæ tamen hiſtoriæ de Iacobo incommodare non debent: quia alterius ætatis, atque ordinis ſunt. Sicut etiam multa affiota ſunt Hieronymo,Ambroſio,Auguſtino, & illorum nomini ſuppoſita, quæ tamen aliis horum Doctorum ſcriptis fidem non eleuant. De horum librorum authoritate vide plura apud Ioannem Marianam in opuſculo de D.Iacobo.

CAP.

Digitized by Google

CAP. X.

Liber de vita, & obitu Sanctorum probatur eſſe Iſidori.

1. Liber de vita, & obitu Sanctorum eſt Iſidori

QVIA liber ille Iſidori de vita, & morte Sanctorum, tum propter antiquitatem, tum propter authoris grauitatem plurimùm affert ad antiquam traditionem momenti, hic etiam in dubium vocari ſolet à Baronio: an verò alij de opere illo dubitarint, vt innuit Baronius, neſcio: hic autem cap. 64. apertè dicit annunciaſſe Iacobum Euangelium Hiſpaniæ, & occidentalium locorum populis. Et cap. 82 dum numerat in quam Apoſtolorum quiſque prouinciam legatus ſit, Iacobo Zebedæi filio Hiſpaniam attribuit. Sed iam quid ſuſpectam faciat huius operis fidem, cúrve indignum cenſeri debeat Iſidori nomine, exploremus.

CAP. XI.

De authoritate, atque antiquitate Officij Mozarabi, ſeu Gothici.

1. QVIA ad depellenda ea, quæ libro de vita, atque obitu Sanctorũ obiiciuntur, quæque indigna exiſtimantur Iſidoro, plurimùm afferet momenti Officij Gothici, ſeu Mozarabi fides; in quo non pauca recitantur, quæ in illo libro nonnulli damnant, vt quòd in Gallia prędicarit Philippus, quòd Epiſtola ſcripta fuerit à Iacobo Maiori; viſum eſt fore non exiguum operæ, atque ſtudij pretium, ſi de eius antiquitate, ac fide nonnihil afferamus.

Officij Mozarabi quanta authoritas, & quis eius author.

DE authore nemo fere dubitat, neque ipſe quidem Baronius, qui ab Iſidoro compoſitum eſſe dicit in Annot. ad Martyrologium die 25. Iulij, quod antiquitatem puriſſimã redolere dicit. Idem docet Rodericus Toletanus Antiſtes lib. 4. cap. 3. & cap. 25. & Garſias de Loyaſa Pręſul item Toletanus ad can. 2. Concil. 4. Toletani. Ambroſius de Morales 1. p. in Præfatione ad librum 9. & 2. p. lib. 12. cap. 19. & 21. Mariana lib. 6. cap. 5. & antiquæ Hiſpanorum hiſtoriæ. Cùm enim variæ eſſent in Hiſpania Eccleſiaſtici Officij recitandi formæ, viſum eſt Concilio Toletano quarto, in quo maxima erat Iſidori authoritas, vt ex omnibus vnum conflaretur Officium, quod toti eſſet tum Hiſpaniæ, tum Galliæ, & Gothicæ commune, cuius conficiendi Iſidoro cura mandata eſt.

DE eius authoritate ſatis graue 2.
eſt non ſolùm Iſidori, qui concinnauit, teſtimonium, ſed totius Concilij Toletani, quod illi concinnandi Officij negotium dedit, cui ſexaginta duo interfuerunt Epiſcopi, quique poſtea Officium ab Iſidoro cõpoſitum amplexi ſunt. Quod deinde poſt longum, & ſeuerum examen laudarunt probarúntque maiorem in modum duo Pontifices, Ioannes VIII. ſub annum Domini 870. & Alexander II. ſub annum Chriſti 1097. vt conſtat ex antiquiſſimo libro Conciliorum, quod ſeruatur in templo S. Laurentij in Eſcoriali: in quo hæc legiſſe ſe dicit Ambroſius de Morales libro 12. hiſtoriæ cap. 19. vbi hac de re pluribus. Tu illum lege. Neque ſanè tam diu approbante, atque laudante Apoſtolica Sede

cole

Digitized by Google

Officium Mozarabum duorum Pontificum, authoritate, & illuſtri miraculo confirmatũ.

coleretur in Hiſpania, ſi quid in eo reperiretur aut fabuloſum, aut quod minùs ſacrum Officium, & Chriſtianam puritatem, & ſanctitatem deceret. Probauit ſanctitatem illius illuſtre quoddam miraculum, quod referunt Rodericus lib. 6. cap. 26. & alij, qui de rebus Hiſpanicis hiſtoriam texuerunt. Sed quòd in eo Officio nihil ſit ex puro, atque intaminato fonte non petitum, ſuadet & tanti viri fides, atque doctrina, qui illud compegit, & inſtruxit, & quòd iam à Gelaſio Papa notati fuerant, atque damnati libri, ex quibus aliquid non omnino purum hauriri potuit. Quod ſanè Iſidorum, & Patres, qui Toletano interfuêre Concilio latuiſſe, non eſt veriſimile. Neque vir tantus contra Pontificis decreta iure præſertim tanta, támque ſacrata quicquam auderet.

3. Officij Mozarabi antiquitas.

QVOD ad antiquitatem ſpectat, vbi ſi tẽpus in quo compoſitum fertur ab Iſidoro, conſideres, milleſimus fermè iam annus eſt, ex quo in Hiſpania tota publicè recitari cœpit. Neque aliud habuerunt Eccleſiæ illius prouinciæ ad Regnum vſque Alfonſi VI. id eſt, ad annum Chriſti 1076. Durat tamen adhuc, recitatúrque quotidie multis in locis apud Hiſpanos.

SED credo quæ in hoc Breuiario continentur (modò paucula excipias propiora ſæculo Iſidori, & nonnulla alia, quæ poſt Iſidorum alij ad eius exemplum addiderunt, quale eſt ipſius Iſidori Officium) eſſe longè ante Toletanum Concilium, imò quædam celebrari, & recitari cœpta ab Eccleſiæ principio, id eſt, ab eo tempore, quo ſeptem Epiſcopi à Petro ordinati Hiſpaniam adierunt, à quibus quæ de Chriſto, Virginéque ipſius matre, de Iacobo, Stephano, & aliis, qui iam glorioſa morte deceſſerant, ibi legimus, in illud Officium arbitror eſſe collata. Nam ab illis inductum eſſe illum orandi modum, quem in Officio Mozarabo videmus, quémque Iſidorus accuratè ſeruauit, docent Iulianus, & Felix Toletani Præſules, ex quorum fide tradit antiquiſſimus liber Conciliorum, qui eſt in Monaſterio S. Laurentij in Eſcoriali, vt ſe vidiſſe ait Ambroſius de Morales lib. 12. cap. 19. hiſt. & alius item antiquiſſimus apud S. Æmilianum de Cogolla, qui dicunt ſeptem illos diſcipulos illum inuexiſſe prædicandi, ac ſacrificandi modum, quem Mozarabum dicimus, ab Apoſtolis edoctos; & ex eo natum eſſe, vt illa Miſſa vocaretur Apoſtolica. Sanè Iſidorus ipſe libro 1. de Eccleſiaſticis Officiis cap. 25. quem ipſe in Officio Gothico, ſeu Mozarabo ordinem ſeruauit, inſtitutum eſſe dicit à Petro, & toti terrarum orbi communem. Cuius dum ſingula minutim commemorat, Gothici quoque Officij formam quandam proponit. Sed dicit omnium apertiſſimè Gregor. VII. de quo nobis antea hoc tractatu cap. 2. Ait autem Gregorius ad Alfonſum Caſtellæ Regem, *ſeptem Epiſcopos ab vrbe Roma ad inſtruendum Hiſpaniæ populos à Petro, & Paulo Apoſtolis directos fuiſſe, qui deſtructa idololatria Chriſtianitatem fundauerunt, religionẽ plantauerunt, & Officium in diuinis cultibus agendis oſtenderunt.*

NEQVE malè conìectaret, qui exiſtimaret, quæ anteceſsêre illorum Epiſcoporum aduentum, quæque ipſi dum Hiſpaniæ Euangelicam nauarent operam, in Eccleſia contigiſſe didicerant (vt de quo-

rundam Apoſtolorum geſtis, aut morte, de B. Virginis obitu, ac ſepultura,& eius generis alia, quæ ſanè videntur futura fuiſſe non pauca) ab illis fuiſſe in illud precandi, atque ſacrificandi Officium collata: vt quòd Iacobus Maior in Hiſpaniam venerit, vt ab eo ſcripta ſit Epiſtola ad tribus duodecim, vt alia denique, quæ ſanè videntur futura fuiſſe non pauca; propter quæ ſententiam mutauit, quam antè probauerat; aut inde ſumpſiſſe multa, quæ deinde in ſuos Commentarios retulit, quale eſt ſcriptam à Iacobo Zebedæi filio fuiſſe Epiſtolam, quam in Præfatione librorum noui Teſtamenti Iacobo fratri Domini aſcripſerat, & confirmatum eſſe in opinione de morte, & ſepultura Virginis, de qua priùs ſubdubitare videbatur.

Ex illis ergo quæ primi conſcripſerunt Epiſcopi; & ex aliis, quæ eorum ſucceſſores addiderunt primis illis temporibus naſcentis Eccleſiæ, quorum authoritas non poteſt eſſe non grauiſſima, & maximè religioſa fides, collegit Iſidorus, quæ deinde in Gothicum Officium congeſſit: non enim tam Officij illius author, quàm compilator, ſeu coagmentator fuit. Neque id illi negotij datum eſt à Concilio Toletano, vt nouum conderet, ſed vt è multis, quæ ſparſim in Hiſpania legebantur, vnum concinnaret Officium. Sicut etiam noſtro ſæculo ex Tridentini decreto non nouum Pius V. Breuiarium confecit, ſed ex multis, quæ toto orbe variè legebantur, vnum conflauit. Quare in his, quæ in Eccleſiæ primordiis facta commemorantur, multo antiquior eſt memoria, quàm Iſidori;& ideo magis veneranda, & certa fides, quo à rebus, quæ factæ referuntur, propiùs abeſt.

CAP. XII.

Quid Iſidorus ſenſerit de authore Epiſtolæ Iacobi.

PRIMVM contra librũ illũ Iſidori opponitur, quod c.37 dicit Epiſtolã B. Iacobi ad duodecim tribus, quæ ſunt in diſperſione Gentium, ſcriptam eſſe à noſtro Iacobo, non ab illo, qui Minor appellatur, & Domini frater, cùm contrà ſtet omnium penè Doctorum, Sanctorúmque conſenſio. Ita planè Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis in *Iacobo*; Euſebius libro 2. hiſtor. cap. 22. &, quod magis mirère, Iſidorus ipſe in Præfatione librorum noui Teſtamenti: *Iacobus*, inquit, *frater Domini ſcripſit vnam Epiſtolam ad ædificationem Eccleſiæ.* Denique ita pene omnes vno excepto Caietano, qui de authore dubitat.

1. Ego primùm exiſtimo nimis ſeueram eſſe cenſuram, quæ graui alicui Doctori, maximè ex antiquis, quando res etiam grauiſſimæ minùs erant exploratæ,& certæ, opus aliquod adimit, quia minùs cum aliorum opinione conſentiat, aut etiam cum iis quæ ab eodem authore aliis in locis prodita ſunt. Quàm multa negares Tertulliano, Origeni, Hieronymo, atque Auguſtino, qui ſcripſere non pauca, quæ aut alij improbant,

bant, aut ipſi vltrò damnant, & retractant? Ab exemplis abſtineo, quæ ſanè multa ſunt. Sic contigiſſe reor Iſidoro, qui nactus eſt obſcurum tempus, in quo res erant minùs exploratæ, neque omnino certum vter Iacobus, Alphæine, an Zebedæi filius Epiſtolam illam edidiſſet: nam Patres communiter Iacobum citant authorem, neque notam vllam adhibent, qua vnus ſecernatur ab altero; neque titulus, qui Epiſtolæ præfigitur, magis vnum, quàm alterum oſtendit. Quare nemini mirum eſſe debet, ſi cùm ante ſe, præter Hieronymum, & Euſebium, neminem habuerit, qui definitè & certò Iacobo Minori Epiſtolam aſcribat, illius authorẽ Zebedæi filium putet Iſidorus. Neque defuit coniectura non leuis, quæ ipſum in illam cogitationem induxit: nam illius inter reliquos Apoſtolos nomen præcipuo in loco fuit, cùm ſummotis interdum aliis, ipſum cum Ioanne, & Petro Chriſtus ſocium aſciuerit, putà cùm Archiſynagogi filiam ad vitam excitauit; cùm ad montem Thabor transfigurauit ſe, cùm ante Paſſionem orationis causâ in hortum ſeceſſit. Cùm autem duo alij aſſidui Chriſti ſocij Epiſtolas Canonicas ediderint, veriſimile fit, Iacobum fratrem Ioannis Epiſtolam quoque ſcripſiſſe Canonicam.

2. *Cur à Iacobo Maiori ſcribi Epiſtola debuerit.*

ATQVI quæres cur Iacobus Maior ad tribus diſperſas ſcriberet, aut quod illi tempus ad ſcribendum vacuum, ſi ad Hiſpaniam non longè à Spiritus ſancti deſcenſu profectus eſt? Reſpondere poſſet, qui ab Iſidoro ſtaret, hanc Epiſtolam ſcriptam eſſe à Iacobo in principio Eccleſiæ, contra Simonem Magum, cuius hæreſis, vt dicit Iuſtinus, latè ſerpebat. Putabat autem Simon ſatis eſſe vacuam ab operibus fidem ad ſalutem, vt docuit Irenæus lib. 1. cap. 20. Hanc itaque peſtem, ne ſecum graui populorum damno diffunderet, Iacobus, quicumque ille fuit, vt maturè cohiberet, hanc Epiſtolam ad tribus miſit vbique diſperſas; in qua ad fidem adiungendum eſſe opus grauiter, & luculenter oſtendit. Ita putat Baronius primo tomo Annalium anno Chriſti ſexageſimotertio. Cùm ergo peſtis illa à Simone in Eccleſiæ Principio conciperetur, in Eccleſiæ quoque principio comprimenda fuit, eo fortaſſe tempore, quo Petro, & Ioanni aſſiduis Iacobi comitibus, in Samaria certamen erat cum Simone. Quare à Iacobo Maiori ſcribi potuit, antequam in datam ſibi prouinciam abiret. Neque vlla apparebat cauſa grauior, cur ab altero Iacobo ſcriberetur; maximè ſi eo tempore nondum erat Hieroſolymæ vllus Epiſcopus deſignatus.

QVIDAM, vt Iſidorũ defendant, & opus de vita, atque obitu Sanctorum illius eſſe probent, ex capitulo 73. expungendum cenſent illud *ſcripſit*, quaſi errore ſcriptorum inſertum fuerit: ita vt Iacobus non dicatur ſcripſiſſe, ſed prædicaſſe tribubus inter Gẽtes diſperſis. Fortaſſe hoc verum; neque mirum tot ſæculis, ſi tam ſæpe, ac variè Iſidori libri tranſcripti ſunt, verbum illud importunum irrepſerit. Sed, vt quod ſentio, verè, atque ingenuè cõfitear, eam fuiſſe puto Iſidori ſentẽtiam, vt exiſtimaret Epiſtolam illam

non ab alio, quàm à Iacobo Zebedæi filio fuiſſe compoſitam, illámque fuiſſe Hiſpaniæ olim receptam, & multorum ſæculorum ſeruatam traditionem.

3. In Officio Mozarabo Epiſtola ſcripta dicitur à Iacobo Maiori. QVOD nemini, credo, aut nouum videbitur, aut mirum: nam, vt obſeruarunt ante me nonnulli, quæ cap. illo 73. alicui aut negligenter ſcripta, aut incautè ab aliis inſerta viſa ſunt, eadem diligentiſſimè, atque attentiſſimè ab Iſidoro in locis maximè religioſis, & ſacris, vbi leuis incuria, & exiguus error, culpa eſſet ſanè quàm grauiſſima, verbis multo magis expreſſis, atque perſpicuis ex poſita ſunt; vbi Iacobum Maiorem illius eſſe Epiſtolæ ſcriptorem oſtēdit. Nemo neſcit, neque Baronius quidem negat ad diem 25. Iulij, Officium Gothicum, ſeu Mozarabum compoſitum fuiſſe ab Iſidoro: atqui in illo plurima ſunt, quæ omnino ſignificant Epiſtolam illam eſſe noſtri Iacobi: nam in propria Iacobi liturgia in oratione quadam ita precatur: *Vocantem nos ad ſe Ieſum, fratres dilectiſſimi, agnoſcentes, qui beatiſſimum Iacobum Apoſtolum ſuum retia componentem in naui ad ſe vocans eiuſmodi, nos poſtmodum ſpiritualibus doctrinis admonet, atque docet, vt poſtulantes in fide nihil hæſitemus.* Hæc verba, vt apparet, ſumpta ſunt ex cap. 1. num. 6. *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans.* Et in oratione alia. *Viuant in nobis Ieſu Domine, Apoſtoli tui Iacobi prædicamēta doctrinæ, quibus docemur illum beatum eſſe, qui illatus tentationis voluerit æquanimiter ſupportare.* Hæc verba habes cap. 1. num. 12. *Beatus vir qui ſuffert tentationem.* In alia ruſus oratione. *Apoſtolo tuo Iacobo, Domine, edocente præmonemur, vt ſi quis noſtrûm indiget ſapientia, poſtulet à te, qui das omnibus affluenter, & non improperas.* Hæc ſumpta ſunt ex cap. 1. numer. 5. *Si quis veſtrûm indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non impróperat.* Et ne vllus ſupereſſet dubitandi locus, in oratione alia pro defunctis, titulum ipſum Epiſtolæ proponit. *Cuius doctrina duodecim tribuum commemoratium edocetur.* Scribitur autem, vt patet, Epiſtola illa ad duodecim tribus, quæ ſunt in diſperſione. Huius autem Officij quanta ſit authoritas, probat ipſius antiquitas, & quod toti Hiſpaniæ olim commune fuit, & nunc etiam Pontificum authoritate multis in locis recitatur, & quod illuſtri miraculo confirmatum eſt. Communis authoritas, & in re vſque adeò ſacra, multorum authorum inſtar obtinet.

QVOD ſi Iacobus diſperſis inter Gentes tribubus inuexit Euangelium, vt cum Iſidoro docet etiam Sophronius ad librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis, quem ſcripſit Hieronymus, & Dorotheus in ſynopſi, non nemo ſuſpicari poſſet non vſque adeò improbabile videri illius Epiſtolæ ſcriptorem eſſe Zebedæi filium. Ita putabat Rex Alfonſus cognomento Sapiens, in libro quem inſcripſit Theſaurum, vt refert Mariana in tractatu de B. Iacobo. Vbi etiam obſeruauit id in Breuiario Mozarabo non ſemel inueniri. Certè in editione Syriaca apud Wimatſtadium, & item alia apud Tremellium in inſcriptione Epiſtolæ apertè Iacobus Zebedæi filius illius author eſſe dicitur. *Sigillamus tres Epiſtolas, Iacobi, Petri, Ioannis. Iſti ſunt, qui teſtes fuerunt ſuper reuelationē Domini noſtri, quando immutauit ſeipſum corā oculis ipſorū in monte Thabor.* Vide Serariū Prolegomeno 3. in Epiſtolam Iacobi.

Ego

3\. *Probabiline eſt à Iacobo Minori ſcriptam eſſe Epiſtolã, propter communẽ ſententiã.*

Ego hac in re nihil definio, imò potiùs cum aliis plurimis Iacobo Alphæi filio Epiſtolam aſcribo: ſed non ideo puto inertiæ, aut ignorantiæ damnandum Iſidorum; ſuo enim tempore duos tantùm habuit, qui Iacobum Alphæi Epiſtolæ illius authorem nominarent, idque non omnino definitè, reliqui communi vocabulo Iacobum eſſe dicunt. Neque in re ipſa periculum eſt, quocũque modo ſentias, dum Epiſtolam Canonicam eſſe, & ab Apoſtolo cõſcriptam fateare, cùm de alterutro Iacobo nihil Eccleſia definierit, & vtriuſque æqualis ſit, & canonica fides.

Accedit, quòd tam Dorotheus in ſynopſi, quàm Sophronius ſuprà, & Oecumenius in Præfatione ſuper Act. Iacobum Zebedæi prædicaſſe dicunt tribubus, quæ erant in diſperſione: quocirca prudenter cõiectauit Iſidorus (neque enim hîc aliter agendum quàm coniecturis) cùm Epiſtolam, quæ ad tribus, quæ in diſperſione erant, data eſt, illius eſſe credidit, qui diſperſis inter Gẽtes tribubus prædicauit. De authoritate Sophronij, atque Dorothei nihil hîc dico; neque cum eis diſceptare eſt animus, qui illorum tam fidei, quàm antiquitati detrahunt. Quòd ſi nemo Officium illud Gothicum, ſeu Mozarabum indignum putauit Iſidoro, etiamſi Epiſtolam illam verbis planè diſertis à Zebedæi filio ſcriptam indicauerit, cur librum de vita, & morte Sanctorum propter eandem rationem alienum eſſe cenſebit?

4\. Illud fortaſſe iudicabit non nemo Iſidori nomine parum eſſe dignum, quòd in Præfatione librorum noui Teſtam. Iacobum fratrem Domini authorem eſſe dicat Epiſtolæ. Si quis eſt, qui ita ſtatuat, condamnet quoque neceſſe eſt Auguſtinum, Hieronymum, S. Thom. & magnos alios Eccleſiæ Doctores, qui ad nouam rerum cognitionem, nouam quoque ſententiam amplectuntur, quam antè non probarant. Quod ſi in eodem opere, atque ſtudio foret, minùs eſſet ferendum; at in diuerſis, vbi diuerſæ etiam rationes occurrunt, vſitatum eſt, & venia non indignum. Putabat, credo, Iſidorus priùs Canonicam illam Epiſtolam ſcriptam à Iacobo Minori; idque teſtatum reliquit in illa Præfatione: ſed cùm datum illi fuit à Concilio Toletano 4. vt Eccleſiaſticum Officium toti Hiſpaniæ commune concinnaret, vt eſt communis Hiſpanorum ſenſus, videtéque in Officiis, quæ variè recitabantur in Hiſpania, ex quibus ipſe Breuiarium, quod Gothicum, ſeu Mozarabum appellamus, compegit, illius Epiſtolæ ſcriptorem vocari Iacobũ Zebedæi filium, antiqua illa traditione. & ſacrorum Officiorum authoritate permotus, quæ ſanè grauiſſima eſt, ſententiam mutauit, & tam in libro de vita, atque obitu Sanctorum, quàm in Officio Mozarabo, à Iacobo Maiori Epiſtolam illam dixit eſſe compoſitam. Sicut etiam quòd de obitu, ſepulturáque B. Virginis dubitaret, id poſtea affirmauit in Officio Mozarabo; quia id à Gregorio didicit, aut certè à Liturgiis, & Breuiariis, ex quibus ipſe coagmentauit Officium. Ex quo apparet longè ante Iſidorum extitiſſe illam aut de Iacobi in Hiſpaniam aduentu, aut de illius Epiſtolæ ſcriptore apud Hiſpanos traditionem.

Nõ eſt improbabile Epiſtolã cõpoſitã à Iacobo Maiori.

CAP. XIII.

Cur Herodes, à quo Iacobus occiſus eſt, Tetrarcha vocetur ab Iſidoro.

1. Quomodo Herodes dici poſſit Tetrarcha.

OBIICITVR item huic libro, quòd Herodes à quo Iacobus interfectus eſt, cùm Rex eſſet, vt ex Actis liquet c. 12. *Miſit Herodes Rex manus*; tamen ibi non Rex appellatur, ſed Tetrarcha. Eodem loquitur modo Sophronius, & Dorotheus, alter in catalogo Scriptorum apud Hieronymũ, alter in ſynopſi: item Oecumenius in Præfatione quadam ſuper Acta. Reſpondeo, vſu ſæpe euenire, vt quæ vicina ſunt ſignificatione, aut miniſterio, mutuum ſibi viciſſim præſtent nomen, atque vſum. Qua ratione vitricum, patrem vocat priuignus, & nouercam, matrem. Et in eis, qui cum poteſtate, atque imperio ſunt, res vſitata, atque comperta magis; nam Tyranni Reges appellantur; & viciſſim Reges Tyranni: eo etiam tempore, quo malè iam audit Tyrannorum nomen. Et qui Iudices fuerunt in Iſraël, illi à Ioſepho ſæpe nominantur ἄρχοντες, id eſt, *Principes*; ϛρατηγοὶ, id eſt, *Duces*: imò & Reges; ſic enim Philo Moyſem appellat. Cùm ergo Tetrarcha Rex quidam ſit, aut magiſtratus Regis inſtar; non quidem totius prouinciæ: ſed quartæ partis eius, non dixit aliquid durum, aut inſolitum Iſidorus, cùm pro Rege Tetrarcham poſuit. Et quidem apud externos *Tetrarcha* non ſemper in ſua propria ſignificatione ſumitur, vt conſtat ex Strabone libro 12. Quòd ſi ex eo indignus Iſidoro putatur liber ille, qui pro Rege Tetrarcham adhibut; indignum quoque Marco, ac Canonica fide (quod dictu, ac cogitatu nefas) eſſet Euangelium à Marco conſcriptum; quia cap. 7. numero 14. Regem appellat Herodem, quem Matthæus capite 14. numero 1. & Lucas capite 9. numero 7. Tetrarcham appellant. Quòd ſi id cum Euangelica authoritate, ac fide non pugnat, cur quæſo pugnare arbitrabimur cum hiſtorica? Et ſanè Heſychius Tetrarchas Reges eſſe dicit. Quare quid tantum ſit in ea nominum permutatione tam in Marco, quàm in Iſidoro non video.

NEQVE deeſt opportuna ratio, cur Herodes Agrippa, cùm Rex eſſet, Tetrarcha tamen appellati potuerit. Notum eſt enim in Scriptura in rebus longè grauioribus, mutato ſtatu, antiquum tamen nomen retineri ſolere: quomodo Chriſti corpus, & ſanguis panis appellatur, & vinũ; quia proximè ante cõſecrationem vinum erant, & panis. Cæci etiam videre dicuntur, & ambulare claudi quia antequam viderent, atque ambulare inciperent, claudi erant, & cæci. Et apud prophanos virgo vocatur, quæ paulo antè corruptus eſt, quia proximè virgo erat. Quid mirum igitur ſi Herodes Rex appelletur Tetrarcha, qui tunc primus Rex erat conſtitutus à Claudio, & proximè ab omnibus Tetrarcha dicebatur? Vt enim tradit Ioſephus lib. 19. Ant. cap. 7. obtinuit Philippi Tetrarchiam quatuor annos ſub Caio; deinde Tetrarchiam aliam, quam habuit Herodes. Vbi autem primùm à Claudio regnum obtinuit, id eſt, cùm primùm eſſe Tetrarcha deſiit, Iacobum interfecit,

primo

primo videlicet anno Claudij. Quid igitur mirum, ſi à tot viris Tetrarcha nominetur Herodes eo tempore, quo nondum videbatur iniſſe Regnum?

CAP. XIV.

In quo loco dicat Iſidorus ſepultum eſſe Iacobum.

1. Quomodo Iacobus ſepultus in Marmarica.

ALIVD etiam occurrit minùs quidem difficile; non tamen à nobis prætermittẽdum, ex eodem 73. capite, quod ita de Iacobo terminat Iſidorus; *ſepultus eſt in Marmarica*; quod pugnare omnino videtur cum antiqua, & communi traditione, quæ in Gallecia ſepultum eſſe clamat. Hoc loco accidiſſe video Iſidoro noſtro, quod omnibus omnino non prophanis modò, ſed etiam ſacris, atque canonicis ſcritoribus, vt vocibus, præſertim barbaris, & ignotis aliquid addatur, detrahatur, aut mutetur, quod vim, & ſignificationem aut confundat, aut perdat.

2. Reg. Nomina propria, maximè inuſitata varias ſubeunt mutationes.

QVOD accidit plerumque nominibus propriis, quæ rarò in hominũ notitiam, atque ſermonem veniunt. Hinc crebræ ab eruditis lectiones variæ, hinc notationes, quæ tamen nondum impeditas, & peregrinas voces extricarunt. Quid magis notum Hiſpanis eſſe debuit, quàm illorum nomina, qui in Hiſpania regnarunt? At illa ſic variant interdum, vt vix ad eundem pertinere poſſe credas, quia Alfonſus plerumque, idem Adelfonſus, Illefonſus, & Ildefonſus nominatur. Idem modò Ramirus, modò Ranimirus: idem Bermudus, & Beremundus: idem Ferdinandus, Fernandus, & Ferrandus vocatur. Nomen accipe ex eodem tempore, atque hiſtoria petitum. Diſcipulus Iacobi, de quo ſæpe in hoc opere, modò Cteſiphon dicitur, modò Teſiphon, interdum Tiſiphon, aliquando Iſiphon, & aliis etiam modis appellari ſolet.

QVID ergo miremur, ſi cùm ea, quæ maximè nota eſſe debuêre, tam inſigniter varient, pars illa Galleciæ non adeò nobilis, & in extrema Hiſpaniarum ora, hoc eſt, in terræ finibus, nomen habuerit aut varium, aut ignotum Iſidoro? In Iſidori libris non vno modo legitur locus, in quo nunc noſtra laborat cura: quidam codices *Marmarica* legunt, quidam *Carmarica*, alij aliter. Neque ſi nunc illud in Compoſtellano tractu nomen ignoretur, mirandum eſſet cuiquam prudenti, cùm in Arabum illuuione mutata fuerint antiqua locorum vocabula, audiamúſque quotidie Latina ciuitatum nomina, quarum ſitum, & plagam ignoramus. Sed eſt in ea Galleciæ parte, in qua conditum eſt Iacobi corpus, aliquod antiqui nominis non obſcurum veſtigium, quod ante me viderunt alij ſatis ad coniecturam acutè, quódque ego, quia magis probo, omiſſis aliis vnũ adducam.

VSITATVM eſt in omni fermè natione, vt regiones à fluuiis, qui in ipſis præcipui ſunt, aut aliquo titulo, ſeu ratione nobiles, nomen aſſumant. Sic Rhenus, ſic Padus, ſic Indus, & Ganges nomen indidêre prouinciis, quas interfluunt. Sic à Bethi Bethica, à Tago terra trãſtagana, aut

ciſta

Digitized by Google

ciſtagana dicitur. Eodem modo putant aliqui,quorum mihi ſententia probatur maximè,quia à Tamari fluuio, qui,vt Plinius docet libro 4. cap. 20. Pomponius Mela lib. 3. cap. 1. extremam illam Hiſpaniæ oram interluit,populi illi occidui Tamarici vocantur,partem illam quoque appellari Tamaricam: ſicut etiam populi à Bethi fluuio Bethici,& regio ipſa Bethica nominatur. De his alij pluribus,nobis ſatis ſit,hæc paucis pro noſtro inſtituto fuiſſe complexos. A Tamarica autem ad Carmaricam, ſeu Marmaricam non magna eſt,aut inſolens mutatio.

CAP. XV.

Vtrùm Philippus prædicarit in Gallia.

1. Quomodo Philippus dicatur in Gallia prædicaſſe.

AD extremum ideo liber iſte indignus exiſtimatur Iſidoro, quia in cap. 83. Philippo dicit ſorte contigiſſe Galliã. Quod etiam Beda ex Iſidoro in ſua tranſcripſit collectanea. Et Iulianus Archiepiſcopus Toletanus, qui eodem, quo Iſidorus ſæculo vixit, in Commentariis ſuper Nahum ad illud, *& nebula pulueris pedum*; Galliã quoque Philippo contigiſſe tradit. Sed neſcio cur iſti Officium quoque Mozarabum Iſidoro non adimant, quando in ipſo quoque Philippus Apoſtolus Galliæ fuiſſe dicitur in quodam hymno ad Veſperas. Sanè eodem ſenſu Sophronius in lib. de Scriptoribus Eccleſ. & Epiphanius hæreſi 51. Creſcentem Pauli diſcipulum prædicaſſe dicunt in Gallia. Quod etiã putat Oecumenius Præfatione in Acta Apoſtolorum. Vbi ſine dubio in Gallia Galatiam intelligunt.

2. Gallia eadem quæ Galatia.

CERTE Theodoretus in illud 2. ad Timotheum cap. 4. *Creſcens in Galatiam*; Galatiam dicit, Galliam vocari. Cur autem Galatia Gallia, & Galatæ, Galli nominentur, ideo eſt, quia ſicut hi nomine, ſic etiam generis cõmunione coniuncti ſunt. Fuit enim Galatia Gallorum Colonia, vt Iuſtinus tradit lib. 24. & 25. & Hieronymus libro 2. Commentarij in Epiſtolam ad Galat. & noſter Iſidorus lib. 14. Etymolog. cap. 3. vt nos pluribus antea, qui Galatiam olim Gallogræciam dictam eſſe volunt. Quid ergo nunc accuſatur Iſidorus, quando cum aliis hoc loco ſentit, ac loquitur?

HÆc qui grauia putat, dignáque ea cenſura, vt propterea liber hic ab Iſidori ſcriptis alienus iudicetur, idem etiam ſentiat neceſſe eſt de Officio Gothico, ſeu Mozarabo, in quo de Gallia, atque de Epiſtola à Iacobo Zebedæi filio conſcripta, eodem penè modo loquitur Iſidorus.

CAP. XVI.

An Simon Chananæus Iacobo in Epiſcopatu Solymitano ſucceſſerit.

1. An Simõ Apoſtolus Epiſcopus fuerit Ieruſalem.

OBIICIVNT præterea, quòd in eo libro cap. 82. Simon Apoſtolus defuncto Iacobo Minori in Epiſcopatu ſucceſſiſſe traditur. Ego quidem non contendo Apoſtolũ Simonẽ pro Iacobo fratre Dñi Solymorum Epiſcopum eſſe conſtitutum; id verò ago, cogitationem hanc non eiuſ

eiuſmodi eſſe, vt propterea liber ille indignus cenſeri debeat Iſidoro: habuit enim, quibus in eam ſentētiam adduci poſſet, non leues cōiecturas, de quibus ſtatim. Neque vnus fuit Iſidorus, qui ſic exiſtimauit: nam idem etiam exiſtimarunt Sophronius in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorū, Dorotheus in ſynopſi, Oecumenius in quadam præfatione ſuper Acta, Beda in c. 1. Actuum, qui licèt ſententiam illam retractauerit in libro Retractationum in c. 1. Act. illam tamen non omninò improbari ſibi dicit; vt habes ſtatim eodem capite in fine. Ex qua Bedę ſententia, quam & olim habuit ſecutus Iſidorum; neque in Retractationibus re ſcrupuloſiùs examinata prorſus abiecit, colligo, quàm eſſet res obſcura Bedæ etiam tempore, qui pluſquàm 100. annis poſterior Iſidoro fuit; quo tempore rem multo quàm antea illuſtriorem eſſe oportuit: neque poſt rem magis exploratam aliquod habuit argumentum efficax, & graue, quo priorem ſententiam omnino deponere cogeretur. Vt autē Commentarios in Acta non ideo indignos Venerabili Beda exiſtimamus, quia Apoſtolum Simonem pro Iacobo Epiſcopatum dicit ſuſcepiſſe Solymitanum; ſic neque ob eandem cauſam librum in quo idem Iſidorus prodit, alienum ab Iſidori authoritate, & nomine iudicabimus.

2. In eam verò ſententiam non temerè adductus Iſidorus fuit, & qui cum Iſidoro de Simonis Epiſcopatu ſenſerunt: nam cùm Simeon, qui à Iacobo proximè Solymitanam gubernauit Eccleſiam, frater dicatur eſſe Iacobi; & idē de Simone Chananæo tradant aliqui, neque pauci, neque ignobiles, facilè fraterni nominis cōmunione, & nominū ſimilitudine (cū inter Simonē, & Simeonē parū interſit; imò verò nihil, cùm Simon, & Simeon idem ſint, ſicut Ieſus, & Ioſue) adduci potuerunt, vt Simonem Apoſtolum Iacobi in Solymitana Cathedra ſucceſſorem putarent: quæ res magnos interdum viros in errorem induxit, qui tamen ideo improbari non ſunt. Fuit Philippus Apoſtolus è numero duodecim, fuit item Philippus alter diſcipulus, & Diaconus; nominis autem ſimilitudo fecit, vt quæ Diaconi ſunt, Apoſtolo à quibuſdam tribuātur. Ita Clemens Alexandrinus libro 3. Strom. cap. 24 & Polycrates apud Hieronymum de Scriptoribus Eccleſ. in *Polycrate*. Idem ex Papia tradit Euſebius lib. 3. hiſt. cap. 33. Idem Dorotheus in ſynopſi, Sophronius in catalogo ſcriptorum Eccleſ. & Iſidorus noſter libro de vita, atque obitu Sanctorum c. 75. Idem etiam accidit in Thaddæo: nam cùm duo eiuſdem fuerint nominis, alter Apoſtolus, alter è ſeptuaginta duorum diſcipulorum numero, quam Thaddæus diſcipulus legationem obiit ad Abagarum Edeſſæ Regulum, alij Thaddæo aſcribunt Apoſtolo. Ita ſe exiſtimaſſe olim ſcribit Beda in Retractationibus ſuper Acta cap. 1. ſecutum Hieronymi Commentarium: idem Oecumenius, & alij. Idem pene accidit Euangeliſtæ Marco, & Marco Barnabæ conſobrino, qui & Ioannes vocatus eſt: nam nominis communio non geſta illorum ſolùm, ſed etiam perſonas confudit. Ex duobus enim vnum facit Hieronym. in epiſt. ad Philemonem. Nicephorus lib. 2. cap. 15. & quæ vnius ſunt, alterius eadem eſſe exiſtimant.

Regul. Nominū ſimilitudo magnos interdum viros in errorem induxit.

Ex his ſatis videtur factum illis, qui Iſidoro item obiiciunt, quòd in eo libro cap. 75. quod Philippi Dia-

Digitized by Google

coni eſt, Philippo tribuerit Apoſtolo, dum ait cum filiabus ſuis fuiſſe ſepultum: habuit enim quos ſequeretur duces, & decipi etiam cum aliis potuit nominis communione.

Alia poſſent huc exempla produci; ſed plura ad inſtitutum noſtrũ neceſſaria non ſunt. Cùm viros hoſce tantos nominum ſimilitudo ab ignoratione, ſeu inertia liberet, cur Iſidorum & nominis communio, & fraternæ præterea cognationis opinio ab incuriæ nota, vel ab inſcitiæ labe non defendat? Sanè Simonem Apoſtolũ Iacobi fratrem fuiſſe docent Sophronius, & Beda in Acta Apoſt. c. 1. Idem etiã cenſere debent, qui Iacobum Iuſtum filium eſſe putant Cleophæ; in quibus ſunt Oecumenius in Præfatione ſuper Acta. Quare cùm Iacobi frater, qui dicitur Simeõ, in Solymitana Cathedra ſucceſſiſſe tradatur Iacobo, quid miremur ſi Simon Chananęus, qui etiam exiſtimatus eſt Iacobi frater, à quoquam exiſtimetur in Solymitana ſede poſt Iacobum ſediſſe?

CAP. XVII.

Quid Iſidorus ſenſerit de obitu, & ſepultura B. Virginis.

Illud præterea (vt omittam alia, quæ minùs premunt communem de huius operis authore ſententiam) nonnulli cenſent indignum Iſidori fide, quod c. 68. videtur de B. Virg. ſepultura atque obitu dubitare; ſic. n. ibi. *Specialiter tamen nulla docet hiſtoria Mariã gladij animaduerſione peremptam; quia nec obitus eius vſpiam legitur; dum tamen nec reperiatur ſepultura.* Quòd ſi legas, vt ex antiquorum codicum fide nunc habet emendatus codex; *dum tamen reperiatur eius ſepulcrum;* nihil habet difficultatis obiectio. Legamus tamen, vt legebant antè, qui hæc opponunt, & exploremus, quid in illa lectione indignum eſſe poſſit Iſidoro. Duo hîc, vt vides, attigit Iſidorus, alterũ de Virginis martyrio, alterum de illius obitu, ac monumento. De priori aſſerit nihil omnino extare apud Hiſtoricos: quod nemo, credo, inficiabitur; de altero minùs loquitur audacter, minùs generatim, & liberè. Neque enim, vt ego ſentio, affirmat nuſquam ſcriptum eſſe de illius monumento, ac morte, ſed nullibi legi. Legi autem, vt ex vſu Eccleſiaſtico norunt viri eruditi, idem eſt, atque in Officio ſacro, aut Kalendariis in Eccleſia publicè recitari. Sicut vulgò id legi communiter dicitur nõ quod ſcriptum eſt, & legi poteſt: imò & aliquando ſolet, ſed quod frequenter, & quaſi legitimè recitatur. Quomodo in humaniorum literarum Scholis legi dicitur Tullius, & Demoſthenes; in Philoſophia Ariſtoteles, & Plato; in Theologia ſententiarum Magiſter, S. Thomas, & Scotus; in tẽplis Euãgelia, Pſalterium, & Sanctorum geſta in Officio ſacro. Sic, puto, ante Iſidori ſæculum publicè nihil legebatur de Mariæ morte, ac ſepultura, licèt de Aſſumptione aliquid ſolemne eſſet, atque legitimum. Quod ſanè Epiphanij tempore ita contigiſſe, mihi certum eſt; alioqui non ipſe tam liberè dixiſſet hæreſi 78. & 79. de Beata Virgine. *Non dico, quòd immortalis manſit; ſed neque affirmo, an mortua ſit.*

Eo itaque tempore, quo liber hic compoſitus eſt ab Iſidoro, nihil, opinor, publicè de Virginis obitu legebatur in Eccleſiis; poſtea verò quàm opera Gregorij Magni, qui eodem,

eodem, quo Iſidorus, tempore floruit, recitari in Eccleſia cœpit Beatæ Virginis mors, & ſepultura (vt liquet ex libro Sacramentorum in feſto Aſſumptionis) aut certè in aliquarum Eccleſiarum Officiis legit, ex quibus ipſe coagmentauit, ordinauítque Mozarabum; audacter Iſidorus in Officio Mozarabo mortis illius meminit, & ſepulturæ. Sic enim in quodam hymno in feſto Aſſumptionis de Ioanne, & Maria loquitur, quos corpore pariter, & animo Deo frui putat.

Quorum dum tumba corpora
Lege ſuſcepit propria,
Elata hinc diuinitùs
Sunt, vbi cernat filium.

Idem etiam fatetur in Miſſali eodem Aſſumptionis feſto, vbi B. Virginem eodem modo, & Ioannem Euangeliſtam cum Henoch, & Elia comparat. *Illis* (de Maria, & Ioanne) *per indeclinabilem carnis ſtatum, poſt etiam ſepulchri deſcenſum, permeémque illinc Maria, & ineffabiliter exitum, ſicut ibidem Ioannis ingreſſum, ſic permanſurum incomprehenſibiliter, vſque ad futurum aduentum.* Et in Officio S. Ioannis Euangeliſtæ poſt *Sanctus* ſi ait. *Maria nullo perſecutionis mortis ſua coanguſtiata tormento latanter ex hac vita ſubducitur.*

CAP. XVIII.

Qui librum de vita, atque obitu Sanctorum Iſidori eſſe teſtentur.

HÆc pro vindicando Iſidori libro, liberandóque ab illis quaſi maculis, quæ fidem illi, & parentis optimi nobile genus adimebant. Nunc iam antiqua aduocemus teſtimonia, contra quæ ſtare, & æquis congredi viribus non poterit aduerſaria vis. Appellat ſcriptorem huius libri Baronius non ſemel pſeudoIſidorum, & in eo eſſe affirmat coagmentata mendacia ad diem 25. Iulij. Sed idem Baronius ad diem Aprilis 4. cùm negaret tractatum quendam editum eſſe ab Iſidoro de ordine cogendi Concilij, id probat: *quia Braulius*, inquit, *& Ildefonſus, qui illis vixêre temporibus catalogum texêtes ſcriptorum ipſius, nullam prorſus mentionem de eo opere habuerunt.* Editum vtique ab Iſidoro crederet, ſi in catalogo Ildefonſi, & Braulij comperiſſet. Cur igitur neget hoc opus ab Iſidoro natum, cùm in illorum catalogo inueniatur? Sanè Braulius in libro de viris illuſtribus in Iſidori Vita, quæ ipſius operibus communiter præfigitur, dum alia Iſidori ſcripta commemorat, inquit: *De ortu, & obitu Patrum librum vnum, in quo eorum geſta, dignitatem quoque, & mortem eorum, atque ſepulturam, ſententiali breuitate ſubnotauit.* Hic autem Braulius non modò coætaneus Iſidoro fuit, ſed etiam amiciſſimus.

Idem quoque fecit Ildefonſus vtrique ætate proximus; ſic enim in catalogo virorum illuſtrium de Iſidoro: *Scripſit opera eximia, & non pauca, id eſt, librum de genere Officiorum; librum procemiorum, librum de ortu, vel obitu Prophetarum.* Teſtis præterea eſt Beda, qui ex eo opera multa tráſcripſit in collectaneis, in quibus de aduentu Iacobi iiſdem verbis agit, quibus Iſidorus cap. 83. vbi datam eſſe dicit Hiſpaniam Iacobo, & Philippo Galliam. Suadet verò illud opus collectum fuiſſe à Beda (quod nonnulli dubitant) quia diſcipulus ipſius, dum ſcribit, quidnam ille extremis vitæ diebus elaborarit. *In iſtis* (inquit) *diebus duo opera memoria digna facere ſtuduit, id eſt, à capite Euangelij S. Ioannis vſque ad eum locum, in quo dicitur; ſed hæc*

quid ſunt inter tantos? in noſtram linguam ad vtilitatem Eccleſiæ Dei conuertit;& de libris Iſidori Epiſcopi exceptiones quaſdam. Opus autem illud, in quo ex Iſidori libro de vita,atque obitu Sanctorum multa cōpilauit, exceptiones, ſeu collectanea appellauit Beda. Vitam hanc à Bedæ diſcipulo conſcriptam tradit Surius to. 7. ad diem Maij 10. de cuius fide dubitandum non eſſe ait Baronius in Martyrologio ad diem 27. Maij. *Epiſtolam*, inquit, *illam à Surio relatam in to.7.ad diē 10.Maij germanam, atque ſynceram eſſe,nullus, qui eam legerit, iure poterit dubitare.* Hinc etiam conſtat, quemadmodum illa Bedæ collectanea reiicienda non ſint,tanquam Bedæ forent adſcripta falsò, cùm oculatus teſtis fateatur extremo vitæ tempore illud opus elaboratum à Beda.

Sed eſto aliud magis illuſtre Bedæ teſtimonium: cùm enim ex Iſidori ſententia,in libro nempe de vita,atque obitu Sāctorum dixiſſet in cap. 1. Actuum, Simonem Chananæum Apoſtolum in Epiſcopatu Solymitano ſucceſſiſſe Iacobo,cùm poſtea minùs ipſi placeret illa ſententia, in Retractatione ſuper Acta ſic ait: *Porrò Iſidorus arbitratur hunc Simonem eſſe, qui poſt Iacobum fratrem Domini Hieroſolymorum rexit Eccleſiā, ac ſub Traiano crucis martyrio coronatus eſt, cùm centum, & viginti eſſet annorum, quem & nos olim in primo Actuum Apoſtolorum ſecuti ſumus,non ea,quæ ſcripſit ſcrupuloſiùs diſcutientes, ſed ſimpliciter eius dictis auſcultantes, ratis, quòd hæc ipſe de certis veterum hiſtoriis didicerit, quod ne adhuc quidem negare audemus.* Hæc Beda, qui ſanè ſpectauit librum de obitu, ac vita Sanctorū:neque enim alibi hæc tradit Iſidorus. Plures alios citarem teſtes,qui opus illud profectū eſſe tradunt ab Iſidoro,vt Tritemium,Sigibertum;ſed ad illum,qui docilem ſe præſtare voluerit,plus ſatis teſtimoniorum adduximus.

CAP. XIX.

Quid Ioannes Boſcus de aduentu Iacobi ſentiat,& quale cenſeri debeat eius teſtimonium.

STATVERAM hoc loco finem facere diſputationum de Iacobo Hiſpanorum Apoſtolo: neque quid iam amplius operam noſtram, aut ſtudium requireret, occurrebat, aut quod oppoſuiſſent antiquæ traditionis oppugnatores; aut quod mihi videretur Hiſpanicę cauſę aliquid faceſſere negotij. Neque agendum mihi exiſtimabam cùm Ioanne Boſco, qui ſtylum,plus quàm alij,immoderatū, & liberum in Hiſpanicę cauſæ iugulum intentat. Sed ne ſilentium nobis, atque modeſtia damno ſit, & fraudi,agam cum illo ſanè pro meo ingenio, atque inſtituto parcè, ac modicè:neque quicquam adducerē ad eleuandam vel authoris,vel opuſculi,quod nobis opponit, authoritatem, & fidem, niſi id ad publicæ cauſæ, cuius patronum ago, defenſionem pertinere iudicarem.

ACCEDO quidē ad hanc diſceptationē inuitus, ſed niſi meipſū fallo, neceſſariò.Quod etiā feci dum manu ſcriptos ex Bibliotheca Toletana codices leuitatis coarguo:quod quidem nullo feciſſem modo, niſi quātùm Hiſpanicæ cauſæ attuliſſent incommodi,antè cognouiſſem. Cùm enim aliqui Hiſpanicarū rerum, ac temporum non admodùm gnari in anonymis illis Cōmentariis aliquid eſſe momēti,ac publicę fidei arbitrarētur, dubitare cœperūt de antiqua traditione, imò audacter, & liberè negare, quod grauiſſimorū authorum ſcripta,& omniū fermè ſeculorum

rum traditio cõfirmarat. Simile aliquid euenire poſſe metuebam, ne ſi anonymis item aliis Commentariis ex Bibliotheca Floriacenſi ineſſe fides putaretur, ac pondus: alij, qui aut in Hiſpanicũ nomẽ duriùs eſsẽt animati, aut qui detrahi ſibi putant quicquid aliis gloriæ accedit, & cõmodi, laborare crederent traditionem antiquam; mei muneris eſſe duxi, vt huic occurrerem incommodo, oſtenderémque quàm indigni eſſent codices iſti Floriacenſes, qui de translatione agunt D. Iacobi, quibus à viris doctis haberi fides, aut debeat, aut poſſit. Neque vanus eſt metus iſte, aut temerè in hanc cogitationem venio; nam laudari iam video opuſculum iſtud de Iacobo tranſlato, dignúmque iudicari quod legatur ab omnibus. Sed credo iudicium hoc ab illis eſſe, qui aut non expenderunt, aut quod mihi veriſimilius eſt, non legerunt; neque audierunt quid opuſculum illud contineret.

SI quod ad Hiſpaniæ cauſam pertinet, ſpectare voluiſſem, probarem potius, amplecterérque gratus anonymi illius ſcriptoris ſtudium, & laborem. Fauent enim magis manu ſcripti codices, quàm oppugnant Hiſpanorum cauſam. Multa etenim dicunt, eáque non obſcurè, quæ ſtare nullo modo poſſent, niſi Iacobus Chriſti nomen annunciaſſet Hiſpanis. Si quid verò minùs cum hac cogitatione facit, id vſque adeò alienum eſt ab hiſtorica fide, rerúmque conſecutione, vt omnes omnino reſpuant tanquam abſurdum, &, nemine contrà nitente, ſuo ſe teſtimonio mendacij, atque leuitatis coarguat. Sed quia hoc authore incognito ad ſuæ cauſæ patrocinium non egent Hiſpani, qui nubem habent teſtium externorum, fieríque video vt hinc telum, licèt plumbeum, accipiant aduerſarij, quod acutum, & durum aut putant, aut ſimulant, faciendum mihi exiſtimaui, vt quo loco haberi debeat opus hoc Floriacenſe, alios edocerem.

Et interim admoneo eos, qui ex tenebris euocare ſtudent ſitu iamdudum, & tinea corroſos Commẽtarios, videant diligẽter, quẽ vſum, aut doctrinæ, aut moribus allaturi videantur: quantæ ſint fidei, cuius ingenij fœtus. Nam diu, & eo maximè loco, vbi ab aliis legi potuerũt, latuiſſe, argumentum eſt, in illis non multùm eſſe eruditionis, ac fidei, aut exiſtimatos eſſe ab aliis, qui oculos habuerunt, & mentem, indignos qui lucem intuerentur publicam, & aliorum oculos, & iudicium ſubirent. Quales omnino exiſtimari videntur, aut à Toletanis Sacerdotibus (in quibus fuêre omni ætate quàm plurimi ingenio, atque doctrina præſtantiſſimi) Commentarij alij, qui poſt tot ſæcula in lucem, cuius erant indigni, prodierunt: aut à Floriacenſibus Monachis, inter quos doctrinæ, ac pietatis gloria floruêre quàm plurimi, codices iſti, qui magno ſuo merito tot annis in obliuione, ac tenebris iacuerunt. Primùm itaque de authore, quod ex illius verbis obſeruare licuit: deinde de opuſculi, cuius in noſtram cauſam pondus exiſtimatur eſſe graue, authoritate in medium, atque adeò in prudentium examen, & iudicium vocemus.

AB authore, præſertim cùm hiſtoricum agit, de re, quæ in iudicio, atque in diſceptatione verſatur, duo præſertim exigunt viri prudentes; quorum ſi alterutrum abſit, omniũ conceſſu, fides exiſtimatur eſſe leuis. Alterum eſt, vt in eo ſaltem rerum genere, de quo aut diſputat, aut texit hiſtoriã, ſapiẽs ſit; ne quaſi peregrinus in alieno ſolo, & erret ipſe

Digitized by Google

turpiter, & incautum lectorem in errorem trahat: alterum, vt animum neutram in partem infectum, ſeu affectum oſtendat. In illo propter ignorationis opinionem; in hoc propter infecti animi beneuolentiã, aut odium parum eſſe momenti putant ad hiſtoricam fidem. Vtrumque quale ſit in Boſco, ipſe nobis author ſuis verbis oſtendet.

Et quidem quàm ſit animo in Hiſpanicum nomen parùm propẽſo, docet non obſcurè genus ipſum dicendi: ſubamara etenim irriſione ſugillat Hiſpanos, & arrepta potiùs occaſione, quàm oblata caſu, ingratæ memoriæ damnat, quòd grates Franco-Galliæ non referant propter Hiſpaniã ab Arabum imperio Gallorum auxilio reſtitutam: & magni Hiſpanis venditat, quaſi ingentem ab illis gratiam initurus, quòd quale fuerit in Hiſpaniarum Regnis Euãgelicæ prædicationis initium inuenerit. Ipſum iam audi ſua verba reſonantem. *Vetuſtiſſimum quoddam Martyrologium Lugdunenſis Eccleſiæ ſum aſſecutus, in quo, cùm quædam nullibi forſan expreſſa, de Hiſpanorum primis prædicatoribus Apoſtolorum diſcipulis notaſſem, Hiſpanos volui eorum exiſtere participes, plura in illorum gratiam in poſterum editurus, ſi Franco-Galliæ, quæ ipſos à Sarracenorum ſeruitute, atque Arabico quondam iugo exemit, debitum deferant honorem, & meritas referant grates.* En verba, en animus. Tu ex his reliqua coniecta, & cogita, an bonus eſſe poſſit hiſtoricus, qui malus ciuis vſque adeò videri non vult.

De doctrina, rerúmque notitia, de quibus aut cum Hiſpanis diſceptat, aut ad Hiſpanos loquitur, ſatis nobis argumento ſunt, quæ de Martyrologio Lugdunenſi modò ex illius ore produximus. Ait enim nullibi forſan expreſſa, quæ de Hiſpanorum primis prædicatoribus in illo ipſe notauit. Quis non miretur tantam ἀνιςορίαν eius, qui nullibi putet expreſſa, quæ in nullo propè Martyrologio expreſſa non ſunt; cùm verba illa eodem pene modo expreſſerint Calixtus in Prologo libri de tranſlatione corporis B. Iacobi, Ado Viennenſis, Vſuardus, Beda, Martyrologium Romanum, quod nunc quotidie legit Eccleſia, & quod Petrus Galeſinus annotationibus illuſtrauit; & ante hos omnes Hieronymus in Martyrologio, quod dedicauit Cromatio, vt à Calixto didicimus (licèt ibi Apoſtolorum nomina prætereat, ſicut & Gregorius VII. in epiſtola ad Alfonſum, & Sanctium Hiſpaniæ Reges, quam ſæpe Baronius repetit) & quotquot de Iacobi prædicatione, eiúſque in Hiſpaniam aduentu diſceptauêre? Et quod mirêre magis, id etiam habet Breuiarium nuper à Clemente reformatum, quod author & potuit, & pro rei magnitudine legiſſe debuit. En nouum illum theſaurum nemini antea cognitum, & nunc primùm erutum è tenebris, quem magni beneficij loco Hiſpanis Boſcus impertiri voluit, quaſi Hiſpanis ignotus eſſe potuerit, cùm in Breuiario Gothico id recitauerint ante hæc omnia tempora per mille fermè annos, reciténtque hodie in multis locis in feſto S. Torquati, qui incidit in diem decimumquintum Maij. Vide Breuiarium Gothicum, ſeu Mozarabum ad diem primum Maij.

Sed gratias exigit ab Hiſpanis (quo ſuo merito ipſe viderit) ego, qui ingrati animi nomen vehementer horreo, ago illi ingentes, & immortales, quòd in Lugdunenſi Martyrologio, magno Hiſpanorum beneficio

ficio peculiare aliquid oſtenditur, quod in hac cõtrouerſia Hiſpanorũ cauſæ non leuiter fauet. Cùm.n. aliqua Martyrologia, & loca, in quibus de ſeptem Epiſcopis agitur ordinatis à Petro, & ab ipſo in Hiſpaniam legatis, tãtùm dicant *Hiſpaniam Gẽtilium erroribus implicatã.* Lugdunẽſe, (quod prorſùs ad verbum ſumpſit ex Adonis, Bedæ, Vſuardi, & Hieronymi Martyrologiis) aduerbia duo *tunc adhuc* adiecit. *Ad Hiſpanias* (inquit) *tunc adhuc, Gentili errore implicatas directi ſunt.* Quid illud *tunc adhuc* importet, nemo, credo, mediocriter eruditus ignorat. Sic enim negat aliquid factũ, aut potiùs perfectum, & abſolutum, vt tamen verſatam in eo aliquam operam, aut effectum in eo aliquid eſſe concedat. Quomodo dicim' de imagine inchoata, *adhuc eſt, quod elimes, & polias:* de diſcipulo parũ exculto, *adhuc eſt rudis & ignarus.* Sic ergo cùm ſeptem illi Epiſcopi miſſi dicũtur in Hiſpaniam *tunc adhuc implicatam erroribus;* planè indicatur alterius ibi priùs poſitam operã, qui inchoauit quidẽ Hiſpaniæ conuerſionem, & partim explicuit à Gentium errore; non tamen perfecit, vt nõ eſſet tunc adhuc errorib. implicata Gẽtilium. Quare, vt alio loco diximus, ſeptem Epiſcopi in Hiſpaniam primi non ſunt ingreſſi, & qui primus Hiſpanorũ cõuerſionem tentauit, Iacobus fuit. Hoc ego aceptũ refero Boſco, quia hæc mihi ratio non veniſſet in mentem (tametſi alij particulam illam addiderint, qua ſe cum Hiſpanis ſentire non obſcurè docent) niſi Martyrologij Lugdunenſis vetuſtiſſima fides cogitationem illam excitaſſet.

DEINDE in Præfatione quadam in illud opuſculum, de quo ſtatim, apertè indicat nihil ſe legiſſe eorũ, quæ in hac controuerſia adducunt non Hiſpani ſolùm, ſed etiã externi; & illi etiam, qui publicam Hiſpanorũ cauſam oppugnant. Quomodo etenim auderet damnare mendacij, & fabuloſũ vocare, quod tot Eccleſiarũ tandiu, tãque conſtãs traditio probauiſſet? quod olim tot Eccleſiæ; quod poſtea vniuerſalis, probante, imò iubente Pio V. quod nũc etiam in Officio, quod proprium habet Iacobus cũ octaua tota recitat Hiſpania: quod adhuc etiam retinẽt vbicumque terrarum ſacratæ Deo familiæ, Benedictina, Dominicana, Carmelitana? Sanè durum eſt, & ab homine pio prorſus alienum exiſtimare, & olim in tota Eccleſia fabuloſũ aliquid perſonuiſſe, & nũc etiã non ſolùm ſciente, ſed etiam approbante Põtifice multis in locis publicè cantari. Mitto, quòd idem nunc in Breuiario reformato tradidit Clemens poſt exagitatam diu controuerſiã; quod ſanè nullo modo faceret Põtifex, ſi quod Hiſpania tradit de Iacobo, fabuloſum aliquid, aut mendacium oleret. Quare meliùs conſultum eſſe puto Boſci nomini, ſi in eo ſermone, quem de re habuit ſibi non nimis explorata, ἀνιςορίας potiùs & ignorantiæ, quàm impietatis peccatum eſſe dico. Quod ne videar audacter magis dixiſſe, quàm verè, verba ipſius ex opuſculi à ſe recèns inuenti dedicatione ſubiicio.

MVLTI, inquit, *de eo multa, varia, incerta verò pene cuncta, aut dubia ſcripsêre. At iam nunc per me Gallia omnem Hiſpanorum ad Chriſti fidem conuerſionis primigeniam hiſtoriã veracem pandit, quidq; de ipſius Apoſtoli venerandis lipſanis credendum ſit, ac exiſtimandum, cunctis fabulis reiectis trãſmittit.* Ecce quemamodũ mendaciũ vocet, & fabulã, quod opuſculũ illud Gallicanũ reiicit, aut quod ipſe

potiùs

potiùs opuſculi nomine; reiicit autem quidquid de Iacobi in Hiſpaniā aduentu, eiúſque prædicatione prima, conſtanti fama tradit antiquitas. Id, quod vno verbo in indice ſecundæ partis Bibliothecæ collegit, dum inquit. *Sanctus Iacobus viuus Hiſpaniam non adiit.*

CAP. XX.

De authoritate libri, quem Boſcus commendat.

HÆc de Boſco: nunc de manu ſcripto libello aliquid dicendum, de cuius inuentione tam ſibi placet. Eſt autem libellus ille vſque adeò exiguus, vt ſex contineat folia, cum pauculis aliis verſibus, ex ea menſura, quæ octaua dicitur, id eſt, quę in octo folia phyluiā vnam papyri complicat.

Et primùm velim à Boſco doceri, cur hiſtoriam illam in Gallia nuper inuentam veracem appellet, & primigeniam. Nam neque authorem illius vllum nominat, neque vlli de authore coniectare, aut diuinare licet. Antiquum eſſe dicit opuſculum in Monaſterio Floriacenſi Benedicti ordinis inuentum. Hoc Boſco ſatis eſt, opinor, vt illi ſummā habendam eſſe fidem exiſtimet, tanquam omnium maximè veraci; ſed non ita facilè perſuadebit aliis, qui ad fidem hiſtoricam, præſertim, ſi contrà ſtet communis opinio, in ignoto, atque obſcuro nomine aut nihil, aut parum putant eſſe momenti. Hîc author nullus adducitur; cur igitur veracem exiſtimemus, quem fuiſſe aliquando in natura rerum ignoramus? Fidem authori ſuo conciliat explorata doctrina, morum honeſtas, veritas orationis: ſed cur iſta nos in illo libro ſtatuamus, atque fingamus, qui an ſit à recente aliquo ſcriptore confictus, incertum eſt? Non ego eò adducor, vt iſta credam: ſed ſanè, ſi crederem, non inuenio cui iniurius ſim. Veracem iſtam appellet hiſtoriam, imò, vt ex ipſo liquet dicendi modo, aut ſolam, aut maximè veracem, cum aliis opponat, à quibus afferri pene cuncta dubia, & incerta aſſerit. Talia verò cenſet, quæ ipſe tanquam fabuloſa reiicit, & falſa, nimirum quæ grauiſſimi Doctores, & viri ſanctiſſimi de Iacobo Hiſpaniarum Apoſtolo prodiderunt. I nunc igitur, & innominatum, & incognitum hominem cum Iſidoro, & Beda, cum Hippolyto, cum Antonino, atque Vincentio; cum tot Pontificum authoritate cōpone, &, ſi Deo placet, priori loco ſtatue.

An dicendus incognitus, aut obſcurus author maximè verax, cēſeri facilè poteſt ex dictis. Cur hiſtoriam illam Boſcus primigeniam appellet, mihi planè obſcurū, atque incompertum eſt. Si primogeniam vocet à nobilitate, cui aliæ cedere debent hiſtoriæ, ſicut honorem primogenito deferunt, qui deinde naſcendi ordine ſucceſsêre, nimiùm huic hiſtoriæ arrogat Boſcus, ad cuius fidem minùs, credo, habebit lectorum animos obſequentes. Si propter antiquitatem, fabulam, & nugas exiſtimabunt illi, qui norunt ante ſexcentos annos, quo tempore ſcripti dicuntur illi Commentarij (fides ſit penes Boſcum) ex omni natione, atque ordine ſcripſiſſe quāplurimos. Quòd ſi ad illius authoris ſcripta referat, qui hoc de Iacobi tranſlatione ſcripſit opuſculum (nam *primogenitus*, ſeu, quod non longè

longè abeſt, *primogenius* illorum cõparatione diceretur, qui iiſdem parentibus nati ſunt) ſanè iniuriam facit incerto illi ſcriptori, cùm ex huius libri dignitate, & fide reliquos expendi, atque cenſeri iubet. Sed veriùs, atque prudentiùs coniectaret (minùs tamen, opinor, ex Boſci ſententia) qui primogeniam illam hiſtoriam ideo appellari crederet, non quia nobiliſſima, aut antiquiſſima omnium, ſed quia primùm excogitata, & ficta ſit ab authore, non expreſſa ab aliis, non conſultis authoribus, qui ea de re multis antè ſæculis præclaros edidêre Commẽtarios: quæ ſanè eius, qui hiſtoriam molitur, non maxima commendatio eſt, neque ad hiſtoricam fidem ſummum habet momentum.

QVARE non video quid tantum in ea Bibliotheca viderit Boſcus, vt in Præfatione ſua dicat ab inito Regno nihil oblatum eſſe Philippo III. Hiſpaniarum Regi, neque offerri vnquam poſſe elegantius, atque ſuauius. Mitto, quòd cùm Philippo III. loquatur in ea Præfatione, minùs loquatur aut modeſtè, aut decorè, quàm Regiam tanti Principis perſonam decebat. Oſtendit enim minas illis, qui aut fœdus inire, aut initum cum Gallorum Rege retinere noluerint, Gallicámque potentiam aliis terrori, atque perfugio eſſe poſſe. Quàm id bellè in nuncupatoriis literis dici poſſit; nemo, credo, non videt.

* *
*

CAP. XXI.

Quòd falſa quædam, neque conſtãtis fidei hiſtoria illa contineat.

ACCEDO iam ad primogeniam illam hiſtoriam, & quàm illa ſit verax, quídque ex ea momenti ſit contra Hiſpanorum cauſam, accuratiùs expendo. Et primùm de Iacobi prædicatione apud Hiſpanos nihil dicit, cùm id ſibi præcipuè videatur aſſumpſiſſe negotij, vt oſtenderet Iacobi corpus tranſlatum ad Hiſpanos. Interim verò ſtrictim, atque obiter aliquid interſerit, ex quo qui minùs eſſet æquus in Hiſpanorum cauſam, ad ſuam ſententiam illum obſcurum, & ad illud tempus incognitum authorem accerſet. Primo loco pono, quod maximum, & pene ſolum argumentum eſt, quod ab huius authoris, quantulacumque eſt authoritate, ſumi poteſt; ait enim pag. 183. *Poſt admirandam, & adorãdam Domini noſtri Ieſu Chriſti in cælos Aſcenſionem, antequam Apoſtoli prædicationis gratiâ ſecundùm Domini Ieſu præceptum diſpergerentur in mundum, Deo dilectus Apoſtolus Iacobus omnium Apoſtolorum primus, velut athleta fortiſſimus martyrij coronam ſuſcepit promptiſſimus.* Author hic putat anno ab Aſcenſione 12. Apoſtolos in varias orbis partes eſſe dimiſſos; quando conſtat ſub Claudio Imperatore Iacobum ab Herode fuiſſe truncatum. Quam ſententiam eſſe omnino falſam, iam antè à nobis latè probatum eſt tract. 1. cap. 6. & 7. neque eſt, quod ad illa rurſus

Digitized by Google

aſcribam quicquam neceſſarium. Quòd ſi ſtatim ab Aſcenſione obtruncatum putat eſſe Iacobum, infantilis error eſt, cùm Herodes Agrippa, à quo interfectus eſt, non niſi ſub Claudio Regnum acceperit, id eſt, anno ab Aſcenſione vndecimo, ſeu duodecimo, vt diximus Act. cap. 12. ſtatim in principio.

Secvndvm docet hic author in illa prouinciarum partitione, quam factam eſſe tradit poſt Iacobi cædem, miſſum eſſe Cteſiphontem cum aliis Epiſcopis in Hiſpaniam Euangelij gratiâ. Quare negare videtur prouinciam illam datam eſſe Iacobo. Sic autem ille. *Cùm totus mundus iugo dæmoniaca ſeruitutis teneretur depreſſus, tenebriſq; ignorãtia ſuæ eſſet obcæcatus ſanctiſſimi Apoſtoli iuxta Domini Saluatoris edictum, eum à ſua perfidia ſquállore eruere cupientes, vniuerſis mundi partibus in fide Chriſti fortiſſimos, & lege ſancta doctiſſimos euangelizare Diuini verbi gratiam direxerunt viros. Vnde factum eſt, vt prudentiſſimum, omniq; militia ſpirituali instructum eligerent virum Cteſiphontem, quem ordinauerunt Epiſcopum, adiunctis ſibi coëpiſcopis ſociis, in hoc opere ſatis ſtrenuiſſimis. Hi miſſi Domini ad Hiſpanias delegantur, quò barbaræ gentis ſaxea corda vnguine ſancti Spiritus delibuta molleſcerent.* Hæc author ille anonymus; in quib. nonnulla ſunt, quæ cum maiori alia, atque ſacratiori authoritate pugnãt; nonnulla, quæ author ipſe poſtea verbis non valdè cohærentibus retexit.

Discere ſtudeo, vndenam didicit author ille incognitus illorum Epiſcoporum, quos ordinatos dicit ab Apoſtolis, principem eſſe Cteſiphontem. Ego in Martyrologiis omnibus, & antiquis hiſtoriis, atque adeò in Lugdunenſi Martyrologio, quod nobis ſuprà Boſcus oppoſuit, numerari video primo loco alios à Cteſiphonte, neque communi Martyrologiorum, ſcriptorúmque ſententia, maximæ, atque nobiliſſimæ Eccleſiæ præfuiſſe traditur Cteſiphon, quæ non ſatis cum primo loco, & primo Epiſcoporum ordine conſentiunt. Illud verò quis ſanus admittat, vt cùm Epiſcopos illos Martyrologia omnia, & Gregorius VII. à Petro ordinatos eſſe teſtentur Romæ, indéque ab eo in Hiſpaniam prædicationis gratiâ legatos, quod nunc in extremo Breuiario confirmauit Pontifex, author iſte anonymus ordinatos eſſe tradat Hieroſolymis, & inde in Hiſpaniam fuiſſe profectos? An veracem illam hiſtoriam ſolam fateâre, reliqua & numero multa, & dignitate maxima mendacij coarguas? Hîc ego reſponderi mihi velim à Boſco vtri habendam eſſe fidem putet, Lugdunenſíne Martyrologio, quod Romæ ordinatos eſſe dicit Epiſcopos à Petro, indéque in Hiſpanias dimiſſos, longè vtique poſt Apoſtolorum diuiſionem; an anonymis illis, & obſcuris Commentariis, qui ſtatim atque Apoſtoli dimiſſi ſunt in varias prouincias, ipſos quoque in Hiſpaniam fuiſſe profectos affirmant, non ex vrbe Romana, ſed Solymitana, vbi priùs ab Apoſtolis ordinati fuerunt? Cùm iſta nullo poſſit modo Boſcus cõponere, ſi vtrumque probet, quod certè facit, neſcio quomodò cõſtare ſibi poſſit, & ſuã fidẽ nobis probare.

Qvod verò principio dixit pagina 184. mundum totum iugo dæmoniacæ ſeruitutis oppreſſum teneri, & tenebris ignorantiæ ſuæ obcæcatum eſſe, quo tempore in

totum

totum orbem Apoſtoli diſtributi ſunt, id eſt, quo tempore Cteſiphontem cum aliis Epiſcopis Hiſpaniam adiiſſe tradit: vide, quàm bellè cõueniat cũ eo, quod poſtea ſubdit pag. 188. Nam cùm loqueretur de tempore, quo ad Galleciã primùm appulerũt Epiſcopi, id eſt, quo primùm ingreſſi ſunt in Hiſpaniam, cognouiſſe dicit Galleciæ Regem illos eſſe Chriſtianos: *iam enim* (inquit) *Ieſu Chriſti Domini nomen in totam mundi latitudinem diffuſum erat.* Vide quemadmodum memorẽ eſſe oporteat, qui fingit omnino, aut aliquid affingit veritati. Diffuſũ fuiſſe Chriſti nomẽ nihil videtur eſſe aliud, quã prædicatũ eſſe Chriſti nomẽ, i. Chriſtum ipſum, iuxta Scripturæ conſuetudinem: quomodo Paulus portaſſe dicitur Chriſti nomen ad Gentes, quia Chriſti doctrinam portauit. Act. c. 9. *vt portet nomẽ meũ coram Gentibus.* Aſpice quàm ſit verax hiſtoria, in qua in paucis lineis non occurrerunt pauca, quæ reprehẽdas, & corrigas, & ab his de reliquo coniecturam facito. Quare prudenter feciſſe mihi videntur Floriacẽſes Monachi, qui opuſculũ illud latere voluerũt apud ſe in diuturno ſilẽtio, ne ſubiret, quã viri docti, poſtquã lucẽ intueri cœpit, ignominiã inurunt.

PAGINA 193. Iacobo Maiori id attribuit, quod Iacobo cõuenit Minori, cui cognomentum erat *Iuſti*, vt ex omnibus pene authoribus ſacris abundè cõſtat; author tamẽ ille anonymus Iacobũ noſtrum, quaſi propria nota *Iuſtum* appellat, niſi inepta gradatione mauis orationem indecorè deſcẽdere: appellat enim *Iuſtũ*, cùm præceſſiſſet *Beatus*. Quòd ſi *Iuſtus* nihil importaret proprium, ſanè non erat, cur *Beato* ſuccederet.

PAGINA 192. eodem die contigiſſe tradit Iacobi martyrium, & eius in Hiſpaniam tranſlationem: quod ſanè contrà tenet, & ſcriptorum conſenſio, & ſacrorum Officiorum authoritas. Nam cùm conſtet in Azymorum diebus occiſum eſſe Iacobum, neque de hoc vllus pius dubitare poſſit; tranſlatio tamen illius ſub finem menſis Decembris celebratur.

PAGINA 186. ait columbam ſeptimo, poſtquam eſſet emiſſa die, cũ oliuæ ramo ad arcam rediiſſe; cùm tamen eodem die ad veſperam cum oliuæ ramo ſit reuerſa. Sic author ille anonymus: *Ceſſantibus diluuij aquis, columba per feneſtram emiſſa ſeptima die ramuſculum paciferæ roſtro ferens oliuæ, placatum Dominum, & terris datam pacem denunciat.* Audi nũc quid ſacra dicat Scriptura Geneſ. 8. *dimiſit columbam ex arca: at illa venit ad eum ad veſperam portans ramum oliuæ.* Vide quàm ſit illa hiſtoria primigenia, & verax, quæ Scripturæ ſacræ iam apertè repugnat. Neque fauet, ſi dicas ſecundò miſsã fuiſſe columbã ſeptimo die poſtquã ceſſaſſent aquæ; nam, vt ex ipſo conſtat ſacro textu, multis antè diebus aquæ ceſſauerant, antequã miſſa eſſet primùm ex arca columba.

DEINDE pag. 188. dum Raphaëlis adducit teſtimonium ex Tobiæ c. 12. ait. *Et quia B. Raphaële Archangelo docente didicimus occultiora Regis conſilia non detegenda: arcana autem myſteriorum Dei honorabile ac digniſſimum eſſe hominibus reuelare*, &c. At loci illius alia verba ſunt, & diuerſa ſententia; non enim arcana myſteria, ſed opera Dei reuelare honorificum eſſe dicitur. *Etenim*, inquit, *ſacramentum Regis abſcondere bonum eſt; opera autem Dei reuelare, & confiteri honorificum eſt.*

DEINDE pag. 187. Saulum ait in

ſacris voluminibus lupi cognomine ſæpiùs eſſe deſcriptum, cùm tamen ſemel tantùm, idque admodũ obſcurè lupus ſit appellatus Geneſ. 49 in benedictione Benjamin. Neq; verò dubium eſt Scripturam Canonicam, ſacra volumina vocari, de qua, vt dubium erit nemini, author anonymus loquebatur.

Pagina 193. aliquid addit, quod notari graui cẽſura debeat, hoc præſertim tempore, in quo pertinaci, veſanóque conſilio multi Cõfeſſionis Sacramentum oppugnant. Cùm .n. cum Iacobo iam in cœlo regnãte, loquatur ſic ad illũ orat. *Conceſſa tibi Dominica voce poteſtate remittendi peccata, malè commiſſa noſtra dele, crimina terge, ſcelerum maculas ablue.* Cùm poteſtas illa non niſi in ordine ad Sacramentum data ſit; hic videtur negare, cùm per eam facultatem remitti ſibi peccata poſtulet ab eo, ex quo Sacramentum in eo ſtatu ſperari non poteſt. Quòd ſi aliquis fieri poſſe ſibi perſuadeat, vt remitti ab Apoſtolo, ſeu Sacerdote mortuo peccata poſſint, ad hoc remedium accederet potiùs, quàm ad viuentis hominis genua, & ad illud, quod nunc habet Eccleſia Confeſſionis Sacramentum. Quo nihil magis noſtri temporis hæreticis eſſet optandum, qui *Confeſſionis* nomen faſtidiunt, & horrent.

Neque ſum neſcius in Officio ſacro Eccleſiã aliquãdo vti precatione non diſſimili, vt in hymno de Apoſtolis.

Qui cœlum verbo clauditis,
Seráſque eius ſoluitis,
Nos à peccatis omnibus
Soluite iuſſu quæſumus.

Et clariùs de S. Petro in hymno quodam ad laudes in eius Officio.

Iam bone paſtor Petre clemens accipe
Vota precantum, & peccati vincula
Reſolue tibi poteſtate tradita,
Qua cunctis cœlum verbo claudis, aperis.

Sed eſt quod pro Eccleſiæ precatione reſpondeam, ſicut etiam fecẽre plures alij in precibus, quæ in Officio ſacro frequenter occurrũt non diſſimiles. Quod tamen nemo in oratione hanc priuatam verè, ac piè poſſit accommodare.

Et primùm obſeruo impium eſſe tantùm ſibi quemquam iuris, aut facultatis aſſumere, quantũ ſibi prudẽter, ac piè ſumit Eccleſia, quę interdum in Miſſæ ſacrificio, in hymnis, ac precationibus, diuerſos ſtatus, ac tempora conſiderat, adque hymnos, & laudes, & publicas precationes attemperat. Vide Bellarminum libro 1. de Purgatorio cap. 5. & Valentiam tom. 4. in tertiam partem diſp. 11. quæſt. 1. Exempla habes in Chriſti myſteriis celebrandis, neque pauca, neque obſcura, in quibus Eccleſia ſic orat interdum, quaſi petat, vt Verbum carnem aſſumat, aut nobiſcum habitet: ſic enim canit illud Iſaiæ cap. 45. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum.* & illud eiuſdem cap. 16. *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ.* Quæ ſi quis ad tempus illud referret, in quo nunc orat Eccleſia, aut oratione faceret priuata, ac ſua, impius eſſet, ac Iudaicæ perfidiæ reus: quaſi agnum dominatorem terræ, aut è rorantibus cœlis diuinum illum imbrem expectaret, qui de cœlo fluxerat, & largiter irrigarat atque hilararat terram. Sed habes, vt alia omittã plurima, in Miſſa pro defũctis exẽplum accõmodatum, & graue, in quo explicãdo magnorum virorum ingenia laborarunt. Sic enim Eccleſia loquitur, atque orat pro defunctis, vt Eccleſiaſticæ conſuetudinis ignari, quiſque

quique, vt res habet in præſenti defunctorum ſtatu, meditatur; aliquid inueniant, quod non probent. Certè quod in alio quouis grauiſſima dānaretur cenſura. Sic enim ad Deum pro defunctis orat. *Libera Domine animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne abſorbeat eas Tartarus, ne cadant in obſcurum.* At cùm ſic orat Eccleſia, iam animæ in eo ſtatu ſunt, vbi aut à Tartaro, aut ab ore leonis nihil metuant: aut ſi in Tartaro ſunt, & in leonis faucibus, inde iam eximi non poſſunt: quare otioſa illa precatio eſſet. Reſpondent communiter Doctores, ſpectare Eccleſiā cùm ſic orat, tempus illud, in quo is, pro quo preces illas offert, extremum agit ſpiritum, & proximè eſt vt in obſcurum cadat, in illum nempe Tartarum à quo illū Eccleſia liberari poſtulat. Quas preces nos Eccleſiæ nomine, & ad eius mentem publica precatione fundimus. Quas ſi quis eo tempore ſuo nomine, & oratione faceret priuata, ac ſua, neque id piè, neque tutò, aut impunè faceret.

Sic ergo Eccleſia in hymnis, de quibus ſuprà, cum Apoſtolis agit non quaſi ad cœlum iam eſſent tranſlati, ſed quaſi in terris nobiſcū agerent, & exercere poſſent datam ſibi à Domino facultatem ligandi, atque ſoluendi. Quod hymni ſuadent ipſi, in quibus nihil inuenio quod ipſos è viuis exceſſiſſe ſignificet. Quòd verò hæc Eccleſia facere potuerit, ſecus ac priuata aliqua perſona, in aliis hæc quoque cauſa videtur poſſe tradi, quia illa cùm viuentes agnouiſſet Apoſtolos, cúmque illis ſæpiùs eſſet locuta, ſic & nunc cum illis ita loquitur, ac ſi præſentes haberet, vt quondam habuit, datam à Domino facultatem exercentes. At hæc oratio quam ad ſanctum Iacobū habet author hic anonymus, apertè agit cum illo iam in cœlo regnante, & deleri petit crimina per illam poteſtatem, quam à Dominica voce habet peccata remittendi. Quid ipſe velit author, quem ego valdè religioſum, ac pium eſſe puto, ipſe viderit: ſed nos hîc loquendi modum expendimus, quique verbis ipſis ſubeſſe poſſit ſenſus, exploramus. Qui ſanè nullus videtur alius, quàm qui à nobis in principio poſitus.

Quomodo orari Sancti poſſint, vt ipſi aliquod nobis auxilium conferāt, ſpirituale, ſeu corporale, orando videlicet, & impetrando, docet Franciſcus Suarez tomo 2. de Religione lib. 1. c. 10. & Cardinalis Bellarminus libro 2. de Purgatorio c. 5. vbi de temporibus agit, quę in orando reſpicit Eccleſia: quod item Valentia docet tomo 4. in 3. p. diſput. 11. quæſt. 1.

CAP. XXII.

Quòd hiſtoria illa abſurda, & fabuloſa contineat.

MITTO alia, ne nugari videar, & operam ludere in re, quæ ſine cuiuſquam cōfutatione ſatis ſuam fidem, & incuriam prodit. Illud nullo modo abire patiar inobſeruatum, quòd in hiſtoriis aliis fabulas deprehendit, & reiicit Boſcus, in hac tamē veraci, & primigenia hiſtoria nihil videt, quod fabulam oleat, quódque veritatis ſtudioſus lector contemnat, & reſpuat. At vide quàm fabulas non horreat, quàm aut ipſe fingat, aut ab aliis conficta arripiat audacter

Digitized by Google

ſcriptor ille primigenius. Primùm nihil ab aliis ſcriptoribus traditum eſt de Iacobi tranſlatione, quod olere fabulam poſſit, quod non ſcriptor ille anonymus in ſuos Commentarios retulerit. Quare nihil eſt, quod Boſcus in aliorum ſcriptis fabuloſum eſſe putet, niſi anonymos quoque Commentarios, quos primigenios, & veraces appellat, nugacitatis damnare velit, & fabuloſi commenti. Vnum video ab aliis adduci, quod in manu ſcriptis illis Commentariis non legi; quod tamen non tam ad tranſlationem S. Iacobi pertinet, quàm ad diſcipulorum ipſius prædicationem. Cùm enim ad Accin idolorum cultores ad cædem expeterent Iacobi diſcipulos, collapſus repentè pons, per quem anhelantes ad Sanctorum exitium idolorum aſſeclæ, & impij ſatellites ferebantur, illos in ſubiectum amnem præcipites demerſit. Hæc Officium Mozarabum, quod apud me magnæ eſt authoritatis, & fidei; & Beda, & Martyrologium Lugdunenſe, quod, credo, Boſcus mendacij non arguet, qui in illo ſe deprehendiſſe affirmat Hiſpanicæ conuerſionis initium. Hoc qui fabuloſum eſſe dixerit, dixerit ſanè parum piè, cùm ex Pontificia authoritate in Breuiario Mozarabo multis in locis nunc recitet Hiſpania. Quid autem præterea fabuloſum Boſcus exiſtimare debeat, nihil video.

Sed pro his vide quid nouum afferat ſine aliorum teſtimonio, ac fide anonymus ille Commentarius. Ait enim pag. 188. Galleciæ Regem dum animo hoſtili cũ militari manu diſcipulos inſequitur Iacobi, ſubiiſſe crypram, vnde fons erũpebat, qua repentè collapſa Regem cũ ſuis immaniter obtritos fuiſſe. Hæc ego, ſi mihi tãtũ iuris aſſumerem, quantùm ſibi in cenſendo Boſcus arrogat, fabuloſa dicerem; ſed nolo in iudicando videri præceps, licèt aliorum hîc authoritatem, & fidem deſiderem. Sed conſidera quæ ratio Regem illum Galleciæ dicatur impuliſſe, vt fugientes Iacobi diſcipulos hoſtili inſequeretur odio, & militari collecta manu delere voluerit? *Vt verò* (inquit) *cognouit peſtifer Rex ſub vmbra alarũ protectionis Dei Sanctos tunc effugiſſe*, &c. *collecta militari manu*, &c. Sanè cœleſte auxilium, & vmbra protectionis Dei non tam vrgere Regẽ, quàm deterrere debuit. Deinde pag. 186. rem narrat, quam ego, vt maximè cupiam, non tamen poſſum à fabuloſo commento vindicare, quia res eſt illuſtriſſima, neque videbatur ab Hiſpanis ſcriptoribus omittenda. Ait enim S. Iacobum, cùm primùm eò appulit, vbi à diſcipulis poſtea tumulatus eſt, *oſtẽdit Deus futuris ſæculis quanti apud ſe Apoſtolus ſuus haberetur meriti. Subitò namque à conſpectibus intuentium ſublatus, atque vſque ad poli centrum ſplẽdore igneo rutilans eſt eleuatus, & ad locum ſuæ tumulationis proximum propria diuinitate ſibi conceſſum inenarrabili claritate conſpicuus deuenit.* Quis credat iſta ab Hiſpanis ſcriptoribus omiſſum iri, aut à ſeptem Epiſcopis, Iacobíque diſcipulis, à quibus (vt hoc tract. c. 11. pluribus oſtendimus) plurima acceperunt Hiſpani eorum, quæ in Officio recitant ſacro? Sed expende qua id ratione confirmet ſcriptor ille incognitus, aut nobis fieri potuiſſe perſuadeat? *Neque hoc*, inquit, *incredibile cuiquam debet videri: qui enim Theologum Ioannem prærogatiua ſingularis dilectionis ſibi vnitum miro, quo voluit, modo etiam corpore in cœlos aſſumpſit, potuit & fratris ſui*, &c. Mitto quàm parum ſit neceſſa-

rium

tium exemplum Ioannis Theologi ad probandam Dei omnipotétiam, qua S. Iacobum vel in Hiſpaniam traiecit, vel ad centrum vſque poli eleuauit: neq; enim facilè ex verbis intelliges, quid bonus ille ſcriptor ſignificare voluerit. Sed illud, quod de Ioanne aſſerit, quem in cœlum cum corpore dicit eſſe ſublatum, magis incertum eſt, quàm vt debeat ad rei etiam obſcuræ confirmationem adduci. Vnus enim, aut alter tantùm inuenietur, aliis fermè omnibus contrà pugnantibus, qui in illam de Ioannis Apoſtoli corpore ſententiam deſcendat.

QVOD autem de dracone tradit, qui à Iacobi diſcipulis extinctus eſſe dicitur, nihil planè differt à Poëtarum commentis. *Qui, inquit, omnes circum ſe poſitos pagos horrendo, & horribili flatus ſui anhelitu exinaniuerat, omnes extinxerat, animantia deglutierat, & reliqua omnia protriuerat.* Si quid eiuſmodi legitur in Sanctorũ geſtis, vt apud Abdiam de S. Matthæo, & de S. Georgio, & aliis, apocryphum cenſetur, & ſuſpectæ fidei.

CAP. XXIII.

Quid manu ſcriptus codex de aduentu Iacobi in Hiſpaniam ſentiat.

DIXIMVS de authoritate, ac fide, quæ manu ſcripto illi, atq; anonymo Commentario debetur. Qui, qualiſcumque eſt, non tam Hiſpanorum cauſæ, quàm aliorum cogitationi, atque conſiliis incommodat, ſiquid adducit, quod cum aduentu, prædicatione; Iacobi apud Hiſpanos minùs aptè conueniat, iam à nobis ſuprà ſatis, reor, ſupérque diſcuſſum, atque infirmatũ eſt. Quòd verò nobiſcum ipſe quoque faciat, atque conſentiat, iam exploremus.

PAGINA 188. cùm ageret de ſeptem Epiſcopis, qui ab Apoſtolis in Hiſpaniã doctrinę gratiâ legati ſunt, oſtẽdit ante illorum appulſum iam in Hiſpaniam inuectam eſſe Euangelicam lucem. Ait enim ab Hiſpaniæ Rege ex ipſorum ſermone, ac precibus cognitos eſſe Chriſtianos. Quis autem & loquendi modum, nempe Apoſtolicum, & precandi formam in Hiſpaniã adducere potuerit præter Iacobum, in eam præcipuè oram, ad quam ſeptẽ Epiſcopi primùm appulerunt, neque vllus aſſerit, neque planè ſcire, aut diuinare poteſt.

PAGINA 193. felicem appellat Galleciam, tum quia Iacobi ſplendore illuſtrata fuit, tum quia illius apud ſe tumulum, atque reliquias ſeruat. Audi iam verba, & vide, an in alium ſenſum ab iniquo interprete detorqueri poſſint. *Tu autem, inclyta Gallecia, gaude, quæ es etymologia tui nominis feliciter potita, quia dulcedine cœleſtis lactis vberius es enutrita. Exulta (ô Gallecia) & gaude quia Diuini gaudij meruiſti eſſe particeps, & ſplendore lucis mundi amici Dei, reuerendiſſimi Iacobi Apoſtoli es clarificata. Felix terra tua tanta felicitate ditata, feliciter Apoſtolico culmine ſublimata,* &c. *Beata gens tua, quæ ad tantam arcem gratiæ eſt eleuata, vt conceſſum ſit ei à Deo poſſidere Apoſtolum.*

EADEM pag. ſtatim. *Aue beate, & beatiſſime, iuſte, & iuſtiſſime fili ſublimis tonitrui Iacobe piiſſime, amice Dei, lux mundi, iudex ſæculi, ſplendor perpetuæ lucis, qui ſalutiferæ diſpenſationis Dei munere cunctas ab Oriente vſque in Occidentẽ Sol orbis terræ illuſtras tenebras.* Illuſtraſſe dicitur orientales, atque occidentales plagas Iacobus: quod ſanè verum nõ eſſet, niſi ab Oriente, id eſt,

id eſt, à Iudæa, quæ orientalis eſt, ad Occidentem, id eſt, ad Hiſpaniam, non eſſet progreſſus. Vbi expendo duo verba, *ſalutifera diſpenſationis*, &, *illuſtratas tenebras*: quæ non niſi in Euangelicam prædicationem conuenire poſſunt.

PAGINA 194. *Ecce verò perfectiſſime Dei amice Iacobe, excellentiſſime Dei Martyr, & Apoſtole, in omnem terram exiuit ſonus tuus, & in fines orbis terræ verba prædicationis tuæ*, &c. *Nam radiis tuæ ſanctæ claritatis etiam extimas totius Chriſtianitatis illuſtraſti partes.* Quædam hîc inſeruntur verba, quæ ineptam reddunt ſententiam, & rerum conſecutionem difficilem, quæ ego ſuſpicor ab aliquo minùs æquo, aut plus ſatis oſcitante fuiſſe tranſcripta, aut immutata. Ex his verbis, quocunq; interpreteris modo, facilè conſtat Iacobi prædicationem non in vna Iudæa, atque Samaria, vt quidam non tam, vt credo, opinantur, quàm deſiderant, fuiſſe concluſam. Hæc ego præſtare volui meis Hiſpanis, quorum gloriæ maximè intereſt, ſi tantus Apoſtolus Hiſpaniæ inſtituendæ cœleſti doctrina deſtinatus ſit. Elaboraui quidem fideli, atque aſſiduo conatu, vtinam tam felici ſucceſſu, quàm prompto, atque indefeſſo ſtudio, in quo nihil eſſe volo, quod Eccleſiæ primùm, deinde doctorum hominum iudicio ſubiectum non ſit.

TRACTATVS IV.

De prædicatione Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli in Hiſpania.

CAP. I.

De Pauli Apoſtoli profectione in Hiſpaniam.

ABSOLVTA iam vtcumque de Iacobo Hiſpanorum Apoſtolo diſputatione, eodem 1.
quo de Iacobo ſpiritu, atque conſilio faciendum mihi exiſtimaui, vt de duorum quoque Eccleſiæ Principum Petri, & Pauli in eadem prouincia prædicatione diſputarem. Quod quidem neque alienum eſt ab eius inſtituto, qui exponendis Apoſtolicis Actis operam nauauit, in quibus de duorum horum Principũ actis frequens, atque præcipua ratio; neque à pietate, quæ & beneficium agnoſcit ſingulare, quod per Eccleſiæ Principes Deus tam liberaliter Hiſpanis impertitus eſt ab ipſis Eccleſiæ naſcentis incunabulis, & Hiſpanos admonet, vt meminerint quantùm ſingulari Domini prouidentiæ, ac benignitati debeãt; & informati ab iis, per quos Eccleſia Religionis ſumpſit exordium, immortales Deo gratias agãt, & magnorum parentum monumentis excitati fallacia hæc, & peritura reſpuant; æterna verò, atque cœleſtia meditentur. Agam autem priori

Digitized by Google

priori loco de Paulo, in quo vberior mihi materia, réſque ſi non omnino certa; at eiuſmodi, vt pro indubitata, ac certa cenſeri poſſit; deinde nonnihil de Petro, cuius de Hiſpanica profectione res eſt minùs ampla; & coniecturæ non ita certæ.

2. QVOD verò nunc aggredior de Paulo, fecerunt ante me non indiligenter complures alij, & in his non pauci ſcriptores externi, id eſt, non Hiſpani, quorum ſententia non poteſt eſſe ſuſpecta, quia illam neque abripit, neque tranſuertit patriæ ſtudium, quod interdum non tam de inueſtiganda veritate, quàm de ornanda patria immodicè laborat. Hi ergo eò conſpirant, vt dicãt Paulum eo tempore, quod à biennio, de quo Lucas cap. vlt. Actuum, in vinculis traduxit ad mortẽ vſque, quod ſanè exiguum non fuit, vt poſtea expendemus accuratiùs, obiiſſe Hiſpaniam, luſtraſséque Euangelica luce. Id ergo nunc agam, nõ quòd meum hunc laborem exilem, & ieiunum neceſſarium eſſe putem, vbi tot extant in eam curam, támque ſtrenuæ vigiliæ, ſed quia cùm de Iacobi aduentu in eandem prouinciam actum à me fuerit non indiligenter, hanc quoque partem, quæ eodem ſpectat, non exiſtimabam eſſe prætermittendam.

3. DISPVTARVNT de Paulo Hiſpanorum magiſtro complures alij: ſed magis accuratè, ac ſtudioſè ex externis Cæſar Baronius in Annotationibus ad Martyrologium ad diem 22. Maij, & 1. tomo Annal. anno Chriſti 61. Andreas Richlicius in ſuo Paulo p. 3. n. 60. Benedictus Iuſtinianus in Epiſt. ad Romanos, & ibidem Cornelius à Lapide, Cardinalis Toletus, Lyra, Benedictus Pereira, Ambroſius de Morales lib. 9. cap. 22. Petrus Galeſinus ad diẽ 21. Ianuarij, in Annot. ad Martyrol. Nicolaus Serarius opuſc. de Paulo cap. 60. & omnium optimè Salmerõ, ex quo videntur alij pleraque ſumpſiſſe eorũ quę in eius rei cõfirmationẽ adducuntur in Epiſt. ad Romanos; & multo accuratiùs in Acta tractatu 59. De hoc igitur Pauli in Hiſpaniam aduentu inſtituenda nobis diſputatio eſt. Et primùm qui contrà ſentiant, quibúſque rationibus adducantur, vidẽdum eſt: deinde quid vero videatur ſimilius ſtatuendum.

NEGANT Hiſpaniã obiiſſe Paulũ ſanctus Thomas in Epiſt. ad Roman. & ibid. Dominicus de Soto; Ioannes Lorinus dubitat in cap. 17. Act. ad finem Rationes hæc ſunt aut ſolæ, aut præcipuæ. Prima, quia ſi in Hiſpaniam profectus fuiſſet Paulus, non tacuiſſet Lucas, qui cùm Apoſtolorum Acta ſcribere fuiſſet aggreſſus, in vnum tamen Paulum, cuius aſſiduus comes fuit, intendiſſe ſtylum, atque ſtudiũ videri potuit. Hanc rationem adduxit Sotus. 4.

SECVNDA, quia totum bienniũ ad mortem vſque in vinculis egit Paulus cũ cuſtode milite, cum quo, vt veriſimile ſuprà putabamus, eodẽ erat ferro conſtrictus, ne vſquã abeſſet: at toto biẽnio, vt inquit Lucas, in ſuo conducto fuit, id eſt, conducta domo, ingenua nempe ac liberali cuſtodia. Hanc rationem adducunt ſanctus Thom. & Sotus.

TERTIA, quia id apertè videtur aut docere, aut indicare Gelaſius Papa, vt habetur 22. q. 11. his verbis. *Beatus Paulus non ideo fefelliſſe credendus eſt, aut ſibi contrarius extitiſſe, quòd cùm ad Hiſpanias iterum ſe promiſiſſet, diſpoſitione diuina maioribus occupatus cauſis implere non potuit, quod promiſit: quantùm enim ipſius voluntatis interfuit, hoc pronunciauit, quod reuerà voluiſſet efficere: quantùm verò* 5.

SSs

ad diuini decreta cõſilij, quæ vt homo nõ potuit, licet ſpiritu Dei plenus, agnoſcere, ſuperna prætermiſit diſpoſitione præuentus. Hac vtuntur ratione ſanctus Thomas, & Sotus.

6. QVARTA, quia Innocentius III. epiſtola ad Decentium Epiſcopum Eugubinum negat vllum præter Petrum, & eos qui à Petro ordinati, atque legati ſunt, in Hiſpania, aliíſque prouinciis, quas ibi nominat, Euangelium docuiſſe. Sic autem Innocẽtius. *Præſertim cùm ſit manifeſtum in omnem Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Africam, atque Siciliam inſuláſque interiacentes nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerunt Sacerdotes. Aut legant, ſi in iis prouinciis alius Apoſtolorum inuenitur, aut legitur docuiſſe.* Hæc Innocentius.

7. QVINTA, quia hoc videtur ipſe docuiſſe Paulus verbis nõ obſcuris ad Rom. c. 15. n. 19. *Sic autem prædicaũi Euangelium hoc non vbi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentũ ædificarem.* Sed Iacobum ante illud tempus, in quo Paulus Hiſpanias adiiſſe potuit, in Hiſpania iecìſſe Euãgelicæ doctrinæ fundamentũ probat communis, & antiqua traditio. Ergo niſi hoc negemus, nullo videtur modo admitti poſſe à Paulo Euãgelica luce illuſtratam fuiſſe Hiſpaniam.

Cõmunis ſententia à Paulo illuſtratã eſſe Hiſpaniam.

SED eſt cõmunis iam Hiſpanorũ, quàm aliorũ ſentẽtia, fuiſſe aliquãdiu Paulũ in Hiſpania, ibíq; ſparſiſſe Euangelicæ doctrinæ cœleſte ſemẽ. Nimiùm eſſet longũ authores proferre, qui ita ſentiunt: ſunt. n. fermè quotquot in Epiſtolã Pauli ad Roman. ſcripſère. Referã tamen illos, quorũ antiqua, & grauis authoritas, quiq; aliorũ ad ſe ſententias trahere ſuo iure debent. Neq; ea in re multùm mihi laborandum; quia laborẽ iſtum ante me ſumpſère quãplurimi, perfeceréque feliciter. Tantùm ego hîc repetam, quæ aliorum mihi ſtudium, & pietas ſubiecit.

PRIMO loco ſtatuatur Dionyſ. Areopag. Pauli diſcipulus, qui apertè tradit Hiſpaniã obitam à Paulo, & inde plures ab eo datas eſſe literas. Tradit autem hoc in epiſt. quadam ad Timoth. de Pauli morte, quam in libro quodã antiquo habet Complutẽſis Bibliotheca, cuius author mihi ignotus, quia priores ex eo libro paginæ, in quibus authoris nomen notari debuit, exciderunt. Scripſiſſe tamẽ de Pauli obitu Dionyſ. ad Timoth. tradit Trit. Addit Poſſeuin. in Apparatu ſacro in *Dionyſio*, epiſtolam hãc reperiri apud Iacobum Archiepiſc. Genuenſ. *Quam mihi videre non licuit* (ſcribit in ea epiſt. Dionyſ. ad Timoth ſatis familiariter, & dolenter: & poſt aliquot verba addit. *Heu frater mi dilecte anima mea, vbi eſt ſpiritualis pater tuus bone diſcipule magiſtri amator? Vnde vlteriùs ſalutabit te? de mari, aut de arida? de Galatia, aut de Hiſpania? ab Aſia, aut à Corintho? Ecce enim orphanus factus es, & remanſiſti ſolus.* Hæc Dionyſius. 8. Dionyſius Areopagita.

SECVNDO loco ſtatuatur Hippolytus Martyr, qui proximè aberat ab Apoſtolico ſæculo; qui in libello de duodecim Apoſtolis, qui manu ſcriptus ſeruatur in Bibliotecã Cardinalis Sirleti, firmiter aſſerit in Hiſpania prædicaſſe Paulũ. Ita Baronius, qui tam in additionibus ad Martyrologium ad diem 22. Maij, quàm primo tomo Annal. anno Chriſti 61. ibi ſe legiſſe ait. 9. S. Hippolytus.

TERTIO loco ſit Athanaſius in epiſtola ad Dracontium Epiſcopũ, vbi tractans illud Pauli Cor 1. cap. 9. [*Væ mihi ſi non euangelizauero.*] *Ceterùm, inquit, vt væ illi eſt, qui non euãgelizat, ita ipſe docens, & prædicans Euangelium pro gaudio, & corona diſcipulos ſuos ſanctos habebat. Quapropter* 10. S. Athanaſius.

pter ſtudio fuit ſancto viro vſq; ad Illyricum illud prædicare, neque ſegneſcere, neque omittere, quin Romam iret, & in Hiſpaniam aſcenderet.

S.Hieronymus. QVARTO loco ſit Hieronymus, qui licèt aliis locis ea de re loquutus videatur obſcuriùs; tamen ita poſtea de Hiſpanorum Doctore Paulo loquutus eſt apertè, vt de ſua ſentētia nemini reliquerit dubitandi locum. Sic enim in c.2. Iſaiæ de Paulo. *Per Pamphyliam, Aſiam, & Macedoniam, & Achaiam, & diuerſas inſulas, atque prouincias ad Italiam quoque, & vt ipſe ſcribit, ad Hiſpaniam alienigenarum portatus eſt nauibus.* Et in c.5. Amos iterum de Paulo. *Effuſus eſt ſuper faciem vniuerſæ Eccleſiæ, vt prædicaret Euangelium de Hieroſolymis vſq; ad Illyricum, & ædificaret non ſuper alienum fundamentum, vbi iam fuerat prædicatum, ſed vſque ad Hiſpanias tēderet, & à mari rubro: imò ab Oceano vſque ad Oceanum curreret,* &c. *vt ante eum terra deficeret, quàm ſtudium prædicandi.*

11. S.Epiphanius. EPIPHANIVS *hæreſi 27. Apoſtoli ſæpe ad alias terras ablegabantur propter Chriſti prædicationem: non potuit autem vrbs Roma ſine Epiſcopo eſſe. Paulus enim in Hiſpaniam profectus eſt: Petrus verò ſæpe Pontum, & Bithyniam viſitauit.*

12. S.Cyrillus. CYRILLVS Hieroſolymitanus Catecheſi 17. de Paulo. *Qui ab Hieroſolymis vſque ad Illyricum prædicauit Euangelium, qui Regiam quoque Romam inſtituebat, & in Hiſpaniam vſque promptitudinem prædicationis extendit.*

13. Chryſoſtomus. CHRYSOSTOMVS ſermone de Pētecoſte. *Vis cum* (Paulū) *videre curſorem ab Hieroſolymis, & in circuitu vſque ad Illyricum, & inde in Hiſpanias, & inde in vltimas partes repletum eſſe Euangeliū Chriſti?* & hom.7. de laudibus Pauli. *Verùm nec ibi ſtare cōtentus* (nempe Romæ) *& in Hiſpaniam percurrit.* & hom.76. in Matt. *Videas eum ab Hieroſolymis vſque Hiſpanias currentem: nam cùm Romæ biennium exegiſſet in vinculis, tandem dimiſſus eſt: deinde in Hiſpaniam profectus.*

Theodoretus. THEODORETVS in cap.1. Epiſt. ad Philip. *Actuum nos docet hiſtoria, quòd biennio Apoſtolus manſit in ſuo conductu, cùm autem liberatus illinc profectus eſſet in Hiſpaniam, & illic etiam diuinū Euangelium tradidiſſet, reuerſus eſt Romam.* Idem docet 2. ad Timoth. cap. vlt. & in Pſal. 116.

14. Gregor. Papa. GREGORIVS Papa lib. 31. Mor. c. 22. *Ecce ipſe, quem ad teſtimonium ſæpe deduximus, Paulus, cùm nunc Iudæam, nunc Corinthum, nunc Epheſum, nunc Romam, nunc Hiſpanias peteret, vt in peccati morte iacentibus æterna vitæ gratiam nunciaret, quid ſe aliud, quàm eſſe aquilam demonſtrabat?*

15. Anſelmus. ANSELMVS in Paulum ad 15. cap. Epiſt. ad Romanos idem ſentit, additq; Doctorum omnium communem eſſe ſententiam. *Nec falſum,* inquit, *loquitur, qui ſe in Hiſpaniam profecturum pollicetur: profectus eſt enim, ſicut Hieronymus, & Beda, cæterique Doctores teſtantur. Vnde & Narbonā præteriens quendam diſcipulum nomine Paulum fertur ibi reliquiſſe Epiſcopum. Peruenit igitur vſq; ad Hiſpanias, & à mari rubro vſque ad Oceanum prædicando cucurrit.*

16. S.Iſidor. Theophylactus. Occumenius. ISIDORVS idem libro de vita, atque obitu Sanctorum c.71. Theophylactus in Præfatione Epiſtolæ ad Hebræos, & Occumenius in c.15. Epiſt. ad Romanos. Longum eſſet ſingulos commemorādo perſequi, qui Hiſpaniarum magiſtrum Paulum eſſe dicunt. Abulēſis. Abulenſis ad illud c. 33. Geneſ. *& ego ſequar paulatim veſtigia eius.* Lucas Tudenſis. vbi citat Lucā Tudenſem in Chronicis, & Ioannem Ægidium Zamorenſem.

S. Thomas. SANCTVS Thomas, qui in c.15. Epiſt. ad Roman. id negaſſe videba-

tur,poſtea re, vt apparet,accuratiùs ex[illegible]a,cū aliis ſentit,Hiſpanorúmque fines ingreſſum Paulum , & ibi docuiſſe nō obſcurè tradit. Sic enim ille in cap. 2.ad Galatas, id eſt, longè poſtquam aliter ſentire viſus eſt ad illud [*Ne in vacuum currerem,aut cucurriſſem.*] *Vocat*, inquit, *prædicationem ſuam curſum , propter velocitatem ſuæ doctrinæ : quia in modico tempore à Ieruſalem vſque ad Illyricum, & vſque in Hiſpaniam prædicauit Euangelium.* Quare vnus videtur eſſe Dominicus Sotus,homo Hiſpanus,qui id negat, quod externi etiam ſcriptores vno fatentur ore , cum quo ad finem diſputationis nobis agēdum eſt ; pondúſque rationum expendendū, quæ ipſum vt contra alios omnes cogitaret,adduxerunt.

17. Accedit,quod apud me momenti habet plurimùm , publica authoritas,quæ in loco ſacro, & ſacra propè dixerim fide quotidie clamat veniſſe in Hiſpaniam Paulum, & in tranſcurſu Narbonæ Epiſcopū præpoſuiſſe Sergium Paulum. Habent hoc Martyrologia Bedæ,Adonis 12.die Decembris, Vſuardi eodem die, quæ ſuperioribus ſæculis variis in locis recitabantur : & nunc Romanum , quod poſt longum, & accuratum examen legit ad diem 22.Martij.*Narbonæ in Gallia natale S. Pauli Epiſcopi , Apoſtolorum diſcipuli, quem tradunt fuiſſe Sergium Paulum Proconſulē, qui à B. Paulo baptizatus, & cum in Hiſpaniam pergeret , apud Narbonam relictus eſt.*

Beda. Ado.

Martyrologium Romanū.

Qvid in Hiſpania fecerit Paulus, obſcurùm eſt , aut quia breui in ea commoratus fuit, aut quia, vt in diſputatione de aduētu Iacobi in Hiſpaniam tract. 2.c.5. diximus,hiſtoriæ ſacræ impio Romanorum Imperatorū Edicto perierunt.Sed ſunt adhuc Apoſtolici curſus nō obſcura veſtigia,quorum vnū eſt,quod nunc adducebamus de Paulo Sergio à Paulo Apoſtolo Narbonę relicto,vt eſt in Romano Martyrologio , quo vniuerſalis vtitur Eccleſia.

Dertosensis præterea Eccleſia primū ſuum Epiſcopū agnoſcit, & colit Rufū Simonis Cyrinēſis filium,quē ibi reliquiſſe traditur Paulus , cùm in Hiſpaniā venit : id verò recitat in Officio matutino.Accedit quòd Sophronius Hieroſolymitanus Patriarcha conuerſos tradit in Hiſpania à Paulo illuſtrē quendā virum,nomine Probū,& vxorem eius Xantippem. Idemmet tradit Metaphraſtes apud Lippomanum & Surium in Commētario de laboribus, & peregrinationibus Apoſtolorum Petri,& Pauli. Habes apud Suriū ad diē 29.Iunij:quod etiā tradit Græcorum Menolog.ad diem 25.Septemb. vbi cum Xantippe Polyxenā quoq; à Paulo dicit eſſe conuerſam. 18.

Sophronius.

Metaphraſtes.

Menologium.

Qvin addunt aliqui Hierotheū, quē eius diſcipulus Dionyſius diuinū appellat,à Paulo fuiſſe in Hiſpania conuerſum, quē & Dionyſij cōmentatores, licèt Græci, Hiſpanum fuiſſe tradunt. Neq; huic ſententiæ incommodare putāt Græci nominis rationē ; Hierotheus.n. Græcum eſt nomen:nā & mutari potuit cum religione nomen antiquū : quod olim non infrequēs,vt accidit Paulo, qui priùs vocabatur Saulus.Vel cognomē fuit diuini illius viri,nō nomen: quomodo Ioānes dictus , eſt Chryſoſtomus, Petrus Rabenas Chryſologus;& in eandē formā ſexcenti alij.Neq; ratiò illa valdè premit in oppoſitum,quā adducit Lorinus : quia Hierotheus hic princeps apud Hiſpanos erat in loco,immò & Hiſpaniā gubernator obtinebat,vt Metaphraſtes docet, & Sophronius: nam ſi quos nacti eſſent & ingenio acri, 19.

Hierotheus Hiſpanus.

&

Digitized by Google

& prudétia ad gubernationem idonea, atq; aliis in rebus explorata fide, non dubitabát Romani externos à ſuo genere viros prouinciarum adminiſtrationi præficere. Hiſtorias conſule externas, plus ſatis occurret exemplorum. Sed ex Scriptura ſacra habemus non pauca, ex quibus promptum eſt de reliquis coniectare. Nemo dubitat Herodes omnes, qui variis temporibus variis prouinciis Romanorum ſubiectis Imperio præfuerunt, Romanos non eſſe, ſed Iudæos, aut habitos certè pro Iudæis. Qui variorum locorum Præſides, & Tetrarchæ nominantur Lucæ cap. 3. Romani non erant, vt eſt communis, veráque ſententia. Gallio, qui Actor. cap. 18. Achaiæ dicitur Proconſul, Hiſpanus erat, & Senecæ frater. Quare non video cur Hierotheus homo Hiſpanus apud Hiſpanos cum poteſtate eſſe non potuerit. Sed, vtcumque ſit, ſatis ad noſtrum inſtitutum habemus, modò in Hiſpania Hierotheus conuerſus eſſe credatur à Paulo; neque video cur quiſquam negare debeat, aut poſſit Hiſpanum fuiſſe Hierotheum, quando ſtat pro hac ſententia antiquorum ſcriptorum authoritas, & qui è recentioribus contrà putant, nihil afferunt aliud, quàm ſibi ſententiam illam non probari. Vide Ambroſium de Morales lib. 9. de rebus Hiſpanicis cap. 12.

20. RELIQVVM eſt, vt quantùm ſit in aduerſariorum ſententia firmamenti exploremus, neque quidquam erit aliud neceſſarium, vt obiecta ſuo nutu cadant. Et primùm obſeruo cum vno Dominico de Soto nobis eſſe negotium; qui, homo cùm eſſet Hiſpanus, temperare ſe debuit ab ea cogitatione, cùm pro ſe nihil haberet quod communem ſententiam debilitaret. Contrà, credo, ſentiret, ac doceret niſi S. Thomæ, cuius illam putabat eſſe opinionem in Commentariis ad cap. 15. Epiſt. ad Roman. adhærere ſtatuiſſet. Quòd ſi noſſet illum ad Galatas 2. cap. vt ſuprà vidimus, aut mutaſſe, aut temperaſſe, ſeu certè magis explicuiſſe ſententiam, mutaſſet ipſe quoque, quam, dum in Sancti Thomę verba iurauit, cogitationem imbiberat. Vtcunque tamen ille aut ſentiat, aut ſentire ſe dicat, rationes infirmæ ſunt, quas iam non tam diluere, ac debilitare, quàm proponere, atque explicare aggredior.

PRIMA ratio Soti ex ἀνιστορίᾳ naſcitur: putat enim Sotus, exacto biennio, quod in ſuo conducto exegit Romæ, occiſum fuiſſe Paulũ à Nerone, cùm tamen decem annos, aut vt alij putant, nouem, poſtquam ex eo carcere ſolutus eſt, amplius ſuperuixerit, id eſt, ad annum vſque 14. Neronis; cùm anno ipſius quarto, ſeu iuxta aliorum ſententiam, quinto, abſolutus fuerit, & quocũque vellet abire permiſſus. Hæc eſt omnium Patrum conſpirans ſentẽtiá. Chryſoſtomi in Matthæum homil. 76. *Cùm igitur biennium Romæ exegiſſet in vinculis, tandem dimiſſus eſt, deinde in Hiſpaniã profectus.* Theodoreti in cap. 1. ad Philip. *Quia Actorum nos docuit hiſtoria, quòd duobus annis primò Romæ per ſe degit, per ſe habitans in ſuo conducto, cùm autem illinc profectus eſſet in Hiſpaniam, & illis etiam diuinum Euangelium tradidiſſet, reuerſus eſt, & tunc fuit truncatus capite.* Et, vt vno verbo loquar, nemo fermè eſt ex Interpretibus, qui non hoc ipſum doceat ad illud 2. ad Timoth. cap. 4. *liberatus ſum de ore leonis.* Vbi S. Thomas qui ad cap. 15. ad Roman. aliter ſenſiſſe videbatur, liberatum eſſe dicit Paulum à Ne- 21. Paulus exacto biennio diu vixit.

rone, & quocũque voluntas ferret abire permiſſum. Et quidem eo loco non obſcurè ſignificat Paulus dum penulam afferri ſibi iubet ex Troade, membranas, & libros, quæ prædicationis, & peregrinationis inſtrumenta ſunt.

22. *Multa à Luca omiſſa.* SECVNDA ratio ex eadem ἀνιςορίᾳ, ſiue hiſtoriæ ignoratione procedit, quaſi biennio exacto Paulus eſſet occiſus, aut nihil eorũ, quæ geſſit Paulus à Luca foret in narrando præteritum. Quàm multa de ſe Paulus narrat in Epiſt. ad Cor. 2. c. 11. & 12. & ad Philip. c. 1. quorum nõ meminit Lucas? Sanè Lucas Apoſtolicam deduxit hiſtoriam ad bienniũ illud quod in vinculis Paulus trãſegit Romæ; quid reliquo tempore, i. decem, ſeu nouem annis ante mortẽ egerit, omiſit. Sed multa ſcripſerunt alij, & Paulus ipſe in Epiſtolis prodidit non pauca. Quare non eſt cur Sotus hinc aſſumat Hiſpaniã à Paulo non eſſe luſtratam; quia eodẽ etiã modo negare poſſet plurima, quæ de ſe narrat Paulus, quæ omnino prætereuntur à Luca. Illud miror à tanto viro excidiſſe, qui multa viderat, vt decet eum, qui in Pauli Epiſt. Cõmentarios edidit, ſine cõtrouerſia eſſe, Paulũ nunquã in Hiſpaniam penetraſſe, cùm præter ipſum nemo, quod ego ſciã, affirmatè negauerit: nam de S. Thomæ ſententia iã à nobis dictũ eſt. Qui etiã affirmat cõſequenter ad priorẽ cogitationem, neminẽ de aduentu Pauli in Hiſpanias quicquam prodidiſſe, cũ tot, tamque grauia extẽt de Hiſpanica profectione teſtimonia. Sic. n. ille. *Si nõ Lucas, ſaltem non defuiſſet, qui rem tam memorabilem memoriæ proderet.*

23. AD verba Gelaſij non eſt difficilis reſponſio; & Pontificis authoritati Põtificis quoque opponi poſſet authoritas. Si. n. Gelaſius Hiſpaniarũ neget Doctorẽ eſſe Paulũ, ſtat cõtrà Gregorius Magnus, qui, vt vidimus ſuprà, cõtrà ſẽtit, ſtat Gregorius VII. qui lib. 1. epiſt. 64. ad Hiſpaniarũ Reges Alfonſũ, & Sanctiũ, docet Paulũ docuiſſe in Hiſpania, & ab illo, & Petro ſeptẽ Epiſcopos eò doctrinæ gratiã fuiſſe legatos. Sic autem Gregorius. *Cùm B. Apoſtolus Paulus Hiſpanias ſe adiſſe ſignificet.* Hæc autẽ tã Gelaſius, quàm qui cõtrà adducũtur Põtifices, dicunt vt Doctores, nihil vt Põtifices definiunt. Sed nõ dicit Gelaſius Paulũ non adiiſſe Hiſpaniã, ſed non adiiſſe eo tẽpore, quod animo prius deſignaſſet. Id. n. agit eo loco Gelaſius, vt probet Paulum in promiſſione de adeũda Hiſpania nõ fuiſſe mentitũ; licèt quod fuit antè pollicitus, poſtea nõ impleuerit, quia cogitationi ipſius, atq; conſilio, quæ interceſſit à Iudæis vis, & cuſtodia impedimento fuit. *Quid Gelaſius de Paulo.* Hoc autem vt Pontifex probet, non neceſſe fuit Hiſpaniam omnino fuiſſe peragratam à Paulo: ſat enim erat ſi definito, deſignatóque tẽpore promiſſa nõ præſtiterit; neque id ſibi eo loco Pontifex aſſumpſerat negotij, vt probaret Paulũ Hiſpaniã non vidiſſe; ſed tantùm illũ nõ eſſe mendacẽ, qui cùm animũ habeat promiſſa præſtandi, quo tamẽ minùs faceret, impeditus eſt, ita vt non volũtas, ſed facultas ad agendum defuerit. Quã ad rem aptum viſum eſt exemplum adductum, in quo vis eadem eſt, etſi alio tẽpore cogitata præſtiterit, quã antea conſtituerat, promiſerátque.

AD epiſtolam Innocentij III. ad Decentiũ Epiſcopũ Eugubinum, iã nobis ſatis, credo, reſpõſum eſt in ea diſputatione, quã de Iacobi in eandẽ prouinciam aduentu priùs inſtituimus tract. 1. c. 1. vbi eadem eſt cauſa, eadem difficultas. Et quidem ſi res eſſet difficilis de Apoſtolis aliis, quod non credo; in Paulo tamen ſic eſt expedita, vt nemini protſus dubitare 24.

tare liceat. Quis enim neget docuiſſe Paulum Romæ, docuiſſe in inſula Melitenſi, cùm id apertè conſtet ex Actis? At hæc verba, ſi vt primùm ſonant, ſimpliciter capias, ibi omnino Paulum docuiſſe negant.

25. NEQVE plus habet momenti argumentum aliud, quod ex ipſius verbis aſſumptum, graue exiſtimatur, quod & in diſputatione de Iacobo Hiſpaniarũ Apoſtolo ſatis, vt credo, diligẽter diluimus. Solutionẽ inde pete, quæ facilis eſt, & multiplex. Illud interim obſerua, ſi verba Pauli, vt quidã volunt, interpretêre, quòd videlicet Paulus ſupra alienum fundamentum non ædificauerit, id eſt, non ibi docuerit, vbi priùs alius diuini verbi ſemen ſparſiſſet, id nullo modo verum eſſe poſſe. Nã Paulus Romæ docuit, vbi Petrus multo antè docuerat: docuit Damaſci, vbi doctus ipſe prius fuerat ab Anania; docuit Hieroſolymæ, & Antiochiæ, vbi potiſſima fuerat, neque ſemel, neq; ſegniter Apoſtolorum opera. Quare ſupra aliorum fundamẽtum ædificauit; ſed alia eo loco Pauli mens eſt, alia horum verborum explicatio, de qua nos alibi pluribus.

26. Studium Pauli in Hiſpanos. ILLVD ad extremum addo, optaſſe Paulum vehementer Hiſpaniam inuiſere, quando id ſemel, atque iterum eodem fermè loco promittit ad Roman. cap. 15. quod animi eſt in aliquam curam vehementer intenti. Quòd autem in tranſcurſu Romanos videre vult, qui medij ſunt inter Hiſpanos, & Achaiam, ſeu Corinthum, vnde ad Romanos epiſtola data exiſtimatur, argumento eſt magis in animo, atque in votis habuiſſe Paulum Hiſpanorum ſalutem, quàm Romanorum; cuius rei ea videtur eſſe ratio, vt optimè coniectat Salmeron, quia Romæ aderat Petrus: quare ibi Pauli præſentia minùs videbatur neceſſaria. At Hiſpania ſuo viduata Patrono, atque Apoſtolo Iacobo, qui Apoſtolorum primus ferro ſublatus eſt, magni alicuius Apoſtoli magna ipſa prouincia opem, atque doctrinam requirebat. Doctor itaque Gẽtium Paulus, quẽ omniũ gentium Doctorẽ Deus eſſe voluit, ſuarũ eſſe partium exiſtimabat, deſertæ prouinciæ ſubſidio venire; quæ ratio cùm poſt lõga impedimẽta non ceſſaret, veriſimile eſt poſt tot vincula, & rerum incõmoda Pauli voluntatem non eſſe mutatam. Quare & ipſe nauauit Hiſpanis Apoſtolicam operã, & cùm ipſe ad nationes alias Gentilicas ſtudiũ trãſtuliſſet, vt qui Gentium Doctor eſſet à Deo deſignatus, eôdem magiſtros, & Epiſcopos mittendos curauit. Septem namque Epiſcopi, de quibus nos latè in tractatu de aduẽtu Iacobi, à Petro, & Paulo in Hiſpanias ab vrbe Romana fuiſſe directos tradit Gregorius VII. epiſtola ad Alfonsũ, & Sãctiũ Hiſpaniæ Reges. *Cũ Beatus*, inquit, *Apoſtolus Paulus Hiſpanias ſe adiiſſe ſignificet: ac poſtea ſeptẽ Epiſcopos ab vrbe Romana ad inſtruendos Hiſpaniæ populos à Petro, & Paulo Apoſtolis directos fuiſſe*, &c.

QVANDIV apud Hiſpanos egerit Paulus, nec diuinare licet, quia nihil ea de re proditum ab antiquis. In cauſa opinor fuiſſe Imperatorum impiam, atque veſanam crudelitatẽ, qui idem Chriſti ſectatoribus, & ſacris Eccleſiæ naſcentis monumentis bellum indixêre, vt pluribus docuimus in diſputatione de Iacobo tractatu 2. cap. 5. 27.

AN etiam ſtatim atque exacto biennio abſolutus eſt Paulus, in Hiſpanias conceſſerit, ſeu aditis potiùs aliquot ex Oriente prouinciis, incertum eſt. Quod ſtatim à vinculis Hiſpaniam adierit, probat ſtudiũ ardens, Incertum quo tempore Hiſpanias adierit.

ardens, & firmum, vt apparet, conſilium Hiſpaniam inuiſendi, poſtquā Romanam vrbem attigiſſet: bis etenim ſpatio non longo id ipſum promiſit ad Romanos cap. 15. *Cùm in Hiſpaniā proficiſci cœpero, ſpero quòd præteriēs videā vos.* & iterū ſtatim: *per vos proficiſcar in Hiſpaniam*; quaſi fixū eſſet in animo in prouinciam illam omnino fore proficiſcendum. Adde quòd plurimùm iam viæ confectum erat, neque ex vrbe Romana longa erat, aut difficilis illa tranſmiſſio: quare non videbatur Paulus occaſionem illam omiſſurus, maximè cùm mutandi conſilij nulla ſe neceſſitas noua, aut vſus oſtenderet. Galeſinus in Annot. ad Martyrol. ad diem 21. Maij decem annos, quos vixiſſe Paulum exiſtimat, poſtquam Roma exceſſit, conſumptos eſſe tradit in occidentalibus prouinciis; vbi certum, & exploratum eſſe dicit, veniſſe Paulum in Hiſpaniam. Sed contrà ſtat, quod Apoſtolus prouinciis aliquot orientalibus promittit, vbi ſolutus eſſet ex vinculis, breui ſe illas aditurum. Ad Philip. cap. 2. *Timotheum ſpero me mittere ad vos, mox vt videro, quæ circa me ſunt. Confido autem in Domino, quoniam & ipſe veniā ad vos citò.* Et ad Philemonem. *Para mihi hoſpitium: nam ſpero per orationes veſtras donari me vobis.* Et ad Hebr. ad Epiſtolæ calcem. *Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celeriùs reſtituar vobis.* Propter hæc non auſim in alterutram partem quidquam definire. Illud eſt certum, ex eo biennio ad mortem vſque Pauli per nouem videlicet, aut decem annos ſatis fuiſſe ſpatij, vt tam orientales, quàm occidentales prouinciæ per otium à Paulo peragrari potuerint.

CAP. II.

Quòd S. Petrus in Hiſpania prædicauerit.

ILLVD etiam non omittam, ne quiſquam me aut parum in patriā piū, aut mei muneris immemorem accuſet, S. quoque Petrum ab aliquibus exiſtimari Hiſpaniam adiiſſe. Quod alienum non eſt à Commentariis in Acta, in quibus multa de Petro Apoſtolorum Principe prodidit Lucas, quódque ad Hiſpaniæ gloriam non parum facit. Res quidem eſt minùs certa, quàm quæ de Paulo nuper, & obſcura veſtigia; non tamen illi deeſt ſua quoque veriſimilitudo, quæ tunc iudicatur eſſe maxima, quando ab antiquitate ducitur, cuius de rebus, quæ memoriam noſtram longè ſuperant, graue videri ſolet teſtimoniū. Petrus Galeſinus in Annotationibus ad Martyrologium ad diem 21. Ianuarij. *Petrus*, inquit, *Apoſtolorum Princeps peragratis cæteris Occidentis prouinciis, Hiſpaniam item fidei prædicationibus illuſtrauit, vt Simeon Metaphraſtes ſcribit; & planè ita id eſſe, grauibus argumentorum momentis à pleriſque perſuadetur.* Hæc Galeſinus.

1. Petrus Hiſpaniā adiit.

Galeſinus

PORRÒ Metaphraſtes citatus à Galeſino hæc tradit in Commentario de certaminibus, ac peregrinationibus Petri, & Pauli, qui eſt apud Lippomanum, & apud Surium ad diem 29. Iunij. Ait ergo de Petro. *Cùm autem non diu manſiſſet apud Romanos, & ſancto Baptiſmo multos regeneraſſet, & Eccleſiam conſtituiſſet, & Linum Epiſcopum ordinaſſet, venit Tarracinam, in qua cùm Epaphraditum*

Metaphraſtes.

tum

Digitized by Google

tum ordinaſſet Epiſcopum, venit Sirmium ciuitatem Hiſpaniæ. Quo in loco cùm Epenetum conſtituiſſet Epiſcopum, deuenit Carthaginem. Et ad finé eiuſdem Commentarij ex ſententia Euſebij ait luſtraſſe Petrum ciuitates, quæ ſunt in Occidente, vbi ſine dubio de Hiſpania ſermo eſt; nam de alus ciuitatibus, quæ aliquo reſpectu vocari poſſunt occidentales, iam antè egerat; at comparatione Romę, occidentalis, quaſi propria, atque legitima nota dicitur Hiſpania. Sic autem Metaphraſtes ex Euſebio.

Euſebius. *Euſebius autem Pamphili dicit Petrum duodecim quidem annos fuiſſe verſatum in Oriente, viginti autem & tres annos tranſegiſſe Romæ, & in Britãnia, & in ciuitatibus, quæ ſunt in Occidente, adeò vt ſit totum tempus prædicationis ſancti Petri 35. anni.* Hoc idem de Petri in occidentalibus prouinciis prædicatione tradit Onuphrius in Chronicis Eccleſiaſticis.

2. Hic Baronius de fide Metaphraſtæ dubitat; quia quæ ex Euſebio citat in eo Commentario de Xantippe, & Polyxena nuſquam reperiuntur; quare de alus, quæ ex eodem Euſebio Metaphraſtes adducit; idem putat eſſe iudicandum. Miror hîc hærere tantum virum, iámque in antiquorum ſcriptis aſſiduè verſatum; cui obſcurum eſſe non potuit, multa antiquorum monumenta aut temporum iniuria, aut hominum ſiue inuidia, ſiue negligentia periiſſe. Quæ tamen legere potuerunt, qui propiores fuerunt illorum ſeculo, quorum monumenta, & fidem teſtantur. Quàm multa Auguſtinus de Seneca, ac Cicerone adducit, quæ ad noſtram ætatem non peruenêre? Et ne longè abeamus, huius ipſius Euſebij, de quo nobis quæſtio, multa ſcripta tradūtur, quorū noſtro ſæculo neq; leue veſtigiū. Vide apud Donatū Veronenſem, & apud Bellarminum de Scriptoribus antiquis, quàm multa ſcripſerit, quàm multa nunc deſiderentur, quę ſcripta produntur ab Euſebio.

Accedit, quòd Petrus & veniſſe potuit in Hiſpaniam, cùm non abeſſet procul in vrbe Romana, & pro ſuo munere fortaſſe debuit, cùm Paſtor eſſet vniuerſalis, & tantę prouinciæ ratio poſtularet. Quòd enim bonus, & ſollicitus Paſtor ſæpe ab vrbe in alia, atque alia loca diſceſſerit, ſatis conſtat; & ideo inquit Epiphanius hæreſi 27. conſtitutos fuiſſe Linum, & Cletum Epiſcopos Romæ; ne Roma Petro ad diuerſa digreſſo, à Paſtore deſerta remaneret. *Verumtamen etiam hic potuit* (nempe Clerus) *ſuperſtitibus adhuc Apoſtolis, Petro videlicet, ac Paulo, alios Epiſcopos conſtituere; propterea quòd, Apoſtoli ſæpe ad varias terras ablegabantur propter Chriſti prædicationem. Non potuit autem vrbs Roma ſine Epiſcopo eſſe.* hæc Epiphanius. Quid præter ea de Petri in Hiſpaniam aduentu dicam, nihil amplius occurrit. Minùs quidem hæc grauia ſunt, quàm quæ de Iacobo, ac Paulo Hiſpaniarum Apoſtolis à nobis adducuntur: verùm hæc ipſa non videbuntur leuia his, qui in Hiſpanicum nomen bene ſunt animati. Quorum ego ſtudio quantùm potui fideliter, atque accuratè exiguam han. operam impendi, quam Eccleſiæ cenſuræ, & doctorum hominum iudicio ſubmitto. 3.

Addenda ad caput decimum tractatus I. quæ ſerius ad nos peruenerunt.

CVM hæc ego nullo duce ex ipſo ordine,& curſu Hiſtoriæ ſacræ coniectarem, longè tamen poſtea inueni,qui me magis in ea coniectura, atque ſententia confirmaret,authorem nempe Chronici Alexandrini,ſiue,vt alij volunt, Siculi, qui licèt incertus, antiquiſſimus tamen eſt,& à magni nominis authoribus magnæ etiam ipſe authoritatis exiſtimatur. Quem proximè Matthæus Raderus ex noſtra Societate è Græco Latinum fecit. Hic verò conuerſionem Cornelij cum Eunuchi Cãdacis Reginæ conuerſione coniungit. Sic ergo author ille grauis, licèt anonymus.

Hoc *ſecundo anno ſecundùm Christi in cœlum aſcenſum Philippus Apoſtolus Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum, Gentium primitias, Chriſti doctrinæ ſubiecit. Hoc eodem anno in Palæſtina Cæſarea Cornelius cum tota familia ſua diuinitùs per Apoſtolum Petrum Chriſti fidem edoctus recepit.*

BIBLIOTECA NAZ. RO...A VITTORIO EMANUELE

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITVM, QVÆ IN HVIVS DISPVtationis quatuor tractatibus continentur.

TRACTATVS PRIMVS.

In quo probatur Iacobum in Hiſpaniam venire potuiſſe.

Cap. 1. QVid Petro mādatum, aut permiſſum in linteo cœlitùs demiſſo.

2 Quid in Petro reprehēſum ſit in cauſa Cornelij, & à quibus.

3 An Chriſtus, & Apoſtoli viuente Chriſto cum Gentibus agere potuerint.

4 Ante Cornelij conuerſionem licuit cum Gētibus agere doctrinæ gratia.

5 Multi ante Cornelium è Gentibus conuerſi.

6 Quando facta Apoſtolorum diuiſio.

7 Quando conditum Apoſtolorum Symbolū.

8 Quid Cornelij conuerſio cōtulerit, & ad duo Actorū loca reſponſio.

9 Non longè ab Aſcenſione cōuerſus eſt Cornelius, & ianua Gentibus ad fidem aperta.

10 Quoto anno ab Aſcē-

ſione cōuerſus eſt Cornelius.
11 Quando erecta Cathedra Antiochena.

TRACTAT. II.

In quo probatur, Iacobum in Hiſpaniam veniſſe.

Cap. 1. Probatur Iacobi aduentus in Hiſpaniam ex traditione antiqua.
2 Probatur Sanctorum, & illuſtrium virorū teſtimoniis.
3 Quid ſenſerit Rodericus Toletanus Archiepiſcopus.
4 De publicis, id eſt, Pontificum, & diuinorum officiorum teſtimoniis.
5 Quomodo hiſtoriæ Eccleſiaſticæ in Hiſpania perierint.
6 De teſtimonio S. Iacobi ad Ramirum Regem.
7 De teſtimonio laminarum Granatenſium.
8 De teſtimonio S. Mariæ de Pilari.
9 De teſtimonio Clementis VIII. in Breuiario reformato.
10 Quid clauſula Breuiarij reformati Hiſpanis incommodet.
11 Quid ſentiant externi ſcriptores.

TRACTAT. III.

In quo obiecta quædam diſſoluuntur.

Cap. 1. Reſpōdetur ad epiſtolam Innocentij III.
2 Reſpondetur ad verba Gregorij VII. & oſtenditur ante ſeptem Epiſcoporum aduentum annunciatam fuiſſe fidem in Hiſpania.
3 De diſceptatione Roderici Toletani Archiepiſcopi cum Compoſtellano.
4 Soluitur obiectio, ex Epiſt. ad Rom. cap. 15.
5 An Iacobus paucos in Hiſpania conuerterit.
6 An ſeptem Epiſcopi à Petro ordinati diſcipuli fuerint S. Iacobi.
7 Cur Iacobus ex Hiſpania

Digitized by Google

nia Hieroſolymam redierit.
8 Soluuntur contra quæ Cæſarauguſtanæ ædis traditionem obiiciuntur.
9 Vera oſtenditur hiſtoria Calixti.
10 Probatur eſſe Iſidori liber de vita, & obitu Sanctorum.
11 De antiquitate, & authoritate officij Mozarabi.
12 Quid Iſidorus ſenſerit de authore Epiſtolę Iacobi.
13 Cur Herodes, à quo Iacobus occiſus, Tetrarcha vocetur ab Iſidoro.
14 In quo loco dicit Iſidorus ſepultum eſſe Iacobum.
15 An Philippus prædicauerit in Gallia.
16 An Simon Apoſtolus Iacobo in Epiſcopatu Solymitano ſucceſſerit.
17 Quid Iſidorus ſenſerit de Iacobi obitu, ac ſepultura B. Virginis.
18 Qui librum de vita, atque obitu Sanctorum Iſidori eſſe teſtntur.
19 Quid Ioannes Boſcus de aduentu Iacobi ſentiat, & quale iudicari debeat eius teſtimonium.
20 De authoritate opuſculi, quod Boſcus cõmendat.
21 Quòd falſa quædam, neque conſtantis fidei opuſculum illud contineat.
22 Quòd hiſtoria abſurda, & fabuloſa contineat.
23 Quid manu ſcriptus codex de aduentu Iacobi in Hiſpaniam ſentiat.

TRACTAT. IV.

Cap. 1. S. Paulus in Hiſpaniã venit.
2 S. Petrus Hiſpaniam adiit.

INDEX

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HVIVS DISPVtationis quatuor tractatibus continentur.

Primus numerus ad tractatum, alter ad caput; poſtremus ad numerum marginalem remittit.

MATTHÆI.

Cap.26. *Circuitis mare.* t.1.c.1.n.4
2. *Data eſt omnis poteſtas.* t.1.c.8.n.2
10. *In viam Gentium ne abieritis.* t.1.c.4.n.1

IOANNIS.

Cap. 14. *Regiones albæ ad meſſem.* t.1.c.9.n.2
17. *Clarifica filium tuum.* t.3.c.8.n.5

ACTORVM.

Cap.10. *Quomodo abominatum ſit viro Iudæo.* t.1.c.1.n.4
15. *Elegit per os meum.* t.1.c.8.n.3.
9. *Diſputabat cum Gentibus.* t.1.c.9.n.1
15. *Ab antiquis diebus.* t.1.c.9.n.3

AD ROMAN.

Cap. 15. *Ne ſuper alienum fundamentum ædificarem.* t.3.c.4.n.1

AD CORIN. I.

Cap.1. *Non miſit me Chriſtus baptizare.* t.3.c.4.n.4

AD GALAT.

Cap.1. *Alium autem Apoſtolorum vidi neminem.* t.1.c.7.n.2

INDEX

INDEX REGVLARVM SCRIPTVRÆ SACRÆ QVÆ IN huius diſputationis quatuor tractatibus continentur.

Primus numerus ad tractatum, alter ad caput; poſterior ad numerum marginalem remittit.

1. *TVnc aliquid factū, vel conceſſum eſſe dicitur quando ſpeciali aliquo modo factum, vel conceſſum eſſe demonſtratur.* t.1.c.8.n.2

2. *Prolepſis in Scriptura frequens.* t.1.c.10.n.1.

3. *Quæ parum à principio diſtant, in principio facta eſſe dicuntur.* t.3.c.2.n.1

4. *Is dicitur rei alicuius author, qui rem ab alio inceptam amplificauit.* ibid.n.2

5. *Nomina propria maximè inuſitata varias ſubeunt corruptiones.* t.3.c.14.n.1.

6. *Nominum ſimilitudo magnos interdum viros in errorem induxit* t.3.c.16.num.2

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERVM, QVÆ IN DISPVTATIONE DE S. IACOBI in Hiſpaniam aduentu continentur.

In quo litera t. tractatum, c. caput, n. marginalem numerum indicat.

A

Anaſtaſij teſtimonium. t.1. c.2.n.8

Andiat quid. ibid.n.9

Apoſtolis poſt Pentecoſtẽ liberum abire ad Gentes. t.1.c.4.n.2

Apoſtolorum diuiſio ante annum 12. ab Aſcenſione. t.1.c.6.n.2

Apoſtolorum diuiſio ſtatim à Pentecoſte. ibid.n.4.

Apoſtoli non manſerunt Hieroſolymæ ad obitum vſque Virginis. ibid.n.7

Apoſtolorum nomen ante Euangelium. t.3.c.3.n.2

Apoſtolorum nomen multi falsò aſſumpſerunt. ibi l.

Apoſtolos veriſimile à Petro ad ſuas Prouincias fuiſſe deſtinatos. ibid. n.3

Arabes ſcripta in Hiſpania combuſſerunt. t.2.c.5.n.3

B

Barnabas Italię Apoſtolus. t.3.c.1 n.9

Baronius quid de aduentu Iacobi in Hiſpaniam ſenſerit. t.2.c.11.n.4

Bedæ teſtimonium. t.2.c.2.n.4

Beda quid ſentiat de libro Iſidori de vita, & obitu SS. t.3.c.18

Braulij teſtimonium. t.2.c.2.n.4

Breuiarium à Clemente octauo reformatum fauet antiquæ traditioni. t.2.c 9.n.1.& n.6

Breuiarium qua in re videatur incommodare. t.2.c.10.n.1

C

Ante Cornelium aliqui è Gentibus conuerſi. t. 1.c.2.n.2

ante Cornelium agere licuit cum Gentibus. t.1.c.4.n 1

Cornelius eodem tempore conuerſus, quo Paulus, & Eunuchus. t.1. c.10.n.1

Cornelius conuerſus in digreſſu Petri à Samaria t.1.c.3.n.1

Chriſto & Apoſtolis licuit agere cum Gentibus. t.1.c.3.n.1

Calixti teſtimonium. t.2.c.4.n.2

Calixti vera hiſtoria. t.3.c.9 n.1

Calixti hiſtoriæ grauis authoritas. ibid.n.2 ex ea Vincentius multa ſumpſit. ibid.

Cathedra Antiochena quando erecta. t.1.c.11.n.2. in ea ſedit Petrus 7. annos. ibid.n.2

Cathedra Antiochena Catholica. ibid.

ibid.n.3
Clemens octauus quid de Iacobo ſentiat. t.2.c.4.n.4.& ibid.c.9.n.1. quomodo docet Hiſpaniam obitam à Iacobo. ibid.n.6
Clementis Alexand. quoddam opus apocryphum. t.1.c.6.n.4
Codex manu ſcriptus euulgatus à Garſia de Loayſa leuis authoritatis. t.3.c.3.n.2. multa continet indigna Toletano Prçſide. ibid. n.4
Creſcens Galliæ Doctor. t.3.c.1.n.8

D

DExtri teſtimonium. t.2.c.2.n.5
Diocletiani edictum contra libros ſacros. t.2.c.5.n.3

E

EPiſcopi ſeptem à Petro miſſi. quo ſenſu dicantur primi veniſſe in Hiſpaniam. t.2.c.9.n.7. & t.3.c.2.n.1.& n.2
Epiſcopi ſeptem diſcipuli fuerunt Iacobi, & ab eo in Hiſpania conuerſi. t.3.c.2.n.2, & c.6.n.2
Epiſtola Iacobi à quo ſcripta. t.3. c.12
Eunuchus Candacis Gentilis. t.1.c. 5.n.1

F

FLoriacenſi ex bibliotheca liber euulgatus à Ioanne Boſco qualis fidei. t.3.c.19. multa in eo dubiæ, atque inconſtantis fidei. t.3. c.20.& c.21
Aduentum Iacobi in Hiſpaniam non negat: ſed multis in locis indicat. t.3.c.22

G

GAlacia, ſeu Gallo-Græcia dicta Gallia. t.2.c.2.n.3.& t.3.c.15. n.2
An in Gallia prædicauerit Philippus. ibid.n.1
Gentiles ante Cornelium conuerſi. t.1.c.2.n.2
Gentiles adfuerunt Petri concioni. t.1.c.3.n.2
Gothicum officium, vide Mozarabum.
Granatenſes laminæ. t.2.c.7.n.1

H

HErodes cur tetrarcha dictus ab Iſidoro. t.3.c.13.n.1
Hieronymi teſtimonia. t.2.c.2.n.2
Hippolyti teſtimonia. ibid.n.1
Honor quando expeti poſſit. t.3.c.8. n.5
Humilis in ſuſcipiendo etiam honore obſequentem ſe præbet. ibid.n.7

I

IAcobus in Hiſpania cum Gentilibus egit. t.1.c.1.n.2
Iacobus apparet Ramiro. t.2.c.8.n.2
Iacobus videtur non paucos in Hiſpania conuertiſſe. t.3.c.5.n.1. cur redierit Hieroſolymam. t.3.c. 7.n.1
à Iacobo maiore ſcriptam eſſe Epiſtolam non improbabile. t.3.c.12. n. 4. cur ab illo ſcribi debuerit. ibid.n.2. hoc docet officium Mozarabum. ibid.n.3
à Iacobo minore ſcriptam eſſe communior eſt ſententia. ibid.
Iacobus vbi ſepultus. t.3.c.14.nu
S. Ildefonſi teſtimonium. t.2.c.2. n.3

INDEX RERVM, QVÆ IN DISPVTATIONE DE S. IACOBI in Hiſpaniam aduentu continentur.

In quo litera t. tractatum, c. caput, n. marginalem numerum indicat.

A

ANaſtaſij teſtimonium. t.2. c.2.n.8
Andiat quid. ibid.n.9
Apoſtolis poſt Pentecoſtē liberum abire ad Gentes. t.1.c.4.n.2
Apoſtolorum diuiſio ante annum 12. ab Aſcenſione. t.1.c.6.n.2
Apoſtolorum diuiſio ſtatim à Pentecoſte. ibid.n.4.
Apoſtoli non manſerunt Hieroſolymæ ad obitum vſque Virginis. ibid.n.7
Apoſtolorum nomen ante Euangelium. t.3.c.3.n.2
Apoſtolorum nomen multi falsò aſſumpſerunt. ibi L.
Apoſtolos veriſimile à Petro ad ſuas Prouincias fuiſſe deſtinatos. ibid. n.3
Arabes ſcripta in Hiſpania combuſſerunt. t.2.c.5.n.3

B

BArnabas Italiæ Apoſtolus. t.3.c.1 n.9
Baronius quid de aduentu Iacobi in Hiſpaniam ſenſerit. t.2.c.11.n.4
Bedæ teſtimonium. t.2.c.2.n.4
Beda quid ſentiat de libro Iſidori de vita, & obitu SS. t.3.c.18
Braulij teſtimonium. t.2.c.2.n.4
Breuiarium à Clemente octauo reformatum fauet antiquæ traditioni. t.2.c.9.n.1.& n.6
Breuiarium qua in re videatur incommodare. t.2.c.10.n.1

C

ANte Cornelium aliqui è Gentibus conuerſi. t. 1.c.2.n.2
ante Cornelium agere licuit cum Gentibus. t.1.c.4.n.1
Cornelius eodem tempore conuerſus, quo Paulus, & Eunuchus. t.1. c.10.n.1
Cornelius conuerſus in digreſſu Petri à Samaria t.1.c.3.n.1
Chriſto & Apoſtolis licuit agere cum Gentibus. t.1.c.3.n.1
Calixti teſtimonium. t.2.c.4.n.2
Calixti vera hiſtoria. t.3.c.9 n.1
Calixti hiſtoriæ grauis authoritas. ibid.n.2. ex ea Vincentius multa ſumpſit. ibid.
Cathedra Antiochena quando erecta. t.1.c.11.n.2. in ea ſedit Petrus 7. annos. ibid.n.2
Cathedra Antiochena Catholica. ibid.

ibid.n.3
Clemens octauus quid de Iacobo ſentiat.t.2.c.4.n.4.& ibid.c.9.n.1.
quomodo docet Hiſpaniam obſtam à Iacobo. ibid.n.6
Clementis Alexand.quoddam opus apocryphum. t.1.c.6.n.4
Codex manu ſcriptus euulgatus à Garſia de Loayſa leuis authoritatis. t.3.c.3.n.2.multa continet indigna Toletano Præſide. ibid.n.4
Creſcens Galliæ Doctor. t.3.c.1.n.8

D

DExtri teſtimonium. t.2.c.2.n.5
Diocletiani edictum contra libros ſacros. t.2.c.5.n.3

E

EPiſcopi ſeptem à Petro miſſi quo ſenſu dicantur primi veniſſe in Hiſpaniam.t.2.c.9.n.7.& t.3.c.2.n.1.& n.2
Epiſcopi ſeptem diſcipuli fuerunt Iacobi,& ab eo in Hiſpania conuerſi. t.3.c.2.n.2,& c.6.n.2
Epiſtola Iacobi à quo ſcripta. t.3.c.12
Eunuchus Candacis Gentilis. t.1.c.5.n.1

F

FLoriacenſi ex bibliotheca liber euulgatus à Ioanne Boſco qualis fidei. t.3.c.19.multa in eo dubia, atque inconſtantis fidei.t.3.c.20.& c.21
Aduentum Iacobi in Hiſpaniam non negat:ſed multis in locis indicat. t.3.c.22

G

GAlacia,ſeu Gallo-Græcia dicta Gallia.t.2.c.2.n.3.& t.3.c.15.n.2
An in Gallia prædicauerit Philippus. ibid.n.1
Gentiles ante Cornelium conuerſi. t.1.c.2.n.2
Gentiles adfuerunt Petri concioni. t.1.c.3.n.2
Gothicum officium, vide Mozarabum.
Granatenſes laminæ. t.2.c.7.n.1

H

HErodes cur tetrarcha dictus ab Iſidoro. t.3.c.13.n.1
Hieronymi teſtimonia. t.2.c.2.n.2
Hippolyti teſtimonia. ibid.n.1
Honor quando excipi poſſit.t.3.c.8.n.5
Humilis in ſuſcipiendo etiam honore obſequentem ſe præbet. ibid.n.7

I

IAcobus in Hiſpania cum Gentilibus egit. t.1.c.1.n.2
Iacobus apparet Ramiro.t.2.c.8.n.2
Iacobus videtur non paucos in Hiſpania conuertiſſe. t.3.c.5.n.1.
cur redierit Hieroſolymam.t.3.c.7.n.1
à Iacobo maiore ſcriptam eſſe Epiſtolam non improbabile.t.3.c.12.n.4. cur ab illo ſcribi debuerit. ibid.n.2.hoc docet officium Mozarabum. ibid.n.3
à Iacobo minore ſcriptam eſſe communior eſt ſententia. ibid.
Iacobus vbi ſepultus. t.3.c.14.n.1
S.Ildefonſi teſtimonium. t.2.c.2.n.3

Digitized by Google

Innocentij ſecundi teſtimonium. t. 2 c.4.n.3
Innocentij tertij epiſtolæ reſpondetur. t.3.c.1.n.1
Ioannis Boſci de aduentu Iacobi ſententia. t.3.c.28
Iſidori teſtimonium. t.2.c.2.n.3
Iſidorus author libri de vita,& obitu Sanctorũ. t.3.c.10.n.1.Authores quid affirmant. t.3.c.18
Iudæi potuerunt agere cum Gentibus. t.1.c.1.n.1
Iudæi Gentilium menſam,& conuictum horrebant. t.1.c.n.3
Iudæorum ſalus primo loco procuranda à Chriſto,& Apoſtolis.t.1.c.3.n.2.& quare.t.2.c.4.n.1

L

Libri multi tam agiographi, quã canonici perierunt. t.2.c.7.n.5

M

Mariæ obedientia. t.3.c.8.n.3
Maria amans diuinæ gloriæ. ibid.n.5
Mozarabi officij authoritas. t.3.c.2.& t.3.c.11.n.1. quis eius author. ibidem.confirmatur miraculo,& à duobus Pontificibus. ibid.n.2. Eius antiquitas. n.3.ibid.

O

Officia ſacra quid de Iacobo. t. 2.c.4.n.5

P

Paulus prædicauit vbi alij prædicarant.t.3.c.4.n.44. Gentium Apoſtolus.ibid.n.3.Venit in Hiſpaniam. tr.4
à Petro Apoſtoli videntur ad prouinciam miſſi. t.3.c.1.n.3.Etiam Paulus. ibid.n.4
Petri concione aliqui è Gentibus conuerſi. t.1.c.5.n.3.Venit in Hiſpaniam. tr.4
Petro dum viueret, ædificata templa. t.3.c.8.n.4
Philippus quomodo Doctor Galliæ. t.1.c.2.n.3 & t.3.c.15.n.1
Pij quinti teſtimonium. t.2.c.4.n.4

R

Ramiri teſtimonium. t.2.c.6.n.1
Ramiri viſio non vana.ibid.n.3
Roderici Toletani teſtimonium. t. 2 c.3.n.1.Non videtur interfuiſſe Conc.Lateranenſi t.2.c.1 t.n.5
Roderici Toletani cum Compoſtellano diſceptatio. t.3.c.3.n.8

S

Sanctorum multa corpora aut occulta, aut abducta ab Hiſpania. t.2.c.7.n.4
Sergius Galliæ Doctor. t.3.c.1.n.8
Signa externa ad pietatem iuuant.t.3.c.8.n.6
Simon Africæ Apoſtolus. t.3.c.1.n.10
Simon Apoſtolus an Epiſcopus Ieruſalem. t.3.c.16.n.1
Sixti V.teſtimonium. t.2 c.4.n.4
Scripta ſacra exuſta in Hiſpania.t.2.c.5.n.3.& 5
Scriptura Canonica non eſt de omnium Apoſtolorum prædicatione. t.2.c.5.n.1
Symbolum ſtatim ab Aſcenſione conditum. t.1.c.7.n.1

T

Templum Cæſarauguſtanum à Iacobo conſtructum. t.2.c.8.n 1
Theophilus quis. t.1.c.11.n.4
Traditionum authoritas,& vis. t.2.c.1.n.1.& t.2.c.9.5
Turpini teſtimonium. t.2.c.9.n.7

Finis Indicum.

Digitized by Google